C. SS. R.
PROV. PARIS.
JUVENATUS
47 G





acquisitus Neomagi in Missione.

bibliotg. Aug. dist. fr. Godf. de Munck prior.

COELUM EMPYREUM,

Non vanis & fictis Conſtellationum monſtris belluatum,

SED

DIVUM DOMUS,

DOMINI JESU CHRISTI,

Ejuſque Illibatæ Virginis Matris Mariæ, Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum,

NEC NON

Sacrarum Religionum, Patriarcharum, Aliorumque Tutelarium, præclaris factis, ac raris virtutibus, velut tot lucidiſſimis ſtellis in perpetuas æternitates micantibus,

SPLENDIDE ILLUSTRATUM;

Omnibus verbi Dei Eccleſiaſtis, ad honeſtos Mores, & divinos Amores Auditorum animis inferendos,

Morali Doctrina, Sacra ac Profana Hiſtoria Lucubratum

Per R. P.

HENRICUM ENGELGRAVE,
SOCIETATIS JESU THEOLOGUM.

JUVENAT St-GERARD CS.
39. H
Province de PARIS

COLONIÆ.
Proſtant *apud* GABRIELEM à ROY,
Amſtelodami, ANNO 1669.

P. Mathias Agolla Augustinianus Distensis

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/coelumempyreumno01enge

Ampliſſimis ac Nobiliſſimis

DOMINIS
CONSULIBUS
ET
SENATORIBUS PERPETUIS FRANCONATIBUS.

MUlta quidem ſunt, Nobiliſſimi CONSULES, AC SENATORES, quæ noſtrum in terris exilium conſolantur: ſed nihil æque, ac ſublatus in cœlum vultus, humanarúmque rerum contemtor animus. Originis quippe ſuæ memor, altiſſimam illam, ac lucidiſſimam mundi partem non ut alienam ſuſpicit, ſed ut ſuam. Quamobrem etſi videat quotidie, & verò etiam ſentiat, naturæ noſtræ conditio, volubilitáſque fortunæ, quantum moleſtiarum, ac doloris afferant; tamen dum in cœlum ſuſpicit, facilè conſolatur futuræ vitæ ſuavitas præſentis acerbitatem. Id adeò ex illo cognoſcere poſſumus, quod qui diu vagus, & exul ſolum natale repetit, & quæ illic percepturus eſt bona privata, publicáque, comminiſcendo ac tantùm non fruendo præcipit. In illa reditus ſui felicitate, commodorúmque præſenſione, miſeriarum ſuarum memoriam omnem, ſenſúmque deponit. Sapienti certè

apud Homerum viro, diuturnis erroribus feſſo, ſordidum fumum è patriis focis aſſurgentem videre poſſe optabiliter jucundum fuit. Adeò ſua quémque patria, ſui lares naturâ delectant. Felices enim verò nos, qui cœlum ſempiternis, ac puriſſimis aſtrorum ignibus undique illuminatum, atque diſtinctum intuemur aſſiduè, vultu ad illud erecto conditi, generis noſtri inde demiſſi certiſſimo argumento. At ſi quis ab hac exteriori ſpecie, ac velut ſipario oculis obtento mentis amplitudinem, impetúmque voluntatis altiùs efferat, ſi in ipſa cœli penetralia ſe inſinuet, ſi Divorum immortale concilium ſibi ſubjiciat, ſi beatitudinis, quâ illi fruuntur, conſequendæ ſpem ſibi facere non dubiam poſſe videatur, non ille tum demum inexplicabili lætitiâ, & alacritate deliqueſcat? mihi ſanè huc animum, quà licuit, inferenti, & his de rebus etiam, atque etiam cogitanti eadem quæ Archytæ Tarentino mens, idem conſilium fuit. Cenſebat magnus ille, ac nobilis Philoſophus, cujus ſententiam in ſuaviſſimo de amicitia libello laudat Cicero, ſi in cœlum aliquis aſcendiſſet, naturámque mundi, & pulchritudinem ſiderum perſpexiſſet, admirationem illam per ſe quidem ſuaviſſimam, inſuavem tamen fore, ſi aliquem, cui narraret, non haberet. Eſt enim hoc humanis ingeniis inſitum, ut, niſi ea, quæ intelligunt, & quem ex iis fructum percipiunt, in alios effundant, non exiguo bono ſe fruſtrari putent.

Habent

Habent ſcilicet commune aliquid cum fontibus, qui, ſi ſupprimantur, erumpere geſtiunt, &, quaſi inviti coërceantur, æſtuant intus, & incluſas aquas diffundere laborant. Itaque ſi à natura ipſa ita comparatum eſt, ut quæ per ſe nobis jucundiſſima ſunt, incredibiliter tamen reddantur jucundiora, ſi eorum ad alios quoque derivetur ſuavitas; quem illi ſenſum ineſſe oportet, qui non cœlum obſervat, ac ſidera, ſed ſideribus illuſtriores animas, cœlo receptas? poſſit animum ipſe ſuum celare? poſſit ea, quæ ſecum commentatus fuerit, ſcripſeritve, pectoris ſui, aut ſcriniorum anguſtiis continere? date mihi hanc veniam, VIRI NOBILISSIMI, ut animi mei ſenſum apud vos proloquar. Sanè per mihi jucundum fuit (quid enim, quod res eſt, de me fateri dubitem?) in præclaris, & glorioſis, & ad imitandum expoſitis Divorum factis cogitationes meas, ſtudiáque defigere. Neque facere potui, quin ex Archytæ ſententia ea, quæ multa commentatione cognoveram, in publicum proferrem. Aliud ex alio mihi veniebat in mentem, cur id facerem. Cogitabam nihil æquè in hac imbecillitate animi, fragilitatéque naturæ hominibus opus eſſe, ac præſidio, & exemplo: & ſimul ſanctiſſimi Pontificis audire vocem videbar: a MIRABILIS DEVS IN SANCTIS SVIS, in quibus nobis & præſidium conſtituit, & exem-

 plum.

a *S. Leo in natali S. Laurent. & Pſalm. 67.*

plum. Optabam ſanctitatem viâ, & arte tradi: & Ciceronem, quamquam in ſuperſtitionum tenebris, & unius numinis ignoratione turpiſſimè hallucinantem, tamen aſpernari omnino non poteram, cùm ſanctitatem definit *b* eſſe colendorum Deorum ſcientiam. Videbam, ſi illud magni Oratoris pronunciatum ad eum, quem Cœlitibus debemus, cultum transferrem, ſcientiam traditurum me, quæ brevem, & inoffenſam ad ſanctitatem viam omnibus aperiret. Capiebat me illorum hominum miſeratio, quos nec hujus exilii mala dolenter ſatis, nec cœleſtis Patriæ bona, pro eo ac par eſt, afficerent: & pariter occurrebat incluſus Cretæo Labyrintho Dædalus, quem diuturni exilii pertæſum, & patriæ amore tactum, humeris alas accommodaſſe Poëtæ fabulantur. Minois itaque cuſtodiam eluſurus ſolers architectus

c *Terras licet*, INQUIT, ET UNDAS *Obſtruat: at* COELUM CERTE PATET: IBIMUS ILLAC.

Quid nos? non in has terras velut in exilium ejecti videmur, & labyrintho incluſi? non rerum humanarum inexplicabiles occurſus, recurſúsque aſſiduè nos fatigant? quoties exitum ſperamus, & in eoſdem anfractus errando delabimur? ipſa quotidiana vivendi ratio ſi inſpicia-

b *Cicero de natura Deorum.* c *Ovid. metam.* 8.

ſpiciatur, iiſdem perpetuò moribus, ac motibus agitur. Nunc cubitu ſurgitur, nunc eodem conceditur: nunc opera publicæ, nunc domeſticæ rei datur: nunc curando corpori, nunc expoliendo ingenio tempus tranſmittitur. hanc imus, & redimus viam: in hunc orbem acti annos, vitámque conſumimus. *Quouſque eadem?* inclamat è Romana porticu Philoſophus. At nos jam pridem errando feſſi id agamus, ut ex hoc exilio & labyrintho ereptí, patrio aliquando reſtituamur cœlo, Divorum exemplis incitati. Id ſpectavi, id agere hoc opere contendi, CONSULES, AC SENATORES NOBILISSIMI, quod, cur in Veſtro nomine apparere juſſerim, non una me induxit cauſa. Solent ii, qui ſe in Regum clientelam, fidémq; committunt, eorum inſignia foribus ſuis affigere, & res ſuas hoc judicio, præſidióque tutas putant. Magna eſt enim regiæ iſtius teſſeræ ſpecies, magna dignitas, ut qui ædibus illis, quæ hanc præfixam habent, vim & manus intulerint, majeſtatem imminuiſſe cenſeantur. Similiter poteram Ordinis Veſtri inſignibus opus hoc meum munire adverſus fanaticorum, atque furentium hominum amentiam, qui Divorum templa & aras ad exitium & vaſtitatem vocant. Neque enim de religionis acerrimo ſtudio, quo FRANCONATES ſemper floruerunt, ulla umquam in Belgio aut ætatum, aut Ordinum judicia conticeſcent, celebrabuntur illa virtutis,

ac fidei data documenta, quibus ſeſe Deo ac Principibus ſuis probârunt. Verum non id ago, ut impiorum hominum furori opus meum eripiam. Mihi conſilium quoque fuit Senatus Veſtri inſignia intuenti, eadem operi meo præfigere, quod COERULEO picta eſſent, & cœleſtis ille color ei potiſſimum convenire videretur. Neque enim tam certò hedera vini vendibilis, quam ille rerum à me hoc libro pertractatarum indicium faciet. O colorem ſerenum, ac ſuavem, qui non oculos ſolum reficiat, & oblectet, ſed etiam animum ad res divinas cœleſtéſque transferat! Tabernaculum, cujus formam, & ornatum omnem Moyſi Deus ipſe deſcripſerat, quodque adumbratam aliquam cœli ſpeciem referebat, & grande illud, atque inacceſſum Hebrææ Gentis arcanum, cui à ſanctitate nomen divinitus inditum fuit, COERULEIS INTEXTUM VELIS fuiſſe legimus. Nimirum ut ad cœli contemplationem, deſideriúmque tanto magis intuentium animi accenderentur, quanto propius ad illius ſimilitudinem cœleſtis ille color accederet. Quid vero illud? quod cœlo cognatum, Magiſtratus Veſtros non, ut alibi, annuos, ſed perpetuos eſſe: è quo propter aſſiduum rerum uſum magna prudentiæ laus effloreſcat, neceſſe eſt. Quis enim eſt, ut cenſebat Plinius *e*, tam imbecilli ingenio, qui non tanto meliorem Conſulem, ac Senatorem

rem

e Paneg. Trajani.

rem ſperet, quanto ſæpius fuerit? quid ſi perpetuò? profectò abeſſe non poteſt, quin in ejuſmodi viris ea omnia, quæ officii ratio poſtulat, in rebus adminiſtrandis prudentia, æquitas in diſcernendis, in urgendis fortitudo, maxima ſint, atque ampliſſima. Quare ſi tanta eſt Ordinis Veſtri dignitas, ut ob illuſtrem ac ſingularem præſtantiam facile aliorum Magiſtratuum præſtringat lucem, videri poſſim quâdam ambitione opus hoc meum nomini Veſtro inſcribere voluiſſe. Verum hoc pietati potius, atque obſervantiæ tribui velim, propterea quod id votis omnibus expeto, ut hoc libro celebrati Cœlites benevolentiam, ac poteſtatem ſuam in vos teſtificentur, ac prodant, quorum præſidio ac tutelâ virtutes ſuas ad imitationem proponi videbunt.

NN. VV. DD.

Infimus Servus

Henricus Engelgrave S. J.

TITULI
EXPOSITIO PARÆNETICA,

Qua in hujus novi Cœli, & Sanctorum in eo Siderum contemplationem, & imitationem Lector excitatur.

QUid maris, & terræ, numeroque carentis arenæ
Menſuram, & numerum ſtudio venamur inanis?
Aſtra quid, & cœlum, & ſi quid ſublimius illo eſt,
Explorare homini eſt ſtultus labor? Aſtra feruntur
Motibus æternis; ſtabili ratione moventur
Sidera; ſtant cœlo fixæ certo ordine ſtellæ,
Cumque ſuo ſpargunt circum ſua lumina cœlo;
Lux ſua cuique, ſuus cuique eſt decor, & ſua moles.
Magna etiam minimis, terræque capacior orbe.
Dein &, qui cœli liquidum per inane vagari
Dicuntur ſine lege, ſacrâ ſub lege Planetæ
Semper eunt, redeuntque; modum præſcripſit eundi
Æterni manus artificis. Ratione perenni,
Omnia volvuntur; nec præcipitare vel unum
Vel retinere queat quiſquam, licet intima mente
Percipiat, licet ima oculis penetrantibus intret.
Ibunt aſtra, ſuos ſemper converſa per orbes
Inſtabilis conſtanſque tamen natura feretur,
Temporaque, & curſum vitæ mortalis, agendo
Omnia, diſpenſabit. Erunt noctesque, dieſque
Semper; erit Veri primo vicinior Æſtas,
Æſtatem ſuperabit agens Autumnus, Hiemſque
Autumno ſuccedet iners. Animalia cuncta,
Et quidquid vitæ fructum vegetabilis haurit,
Exoritur moriturque aſtrorum jure perenni;
Nec quiſquam, radio quamvis deſcripſerit orbem,
Et motus ſtellarum animo comprenderit omnes
Curſuſque occurſuſque, aliquid mutabit in illis,
Nec ſeriem ex ipſis vitæ melioris habebit.

Aſtra

Aſtra (ſenex Siculus dextrè quod fecerat olim)
Finge vitro, cœloſque pilâ complectere parva;
Finge pererrantes cum ſtellis ire Planetas
In gyros, flexuſque ſuos. Ridebit inanem
Conatum Deus omnipotens, dicetque: fatigat
Mortalem labor exiguus; quid inutile fruſtra
Urget opus? Sinat ille meis me legibus orbem,
Quem ſtruxi, regere imperio & moderamine primo.
Seſe agat ille; ſuumque orbem, quo clauditur ingens
Spiritus, aſſimiliſque mei, ratione gubernet,
Libertate regat, quam nulla potentia cœli
Impediat, nullus ſtellarum vinciat ordo.
Hoc agat, atque mei ſimilem ſe poſſe tueri
Naturam, munuſque ſuum commonſtret agendo;
Sic olim Heroës inter, ſanctumque Senatum
Cœlorum ſcribi, ſociuſque merebitur eſſe
Imperii, ſortiſque meæ. Nil profuit ulli
Æthereas tentaſſe domos, oculoque profundos
Exploraſſe polos. Alios ſpectare Planetas,
Cœlorumque orbes alios, atque aſtra tueri
Nos jubet omnipotens, rurſuſque æquare tuendo.
Sidera ſunt Heroum animæ, quas vivida virtus
Extulit à terris, cœlique in parte locavit.
Qua ſe quæque via, motuque invexerit alto,
Scire operæ pretium eſt, prodeſtque ſequentibus, illam
Quò proceres abiere pii, cognoſcere metam.
Cœlorum via tergemina eſt; harum una vocatur
Lactea, virginibus trita eſt hæc ſemita caſtis;
Altera purpureo veſtigia ſanguine ſignat,
Fortia qui toties moriendo vulnera paſſi
Projecere animas, illam tenuere, cadendo
Victores, genus Heroum de ſanguine primo:
Tertia luce micat variâ, quali nitet Iris
In cœlum curvata arcu, quem mille colores
Oppoſiti Solis radio pinxere ſereno:
Vel quali, via vitæ, immenſum Eclyptica cœlum
Dividit in zonam, ſignis ardentibus aptam.

Hæc

Hæc inter, quamquam ſunt multa ſimillima monſtris,
Sunt tria digna tamen, quæ Sol luſtrare ſerenus
Ambiat, & radiis animare ardentibus optet.
Sunt Leo, ſunt Virgo, ſunt Libra. Hæc provida cuſtos
Juſtitiæ eſt; caſtum ſibi præfert iſta pudorem
Virginitatis: ineſt illi fortiſſima virtus
Victoris decus. Aureolas Deus ipſe corollas
Dividit his, totique parat ſpectacula mundo.
Præcipuè hanc tenuere viam, namque ardua tota eſt,
Illuſtres animæ, magnumque in nomenituræ;
Seu quibus una fuit mortales cura docere
Juſtitiam; ſeuquæ caſto vicere pudore
Naturam, ætatemque ſuam; ſeu denique fuſo
Sanguine, quæ Chriſto vitam, fideique dedere;
Hac omnes abiere. Vocat ſua ſemita quemque,
Invitatque ſequi. quid adhuc nos lenta moratur
Segnities? Alii rapiunt vi capta, feruntque
Sidera; nos primo vix tandem à carcere greſſum
Molimur pavidi, & metam ſpectare fugacem
Cogimur. O! ſi quis cœli ſtatione relicta
ANGELUS adveniat miſeris COMES: utque moventur
Illius auſpiciis vaga ſidera, ſic quoque cœcas
Dirigat in cœlum mentes! ne quære; paratus
ANGELUS ecce tibi eſt, COMES eſt tuus ille futurus;
Ille tibi Heroum vitam & monumenta priorum
Exhibet in terris, cœlumque effingit in illis.
Inſpice, quáque ſequi tantis rationibus urget,
Fac videas, & (namque potes) ſpectando ſequare.
Huc te, meque animo repetentem exempla piorum,
Sive viri, ſive ingenuæ, ſine labe puellæ,
Sive coronati pugiles à ſanguine fuſo
Invitant coguntque ſequi. Præiere; ſequamur:
Regnaque non dubio ſtatuamus denique cœlo.

Operi & Auctori cecinit

V. V. G. E. S. J.

AD

AD LECTOREM.

Libri, liberi ſunt, & mentis fœtus, animique partus. Adi, & audi a *Egregium, ſanctumque virum,* Clementem illum Alexandrinum: b *filii quidem corporum; animæ autem liberi, ſunt ſcripta.* Quod divinus Plato vel in tenebris vidit: *Libros liberis tanto chariores eſſe oportere, quanto filii mentis, præſtant filiis ventris.* Nec minorem illi in partu, doloris partem ſibi vendicant: complures enim oppreſſi, antequam expreſſi; c *qui concepti non viderunt lucem.* Damnati antequam nati, & quaſi d *de utero tranſlati ad tumulum.* Alii vixdum in lucem editi, theonino dente, leonino ungue miſerè diſtracti, fœdè diſcerpti, à prælo velut prælium exorſi, pro ſepia, ſanguine maduere; e prælum quippe à prælio dictum volunt, quod hic, ut credo, invidorum linguis, non ſecus ac in acie, hoſtium gladiis, non ſudor dumtaxat, ſed & cruor exprimatur. Ut parum ſit in torcularibus libros torqueri, premi, tundi, findi, velut umbilico præſcindi, vinculis ut faſciis conſtringi, niſi longè gravius ab æmulis, à ſciolis, à zoilis vapularent. Unde ſcriptor Venetus, vir literatiſſimus, liberè concludit: f *Dici ergo poteſt, non eſt liber niſi labor, non eſt penna niſi pœna, non eſt calamus niſi calamitas:* additque non minus appoſitè, libris id nomen non injuria inditum, quod multum librentur: librantur ab Auctoribus, à Cenſoribus, ab Impreſſoribus, à Bibliopolis, ab emptoribus, potiſſimum à criticis, & tetricis lectoribus. Libros hi librant, imo cribrant, & ſi quid furfuris eſt, in auras, in aures ſpargunt, optimâ ſimilagine ſub modio ſuppreſſâ, parum memores illius, quod Lyricus monet:

g *Verum*

a Juvenal Sat. 13. *b* Clem. Alexand. lib. 1. Strom. *c* Job cap. 3. *d* Job cap. 10. *e* Beyerlinck theat. lit. P. *f* Lauredanus ſilva rerum memor. in præfat.

g *Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis*
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Quid? quod eo temeritatis procedunt, ut ipſis ſtellis firmamenti tenebras offundere, in lucidiſſimo ſolis vultu, maculas notare, appingere, affingere non vereantur. Expertus id Hieronymus, lumen illud, & columen Eccleſiæ, qui tetrâ fuligine aſperſus, amarè queritur, dum olim dixit, & fatum duxit, fœtum omnem ingenii opprimendum, aut æmulorum telis configendum; ſic enim ad Nepotianum diſſerit: h *aut nihil ſcribendum fuit, aut ſcribentes noſſe cunctorum adverſum nos maledicorum eſſe tela detorquenda*; quibusdum S. Clementem Alexandrinum, divum Hippolytum Martyrem, Tertullianum, Euſebium Cæſarienſem (quales viros!) non leviter perſtrictos enarravit, ſubjungit: i *Certè ſi tanti, & tam eruditi viri, faſtidioſis lectoribus diſplicent, quid mihi facturi erant, qui pro tenuitate ingenioli, invidorum morſibus pateo?* tum ſtylo in ipſos obtrectatores converſo, eorum tela vel hoc ſolo elidit, ac eludit, quod ejuſmodi farinæ homines, zoilos illos, ſciolóſque, plerumque cerebro vacuos, vento plenos, inquietos, garrulos, ſcitè depingat. Unum eorum ex umbrâ in ſolem, è latibulo in publicum produxit: k *Neſcio, quem de trivio, de compitis, de plateis, circumforaneum, rumigerulum, vafrum tantum* (cetera ſtolidum) *ad detrahendum; qui per trabem oculi ſui, feſtucam alterius nitatur eruere.* Auſus *concionari adverſum me, & libros quos ſcripſi, canino dente rodere, lacerare, convellere.* Hominem vocat ſine præceptore, minimè ſtudioſum, per imperitorum circulos, mulierculârumque ſympoſia vagantem; ut fidem hujus rabulæ elevet, qui graviſſimi, ſanctiſſimique Doctoris lucu-

g *Horat. de arte Poët.* h *Epiſt. 2. ad Nepot. ſub finem.* i S. *Hieron. in proœm. lib. 11. in Iſaiam.* k *S. Hieron. Epiſt. 51. ad Domnionem.*

lucubrationes carpere non erubuit: l *Non eſt grande, inquit, mi Domnion, garrire per angulos, & medicorum tabernas, ac de mundo ferre ſententiam: hic bene dixit, ille malè: ille Scripturas novit, ille delirat; ille loquax, ille infantiſſimus eſt; ut de omnibus judicet, cujus hoc judicio meruit:* Tum ne totus putreſcat, ſale illum probè perfricat, omnemque vitam in viſitandis mulierculis, & viduis adoleſcentulis impudenter traductam exponit. Alium verò rodentem ſua ſuper Danielem ſcripta, ſcorpium tecto nomine compellat, plenum veneno mortifero, præſagiens in ſuo pure moriturum: m *Audio ſcorpium, mutum animal, & venenatum, ſuper ſponſione quondam commentarioli mei in Danielem Prophetam, neſcio quid muſſitare, imo ferire conari, in ſuo pure moriturum.* Hanc ſugillandi, cavillandique parrheſiam, non unus Hieronymus; ſed & plerique veteres, & complures recentiores, doctiſſimi Scriptores, diſertiſſimi Oratores teſtantur, ac deteſtantur; qui niſi inoffenſo pede moloſſos ejuſmodi allatrantes, generoſi in morem caballi, deſpexiſſent, ſcientiæ theſauros ſub terra defodiſſent, nec ſæculum ſuum tot ſtellis, quot libris colluſtraſſent: quibus ut à partu perdifficili, filius doloris, parenti prædilectus, & è Benoni Benjaminus redditur, ita & ſcriptorum quiſque, ubi fœtum ſuum mamillâ Regum lactari, cunis velut argenteis foveri, non minio ſed purpura tegi, non faſciis ſed faſcibus protegi animadvertit, n *jam non meminit preſſuræ.* Ubi volumina ſua per omnium ora volitare, per literatorum manus vagari, & pervulgari gratiſſima fama acceperit, *jam non meminit preſſuræ*, illudque æmulis, qui vident, & invident, præfidenter ingerit:

o Sum

l *Citat.* m *S. Hieron. in proëm. lib.* 10. *in Iſaiam. Lanuza in proëm.* n *Joan.* 16.

o *Sunt quidam qui me dicunt non eſſe Poëtam*,
Non eſſe hiſtoricum, interpretem, oratorem, concionatorem;
Sed qui me vendit, bibliopola putat.
Nec jam amplius Zoili dentes, Momi oculos, Maſtigophori manus perhorreſcens, illa Sedulii verba obtrudit; p *Proferant ſua, ſi qui carpere nituntur aliena. Promptius eſt omnibus judicare, quàm facere, & de Caſtrenſi munimine, pericula ſecuro vultu conſpicere.* Aut ſtrictum illud Martialis:
q *Carpere vel noli noſtra, vel ede tua.*
Sed parum hoc, ſcriptis ſæculum illuſtraſſe, per ora hominum volitaſſe, ad ultimam Thulen famam penetraſſe; at ſi animos inflammaſſe, ſi errantes in viam revocaſſe, ſi ab immani illo inferorum præcipitio ſervaſſe, ſi vel unicam lethalem noxam cum magno Patriarcha noſtro *Ignatio*, omni ſtudio, labore, ſudore, ſolertia eliminaſſe, imo retardaſſe compertus ſit, is omnem opem, ac operam laudabiliter contulerit, chartis noctu, diúque utiliter impalluerit, omnia tædia, faſtidia, lucubrationes ſalubriter devorarit, æmulorum denique cavillos, & paſquillos jure meritiſſimo riſerit; ubi enimverò tale operæ pretium reportarit, r *jam non meminit preſſuræ.* Non aliò ſpectat omne ſtudium noſtrum, nec aliud pretium exſpectat hoc levidenſe opus noſtrum. Quapropter id ego candidè ſine fuco proteſtor, & ut teſtanti, tu Lector, fidem adhibeas, obteſtor, quod de ſe faſſus eſt *Chriſtianus ille Cicero* ſ (hoc nomine D. Hieronymus compellat Lactantium) qui ſic ait: t *Si vita optanda eſt ſapienti, profecto nullam aliam ob cauſam vivere optaverim, quam ut aliquid efficiam, quod vita dignum ſit, & quod utilitatem legentibus, etſi non ad eloquentiam, quia tenuis*

o *Martial. lib.* 14. *Epig.* 194. p *In Bibliothec. PP. lib.* 418.
q *Mart l.* 1. *epig.* 92. *ad Lelium.* r *Joan.* 16. ſ *Hieron. lib.* 1. *inſtit. cap.* 1. t *Lactant. lib. de opificio Dei, cap.* 20. *Ad lect. part.* 1.

tenuis in nobis facundiæ rivus eſt, ad vivendum tamen aſferat quod eſt maximè neceſſarium. Quo profectò ſatis me vixiſſe arbitrabor, & officium hominis impleſſe, ſi labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos ad iter cœleſte direxerit. Bracteatam illam porrò eloquentiam, & è pelvi fulgorem, aliis relinquo, ampullas non fundo, locos Rhetoricos non tracto, numeros Oratorios non ſector, denique ut præfatus ſum, Conciones non inſcribo, nec partes Tullianas aut Tertullianas mihi ſumo: u *alii meros flores loquantur, alii folia*, & inutiles racemos diffundant, tu mi Lector, ſi fructum legeris, optimam partem elegeris. Myſterio non caret, quod ſupremus Legifer Deuteronomii 16. cavit: *Non plantabis lucum, & omnem arborem juxta altare;* quæ magnus Gregorius in præfatione operis ſui, perappoſitè adducit: x *Quæſo autem ut hujus operis dicta percurrens, in his* VERBORUM FOLIA NON REQUIRAS: *quia per ſacra eloquia, ab eorum tractationibus infructuoſæ loquacitatis levitas ſtudiosè compeſcitur, dum in templo Dei, nemus plantari prohibetur.* Ecqui porro ex frondibus, & floribus fructus pœnitentiæ, qui fructus bonorum operum, ac virtutum ſpectandi, aut ſperandi ſunt? hic ſenſus divo Ennodio fuit, quem amico exponit: y *Pulchra ſunt quæ ſcribis, ſed ego amo plus fortia: redimita ſunt floribus; ſed poma plus diligo.* Ego, mi Lector, & *nova, & vetera ſervavi tibi*: invenies è veteris & novi teſtamenti tabulis: è priſcis & recentioribus hiſtoriis: è moribus antiquis & modernis, è paupere ingenioli mei penu deprompta; ſed elephantino partu decem annorum lucubrata, luſtratis in quavis materia ſupra 50, è primis Provinciæ bibliothecis, lectis Auctoribus, z *ut non opinionis propriæ conjecturas; ſed divinorum librorum ſequar auctoritatem.*

Quæ

u *Auguſt. lib. 4. de doctrina Chriſtiana.* x *S. Gregor. in præfat ad lib. moral. in Job cap. 5.* y *D. Ennodius lib. 1. epiſt. 10. ad Joannem.* z *Bernard. Serm. 1. de omnibus Sanctis.*

Quæ ſi compilaſſe videar, audi ocellum Belgii Juſtum Lipſium: a ut Phrygiones è varii coloris filo, unum aliquod aulæum formant, ſic Scriptores è mille aliquot particulis, cohærens opus. Alteram non minus aptam ſimilitudinem inducit: *Nec aranearum ſanè textus ideo melior, quia ex ſe fila gignunt; nec noſter, vilior, quia ex aliis libamus, ut apes.* Faſtidioſo ſæculo vivimus, unde quod olim Auguſtinus ſuo, id enimverò quam maximè hoc noſtro nauſeabundo ſæculo locum habet, quo b *propter faſtidium plurimorum, etiam ipſa ſine quibus vivi non poteſt, alimenta condienda ſunt.* Tum ut palato varietas ſapit, c *communia non communiter dicenda*, & librorum non ſecus ac ciborum varietas delectat; quare, inquit, d *expedit plures libros à pluribus fieri, diverſo ſtylo; non tamen diverſa fide, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios verò ſic*, ut non ineruditus Poëta ſenſit, ac ſapuit, dum dixit:

e *dulcis miſtura bonorum,*
Et ſemper varium, plus micat artis opus.

Itaque, ut concludam, candidiſſime Lector: f *Si in tabernaculo Dei, unuſquiſque offert quod poteſt, alii aurum, & argentum, & lapides pretioſos: nobiſcum bene agitur, ſi obtulerimus pelles caprarum, & pilos*, qui, ut audio, apud eos etiam in pretio ſunt, qui columbino oculo, agnino pectore, olorinis plumis, noſtra gratanter excepêre; quod cum & de te, mi Lector confidam,

g *Quod ſpiro, & placeo, ſi placeo, tuum eſt.*

a *Lipſius lib. 1. politic. 2. in proloquio.* b *Auguſtin. lib. de catechiz. rudib.* c *Idem Tract. in Euang. in proëm.* § 4. d *Idem lib. 1. de Trinit. cap. 3.* e *Cornel. Gallus.* f *Hieron. lib. 2. contra Ruffin. & Tom. 2. in prolog. ſuper Gen.* g *Horat. carm. lib. 4. ode 3. in fine.*

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS,

Provinciæ Flandro-Belgicæ Societatis JESU.

EGo *infraſcriptus Societatis* JESU *Præpoſitus Provincialis in Provincia Flandro-Belgica, Poteſtate ad hoc mihi facta ab admodum R. P. noſtro* JOANNE PAULO OLIVA *Præpoſito Generali ejuſdem Societatis, concedo* D. Joanni Buſæo *Colonienſi Typographo facultatem typis mandandi* COELUM EMPYREUM, *ſeu Conciones de Sanctis à R. P.* HENRICO ENGELGRAVE *Societatis noſtræ Sacerdote ſcriptum, & à deputatis ejuſdem Societatis Theologis examinatum, & approbatum. In quorum fidem haſce manu mea ſubſcriptas & officii mei ſigillo munitas dedi Antwerpiæ* 12. *Martii* 1666.

(L. S.)

Ægidius van der Becke.

APPRO-

APPROBATIONES.

REverendi admodum Patris HENRICI ENGELGRAVE Societatis JESU Theologi, Concionum, jam ſæpius uſu ac utilitate probatarum, ac recuſarum famâ notiſſimi, COELI EMPYREI Tomum primum oculis, animóque percurri; Empyreum ad omnem pietatem, Sanctorúmq;, quorum copioſiſſimam exhibet lucem, ſectandos virtutum radios inflammans cum repererim, ampliori ut comprobetur utilitate, prælo digniſſimum cenſeo ex Conventu Fratrum Minorum Recollectorum ad Olivas Coloniæ, die 22. Auguſti 1667.

Fr. Caſparus German SS. Theol. Lect. ordin. mp.

NOs infraſcripti S. Theologiæ Doctores & Profeſſores Colonienſes, Ord. Erem. S. P. Auguſtini, opus, quod inſcribitur COELUM EMPYREUM in feſta & geſta Sanctorum per Annum &c. erudite compoſitum à R. P. HENRICO ENGELGRAVE Societatis Jeſu, vidimus & legimus: nihil in eo fidei orthodoxæ, aut bonis moribus contrarium deprehendimus, quin potius ad mores juxta fidei normam formandos & reformandos utiliſſima dogmata & exempla. Quare dignum judicamus, ut ad Chriſti fidelium utilitatem, & Cœli Empyrei Conditoris, atque Incolarum ejus gloriam & honorem in lucem edatur. Datum Coloniæ in Conventu S. Auguſtini, die 12. Julii, Anno 1667.

Fr. Joannes Guilielmus à Lutzenradt Auguſtin.
Fr. Joannes Schweitzer Auguſtinianus.

CEN-

CENSURA ORDINARII.

COELI EMPYREI, admodum Reverendi Patris HENRICI ENGELGRAVE Societatis JESU &c. Tomus primus, à diverſis SS. Theologiæ Doctoribus & Lectoribus reviſus, approbatus, ac laudatus; nec quidquam quod orthodoxæ fidei, aut bonis moribus adverſetur, quin potius plurima, quæ ad illam promovendam, hoſce formandos ac reformandos perquam ſint utilia, continens, luce ut donetur publica, auctoritate ordinariâ concedimus Coloniæ 27. Auguſti 1667.

J. FRANCKEN SIERSTORPH J. U. D.
Metrop. Eccleſiæ Canonicus, Librorum Cenſor ordinarius mp.

PRO-

Cum S. D. N. URBANUS PAPA VIII. *die 13. Martii 1625. Decretum ediderit, idemque confirmarit die 5. Julii 1634. quo inhibuit imprimi libros, hominum qui ſanctitatis ſeu martyrii famâ celebres è vita migraverint, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia tamquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine cognitione atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata.*

Idem autem Sanctiſſimus die 5. Junii 1641. ita explicuerit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam; bene tamen ea quæ cadunt ſuper mores & opinionem, cum proteſtatione quod nulla eis adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes authorem.

Huic decreto ejuſque confirmationi & declarationi, obſervantiâ ac reverentiâ, qua par eſt, inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu quidquid in hoc Cœlo Empyreo refero, accipere, & accipi ab ullo velle, quam quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat authoritate, non autem divina, Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut S. Sedis Apoſtolicæ nituntur: iis tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

KALENDIS JANUARII IN STRENAM.

Adeſſe feſtinant tempora. Deuteron. cap. 32. v. 35.



Nihil eſt annis velocius. Ovid. lib. 10. Metam.

ARGUMENTUM.

CUm nihil ſit horis, & annis velocius, hoc anni exorientis auſpicio, quo moris eſt Xenia boni nominis ſymbola miſſitare, nihil mihi accommodatius, aut vobis gratius fore occurrit; quàm ut cuique hominum ætati ac conditioni; volucrem aliquam illi

propriam, in ſtrenam aſſignem: a *ut velocitatem rapidiſſimæ rei*, id eſt, temporis, quod præpeti pennâ tranſvolat, *poſſitis æquare*, & æſtimare. Sapienter enim Sapiens inter varia celeberrimi temporis, omniumque temporalium hieroglyphica, ſimilitudinem avis prætervolantis adducit, dicens: b *Tranſierunt omnia illa, tamquam nuntius percurrens, & tamquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam: aut tamquam* Avis, *quæ transvolat in aëre.* Quin & rerum omnium conditor Deus, non ſinè myſterio, Avium nos magiſterio edoceri voluit, à quibus Adoleſcentes & Adoleſcentulæ, Conjuges, & Viduæ, nec non Viri Religioſi ac Sanctimoniales ſalubria ſibi documenta haurire queant. *ADsVnt teMpora Verè VeLoCIa.*

§. I. INTERROGA JUMENTA, ET DOCEBUNT TE: VOLATILIA CÆLI INDICABUNT TIBI. *Job.* 12.

§. II. *Puellis* GALLINÆ PULLUS, *Juvenibus* AVIS CANARIENSIS *in ſtrenam datur.*

§. III. *Conjugatis* ACANTHIS *cruculæ alligata*: *Viduis* TURTUR *tribuitur.*

§. IV. *Servis & ancillis*, PSITTACUS.

§. V. *Eccleſiaſticis & Religioſis*, LUCINIA: *Sanctimonialibus*, ALAUDA.

KALEN

KALENDIS JANUARII IN STRENAM.

Adeſſe feſtinant tempora. Deuteron. c. 32. v. 35.

PArens, ac princeps Eloquentiæ, Marcus Tullius, cùm Romæ floreret plurimùm amicitiâ, auctoritate in curiâ frueretur, Civium benevolentiâ, ludorum magnificentiâ, quia his aſſueverat, nihili faciebat; at ubi hiſce omnibus exul cœpit carere, tùm demum quanti illa æſtimaverit, ſuâ illa oratione poſt reditum declaravit: a *Amicitiæ, conſuetudines, vicinitates, clientelæ, Ludi denique, & dies feſti, quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quàm fruendo.* O ſi loqui poſſent, & me tacente, vos alloqui incolæ alterius mundi, ſive illi, qui in ignea ſcrobe purgantibus flammis expiantur; ſive illi, qui ad illætabiles inferorum deſcenderunt receſſus, profectò non foret diſſimilis oratio eorum: quanti fuerint pretii, tot qui celerrimè avolarunt anni, menſes, hebdomades, dies, horæ: quàm omnia hæc tempora pernicibus alis, cum vanitatibus, & voluptatibus, inſaniis falſis, & iniquitatibus veris, tranſierunt, *carendo magis intelleximus, quàm fruendo.* Quare ne hæc veſtrûm ſera ſit oratio, & ſeria nimis comploratio, reſpicite velociſſimum anni jam decurſi volatum. Hoc pulcherrimum, juxta ac ſaluberrimum Romani Philoſophi monitum eſt: ſic etenim Anneus Seneca, *cujus*, magno teſte Auguſtino b, *quædam ad Paulum Apoſtolum leguntur epiſtolæ*, eumque c *magiſtrum* ſuum compellat: d *infinita*, inquit, *eſt velocitas temporis, quæ magis apparet reſpicientibus: nam ad præſentia intentos fallit. Reſpicite* illos, quibus volubilis, ac volatilis annus, velut pennis fugit, menſes 12, hebdomadas 52, dies 365, horas ad 8 millia & 760, quò & quàm perniciter avolârint. *Reſpicite* omnem celerrimæ vitæ veſtræ anteactæ curſum: fuit quondam tempus, cùm tu vagires infans in cunis, cùm penderes dulce onus ex matris uberibus, ubi jam infantia? *apparet reſpicientibus, quia infinita eſt velocitas temporis.* Inde repſiſti è cunabulis puer, ludebas crepitaculis, equitabas in arundine longa, pendebat è collo bulla, ubi jam illa pueritia? *apparet reſpicientibus.* Poſteà abjectis nucibus, exuta prætextâ, adoleſcens cœpiſti frequentare ludos litterarios, ac prima ſcientiarum elementa; ubi nunc tempus illud? *apparet reſpicientibus.* Inde mox ex Ephœbis egreſſus, ſubduxiſti-

a Cicero orat. poſt reditum.

b Aug. epiſt. 54. ad Macedon. c Hieron. deſcript. Eccl. d Seneca epiſt. 49.

manum ferulæ, & juvenis in Academica Gymnaſia te abdens, cœpiſti chartis, & codicibus impalleſcere. Ubi nunc tempus illud? *apparet reſpicientibus.* Reſpicite omnia quibus inſudaſtis ſtudia, quibus vos occupaſtis negotia, quibus vacaſtis otia, quibus oblectaſtis convivia, & repotia. Et *apparet reſpicientibus*, quia *infinita eſt velocitas temporis.* Velociſſimè tranſierunt omnia. Quam incomparabilem temporis pernicitatem, ut quoquo modo aſſequi valeatis; audite de rerum omnium vanitate ac pernicitate loquentem Sapientem: *e Tranſierunt omnia illa, tamquam nuntius percurrens, & tamquam navis quæ pertranſit fluctuantem aquam, aut avis quæ tranſvolat in aëre.* Quid his omnibus velocius dici poteſt? nuntius qui de inſperata victoria laureatas adfert, aut gravioris momenti negotia acturus mittitur, quam celeri curſu, & citatis equis advolat? id patuit in Philippide, qui in bello Perſico ab Athenienſibus Lacedemonem, auxilii petendi causâ miſſus, *f confecit biduo ſtadia mille, ducenta, ſexaginta.* Quis non ſtupore defixus hæreat, dum navem ſecundo flumine, & flamine impulſam, ea pernicitate ferri videt, ut omnes curſores, veredarios, camelos, dromedarios celeritate prævertat? Alterum velocitatis ſymbolum, ſapientiſſimus mortalium, ab avibus deducit, quæ pernici volatu, & celeri pennâ, per liquidum aëra volitare ſolent. Unde celeberrimus in Academiâ Oxonienſi Doctor. *g Poſtquam comparata eſt felicitas temporalis navi transfretanti: hic comparatur avi volanti: ſicut enim avis velociter tranſvolat, & nullum argumentum relinquit itineris per quod volat: ita divites, & potentes volant in ſuis honoribus, in dignitatibus ad tempus. Et* RESPICITE, *non remanet de eis veſtigium, ſive ſignum.* Reſpicite tot erecta theatra, tam rara exhibita ſpectacula, tam ſplendida excitata palatia, tam ſumptuoſa exſtructa convivia, tam quæſtuoſa inſtituta tripudia, tot inita prælia, tot relatas victorias, tot actos triumphos, tot celebratas nuptias, tranſierunt, tranſvolarunt omnia. *h Infinita eſt velocitas temporis*; ideo non inſcitè cum alis depingitur, quibus ejus velocitas inſtar avis, quæ pernici volatu per aëra fertur, exprimitur. Id à Poëtis, non de annis dumtaxat, ſed & horis decantatum: Pelignus vates: *i Nihil eſt annis velocius.*

& Tragicus: *k Volat ambiguis mobilis alis*
hora.

Obſervat *l* Seneca Philoſophus, Virgilium dum de celeritate temporum agit, numquam alio verbo uti quam *fugit.*

m Fugit irreparabile tempus
Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi,
Prima fugit,

Ex quibus hæc Lucilio ſuo, nobiſque præcepta tradit: *Niſi properamus, relinquimur. Agit nos, agiturque velox dies. Nunquam Virgilius dies dicit ire, ſed* FUGERE,

e Sap. 5. v. 11. f Livius lib. 3. g Robert. Holkot. in Sap. c. 5. v. 11.

h Seneca cit. i Ovid. lib. 10. Metam. k Seneca in Hippolyt. l Seneca epiſt. 108. m Virg. lib. 3. Georg. Seneca cit.

quod

quod currendi genus concitatiſſimum eſt. Si hoſtis à tergo inſtet, omnis in fugâ eſt ſalus: *n timor addidit alas.* Pergit porrò: *Quid ergo ceſſamus nos ipſi concitare, ut velocitatem rapidiſſimæ rei poſſimus æquare? meliora prætervolant.* Cùm igitur tempus adeo velox ſit, ut paſſim cum alis exprimatur: anni, & horæ alatæ ſint, & inſtar avis, tempus prætervolet, jamque hic annus, & menſes, & dies, & horæ avolarint, *ut velocitatem rapidiſſimæ rei poſſitis æquare,* nihil aptius hoc anni luceſcentis crepuſculo, & orientis principio adinveni, quam cuique in ſtrenam, pro cujuſque ſtatu, & conditione, aviculam appropiare, unde auſpicium, & augurium ab avibus ſanctum vitæ ſuæ, ad annos æternos dirigendæ, auſpicetur. Kalendæ Januariæ priſcis Romanis celeberrimæ fuêre, quæ non modò omni lætitiæ genere celebrabantur; ſed & à variis ad varios miſſis Xeniis, optatiſſimum totius anni exorientis decurſum auſpicabantur. De quo Veterum ritu Suetonius: *o Equidem Romani, & omnes ordines, Calendis Ianuarii ſtrenam in Capitolio etiam abſenti Cæſari deferebant.* Eundem morem ſuo tempore viguiſſe tradit *p* Plinius. Miſſitabant autem invicem ſtrenarum loco res dulces, caricas, mellis favos, palmæ arboris baccas, ſive caryotas, aliaque bellaria, de quibus Poëta Naſo, ſic Janum ſciſcitatur:

q Quid vult palma ſibi, rugoſaque carica dixi,
Et data ſub niveo condita mella cado?
Ad quæ Janus:
Omen ait cauſa eſt, ut res ſapor ille ſequatur,
Et peragat cœptum, dulcis ut annus, iter.

Alii egregia, ac regia munera, planè aurea deferebant, ut ſæcula aurea apprecarentur. Ita *r* Symmachus ſtrenas tribus, Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio, cuique ſcyphum aureum, cum quinque coronatis aureis obtulit; ſed nihil Salomonis munificentiâ auguſtius, quem referunt *ſ* Regi Tyros in ſtrenam miſiſſe tantam auri maſſam, ut inde ſtatuam filiæ ſuæ, parem illi magnitudine, & cui ipſa inſiſteret, juſtæ proportionis columnam auream, ac velum aureum, quod totam à vertice ad imos talos tegeret, confecerit. Volucres cœli, his omnibus quid longè præſtantius, vobis in ſtrenam offero, quæ vel hoc ſolùm, quòd vita præditæ ſint, optimæ ſimul virtutum magiſtræ, & vivum ipſius Redemptoris noſtri ſymbolum, omne Salomonis aurum, Regúmque theſaurum, nimium quantum exſuperant. Quare ne quis miretur, aut indignetur, ſe avi comparari! S. Hieronymus *t* in illud Iſaïæ 46. *Vocans ab oriente* AVEM, Chriſtum hanc avem interpretatur, qui pernici volatu, cœlo delapſus, viſitavit nos oriens ex alto. Nec minùs diſertè, ac dilucidè ſanctus Gregorius, exponens

n Virg. 8. Æneid. o Sueton. in Octav. Aug. p Plin. lib. 15. cap. 2. q Ovid. l. 1. faſt.

r Symmach. l. 10. c. 28. ſ Theophilus ad Pinedam de rebus Salomon. 226. Perard. ſerm. 1. de Circumc. t S. Hieron. in Iſaiam c. 46.

illa Huſſęi vatis verba: *u Semitam ignoravit* AVIS, ſic ait: *x* AVIS *rectè appellatus eſt Dominus, quia corpus carneum ad æthera libravit. Cujus* AVIS *ſemitam ignoravit, quiſquis eum ad cœlum aſcendiſſe non credidit.* Accedit, ſanctas ac fideles animas, à ſanctis Patribus, non ſinè inſigni virtutis præconio, avibus conferri. Ita ſentit Hugo Carenſis, primus è florentiſſimo Reverendorum Patrum Prædicatorum ordine, Cardinalis, dum ingenioſo typo, eas per volucres cœli adumbrari aſſerit, dicens: *y* AVES *ſunt in* (Eccleſiæ) *horto, diverſorum cantuum melodiâ replentes. Ubi ſunt* ALAUDÆ *in Dei laudibus altè ſonantes: &* PHILOMELÆ, *amore languentes;* CYGNI *diſſolvi cupientes.* Totius itaque dictionis meæ propoſitionem, non verbis, ſed re ipſa, in Xenio non minùs ingenioſo, quam pretioſo exponam. Inſolens, & inauditum forte vobis accidet, Gubernatori Carthaginienſi, ab intimo amico in ſtrenam miſſam fuiſſe artocream, (qualem & ipſe vidi in Belgio ad delicias in magnatis menſam inferri) quam dum gubernator aperit, vivæ omnis generis aviculæ evolarunt: & ut hæ, & aliæ, in horum, aut illorum humeros, aut capita devolabant: vel varii varias capere poterant, amœnum dabant omnibus convivis augurium, fauſtumque auſpicium. Hoc dum ego paro, ad captum dicam, ut quiſque ſibi propriam, & acceptam captet aviculam, & ex ea quæ obtigerit ave, ſanctum ſibi ad ſalutem captet augurium, & fauſtum ad beatitudinem auſpicium.

v Iob. 28. v. 7. x S. Greg. hom. 29. de Aſcenſ. Dom. y Hugo Card. in 4. Cant.

§. I.

Interroga jumenta, & docebunt te: volatilia cœli indicabunt tibi. Job. 12. v. 7.

ARiſtoteles princeps Philoſophorum, in quo, ut Averroës loquitur, natura extremum potentiæ ſuæ exhauſit, libro animalium hæc cedro digna locutus eſt: *z Nullum reperitur animal quantumvis exiguum ſit, in quo non ſit divina admiratio,* imò & imitatio. Chriſtianè ab ethnico, divinè à gentili. Aves nobis numen, & natura, magiſtros conſtituit. Unde inquit Plutarchus: *Fides jam habeatur Ariſtoteli, qui docere etiam animalia* pronuntiavit. Atque horum in claſſe volucres cœli non ſolùm capaces ſunt recipere diſciplinas; ſed & nobis tradere; ſic ut artes propè omnes habeant, quod his referre acceptum debeant. *Grammaticis* cumprimis penuria litterarum laborantibus, grues opitulatæ ſunt: exploratum enim eſt Trojani belli tempore, Palamedem ex gruum volatu, ſibi litteras finxiſſe, eaſque prioribus Phœnicum addidiſſe: hæ quippe vario tractu, ſic per aëra ſe diffundunt, ut aut V, aut Y, aut λ, diſtinctè efformare videantur, ut disertè cecinit Martialis:

z Ariſtot. lib. de part. animal.

Tur-

a *Turbabis verſus, & littera tota volabit,*
Unam perdideris, ſi Palamedis avem.

Eodem alluſit, & lucem attulit Lucanus, dum ait:

b *Effingunt varias, caſu monſtrante, figuras;*
Mox ubi percuſſit tenſas notus altior alas,
Confuſos temere immixta glomerantur in orbes,
Et turbata perit diſperſis littera pennis.

Quæ ſolidiori ac ſublimiori *Doctoris Maximi* juvat comprobare teſtimonio: *Grues*, inquit Hieronymus, c *unam ſequuntur ordine litterato.* Quid hîc deſumptas ab avibus ſimilitudines, quibus ſacri ac profani *Oratores* utuntur: quid parabolas, apologos commemorem, quibus orationes ſuas, tanquam ſale aſpergere, & quaſi gemmis quibuſdam exornare conſueverunt? *Poëtas* verò, & *muſicos*, cantum ac numeros à *Philomela*, ſeu Phiſomuſa hauſiſſe, quis diffitebitur? cum magno teſte Alberto: d *Omnia ferè repræſentet muſicorum inſtrumenta*, ſic inquit: *Alaudæ mas muſicus eſt*, & omnes choraulas ſua modulatione exſuperat. Quo factum, ut Poëtæ pennas, & modulos, quos ab avibus acceperant, eoſdem in iis celebrandis, carmine gratanter referrent: ſic Statius *pſittacum*, Ovidius *Philomelam*, Catullus *paſſerem*, Stella Patavinus *columbam* cecinit argutè adeò, & acutè, ut Martialis ad Auguſtum: Stellæ columba e *vicit maxime Paſſerem Catulli.* Quis credat nobiliſſimam architecturæ ſcientiam, primò ab hirundine duxiſſe principia, quæ eo artificio nidum ædificat, ut omnes maximè peritos artifices in admirationem, & ſtuporem rapiat. Quod ex ore Ambroſii, in quo apes mellificârunt, colligere, & intelligere eſt: f *Hirundo*, inquit, *minuſcula corpore, indiga rerum omnium, pretioſior auro, nidos ſtruit: nidus enim ſapientiæ, pretioſior eſt auro. Tum illud præclarum, qua gratia domos ſibi ſine ullo adjutore, tanquam artis perita componat: legit enim feſtucas ore, eaſque luto illinit, ut conglutinare poſſit. Sed quia lutum pedibus deferre non poteſt, ſummitatem pennarum aqua infundit, ut facilè iis pulvis adhæreat, & fiat limus, quo paulatim feſtucas, vel minutos ſurculos ſibi colligat, atque hærere faciat. Eo genere nidi totius fabricam ſtruit.* Sint ſummi fabricæ magiſtri, & peritiſſimi in architecturâ artifices, libellum, regulam, perpendiculum, lineam, amuſſim, triangulum, menſuras, aliaque inſtrumenta in ædificando adhibeant, neceſſe eſt; g *at quantum*, exclamat Auguſtinus, *prævalent* AVES? AVIS *vocibus læta, in ædibus divitis, commiſſo limo ſtipula, unguibus obuncis, ſine linea, nec menſura: ſine operario, adjuvante Domino, ore magiſtro nidificat:* ſeu, ut poëta canit ingenioſè: h *Nidum ſibi conſtruit ore.* Tum ſubdit alia commoda: *Quando ædificat, non vicinus anguſtat, non calumniator inclamat.* Mirari hæc licet, non imitari. Pictura profectò ut

a Martial. in Xeniis. b Lucan. l. 5. de Bello Pharſalico. c Hieron. ep. 4. ad Ruſticum Monach. d Albert. Mag. de animalib. c. 23.

e Mart. l. 1. f Amb. l. 5. hexam. c. 17. g Auguſt. tract. de non cogitando in cralt. h Ovid. l. 5. Metam.

artem ſuam expromat, nunquam verſicolores in collo columbarum, in pſittacis, phaſianis, pavonibus, ſit Urbinatis, ſit Apellis, aut Parrhaſii peniculo quis uſus, ad vivum expreſſerit. Cedit omnis pictorum induſtria operi plumario, quo picturæ ex vivis plumis ita efformantur, ut omnes pictorum colores nimium quantum obfuſcent, artem omnem exſuperent. Quam artem Indi, Floridæ Regionis incolæ, ſummâ elegantiâ exercent. Joſeph. Acoſta, *i* qui de his populis nuperrimè hiſtoriam edidit, quoſdam ibi reperiri aſſerit, qui quidquid penicillo expreſſum viderint, etiam plumario opere imitentur, & tanta id exprimant excellentia, ut ipſammet ſuperent picturam. In hujus rei teſtimonium ſcribit Aldrovandus: *k* equidem in muſæo meo videre eſt Divi Hieronymi, Salvatorem noſtrum flexo genu adorantis imaginem, ab Illuſtriſſimo Cardinali de Burga, Illuſtriſſimo Cardinali Palæoto, dono datam, & ab hoc poſtmodum muſæo meo dedicatam, *quam ne Apelles, ſi reviviſcat, vel alius quiſpiam præſtantiſſimus pictor, penicillo exprimere*, colores aſſequi ulla ratione valeat. Plures hujus plumarii operis tabulas illic recenſet, viris Principibus ſummo in pretio habitas. Et ipſe vidi Audomari tabulam, *l* quæ cœnam Domini refert, atque pro variâ lucis incidentiâ, diſcipulorum habitus, colores varios induere, arte pictoria quantumvis mirabili, non imitabiles. Quid aves rei nauticæ contulerint, teſtis eſt Plinius, *m* qui eas artem navigandi tradidiſſe aſſerit. Milvus gubernandæ navis modum edocuiſſe videtur flexu caudæ, iter ſuum per aëra dirigens: natura præmonſtrante in aëre, quid in aqua fieri oporteat. In Taprobana Inſula, quòd nulla ſit ſiderum obſervatio, neque Septentrio cernatur, alites navibus imponunt, quarum volatum ſequuntur nautæ, cùm datur occaſio, & ſimul terram petunt. Sed ad propoſitum noſtrum, unus præ cæteris, diſertiſſimè Mediolanenſis Antiſtes: *n* *Poſt piſces*, inquit, *Deus creavit* VOLUCRES, *quia & ipſæ ſimiliter uſu natandi, & munere delectantur. Unde prima cognatio videtur* AVIBUS *iſtis eſſe cum piſcibus, quoniam natandi communia quædam* videntur *utrinſque generis. Secunda, quòd volandi uſus, ſpecies ſit natandi: ſicut enim in aqua natando piſcis incedit; ita* AVIS *aërem, volando ſecat. Atque utrique generi ſimiliter cauda ſuppetit, alarumque remigium; caudæ quoque gubernaculo, ſe facilè convertunt, vel impetu quodam, è regione iter ſuum dirigunt.* AVES *quoque aëri, volatibus ſuis, velut aquis innatant, & quaſi quædam extendunt brachia.* Dic amabo, quid in re nautica excogitatum, quod ab avibus mutuatum non ſit? navi vela pro alis addidêre, ut Poëta canit:

o Velorum pandimus alas:
p Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Aut ſi lubet à remigio alarum remiges, & à cauda, clavum, ſeu gu-

i Acoſta l. 4. c. 37. k Aldrovandus Ornithologiæ l. xi. pag. 656. l In Coll. PP. Anglor.

m Plin. l. 6. c. 22. Amb. l. 5. hexam. c. 14. o Virgil. lib. 3. Æneid. p Lib. 5. Æneid.

ber-

bernaculum adinvenêre; ut inter naves & aves, ut nominis, ita rei ſumma affinitas ſit: innatant naves aquis, aves liquido aëri, quæ oculos, & animos rapiunt in admirationem conditoris. Magnus Baſilius: q *Demirare, ac ſuſpice potiùs in* AVIBUS *ſapientiam, & diſpoſitionem conditoris: quo pacto queat tanta moles,* (ut eſt gruis, aquilæ, ardeæ,) *per aerem ferri: quomodo aerem tranent paſſis alis velut remigio, caudâ verò quaſi clavo nautico, volatum ſuum adæquent,* & regant. In hoc autem aves antecellunt naves, quòd omni vento volare, naves verò velificare non poſſint. Longum eſſet per omnes artes, & ſcientias ire, unum dixiſſe ſufficiat: quidquid in omni ſciẽtia librorum, in ampliſſimis Bibliothecis codicum exſtat, pennis volucrum, quibus priùs exarati, tribuendum eſt. Mitto alia quæ homini ab avibus ſuppeditantur adjumenta, & documenta. Pergo ad alia Chriſtianæ pietatis, quæ ab iis petuntur argumenta, ut quas vobis in ſtrenam paro, etſi corpore parvas, non parvi faciatis, nec in minimis reponatis. Non vanum, aut inſanum illud ſacri vatis oraculum r *Interroga volatilia cœli, & indicabunt tibi.* Id eſt, quaſi profeſſores è cathedra, *coram profitebuntur, atque palam exponent,* ut Pineda noſter vertit ex Hebræo. Unde aureo eloquentiæ flumine ſic velificatur Antiochenus Antiſtes: ſ *Non erubeſcit Scriptura, animal rationis honore donatum,* (*id eſt hominem*) *brutorum diſcipulum facere; cùm enim ex ſcripturis diſcere renuat, eum ad bruta, ad* VOLATILIA *cœli ablegat.* Quam autem utilem ex his magiſtris lectionem, & omnium virtutum diſciplinam hauriamus, ſic ad mores exponit Liranus: t VOLATILIA *interrogare, & virtutes conſiderare: & eorum reſponſio, eſt conſiderantium imitatio.* Virtus continentiæ in turture conſideranda eſt; divinæ pſalmodiæ in luſciniis; ſimplicitatis in columbis; charitatis in gallinis; temperantiæ in ave Paradiſi, quæ *veſcitur aura*; Pietatis in ciconiis, quæ genitores ſuos per ſenium defluxu pennarum laborantes, ſuis plumis fovent, lautè victum, atque omne ſubſidium ſubminiſtrant. Quæ ut ſit *conſiderantium imitatio,* ſic hortatur Seleucienſis Præſul: v *Nemo eſt,* inquit, *qui naturæ ſenſu, prudentiave ſic deſtituatur, ut non mediocri pudore eum exiſtimet dignum, quiſquis quod ad virtutem attinet, ſinit ſe alitibus illis deprehendi inferiorem.* Doctor mellifluus, ex cujus calamo nil niſi mel fluxit, epiſtola 106. hæc ſcribit: x *Experto crede, aliquid ampliùs invenies in ſilvis, quàm in libris.* Verba, & voces mutas in libris reperies, in ſilvis vivos avium Dei laudes concinentium præcones, & optimos morum præceptores audies. VOLUCRES *docebunt te, quod à magiſtris audire non poſſis;* quod deprompti è multis libris, longis nequidquam logis, & conglobatis è pulpito magiſtri argumentis: aut diſertis è cathedrâ oratores verbis, hactenus populo perſuadere conati ſunt, ut unicè ſecuri de victu, & veſtitu minimè ſoliciti, vos omnes divinæ providentię committere velitis, hoc in ſilvis volatilia cœli,

q S.Baſil. in c. 2. Iſaiæ. r Iob. c. 12. v. 7. ſ Chryſoſt. hom. 8. in Matth.

t Lyranus in Iob. c. 12. v. 7. v Baſilius hom. 8. in hexam. x Bern. epiſt. 106. ad Magiſtrum Henricum.

multò potentiùs nos docent; quæ ut omnis virtutis magiſtros, æterna Patris ſapientia nos adire, & audire præcepit. Ut præclarè Africanus Doctor, qui ſuper illud Matthæi : *Reſpicite volatilia cœli,* ſic diſſerit : *y Ecce* Volatilia *cœli inveniunt alimenta, ſine ullis horreis; divinis aluntur impenſis: quæ volatilia reconditum nihil habent, & quotidie ſuis epulis gaudent.* Quod quo manifeſtius fiat, juvat ſingularem in ipſas volucres cœli, Dei providentiam penitius rimari, & admirari. Nidulos ſuos in deſerto, in ſilvis, in cava arbore, in exeſis rupibus, in loco ab omni hominum cætu remoto, defigere conſuevêre. Quis illic nudo palumbi, aut implumi paſſerculo proſpectū arbitretur, ut nihil angoris, aut ſolicitudinis eos teneat. Pluit, tonat, fulminat, & pulli tuti, ac unicè ſecuri ſunt. Mater *z procedit diluculo fidens Deo, volat hilaris per aëra, eſcam quærit, & invenit, ubi non ponit; quia totum illi Deus apponit.* Tunc volucrum exemplo, ad fiduciam in Deum, ſuos, & nos hortatur, dicens: *Si hoc* Avibus, *multò magis hominibus, ſi eadem fiducia quæramus: Illæ enim non dubitant ſibi omnia proventura, omnia ſperant; homines verò deſperant: præſumunt* Aves: *diffidunt homines. Volatilia in illo ſpondente fidem habent; & homines non credunt, qui pollicitationem Dei tenent: jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. Nolite ſoliciti eſſe. Cognoſce te, ô homo, qui murmuras, quia multis paſſeribus pluris eſtis vos. Ponitur tibi in exemplum viliſſimum animal: imitare* Aves, *& vives.* Si vaſa vacua, vacua penuaria, & horrea: *Imitare Aves, & vives*, quæ non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & *Pater cœleſtis paſcit eas.* Nulla ſoli ſterilitas, nulla frumenti calamitas, volatilia cœli alimento deſtituit. Unde concludit Ambroſius: *a Qui alit Aves, non aleret homines, quos ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fecit? Nonne pluris ſumus illis? naturæ prærogativa pluris ſumus; ſed inferiores devotionis gratia* (ut dicemus de laudibus, quas diu, noctuque Deo cantant): *& prævaricationis injuſtitia.* At paupertas te anxium, & ſolicitum reddit, liberi famelici panem, ut pulli eſcam clamitant: *b Nemo de inopia quæratur, quod vacuas pecuniæ ædes reliquerit, pauperior eſt hirundo, quæ vacua æris, abundat induſtria: ædificat, nec impendit: tecta attollit, & nihil aufert proximi: nec indigentia & paupertate ad nocendum alteri impellitur: nec in gravi filiorum imbecillitate deſperat; nos verò & paupertas afficit, & inopiæ neceſſitas vexat, & pleroſque indigentia cogit in flagitium, impellit ad crimen: Lucri quoque gratia in fraudes verſamus ingenium, optamus effectum, fractique animo reſolvimur improbi, & inertes jacemus, cùm de divina miſeratione tunc ſperandum ampliùs, cùm præſidia humana deficiunt.* Omnia præſidia humana Eliæ defecerant, cum à voraci volucre paſtum accepit; qualia in lege gratiæ, Paulo, Antonio, aliiſque beneficia præſtita? Ex quibus modicos fidei, ac fiduciæ, his verbis, ſuo ſanguine

y Aug. tract. de non cogitando in craſtinum. z Aug. ibid.

a Ambr. ſuper Pſalm. 118. Lit. 19. b Ambr. l. 5. hexam. c. 17.

pur-

purpuratus Doctor, perſtringit: *c Elias in ſolitudine corvis miniſtrantibus paſcitur, & tu metuis ne tibi deſit alimentum? unde hæc incredula cogitatio?* & quoniam vult nos Redemptor noſter volatilia cœli reſpicere, facit huc quod Francofurti, Anno 1580, locupletes teſtes accidiſſe referunt *d*: cum fortè infortunio illic incendium exortum eſſet, flamma afflavit nidum Ciconiæ: Mater cum eſca reverſa, ut nidum ardere conſpexit, ilico ad flumen vicinum ſe proripuit. Roſtrum aquâ oppletum, in flammas evomit; ſed cum nil proficeret, ſupervolitare, unguibus, ac roſtro ligna decerpere, tandem alis ſuper expanſis, ut vel ſic flammas ſuffocaret, ſe illo, & amoris igne, una cum pullis tumulavit. Is animus, is ardor brutis animantibus eſt? temerarius ſit, qui ab his benigniſſimum Redemptorem noſtrum, qui animam pro nobis poſuit, ullo modo vinci poſſe, in animum inducat. Incendium paupertas eſt, incendium omnium bonorum vaſtatio eſt, & dubitabimus fonti miſericordiæ, aquas deeſſe, quibus illud largiſſimè reſtinguat. *Si Pater cœleſtis* volatilia paſcit, quanto magis vos? Quæ & quanta non virtutum documenta & divinæ bonitatis, ſapientiæ, ac providentiæ argumenta, ab his canoris magiſtris haurimus? Dionyſius Carthuſianus, *e vir ſanctiſſimus, & doctiſſimus*, ut illum Cardinalis Bellarminus compellat, expendens illud Cantici Danielis: *f Benedicite omnes* VOLUCRES CÆLI *Domino*, ſic commentatur: *Quis in diverſitate, pulchro colore, cantu ſuavi, celeri motu, penneo tegumento, multiformi ornatu, cæteriſque* AVIUM *proprietatibus, ſuper benedicti, & ſuper glorioſiſſimi Dei ſapientiam, perfectionem, ac majeſtatem digne miretur?* Atque hæc hactenus generatim dicta ſufficiant, nunc ſigillatim quæ cuique volucri proprietas ſit, ad mores deducamus.

§. II.

Puellis GALLINÆ PULLUS: *Juvenibus* AVIS CANARIENSIS *in ſtrenam tribuitur.*

ORdiar à filiabus, ſeu domicellis *g*, quæ ſunt gallinæ filiæ albæ. Attentas omnes video, quam ipſis aptam hodie aviculam in Xenium oblaturi ſimus. Si libet, vitam puellarum penitiùs inſpicite, omnes illas curæ, & ſolicitudinis expertes, lætantes, cantantes, ſaltantes, dies & annos commodè, genialiter, & hilariter victitantes, verbo vitam pullinam (*kiecxkens leven*) ducere comperietis. Unde nihil mihi aptius occurrit, quod in ſtrenam puellis deferam, quam *pullum gallinæ*, ſic *à puellis* re & nomine dictum; cui nihil curæ eſt, quo pretio, caro aut piſcis, lana vel linum in foro, vel macello veneat. Ubi primo indiſcuſſum abire non debet, quod Iſaias

c S. Cyprianus lib. de operibus Eleem. d Camerarius hiſt. 66. Cent. 3. Sainct. Iure lib. des Eſlus. cap. 13. e Bellarm. deſcript. Eccl.

f Dionyſ. Carth. in Daniel. 3. g 1. Domicellis ac puellis in ſtrenam, pullus gallinæ. h S. Iſid. lib. ethymol.

non ſine arcano myſterio, & inſigni documento inculcat: *i Filii tui de longe venient, & FILIÆ tuæ de latere ſurgent.* Oleaſter hæc poſtrema ex hebræo ſic vertit: *k* FILIÆ *tuæ juxta latus nutrientur.* Ut inde colligamus, filios poſſe longius excurrere, & in exteras terras, ſi opus fuerit, ſe conferre; & iterum de longe redire: ſed filiæ à latere matris recedere non debent, ut nutriantur. Hinc ſcitè ad mores Oleaſter ſubdit. *Admonentur hic matres, ne ſinant* FILIAS SUAS *à ſuo latere diſcedere, ne malum aliquod incurrant; vadant filii, & de longe veniant;* FILIÆ *tamen ad latus ſedeant, & ibi nutriantur.* Alioquin ſi libere evagentur, tantum aberit ut nutriantur, ut potius lenonum pabulum fiant, inquit Novarinus. *l* Pullis proprium eſt, latêre ſub alis gallinæ, & à latere ejus, vel conſpectu, non longius evagari; quod quamdiu ſervant, optime nutriuntur, pingueſcunt, hilareſcunt, nec quidquam illis deeſt, aut periculi imminet. Talis veſtra, ô puellæ, dum ſub tutela matris degitis, *pullina vita eſt.* (*Kiecxkens leven*) dum in oculis matris verſamini, illam præcedentem ſubſequimini, confidite, non periclitamini. Accipiter, & milvus, qui prædæ inhiat, cum ſe imparem videat, quamdiu pulli corti, & cohorti ceterorum adhærent, & ſub gallinæ tutela ſunt, intendit, ut unam hinc, illinc evagantem, & à cæteris ſejunctam diſperdat, atque dilaceret. Quod ab avibus petitum, Divus Hieronymus Demetriadi, filiæ pulcherrimæ juxta ac integerrimæ monitum dedit: *m* FILIÆ *numquam ſolæ, numquam ſine matre procedant: De agmine columbarum, vel gallinarum, crebrò accipiter unam ſeparat, quam ſtatim invadat, & laceret, cujus carnibus, & cruore ſaturetur.* Accipiter non unus eſt, ô matres familias! qui pullis, id eſt puellis veſtris inſidiatur, & unam à ſe, *ab agmine* cæterarum ſororum *ſeparare*, in cubiculum ſolam pellicere nititur: quid intra tectum domeſticum periculi? mox ſolam per plateas deducere, tandem & in ſuas ædes, foras in ſuburbanum, in ſilvas ſeducere: *n Ubi eam ſtatim invadat, & laceret, cujus carnibus ſaturetur.* Quare Chryſoſtomus ſolerter, & ſolicitè monet: *o Matres, filiarum, vobis curam aſſumite: curate ſollicitè, ut domi jugiter ſint.* Columella *p* obſervat, accipitrem aves domeſticas, maxime verò ut tenerrimos, gallinarum pullos, atque inter illos potiſſimum *albos, propter inſigne candoris* inſectari; ita uſu venit, ut laſcivi milvi, & accipitres, gallinæ filiæ albæ, candore & decore venuſtatis prææditæ, præ ceteris maximè inſidientur. Quare Varro, *omnium facilè acutiſſimus*, ut cum Auguſtino *q* loquar, *r & ſine ulla dubitatione doctiſſimus*, ſupra cortem gallinarum rete expandi jubet, ne pulli extra ſepta vagentur, & milvus impetat. Exſtimulet & vos (ô filiæ) Bloſii, viri pietate & eruditione clari teſtimonium, ut ſub tegumento alarum, non

i Iſaiæ cap. 60. v. 4. k Oleaſter in Iſai. cit. l Novarin. nuptial. aquar. p. 81.

m S.Hieron. Epiſt. 8. ad Demetriad de ſervanda Virg. n Chryſoſt. hom. 9. in 1. ad Timoth. o Chryſoſt. hom. 9. in Matth. p Columella lib. 9. de ruſt. c. 1. q Aug. lib. 6. de civit. cap. 2. r Aldrovand. de avibus l. 4. p. 153.

ma-

matris dumtaxat, ſed & Domini Jesu, vos cum ſancta illa anima recipiatis, quam ſic lætantem, & exultantem inducit: *ſ Hilareſco in operibus bonis: quia ſuper me eſt velamen pennarum tuarum Domine. Si me non protegas quia pullus ſum, milvus me rapiet*; magna quidem cautela & tutela veſtra, eſt ſub matris, quaſi alis deliteſcere; ſed longè præſentior, & excellentior, ſi indies cum purpurato vate exclametis ad dominum *t protegar in velamento alarum tuarum.* Quod ſi mater familias aliquò progrediatur, filias comites habeat; ſi etiam peregrè deambulandum, & pernoctandum, filiam ne ſolitariam domi deſtituat. Altè hoc inculcat Hieronymus Lætæ, prudentiſſimæ, ac piiſſimæ Matronæ, epiſtolâ de inſtitutione Paulæ filiæ: *v Si quando ad ſuburbana pergis, domi filiam non derelinquas: neſciat ſine te, nec poſſit vivere, & cum ſola fuerit, pertimeſcat.* Ecquid ſola pertimeſcat? quod columba, quod gallinæ pullus, accipitrem. Hinc tradunt graves Theologi, Navarrus *x*, Silveſter *y*, Reginaldus *z*, Bonacina, parentes peccare mortaliter, qui patiuntur ſuas, habere amatores ob malum finem, vel eas à ſuſpectis conſortiis non avocant. A quibus magis arcendæ, quam pulli ab accipitre. Eccl. 7. Filiæ *tibi ſunt, ſerva corpus earum* & animam ſervaveris. Hugo: *Serva in caſtitate vel in domo, ut non paſſim vadant ad choreas, & à juvenibus corrumpantur, ſicut Dina:* Sed nulla ſatis parentum cura, & vigilantia, ut Argi centoculi ſint, ſatis cauta eſt, ſi ipſa filia, ſe tutelæ ſubducat, libertatis amans, clam elabi, & evagari contendat, brevi à milvo rapienda, & laceranda eſt. Geneſis cap. 34. *a Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius, quam cum vidiſſet Sichem, filius Hemor, adamavit eam, & rapuit.* Liranus hîc: *Egreſſa eſt autem de domo paterna, ubi tanquam verecunda juvencula deberet ſtare clauſa.* Idem documentum, & terriculamentum virginibus inculcat Antiſtes Abulenſis, *qui ſtupor eſt mundi, & ſcibile diſcutit omne.* Sic enim ille
„ diſſerit: egreſſa eſt autem Di-
„ na de domo paterna; mulieres
„ verò, propter ſexus verecun-
„ diam non vagari, ſed in domo
„ manere debent, maximè virgi-
„ nes; in hoc ergo culpa notatur
„ Dinæ; erat autem domus Ja-
„ cob in agro. Ivit etiam incomi-
„ tata viro, vel muliere, quod
„ non decebat puellam virginem.
„ Fecit autem fortè hoc, quia qua-
„ ſi furtim de domo Patris Jacob
„ egreſſa fuerat, quia neſciebat
„ mater, quæ fortè eam in civita-
„ tem ire non permiſiſſet, & hoc
„ timens Dina, nulli indicavit
„ quo iret. O Innocentes pulli, & innocuæ puellæ, quæ hactenus tutæ ac ſecuræ ſub alis matris latuiſtis, & in ejus oculis verſatæ eſtis, attendite quid Dinæ illatum ſit injuriæ, quid acceſſerit infamiæ, quid parentibus doloris, ac indignationis: familiæ toti ignominiæ, ac dedecoris ſempiterni: fratribus juſtæ iræ, & vindictæ, *b qui audito quod acciderat, irati ſūt valde.*

ſ Bloſius Pſychagogiæ lib. 2. cap. 3. t Pſ. 60. 5. v Hieron. Epiſt. 7. ad Lætam. de Inſtit. Paulæ. x Navarr. Enchrid. c. 14. n. 21. 22. y Silveſt. verbo percuſſio. z Reginald. l. 20. c. 3. num. 41.

a Bonacina præcep. 3. Decal. Diſp. 4. Punct. 6. b Gen. 34.

Sichem, Princeps civitatis, & filius Regis, unde civitas appellata eſt, (ut pagi, & dominia à Dominis, & Toparchis) *adamavit eam, & rapuit*, ut milvus pullum invaſit, ac *dilaceravit*. Et poſt hæc omnia, ferax nimis ſæculum noſtrum puellarum, quæ Dinam ſequuntur; quæ furtim, & neſciâ ac invita matre, domo egredi, & evagari ſolitæ. Adducere poſſem, quæ ſub oculis noſtris geſta ſunt, ſed nomini & familiæ conſulendum, nec publici juris ſunt; noſtis & vos multa quæ latent, & non patent. *Unum* hic puellæ, quam *c accipiter ſeparavit* à Matre, graviſſimis auctoribus conteſtatum.

d Accipe noſtro
Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.

e Anno reperatæ ſalutis 1594 puella formâ venuſtâ, ex Aquitania, honeſtis & probis parentibus nata, illorum tutelæ, & domeſticæ cuſtodiæ pertæſa, ſæpè inſciis parentibus furtim è domo exilire, aut quid negotii agendi causâ, ab illis aliò miſſa, licentiùs evagari, & in diverticulis moras nectere ſolita; tandem liberius ſe ab obviis duci, & ſeduci paſſa, fortunam, ſeu potius infortunium Dinæ incurrit *f*. Etenim dum frequenter in publicum prodit, primum in oculos, dein in deſideria, in amorem, ac demum in ungues accipitris incidit. Vidit illam Italus quidam, *adamavit, & rapuit*, jamque per cœnum omnis luxuriæ fœde raptatam, excuſsâ fronte, & Deo, ipſo pervigilio Præcurſoris Domini in agrum abduxit. Obſcura erat nox, locus horridus, & ingens ſolitudo, nec quiſquam in loco niſi Italus & puella; cui utique ſatiùs fuiſſet, manſiſſe domi, & ſub alis matris delituiſſe. Ibi Italus, inſciâ puellâ, quid acturus eſſet, faginâ virgulâ circulum in ſolo deſignavit, & neſcio unde lumine accepto, certa quædam, ignotaque verba, ex nigro quodam codice lecta ſubmurmuravit. Horrere puella debuiſſet, & utique ſuſpectas habere cæremonias has; ſed illa (ut curioſum eſt hoc genus) ſperans ſe aliquid novi, jucundique conſpecturam, avidè rei eventum expectavit. O pernicioſa curioſitas! ô audacia impia! ô ſacrilega diſcendi cupido puellæ, jam in ſenſum reprobum datæ! *g Quis crederet*, ut cum Bernardo loquar, *tunc illam curioſitatem, fore poſt, ſic ipſi pernicioſam*? vir Italus verba abſolverat, cum ſubitò adſtitit hircus, grandis, ater, probè cornutus. Inter hirci cornua picea candela, tetrum lumen præbebat. Hircum ſtipabant feminæ duæ, forte larva tectæ, ne noſcerentur, aut ut ad ſacrilegam imitationem ſanctorum Cherubim, *h alis faciem velarent*. Ita qui de cœlo cecidit, Deum æmulatur. Confluxit etiam illico ingens utriuſque ſexus, & ætatis multitudo, velut ad concionem, aut comitia celebranda. Utque res ſacra videretur peragenda, mox aderat vir veſtitu, ornatuque ſacerdotali,

c Iuvenal. ſat. 15. d Florimund. Remund. lib. de Anti-Chriſto cap. 7.
e Delrio diſqui. mag. lib. 6. c. 1. ſect. 3.
f Stengelius Iudic. Divin. Tom. 3. c. 63. num. 3.

g Bern. de gradibus humilit. de Dina. h Iſai. 6. 2.

quaſi

quaſi ſacrificium oblaturus. Italus autem manu tenebat puellam, quaſi Paranymphus novam ſponſam, Diabolo repræſentans; tum prolixâ barba ſemel iterumque quaſſata, hircus cœpit velut humano ore loqui, & ab Italo quærere: *Quænam iſta puella foret? aut quid vellet, peteretve*? Reſpondit ille, eam à ſe abductam, ut hircus in numerum Nympharum ſuarum illam referret; quo audito juſſit Tragopogon, ut illa ſignum Crucis, manu læva efformaret? nempè ſimia Dei, ſiniſtre Divinum cultum imitans. Quare & cetera, quæ in divinis officiis fieri Deo ſolent, voluit ſibi fieri; ſed omnia præpoſterè. Mandavit itaque, quotquot aderant, ut propius accederent, & oſculum ſibi pacis darent, quod ea parte impreſſum, ubi maximè fœtebat. Ea ſalutatione peracta, ſupplicationis in morem, ſinguli candelas, quas manu tenebant; de funeſto cereo, intra hirci cornua ardente, accenderunt; quin & fœtida aqua omnes aſpergebat. Hæc quaſi initia ſponſaliorum, quæ non multo poſt, ſacrilegæ,& Satanicæ cum hirco nuptiæ exceperunt Itaque hic ex orco ſponſus, ab ea poſtulavit ſertum, ſeu corollam de capillis ejus, quos illi Italus extemplò diſſecuit, & hirco obtulit, velut armillam, vel torquem, ſeu coronam geſtandos. Hoc ſigno ſibi deſponſam ſeduxit in vicinum nemus, & conſueta fœditate initiavit. Poſt hæc, per omnes hebdomadas, ſingulis mercurii, & veneris diebus, generale capitulum (ſic enim vocitabant) celebrabatur, apud Puteum de Dame, ad quem conventum ipſa infinitis vicibus acceſſerat, cum aliis plus quam ſexaginta. Horreſco referens, quæ ſubſequuntur: in ſingulis ſagarum conventibus, Miſſæ quoque ſimulachrum exhibitum, quod qui peragabat (quem illa nominavit) caſula nigra, cui crux nulla intexta, veſtiebatur; loco ſacræ hoſtiæ, elevabat ſegmentum, ſeu orbem ex rapa, tinctum fuligine: & eo elevante, clamabatur à præſentibus unanimi voce: *Magiſter adjuva nos*. Quibus omnibus ſacrilegis ſpurcitiis, puella per longum tempus aſſueta, intus gravem conſcientiæ carnificinam patiebatur, & æterna ſupplicia, quæ ſe manere certò prævidebat, tanto horrore animum quatiebant, ut noctes, & dies nuſquam conquieſcere, ac ſeipſam ferre valens, omnem carnificum lanienam, & mortem per exquiſita tormenta, quantumvis truculentam, perpeti mallet, quam internos illos conſcientiæ tortores diutius tolerare. Itaque non ſine miſerentis Dei ſingulari beneficio, ſtatuit ipſa generoſo auſu ſeipſam prodere, ac manifeſtare, non in arcano ſacræ pœnitentiæ tribunali, ſed in publica Burdegalenſi curia, ubi ſponte ſua, nemine cogente, aut ullo equuleo adacta, omnia ut hactenus enarrata ſunt, aliaque longè atrociora, palam confeſſa eſt, ut Itali illius, infamis raptoris, veluti accipitris unguibus, & tyrannica Dæmonis ſervitute, ſeſe eripere poſſet, parata omne quod intentarent mortis crudeliſſimæ ſupplicium ſubire. Crimine ab uno, diſcant omnes, quibus pruriunt pedes, ut longius è penatibus evagari, & exſpatiari poſſint; meminerint ſe *domicellas* eſſe, & nun-

nuncupari, ut domicellam habeant, & ament. Quod Plutarchus illis commendaſſe videtur, dum ſtatuam Veneris, cum teſtudine ſub pedibus, à Phidia effictam tradit, ut norint filiæ, Domus cuſtodiam ſibi curæ ac cordi eſſe debere, ut ille aptè cecinit:

Alma Venus, quænam hæc facies? quid denotat illa
Teſtudo, molli quam pede Diva premis?
Me ſic effinxit Phidias, ſexumque referri
Fœmineum, noſtra juſſit ab effigie:
Quodque manere domi, & tacitas decet eſſe puellas
Suppoſuit pedibus, talia ſigna meis.

Et vos matres, omni curâ, ac ſolicitudine ſatagite, ne filiæ ſolæ evagentur; ſed illas *a ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis*, ſemper vobis proximas, & ſub tutelâ veſtra cautè cuſtodite. Gallina pullorum parens, viſo, auditoque milvo, cujus vel umbram, & multo magis vocem advolantis, mirâ naturæ ſolertiâ agnoſcit, ſtatim illas intra alarum aſylum receptos, maxima ſolicitudine glocitando tutatur, hoſtemque capitalem arcet roſtro oppoſito: *b Accipiamus ergo*, inquit Ambroſius, de gallinæ ſolicitudine agens, *maternæ ſedulitatis in filios grande documentum.*

Nunc, ut verbis utar Hipponenſis Præſulis, *c ad vos mihi ſermo eſt, ô juvenes! Flos ætatis, periculum mentis*; ſpecioſam vobis, ac pretioſam *aviculam Canarienſem d* (*een Canarie vogeltjen*) offerimus, quæ tota viridis, magnis expenſis alitur, eſcam & potum, dies, noctesque appoſitum habet. Inſtruitur diſertè canere, & ſibilare. Ejuſmodi aves ſunt moderni juvenes, quibus ætas, & mores, & amores, omnia denique vireſcunt, dum juveneſcunt. Quam pretioſæ vero hæ aviculæ ſint, parentes juvenum, qui Lovanii, Duaci, in Galliis, aut alibi Philoſophiæ, ſeu juris prudentiæ operam navarunt, teſtari poterunt; vaſculum ad potandum ſemper in promptu eſt. Plures dies, & noctes conſumunt in poculis, quam in Porphyrio; plus vini, quam olei; librum 52. foliorum, ſeu quatuor Regum, chartas inquam pictas, pro Pandectis volvunt: Alveus luſorius illis pro pluteo, ſeu pulpito eſt: aleæ, & fritilli pro calamis. In ſingula puncta, ſolido ſæpe floreno ludunt, & integra patrimonia dilapidant, quæ parentes in ſudore vultus, illis acervarant. Jam olim hoc notavit Horatius:

e Imberbis juvenis, tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibuſque, & aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper:
Utilium tardus proviſor, prodigus æris.

Non alia illis in ore cantilena eſt, quam prodigis illis, & aſotis. *f Fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creaturâ, tanquam in juven-*

a Aldrovand. Ornith. l. 5. pag. 207. b Ambr. lib. 5. hexam. cap. 17. c Auguſt. Serm. 246. de Temp.

d 2. Iuvenibus in ſtrenam, Avis Canarienſis. e Horat. de art. Poët. f Sap. 2.

tute celeriter: Vino pretioſo, & unguento nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis, & ubique relinquamus ſigna lætitiæ. Qui numquam in domo parentis vini guttam delibârant, *cuſtode remoto*, integris diotis, & amphoris, ſeſe ingurgitant. Pretioſæ ſane aves Canariæ. Talis exſtitit ille, qui ſtudiorum causâ Pariſios miſſus, præceptis hiſce ſalutaribus à patre monitus, ſuâ ſibi quadrâ viveret, emeret ea quæ viliori pretio venibant, eumque 60. aureis inſtructum dimiſit; at vix trimeſtri elapſo, cambiales mittit ad parentem, ut alteros 40. aureos perſolvat, deeſſe ſibi pecuniam. Vix bimeſtri exinde elapſo, rurſus petit ſibi alteros 50. ſubmitti. Parens cum ſtomacho hanc filii prodigam licentiam non ferens, aſtu illum domum revocat, ubi de ſtudiis multa quæſiviſſet, perſtringere illum cœpit, quod tantum pecuniarum, nondum ſemeſtri exacto abliguriiſſet, ac monitum ſuum, ut ſemper emeret, quæ viliſſimo pretio comparari poſſent, tam cito oblitteraſſet. Erras, inquit filius, mi Pater, obſervantiſſimus hujus legis ſemper fui: pecunias meas utiliter impendi in ficedulas, coturnices, & perdices, quæ parvo veniebant; nam oves, & boves, ingenti pretio licitabantur, ac proinde eos nunquam ex præcepto tuo coemere mihi auſus fui: O verè g *prodigus æris*, & auri. Quem innumeræ, ejuſdem farinæ, Canarienſes aves indies æmulantur. Quid, quod ex Univerſitatibus canere, & ſibilare (*fluyten*) parentum auribus dexterrimè norint: nunc titulos aſſumendos, pecuniam ſubmittendam; jam libros Perihermenias, de meteoris, Phyſicam, univerſam propugnandam, pecuniâ, pecuniâ opus eſſe; cum interim neglectis libris de cœlo, & de anima, toti ſtuduerint calicibus epotandis, & in hac arte magiſtri evaſerint. Qualis ille, qui cum omnia ſua abliguriiſſet, libris divenditis, eorumque pretio, genio indulgens, parenti ſcripſit, gaude Pater, *jam enim*, quod toties optaſti, & inculcaſti, *Libri alunt me.* Serviet illis hoc ſanum, & ſanctum magni Præſulis monitum, alta mente reponendum: h *Adoleſcentibus ita vivendum, ut à venereis rebus, & illecebris ventris, & gutturis, & ab immodeſto corporis cultu, & ornatu: ab omnibus negotiis ludorum ſe abſtineant; amorem autem pecuniæ, totius ſuæ ſpei certiſſimum venenum eſſe credant.* Diſcunt quoque in multam noctem canere, & puellarum auribus prurire, & ſibilare, quò fit, ut aliquando vaccam cum vitulo, & pro dote, dolorem domum ducant. Horum quiſque meritò ingeminare poteſt illud, quod deperdito juventutis flore, Auguſtinus: i *Jam mortua erat adoleſcentia mea mala, & nefanda: & ibam in juventutem, quanto ætate major, tanto vanitate turpior.* Ejuſmodi aves Canariæ, in arctam cortem compingendæ, cānabis in eſcam, & aqua brevis in potum ſubminiſtranda, ut diſcant *op den duym fluyten.* Sic probus magiſter morum Plutarchus, libro de liberis educandis: k *Juvenum peccata, immenſa plerum-*

g Horat. cit.

h Aug. tom. 1. lib. de ordine c. 8.
i Aug. l. 7. conf. c. 1. k Plutarch. lib. de educandis liberis.

que ſunt: ventris immodeſtia, paternorum bonorum expilatio, alea, ſaltandi protervia, ebrietates, amores virginum, mulierum corruptiones, &c. Horum igitur impetus, omni cura, & diligentia coërcendi, reprimendique ſunt. Quare ô juvenes, ſi utilitati veſtræ, ſi nomini, ſi familiæ, honori, & ſplendori, ſi parentum voto, & expectationi conſulere velitis, audite ex celeberrima totius Africæ, imò orbis cathedra, inter Doctores ſanctiſſimum, inter ſanctos Doctiſſimum, ſic perorantem; l *Vos ergo, ô Juvenes, maximè monemus & hortamur, ut veræ virtutis pulchritudine capiamini. Amare vultis? amate ſapientiam. Proponite hanc adjungere vobis, in illam ſuſpirate, in illam exardeſcite, illam deperite. Si amatores eſtis, hanc amate. Daniel* (ſpeculum juvenum) *quæ illius erant deſideria, niſi quibus in ſapientiæ pulchritudinem, ardenter inhiabat? quia in juvenili ætate calcavit laſciviam, Regum ſuperbiam preſſit captivus, & ora Leonum clauſit incluſus.*

§. III.

Conjugatis, ACANTHIS, cruculæ alligata: viduis TURTUR.

m CONjungatis propriiſſime convenire videtur Acanthis, ſeu *carduelis, crucula alligata: een vogelken op een kruxken,* dum enim quis matrimonio alligatus eſt, inſolubili vinculo, perpetuæ cruci adſtrictus eſt. Acanthes amœniſſimæ aviculæ, à cantu dictæ, dum libero cœlo fruuntur, ſuaviſſimè modulari, ſalire, geſtire conſueverunt; at ubi captæ, & cruculæ alligatæ fuerint, omnis libertas, lætitia, cantus, tripudium evanuêre. Haud aliter domicellis accidit, quæ nubiles, aurea libertate perfruuntur, ambulant, cantant, ſaltant. At poſtquam *vinculo conjugali*, cruci matrimonii adſtrictæ, omnia iſta abiêre; verſa eſt cithara in luctum, & organum in vocem flentium, diu noctuque infantium. Vix dum Cytharœdi Epithalamium cecinêre, & ſtatim *een kryterken achter de deur:* arduas quis merito duxerit, in Religioſis vigilias, intempeſta nocte ſomnum abrumpere, & ad laudes Deo concinendas ora laxare. At amabo vos, conjuges, an non plus vigiliarum vagientes, lacrimantes, & alternis choris vobiſcum cantantes nocturnum non unum, infantes tranſigunt? imo & matutinum, & veſperas inſumunt? accedunt inquit Hieronymus, n *per noctes totas uxorum garrulæ conqueſtiones: illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus; ego in conventu fœminarum, miſella deſpicior. Cur aſpiciebas vicinam? quid cum ancilla loquebaris? de foro veniens, quid attuliſti?* doctè, & verè, gentilis Poëta:

o *Semper habet lites, alternaque*
jurgia lectus
In quo nupta jacet, minimum dormitur in illo.
Tum gravis illa viro, tunc omni
tigride pejor,

l Aug. ſer. 246. m 3. Conjugatis, avis crucula alligata.

n Hieron. l. 1. contra Iovinianı.
o Iuvenalis, ſat. 6.

Cum

Cum ſimulat gemitus, occulti con-
ſcia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice
plorat.

Perpetua conjugibus crux eſt: crux in viro pio, & probo, ne amittant: crux in turbulento, aut temulento: crux carere liberis, crux parturire, educare plurimos: crux in morbidis, crux in diſcolis. Crux in curis domeſticis, crux in litibus, crux in perfidis domeſticis, in fraudulentis amicis, &c. Quæ graphicè Seleucienſis Antiſtes deſcripſit: *p Si virum bonum nacta fuerit, perpetuò, ne moriatur, metu viduitatis, incommoda, cruciatuſque ſuſtinet.* Magna crux; *ſin verò contra, duro & immiti fuerit conjuncta, tota quidem vita illi cruciatus*; & hæc crux perpetua. *Inde ubi filios edidit, aut ad bonam frugem illi evaſerunt, majores ex illorum abſentia jugiter dolores tolerat, quam parturiens habuerat*; amara ſanè crux. *Aut malos evaſiſſe conſiderat, & majus ex ea procreatione liberorum, quam ſi permanſiſſet ſterilis, opprobrium ſuſtinet.* Quæ crux intolerabilis. Adeo ut quot liberos enixa eſt, tot in partus, tot in educatione, tot in continua eorum cura, & ſolicitudine, cruces valeat numerare. *Sæpe antequam prædicta experiatur incommoda, una & ſponſa & vidua efficitur, ac ſine liberis in viduitatem delapſa, nec uxor jam, nec virgo, nec mater eſt.* Quis eam crucem ferre valeat? viciſſim, ſi vir uxorem garrulam, contumacem, pervicacem duxerit, trabali velut cruci cōfixus eſt. Fuit qui hoc amœno ſpectaculo in ſcenam dedit *q*: varii varias in theatro cruces venales exponebant, quarum in tergo, uncialibus litteris expreſſum, quæ, qualeſve, ſingulæ forent. Prodiit primus, gladio accinctus, gravem crucem bajulans, quam ubi erexit, & populo obvertit, inſcriptum erat: MILITIA. Alter ſubſecutus, centonibus obſitus, & macie confectus, vix membra, & crucem ſuam trahens, exhibuit & ſuam, cui titulus erat: PAUPERTAS. Tertius, ſplendidè quidem conveſtitus; ſed vix pedem figere valens, multum ſub onere ingemiſcens, ſuam omnibus oſtentavit, cui nomen erat PODAGRA. Tandem ut alios mittam, egreditur unus, ingentem trabalem crucem humeris portans, totuſque ſub ea fatiſcens, cum ſummo molimine eam in medium produxiſſet, atque omnium ſpectatorum avida eſſet expectatio, invertit, & ecce pro titulo erat: *Mala uxor*; cui titulo, ingenti riſu omnes ſpectatores applauſere. Vel ipſo mundo teſte, maxima hæc homini crux eſt, eaque tanta, ut martyribus, qui in crucem acti ſunt, adæquanda meritò cenſeatur: hi etenim in cruce, brevi tempore expirârunt; at conjuges, vivi, & ſpirantes, per plures annos, acerbam in ea vitam trahunt; atque ea mala exantlare, quæ ad mille mortes poſſent ſufficere, ex D. Baſilio haurimus, qui non modo *r conjugium, dolorum omnium* officinam pronuntiavit; ſed, *eam quæ nupſit, multiplices ut ſic dixerim mortes, indies pati aſſeveravit.* Eſtque, ut Apoſtolus conjugibus prædixit, *tribulatio carnis*, alii vertunt *cru-*

p Baſil. de vera Virg. q Stengelius judic. Divin. tom. 2. c. 30.

r Baſil. lib. de vera Virg.

ciatus, ſeu *crux perpetua*. Vellet quandoque uxor paululum exſpatiari, liberiorem auram captare; jubetur à viro domi per menſes, per annos totos deſidere. Hæc palato ſuo vellet elixa, ille frixa jubet apparari: illa delectatur frigidis, hic calidis vult veſci. Uxor pro numeroſa prole educanda, convivas, & ſumptus execratur, maritus quot hebdomadis nunc hos, nunc illos dapſiliter habet. Sero veſpere ſomnus ad quietem invitat, abſens maritus cogit in multam noctem excubias agere: redux verò ebrius, & temulentus, debacchatur, verbis, & verberibus, oculis cum ſomno, lachrymas excutit. Quis non ſemel in cruce animam efflare, quam perpetuò in ea animam agere præoptaret? unde Raynaudus noſter, adductis variis SS. Patrum teſtimoniis, *ſ* eos quodam modo martyres eſſe, & nuncupari poſſe, aſſerit. Quid quod repertus ſit, qui in malam crucem abire maluit, quam uxorem ducere: nam cum reus duceretur, fuit, quæ à magiſtratu illum petiit, ducere parata; quam ut vidit adunco naſo, & viperinis dentibus bilioſam, *t ſuſpendium* præ hac cruce *elegit anima ejus. Riſum teneatis amici*! Non unus hic; ſed plures in crucem agi mallent, quam multiplices cruces, & mortes conjugatorum tolerare. Atque huic graviſſimæ cruci, & vir, & uxor, tam arcto vinculo adſtricti ſunt, ut nec faſtidia, nec tædia, nec lites, nec odia, nec paupertas, nec morbus, aut miſeria ulla, niſi ſola mors, valeat ſeparare. Nonne igitur appoſitè, vobis conjuges, aviculam cruci alligatam, aſſignatam judicatis? Avicula ſubinde quaſi libera avolat; rurſus filo tenſo, ad ſervitutem, & crucem ſuam redire compellitur: permittitur quandoque uxori paululum exſpatiari; ſed non longius licet, quam vir filum laxet, & indulgeat; ac ſigno dato, & tempore præſcripto, remeare cogitur. Quid non diſſidii, & diſcordiæ in aula Theodoſii, Eudoxia concitavit? dum ſemel longius funem traxit, apud ſororem ſuam Pulcheriam? & quid non indies in familiis turbarum, dum uxor ſero veſpere domum divertit, honeſtis etiam viſitationibus, diutiùs detenta, aut ut non rarò accidit, in templo, pietati impenſiùs, ac diutiùs intenta? aviculas imitari convenit, quæ non longiùs avolant, quam funis laxetur, & nolæ ſigno audito, revolant; ita & vos, horæ ſigno à maritis præſcripto, adeſſe convenit. In quo excelluit B. Maria Aurillot, quæ adeò marito ſuo, etiam in minimis obſequi, & obtemperare ſtudebat, ut vir ejus amantiſſimus, eam in hoc nimis ſolicitam dictitaret. *v* Dum ſemel Pariſiis, in monaſterio Incarnationis degeret, & audiretur hora undecima; ſubitò colloquium omne abrupit, & conſortium deſtituit, dicens: *Dominus meus Acacius, mandavit ut hora undecima domi eſſem.* Talis exſtitit S. Franciſca Romana, *x* officio B. Virginis recitando intenta, iterum, tertio à viro voca-

ſ Theophil. Raynaud. de martyrio per peſtem. part. 1. c. 6. n. 6. t Stengelius judic. divini tom. 2. cap. 21. n. 8.

v P. Boye de ſanctis Conjugatis. 14. Aprilis in vita. x In vita 9. Martii.

ta, prompta advolavit; tandem poſt quartas vices, rediens ut ante ad orationem, reperit verſiculum in quo ſtiterat, totum cœlitus inauratum, in teſtimonium obedientiæ ejus conjugalis. Atque hæc pauca de multis dicta ſufficiant.

y *Viduarum non debemus obliviſci*, quibus pium, & proprium ſymbolum aſſignat D. Ambroſius *turturem*. Goropius Becanus, qui omnia ſuæ linguæ Flandricæ origini, vocabula, accepta ferenda eſſe contendit, z *Turturem* Flandricè, non *Turtelduve* dicendam; ſed *Trouteldnve* nuncupari vult. Licet abuſivè vulgus *Torteldnve* vocitet. Illud autem nomen *Trouteldnve*, deduci à *Troutelen*, id eſt, blandiri, & omnibus modis, ac geſtibus amiciſſimum par turturum invicem blandiri manifeſto declarat. Accedit, hâc voce, ſignificari quoque fidei excellentiam, a quæ in Turturum conjugio tanta eſt, ut meritò princeps fidei dici queat. *Trou* quippe, fidem ſignificat *Troutel*, id eſt, duc illum in conjugem. Alii, & appoſitè ad rem noſtram: *Treurduve*, quia amiſſo compari, ſemper queri ſolitæ, perpetuam ſervant viduitatem. Turturum itaque exemplo, vos docet ſacras viduas, Mediolanenſis Antiſtes, b *profundorum penna raptus & acris volucer*, hæc melleo ore effatus: *Diſcite mulieres, quanta ſit viduitatis gratia, quæ etiam in avibus prædicatur*, laudatur, commendatur, *prædicatur* in ipſis gentilibus. Tertullianus c *vir acris & vehementis ingenii*, ſic ait: *monogamia apud Ethnicos in ſummo honore eſt, ut in quibuſdam ſolennibus, & auſpiciis, prior ſit univiræ locus.* Et infrà: *Erunt nobis in Teſtimonium fœminæ quædam ſæculares, ob univiratum, famam conſecutæ, ut Dido, quæ profuga in alieno ſolo, ubi nuptias Regis ultrò optâſſe debuerat, ne tamen ſecundas expiriretur, maluit è contrario uri, quàm nubere.* Quod argumentum uberiùs proſequitur S. Hieronymus, adverſus Jovinianum: d *veniam* inquit, *ad maritatas, quæ mortuis, vel occiſis viris, ſupervivere noluerunt, ne cogerentur ſecundos nôſſe concubitus, & quæ mirè unicos amavêre maritos, ut ſciamus digamiam apud Ethnicos etiam reprobari. Dido ſoror Pigmalionis, multo auri & argenti pondere congregato, in Africam navigavit, ibique urbem Carthaginem condidit, & cum ab Jarba, Rege Lybiæ, in conjugium peteretur, pauliſper diſtulit nuptias, donec conderet civitatem. Nec multò poſt, exſtructa in memoriam mariti quondam Sichæi, pyrâ, maluit ardere quàm nubere. Caſta mulier Carthaginem condidit, & rurſum eadem urbs, in caſtitatis laude finita eſt:* dixerit Paulus: e *Meliùs eſt nubere, quàm uri*; hæc integerrima Regina, adeò ſecundas nuptias averſata eſt, *ut maluerit ardere, quàm nubere.* Quod ut Chriſtianis non imitandum, ita illud unicè commendandum, ut primos mariti amores, in alterum non transferant. In quo illuſtre exemplum, maximè ſpectandum præbuit f *Felix à ſancta Severina*, Duciſſa: Quæ viro ſuo ſublato, in gentilitiam teſſeram, turturem adlegit, ra-

y Viduis, Turtur. z Gorop Becan. orig. ling. a Aldrovand. ornith. l. 15. p. 236. b S. Hiero. de ſcript. Eccleſiaſt. Amb. de viduit. c Hier. cit. Tertull. exhort. ad caſtitatem.

d S.Hier. l. 1. adverſ. Jovinian. e 1. Cor. 7. f Boot. lib. ſymboli.

ramis emortuæ arboris inſidentem, hoc Didonis, apud Poëtam, lemmate ſubjecto :

g Ille meos, primus qui me ſibi junxit, amores
Abſtulit, ille habeat ſecum, ſervetque ſepulchro.

Utque præfato ſymbolo fidem faceret, florente ætate, cœlebs permanſit, & uni ſponſo Chriſto adhæſit, in eumque amores ſuos tranſtulit, ſpretis plurium virorum principum hymenæis. Hauſerat hæc forte, quæ D. Hieronymus epiſt. ad Salviam de Didone agens : *h Communi lege naturæ, damnat gentilis vidua omnes voluptates; quid expectandum eſt à vidua Chriſtiana, quæ pudicitiam ſuam non ſolum ei dat, qui defunctus eſt; ſed & ei cum quo regnatura eſt.* Pergit D. Hieronymus alias nobiliſſimas matronas enumerare, quæ TURTUREM æmulatæ, viduitatem alteris nuptiis prætulêre : *i Portia minor*, inquit, *cum laudaretur apud eam quædam bene morata, quæ ſecundum habebat maritum, reſpondit: felix & pudica matrona, numquam præterquam ſemel nubit. Marcella major rogata à matre ſua, gauderetne ſe nupſiſſe, reſpondit, ita valde, ut amplius nolim. Valeria Meſſalarum ſoror, amiſſo* Servio, *nulli volebat nubere. Quæ interrogata cur hoc faceret? ait ſibi ſemper maritum Servium vivere.* Tum optimè argumentantem inducit *Anniam, quam cum propinquus moneret, ut alteri viro nuberet, eſſe enim ei ætatem integram, & faciem bonam, nequaquam*, inquit, *hoc faciam : ſi enim virum bonum invenero, nolo timere ne perdam : ſi malum, quid neceſſe eſt poſt bonum, peſſimum ſumere?* ſaluberrimum licet ab ethnicis, Chriſtianis viduis, quibus ætas, & forma viget, documentum, & pulcherrimum ſervandæ viduitatis argumentum. Ac tandem epiphonematis loco concludit hæc à ſe allata : *k Ut quæ Chriſtianæ pudicitiæ deſpiciunt fidem, diſcant ſaltem ab ethnicis caſtitatem*; diſcant & ab avibus. *l* TURTUR *avis pudiciſſima, ſi parem perdiderit, alteri non jungitur ; ut intelligas digamiam etiam à nonnullis* AVIBUS *obſervari.* Sed ad alia longè illuſtriora, & efficaciora ſanctarum viduarum animis veſtris inflammandis, rapior exempla, quæ & ætatis florem, & formæ decorem, & conjugis amorem, Chriſto ſponſo dedicârunt. S. Ambroſius *m lactei ſermonis emanator*, ſic ait : *pudicitia ad* TURTUREM *refertur: fertur etenim* TURTUR, *ubi jugalis proprii fuerit amiſſione viduata, pertæſam thalamos, & nomen habere conjugii; eò quod primus amor fefellerit eam, dilecti morte deceptam: quoniam & infidelis ad perpetuitatem fuit, & plus doloris ex morte, quam ſuavitatis ex charitate generavit. Itaque iterare conjunctionem recuſat : nec pudoris jura, aut complaciti viri reſolvit fœdera ; illi ſoli ſuam charitatem reſervat, illi cuſtodit nomen uxoris* ; ita quas vobis viduas propoſiturus ſum, immortali ſponſo, *illi ſoli ſuam charitatem reſervarunt, illi cuſtodierunt nomen uxoris, ſeu potius ſponſæ.* Has inter excelluit *Marcella Romana*, ſanguine, & virtute nobiliſſima, quam

g Virg. lib. 4. Æneid. h Hieron. Epiſt. ad Salviam. i Hieron. l. 1. adverſus Iovinianı.

k Hieron. ib. l Caſſiodor. l de inſtit. Divin. lect. c. 11. m Ambr. lib. 5. hexam. c. 19.

quam D. Hieronymus *n* memorat, ſeptimo poſt celebratas nuptias menſe, viro ſuo orbatam eſſe. Erat autem in ea non ſolum notiſſimi ſtemmatis antiquitas, ac morum incredibilis modeſtia; ſed etim vegeta ætas, & corporis ſtupenda venuſtas; ob quas tam eximas dotes, Cerealis Conſul Romanus, ardentiſſima ambitione eam in matrimonium efflagitabat; quodque ipſe jam grandis natu eſſet, omnes ſuas illi opes pollicebatur, & non quaſi in uxorem; ſed veluti in propriam filiam, omnia ſua transfundere volebat. Quin & Albina mater, tam clarum viduatæ domus præſidium, ultrò appetebat. Magna hæc erant illicia. Quid autem ad ad hæc Marcella? *o ſi vellem nubere*, inquiebat, *& non æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, utique maritum quærerem, non hæreditatem:* hoc quaſi fulmine ictus Cerealis, objecit: *Poſſe & ſenes diu vivere, & juvenes citò mori.* Cui illa reſpondit: *Juvenis quidem poteſt cito mori; ſed ſenex diu vivere non poteſt.* Quocirca & vidua manſit, & Deo ſoli ſe totam mancipavit: utrumque experta, & conjugium, & cœlibatum; ſed hunc cenſuit nuptiis etiam opulentiſſimis præferendum. Altera avita proſapia, & fortunarum affluentia clariſſima, *p Galla*, Symmachi, Romani Conſulis filia, ætate adhuc puellari, primo anno conjuge viduata, nec medicorum ſuaſu, nec valetudinis, aut mortis metu, adduci potuit, ut ſecundo marito deſponſaretur; evenit ut toto corpore in ſcabiem inciderit, medicis minitantibus morituram, niſi iterum nuberet, vel mentum inſtar viri piloſum accepturam, contemſit omnia, quidvis potius parata perpeti, quam ad ſecundas nuptias tranſire: cumque mammillam fœdo carcinomate affectam haberet *q*, D. Petro ſibi apparente, non petiit curari; ſed an peccata condonata eſſent? quod ut audiit, plus conſolationis habuit, quam unquam doloris; omnes ſuas delicias in Chriſto ſponſo ſuo reponens. Mitto *r S. Paulam Romanam, Bleſillam, Melaniam*, quarum encomia D Hieronymus fuſe celebravit. Unam coronidis loco, heroidem præterire non poſſum, atque hæc eſt, quæ *Nebridio*, urbis Conſtantinopolitanæ Præfecto nupſit, *ſ Olympias:* itidem conjuge ſuo, altero conjugii anno, è vivis ſublato, ad alteras nuptias animum appellere nolens, quamvis pene puella, utpote quæ in conjugio virgo permanſit; eandem virginitatem cenſuit ſecurius in viduitate, quam in matrimonio poſſe illibatam ſervari: Quare cum Theodoſius Imperator *Elpidio* cuidam, ſibi congeneri, eam prorſus jungere niteretur; illa non ſolum non conſenſit; ſed ſublimiori quadam Philoſophia, & divina ſuada, hæc liberè effata eſt: *Imperator meus* (Chriſtus) *ſi voluiſſet me vitam tranſigere cum viro quopiam, utique non ademiſſet mihi primum conjugem: nunc enim adimens, matrimonii moleſtiis me extricavit, & ſuave continentiæ jugum mihi impoſuit, mentique meæ infudit.* Itaque Virgo, vidua, matrona opulentiſſima, poſt mariti

n Hieron. in Epitaph. Marcellæ.
o Hier. cit. p S. Greg. l. 4. Dialog. c. 13.

q Sandæas medic. Euang. l. 2. conc. 19.
r Baron. Anno. Chr. 388. ſ Palladius in Dialog. vit Chryſoſt.

mor-

mortem, non modo totam ſe orationi, jejuniis, eleëmoſynis, miniſteriis templi addixit; ſed etiam vitam ſupra ſexum mirabilem egit. Liberalitas ejus in pauperes tam profuſa, & quaſi prodiga fuit, *t ut non rus, non ſolitudo manſerit expers largitionum hujus inclytæ Virginis; ſed & Eccleſiis ſuppeditavit donaria deputata ſacrificio, & monaſteriis, & cœnobiis, & Xenotrophiis, & cuſtodiis, & relegatis, & ut ſemel dicam, in omnem orbem terræ diſperſit eleëmoſynas.* Si animi dimiſſionem interiorem, exteriorem modeſtiam ſpectes, *hæc beata proceſſit uſque ad extremum terminum humilitatis, ultra quem nihil poſſit inveniri amplius. Neque enim ejus indumentis inveniri potuit quidquam vilius.* Atque ut planè TURTUREM gemebundam, in caverna macerię nidificantem nôris: *omnis ejus vita in compunctione, & frequenti profluvio lacrymarum fuit, ut potiùs videre liceat fonti æſtate ſua deficere fluenta, quam hujus ſemper Chriſtum videntibus oculis, lacrymas deficere.* Prolixiùs Divus Chryſoſtomus excelſam vitæ ejus ſanctimoniam proſequitur, in variis quas ad eam dedit litteris: Epiſtola 2. ſic ſcribit: *v Cùm carnem uſque adeò teneram ac delicatam, atque omni luxus generi aſſuetam accepiſſes, eam variis afflictionibus ita oppugnaſti, ut nunc nullo meliore ſtatu ſis, quam ſi prorſus mortua, & extincta eſſes; atque eo deveniſti, ut omni metu, & perturbatione carens, & quod vincas, ampliùs non habeas.* Quod maximè ardua corporis auſteritate, & nobili de omni ſenſualitate, victoriâ, conſecuta eſt: ſic enim ſubdit: *Ventrem tantum cibi ac potus capere docuiſti, quantum capere neceſſe eſt, ne intereas. Integras noctes ita inſomnes ducis, ut in naturam verteris; atque ut aliis dormire naturale eſt, eodem modo tib vigilare.* Tum agmen malorum quod ſanctiſſimam hanc viduam invaſit in medium adducit: *x Varius & multiplex morbus, Domina mea Religioſiſſima, ſexcentis mortibus gravior, numquam te obſidere deſtitit. Convitiorum etiam, & contumeliarum agmen, obtrectationes, & calumniæ non defuêre. y Patria pulſa es, domo, amicis, cognatis, in exilium miſſa es, quovis die mori non deſiiſti, & quod naturæ deerat, animi magnitudine ſuperaſti: omnes vitæ pompas protriviſti. z Tu mortem antevertens, nullum tempus omiſiſti, quin de ea cogitares, atque ſi ad necem te traxerint, cadaver dumtaxat ad eam trahent. Illud mihi exploratiſſimum eſt, te ſic animo comparatam, ut ne corpore quidem te indutam exiſtimes, & ſi tempus poſtularet, promptiùs exutura ſis, quàm alii veſtes, quibus amicti ſunt.* Hæc dum auditis, quę in afflictione eſtis viduæ, facilè de veſtris malis conqueri ceſſabitis. Quænam vidua virtutis amans, quæ virgo, ſi in ea eſt mica pietatis, hæc talia legens, vel enarrari audiens, non moveatur? non accendatur ad ſanctiſſimæ hujus heroinæ virtutes æmulandas? Fœminæ ſunt? fuit & illa. Teneræ ſunt? fuit & hæc tenellula. Opulentæ ſunt? formoſæ ſunt? fuit & hæc opibus, ac corporis forma præſtantiſſima. Juvenculæ ſunt? & conjugii illecebras expertæ, unde *Juniores* Apoſtolus

t Palladius cit. v Chryſoſt. Epiſt. 2. ad Olympiadem.

x Idem Epiſt. 3. y Epiſt. 7. z Epiſt. 17.

a nubere

a nubere permittit, fuit & hæc juvencula; ſed ſi ut illa, vos quoque orationibus, eleemoſynis, corporis afflictationibus vacare volueritis, *deſideria carnis non perficietis. Quis leges continentiæ* TURTURI *dedit?* rogat Ambroſius: *b Si hominem quæro, non invenio. Homo enim nullus eſt auſus, quando nec Paulus auſus eſt leges tenendæ Virginitatis præſcribere. Denique ipſe ait: Volo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario.* Et alibi: *c Bonum eſt illis ſi ſic permaneant; quod ſi non ſe continent, nubant: meliùs eſt nubere, quàm uri. Optat Paulus in mulieribus, quod in* TURTURIBUS *perſeverat; hortatur verò juniores ut nubant, quia mulieres noſtræ* TURTURUM *pudicitiam implere vix poſſunt.* Ergo TURTURIBUS hunc Deus infudit affectum, hanc continentiæ virtutem dedit, *d qui ſolus poteſt præſcribere, quod omnes ſequantur.* TURTUR *non utitur flore juventutis, non tentatur occaſionis illecebrâ.* Profectò, quæ facilè calente adhuc mariti demortui corpore, alteras nuptias ardet, parum certè in eum amoris teſtatur, & incontinentiam ſuam ſatis manifeſtat; qualis illa, *e* quæ in Italia, cadaver defuncti, uberrimis lachrimis perpluebat, elatum in caveam caſtri ſui, gemitibus, & lamentis proſecuta, noctes totas mortuum lamentabatur; dum fortè cuſtos quidam, homini recens ſuſpenſo, ne à ſuis auferretur, appoſitus, noctu lumen conſpicatus, propius accedit, viduam ſolatur, & vino è laguncula prompto reficit, confabulatur, procatur, jamque die illuceſcente proſpiciens, ut advertit reum è furca ſublatum, exclamare cœpit, ſe hominem perditiſſimum, de capite ſuo actum eſſe. Ad quæ illa: Ne turberis, inquit: cadaver mariti accipe, & in ſublati locum, patibulo affige. Dictum, factum, atque è veſtigio, mutuò inter ſe matrimonium contrahunt. Quid de iis ſentiendum, quæ ad tertias, quartas, quintas nuptias reſtinant? non meum, ſed Doctoris maximi audite judicium: *f Quid ſi ſtatim ſecundum* (maritum) *perdiderit uxor? ſocietur & tertio; et ſi ille dormierit, in quartum, quintumque procedat, ut nihil ſit quo à meretricibus differat. Omni ratione viduæ providendum eſt, ne caſtitatis primum excedat limites: quos ſi exceſſerit, & verecundiam ruperit matronalem, in omnem debacchabitur luxuriam. Quid igitur, damnamus ſecunda matrimonia? minimè; ſed prima laudamus. Abjicimus de Eccleſia bigamos? abſit; ſed monogamos ad continentiam provocamus.* In caſtris quandoque memini, ut una uno die, quatuor viris nupſerit; alio ex alio in excurſione, ſeu aſſultu hoſtili corruentibus. Sed omnem ſuperat admirationem, quod ſubdit D. Hieronymus: *g Rem* inquit, *dicturus ſum incredibilem; ſed multorum teſtimoniis approbatam. Ante annos plurimos, vidi duo inter ſe paria viliſſimorum è plebe comparata: unum qui viginti ſepeliſſet uxores: alteram, quæ vigeſimum ſecundum habuiſſet maritum, extremo ſibi matrimonio cópulatos. Summa omnium exſpectatio virorum pariter,*

a 2. Tim. 6. b Ambr. l. 5. hexam. c. 19. c 1. Cor. 7. d Ambroſ. ibid. e Nieremberg. differentia æterni, & tempor.

f Hieronym. Epiſt. ad Ageruchiam. g Hieronym. ibid.

ac fœminarum, poſt tantas rudes, quis quam prius efferret. Vicit maritus, & totius urbis populo confluente coronatus, & palmam tenens, adoreámque per ſingulos ſibi acclamantes, uxoris feretrum præcedebat. Quid dicemus tali mulieri? nempe illud, quod Dominus Samaritanæ: viginti duos habuiſti maritos, & iſte à quo ſepelieris, non eſt tuus. Hæc ille in eos, qui omnes decori limites exceſſerunt. *Quid dicemus tali mulieri?* quàm quod Samaritanæ, infami mulierculæ comparetur. *Quid dicemus de tali viro?* quàm quod barbarus, in funere uxoris triumphum ducat. Sed cum nulla prope vidua, ad alteras nuptias accedens, continentiæ difficultatem adferat; alias, quas prætexere pleræque ſolent, rationes elidam. Sunt quæ dicunt, ſe iterum nubere, ut heredes habeant, & nomen familiæ propagetur, opulentæ facultates non ad exteros devolvantur. Hiſce occurrit S. Ambroſius: *h Sed fortaſſe aliquibus propter ſuſcipiendos liberos conjugia iteranda videantur? Quod ſi filiorum ſtudium, cauſa nubendi eſt, utique ubi fructus eſt filiorum, cauſa non ſuppetit.* Id eſt, quibus liberi ſunt, illis ſaltem hæc cauſa non eſt iterum nubendi. *Quamquam cujus conſilii ſit, iterum experiri velle fruſtra tentatam fœcunditatem*, ſi nullos liberos habuerit. *Aut ſubire, quam pertulerit, orbitatem, quæ liberos ſuſcepit, & perdidit? Illa inquam nónne ſibi videtur inter ipſa repetitarum fœdera nuptiarum, amiſſorum prætexere funera filiorum? nónne iterum paſſura quod repetit; vel, cùm accenſis funeralibus nox ducitur, nónne pompa funebris exequias magis putas, quàm thalamum præparari?* Tum incommoda, ex ſecundis nuptiis exoriri nata enumerat, ut eſt diſſidium inter diverſi thori liberos, lites de bonis, noverca, vitricus, qui privignos deſpicit, ſuos præfert, damnum genuinæ prolis &c. *i Nam tibi,* inquit, *quid conſilii tribuam, quæ liberos habes? quæ tibi cauſa nubendi, niſi fortè levitatis error, & intemperantiæ uſus? ſed conſilium ſobriis, non ebriis datur. Habeat ſaucia remedium, honeſta conſilium. Tu,* inquam *filia, quid moliris? cur heredes quæris extraneos, cùm habeas tuos? non filios deſideras, quos habes; ſed ſervitutem, quam non habes. Ubi concordia infrequentior? ubi amare liberos metuas, aſpicere liberos erubeſcas: atque inde oriatur cauſa diſcordiæ, unde ſolet mutuus amor mulcere affectus parentum? generare liberos vis, non fratres futuros tuorum; ſed adverſarios filiorum.* Denique, quid acerbius, quàm privare proprios filios bonis ſuis? *Quid eſt ergo generare alios liberos, niſi ſpoliare quos habes liberos? quibus pariter auferuntur, & pietatis officia, & compendia facultatum.* Hæc profectò, ſi quis, vel quæ, ſeriò expenderit, ad ſecundas nuptias non accedet, niſi prorſus ámens ſit. Ubi, ne viduos prætergreſſus videar, ſalubre occurrit conſilium, quod viro ſenatorio, uxore viduato, quendam dediſſe, lepido eventu, aut commento memini. Fuit viduus, qui ubi è vivis exceſſerat, cœli fores pulſat, admitti poſtulat. At S. Petro deintus percunctanti, quid boni operis, quid virtutis adferret? reſpondit ſe tot curis, ac moleſtiis exercitum, ut vix tempus ſuffecerit de Deo, & divinis cogi-

h S. Amb. Tom. 1. l. 1. de viduis part. 4.

i Ambr. cit.

gitandi, peſſimam ſe uxorem habuiſſe, ab eaque miſerrimè divexatum; quo audito, valvis bipatentibus, panduntur cœli atria, & quaſi inter Martyres annumeratur. Hic fortè, alteri viduo multum fluctuanti, num iterum uxorem duceret, beatam ſuam ſortem ut conſecutus fuerat, expoſuit. Tum ſic ſecum alter ratiocinari cœpit: & ego primam nactus ſum pervicacem; altera, quam ducturus ſum; vel bona erit, vel mala. Si bona, benè mihi erit; ſi mala, duplici titulo inter Martyres recenſebor. Subiit aleam, & in peſſimam Xantippem incidit, cujus rixas, & jurgia, & pugnos, per plures annos perpeſſus, fatis conceſſit. Jamque recta cœlum petens, dum pulſitat, miſeram, quam cum binis uxoribus carnificinam paſſus, enarrat; ſed hoc reſponſi tulit: Cœlum non pro ſtultis, & amentibus creatum; poſſe virum aliquem prudentem ſemel decipi; ſed ſe rurſus in eaſdem pedicas ultro ingerere, prorſus inſani eſſe; itaque repulſum. Quod ut viduo togato enarratum, cum riſu exceptum; ſed & cum fructu, ne de aliis nuptiis cogitaret, ſapere didicit. Concludo, unde exorſus ſum, k *Ut audiatis verba pulcherrima altiſſimi contemplantis, & orationis dulcedinem deguſtantis Bernardi*, qui in illud Canticorum, *Vox* TURTURIS *audita eſt*, ſermone, lacte, & melle manante, hæc in aures, animoſque veſtros derivat. l *Videas ubique* TURTUREM *ſingularem, ubique gementem audias: nec unquam in viridi ramo reſidentem perſpicies; ut tu viduus (& vidua) ab eo diſcas voluptatum virentia, velut virulenta vitare. Adde quod in jugis montium, & in ſummitatibus arborum, frequentior illi converſatio eſt, ut quod vel maximè propoſitum pudicitiæ decet, doceat nos terrena deſpicere & amare cœleſtia.* Ac tandem concludit: *Ex quibus colligitur, quod vox* TURTURIS, *ſit prædicatio caſtitatis.* m En qualem Prædicatorem vobis Doctor mellifluus proponat, quem ſi audire velitis, non habeo ultra quod addam, quod dicam.

§. IV.

n *Servis & ancillis* PSITTACUS.

SUperſunt alii, & aliæ, quos hic præſentes video, *Servi & ancillæ*, quibus nemo, hodierna luce, felix ac fauſtum anni auſpicium apprecatus eſt: quibus fortè paucis ſtrena obtigit; ſed quæ aliunde per manus earum, ad heriles filios, & filias miſſæ ſunt; quare ne ſe prætergreſſas, aut Xenio fruſtratas querantur, pulcherrimam illis avem aſſigno, PSITTACUM. Obmurmurantes hic quoſdam mihi audire videor, PSITTACUM, *ancillis & famulis* in ſtrenam attribui, quod donum dignum domicellis, nobilibus matronis, viris principibus, ac Regibus. Mirari quiſque deſinet, ubi dicti mei rationes audierit. o PSITTACUS nil aliud garrit, aut loquitur, quàm quod à domeſticis edoctus fuit; ita *famuli & ancillæ*, ea effari ſolent, quæ ab hero, & herâ: à Domino & Dominâ edocti fuerint. Si vir uxorem indies diris, & calumniis conviciari:

k Bonavent. in meditat. vitæ Chriſti.
l Bernard. Serm. 59. in Cant.

m Vide de his plura 1. die Maii. n Servis, & ancillis Pſittacus. o 1. Cond. Pſitt.

ſi liberos maledictis, & imprecationibus, Deum blaſphemiis impetere conſueverit; item & famuli ac ancillæ & jurgare, & conviciari,& calumniari, ac blaſphemias evomere condiſcent. Si ſermones laſcivos miſceri, ſæcularibus, ac Eccleſiaſticis detrahi audiant, & ipſi laſciva loqui, & cujuſvis famam denigrare conſueſcent. Appoſitè Apulejus PSITTACUM calamo depingens, ait: p *Quod didicit, ita ſimiliter nobis canit, vel potius eloquitur, ut vocem ſi audias, hominem putes.* Tum in rem noſtram ſubdit: *Pſittacus nihil aliud, quam quod didicerit, pronuntiat. Si convicia docueris, conviciabitur: diebus ac noctibus perſtrepens maledictis. Hoc illi carmen eſt, hanc putat cantionem. Ubi omnia quæ didicit, maledicta percenſuit, denuò repetit eandem cantilenam.* Pari modo, ſi pios ſermones, aut divinas cantilenas ſæpiùs audierint, articulatim æmulantur. Vidi, inquit Stengelius q noſter, PSITTACUM meliora doctum, nam diſertiſſimè canebat: *Sancta* MARIA, *ora pro nobis.* De altero, alibi memini, qui in Hiſpania, cum à milvo è feneſtra in ſublime raperetur, doctus dudum à nautis, S. Thomam Indiarum Apoſtolum laudare his verbis: r *Sancte Thoma, ora pro nobis*, intra raptoris ungues canens: *Sancte Thoma, ora pro nobis*, illico inſpectante populo dimiſſus eſt, *prædámque ex unguibus ales* deſtituit. Recentius eſt, apud Batavos, Catholicum ab heterodoxo Pſittacum magno pretio ſibi comparaſſe, qui non aliud clamitabat, quàm quod perversè edoctus fuerat: *Foras Papa, foras Papiſta*: hic ferulâ ab hero aliter brevi inſtructus: *Vivat Papa, vivant Papiſtæ*, occinebat. Sic ubi ancillę, nutrices, probum Dominum, ac piam Dominam nactæ ſunt, infantibus illud identidem occinunt: χαῖρε *MARIA*. Ecquid ni teneros infantes, diſciplinæ capaciores, brutis ipſis judicabimus? cùm interim ab his ad ruborem noſtrum edoceamur: ſ *Arte*, inquit Chryſoſtomus, *in homines quodammodo mutantur aves, docenturque Pſittaci, & Picæ humanas voces.* t Pſittacus Aſcanii Cardinalis, centum aureis æſtimatus, totum ſymbolum Apoſtolicum articulatim recitare auditus eſt. v Præ hoc, ſi à vobis hauſerit corruptus famulus, aut laſſiviens pediſſequa, duodecim Jovis adulteria, parvulis decantabit. Albertus ſummi Diſcipuli Aquinatis, magnus Magiſter, de PSITTACO agens, dicit: x *Amat hæc avis loqui cum pueris, & adeò perfectè loquitur, ut ſi quis non videat, hominem eſſe opinetur.* Quod ancillis proprium, quæ *amant*, & debent *loqui cum pueris*, non dies tantum, ſed & in ſeram noctem, varia occinendo, dum in ſomnum inducant. At quę & qualia hæc, noſſe vis? ſcitè S. Hieronymus y *Mores* (ſermones) *& ſtudia dominorum plerumque ex ancillarum & comitum moribus ac ſermonibus judicantur.*

PSITTACUS verba & ſermones, quos leno cum puella, aut adulter cum Domina miſcuit, dum haurit & decantat, non rarò ipſum fa-

p Apulejus in florid. q P. Stengelius divino. judic. Tom. 2. c. 14. n. 11. r Nieremb. hiſt. nat.

ſ Chryſoſt. de virtut. & vit. Tom. 3. t Balingem Zoopedia tit. educatio. v Rodigin. l. 3. anticq. lect. c. 32. x Albertus Magnus c. 23. de animal. y Hier. Ep. 8. ad Demetriadem.

ctum,

ctum, quod omnibus clam, propalavit. Mirum, & morale eſt, quod P. Alardus le Roy, Libello de diſciplina volucrum aſſerit: z Psittacus, inquit, fuit, quem millies vidi, cùm tiro eſſem in ſcholis: hic audierat ſermones illos, qui ad infame flagitium induxerant, quod ille è feneſtra palam omnibus tranſeuntibus decantabat. Quid miri, ſi ſervi & ancillæ, ex moribus, & ſermonibus ad omnem laſciviam compoſitis, de actu ipſo judicent, & plenis buccis divulgent. Quis crederet rem, quæ inter privatos parietes, clauſo cubili, & intra quatuor oculos perpetrata, per ancillam toto orbe divulgandam? fidem faciet Famianus Strada *a* de Bello belgico, *Famâ ſuper æthera notus*: refert Anno 1559. Margaritam, excellenti formâ, & honeſtate filiam, ad convivale tripudiantium oblectamentum, inter nobilium fæminarum choros Aldenardæ adhibitam, cui feſtæ ſaltationi Aldenardam prætervehens, cùm intereſſet Carolus Imperator, margaritam ſpecie inter omnes pulcherrimam conſpicatus, decorem ejus impenſè laudavit apud comites, viſuſque eligere, dum laudavit. Inde aſſeclarum unus, ex illo videlicet aulicorum genere, qui ad Principum gratiam, non niſi malis artibus aditum habent; puellam per tenebras, dolo ſurreptam, induxit ad Cæſarem, ex qua Margarita Auſtriaca procreata eſt. Clam haberi partum curavit, quò matris pudori conſuleretur, & famæ ſuæ.

y Hieronym. Epiſt. 8. ad Demetriad. z P. le Roy. la vertu enſeignee par les oiſeaus. pag. 411. a Strada de Bello Belgico, l. 1. An. 1559.

Sed non diu arcanum latuit, *Ancillæ cujuſdam garrulitate*, quæ è contiguo fortè cubili auſcultarat, conſcia, hero ſuo ſecretum aperuit: hic cum amico, eadem fide, communicavit (nam nemo non habet aliquem, cui tantum credat, quantum ipſi creditum eſt) atque inde, ceu pluvia tectis excepta, quæ ex una in aliam tegulam, imbricemque devoluta, in publicas vias demum ſpargitur, tandem toto orbe, ex unius ancillæ garrulitate decantatum eſt. Quod ſi famulus, aut ancilla pravam jurandi, conviciandi, aut blaſphemandi conſuetudinem alibi imbiberit, cum eo agendum, ſicut cum Psittaco. *b Quem ſi convicio carere velis, lingua ei excidenda eſt, aut quamprimum in ſilvas remittendus.*

2. Conditio Psittaci eſt, quod optimè inſtruatur, & edoceatur à teneris, quod Aldrovandus obſervat: *c Diſcit pullus* Psittacus *ad duos ætatis annos; ſenex autem captus, & indocilis eſt, & obliviosſus.* Eſtque hæc communis & vulgò trita, teſte Plinio Parœmia: *d Senex* Psittacus *negligit ferulam.* Id vobis documento ſit, in familiam, famulos & ancillas non grandævos adlegendos, qui indociles, & quæ longo uſu imbiberunt, non facilè exuent; ſed juvenes, qui formari ex genio veſtro queant, qui cum liberis veſtris quaſi adoleſcant, affectum induant, in omni pietate inſtruant: *e Amat enim hæc avis loqui cum pueris.*

b Apulejus citat. 2. Conditio. c Aldrovand. Ornith. de Pſittaco. Apul. ibid. d Plin. lib. 10. cap. 24. e Albertus Magnus cit.

3. Cond. PSITTACO quandoque, præter communem refectionem, & frigidæ potum, offa ſaccharacea, & mulſi aliquid prælibatur. Sic & ſervi, non ſerviliter habeantur, mancipiorum more; ſed ſubinde bolus pinguior porrigatur, & hauſtus de meliori. PSITTACUS inter virides plumas, unam aut alteram plerumque habet coccineam, aut purpuream. Detur ancillæ, plus æquo operanti, aut vigilanti, quandoque plumula, aut lemniſcus purpureus, aut par calceorum, ſeu interula nova, corollarii loco. Quod ab ethnico factum legimus: *f Sordidiſſimorum artificum inſtitoribus ſupra conſtitutum, aliquid adjecimus, ſi nobis opera illorum enixior viſa eſt: & opifici, viliſſimæ mercis, & in diem ſe locanti, corollarium aſperſimus.* Sic fiet, ut clepere non condiſcant, aut furtivis commeſſationibus, & ſympoſiis indulgeant; ſed heros ament ut patres, venerentur ut dominos, atque ore rotundo, ubique laudes ſuorum decantent, juxta illud Perſii:

> g *Quis expedivit* PSITTACO *ſuum* χαῖρε?
> *Magiſter artis, ingenique largitor Venter*

Hinc enim conſequitur, ut affectum in dominos tenerum, & filialem induant, quem Aldrovandus etiam agnoſcit in PSITTACO, ex probato, quem allegat, Auctore, his verbis: *h Nuper quidam fide dignus mihi aſſeruit, noviſſe ſe hominem adeò amatum à* PSITTACO, *ut ob diſceſſum ejus ſemper lugeret.* Ita teſtari poſſum, in quibuſdam familiis, ubi Dominus domus in exteras partes longius proficiſcebatur, aut vivis exceſſerat, non uxorem dumtaxat, & liberos; ſed & famulos, & ancillas, in amariſſimas lachrimas *ob diſceſſum ejus* ſolutas fuiſſe; ſed nihil in hoc genere emphaticum magis, ac patheticum, quàm quod Baronius *i*, aliique commemorant: cùm Baſilius Imperator, Leonem filium, Regni Succeſſorem declaraſſet, Theodorus Santabarenus, homo perditiſſimus; quem tamen ut virum ſanctum, ac miraculorum patratorem Imperator colebat, Leoni adhuc adoleſcenti, ſimulatâ benevolentiâ fraudulenter perſuaſit, ut cùm ad venationem cum patre exiret, pugionem occultum ferret, quo feras fortè patri inſidiantes, confoderet. Obtemperavit Adoleſcens, dolo non animadverſo; Santabarenus autem, Baſilio denunciavit, Leonem filium ei inſidias ſtruere, & ad eum interimendum pugionem in venatu ferre. Quem cum Baſilius inveniſſet, ardens iracundiâ, nullamque filii admittens defenſionem, ei oculos erui, ſeu ut alii, vitam auferri voluit. Interea Leone in vincula conjecto, adhibitæ emolliendo parenti mulierculæ lamentatrices, quæ nænias quaſdam lugubriter occinerent, & calamitatem Leonis acerbè quererentur. Denique domus univerſa planctu, & gemitu perſtrepebat. Erat in Regia PSITTACUS, qui ſive caſu, ſive edoctus ab ephebo, domini ſui ſortem miſerantis,

3. Condit. f Sen. l. 6. de ben. c. 17. g Perſius in Prolog. h Aldrovand. de Pſitt.

i Baron. An. Chriſti 879. & 886. Zonaras curopalates. Conſtantinus Manaſſes in Annal.

ſæ-

ſæpè has voces ingeminabat : *Heu heu ! domine Leo* ; cùm autem Principes Senatus, aliquando acciti, cum Imperatore convivarentur, ac PSITTACUS eadem verba: *Heu heu ! domine Leo*, flebiliter iteratis vicibus occineret; mœſti ipſi à cibis abſtinuerunt, & in lacrimas ſoluti ſunt; causâmque percunctanti Imperatori, argumentum innocentiæ tuendæ, à PSITTACO deſumpſere, dicentes, nos genio indulgemus, Domini qui nihil peccavit obliti, & ab iſta ave rationis experte, ipſius innocentia decantatur, & deploratur. His verbis Imperator veritus, ne magis expers commiſerationis, quam iſta avis videretur, animum flecti paſſus eſt, & Leonem carcere eductum, vitâ, & Imperio donavit. Quæ Leo PSITTACO accepta referre debuit. Plures profectò Domini, vitam & incolumitatem ſuam, fidis ſervis debent, qui non voce tantùm; ſed ſanguine, & morte ſua Dominos propugnarunt. Ut apud Valerium Maximum, alioſque videre eſt. Ejuſmodi ſervi fideles, quanto in amore, & pretio habendi ſint, ſapienter Sapiens pronuntiavit: k *Si eſt tibi ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua, quaſi fratrem tuum, ſic eum tracta.* Vide quàm gratum, quàm benevolum animum heri in ſervum, Deus requirat: non ait quaſi amicum, quod ſatis eſſe videbatur; ſed quaſi *fratrem*, quaſi filium, *quaſi animam tuam*. Alii legunt: *Sit tibi ut tu.* Qui affectus maximè ſe exerit, in ſervis, & ancillis jam ſenio, & labore fractis, in ægris, aut caſu inopinato læſis, ſeu luxatis; quos nonnulli immites, & planè barbari Domini, domo exturbant, vel ad hoſpitale deferri, aut etiam, ut vidi, in platea emori ſinunt. Cùm interim ægro PSITTACO, & medicus, & medicina quamtumvis pretioſa adhibeatur. *l* Cambajæ in ampliſſima civitate, noſocomium avium, magnificè & pulcherrimè exſtructum, & annuis vectigalibus lautè dotatum, in quo Picæ, Monedulæ, Phaſiani, Pavones, Pſittaci, morbidi, ac ſaucii magnâ curâ, ſtudioque fovebantur. Ne ethnicis, ac barbaris vos immaniores ſitis, extimulet vos homo militatis, cujus hæc pro famuli ſui ſanitate, ad Chriſtum deprecantis oratio: *m Domine*, inquit Centurio, *puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Adhibuerat humana remedia, quę cùm non prodeſſent, recurrit ad divina. *Jacet*, inquit, *in domo*, non in Xenodochio, non ſub dio: non domo illum ejecit ut inutilem; ſed memor ſervitii præſtiti, domi, inquit, retineo, de neceſſariis proſpicio, inſuper à te ſuppliciter peto, ut quod verbo potes, ei priſtinas vires reſtituas. Origenes hanc pietatem Centurionis in ſervum, adeò Redemptori placuiſſe aſſerit, ut non ſolùm ſervo corporis valetudinem, ſed & ſibi animæ ſalutem impetrârit: *n* „Plus inquit, à Domino, „quàm petierat, impetravit. „Cùm multi ad Chriſtum „accederent ille, pro filio, „alius pro amico deprecaretur,

k Eccl. 33. v. 31.

l Chreſſolii Antolog. part. 1. c. 11. Maffeus Tom. 2. hiſt. relatio. de Rege Mogor. m Matth. 8. n Origenes hom. 5. ex variis.

„ *nullus pro ſervo*, niſi ille ſolus o-„ravit, & hoc ei ad augmentum „ beatitudinis,& coronam gloriæ „ erat. Jure igitur ſervum fidelem amas ut animam tuam, qui tibi ſalutem, & coronam gloriæ comparare poteſt. Jure illum ægrum foves ut filium,nam ut Angelicè Doctor Angelicus: *o Bonus Paterſamilias aliquid pretioſius dat ſervo ægrotanti, quod non dat filio ſano.* Mercedem non ſubtrahendam,ſi quid in domo ſine culpa confractum aut deperditum: non differendã,dum aliomigrant, aut non ſolvendam, alias diximus. Unum hic Salomonicum judicium, qui mercedem operariorum defraudant, documento erit. *p* Vir nobilis per plures annos ephebum habuerat, quem pertæſus, aliumque gratiorem nactus, prope nudum, ne teruncio mercedis oblato,à ſe ablegat. Hic queri, ejuſque parens rem ad Judicem deferre, & de injuria expoſtulare cœpit. Citatur nobilis: hic ſe nihil ſervitii à famulo habuiſſe, dumtaxat ſibi à pedibus fuiſſe; aſt ſe per ſex annos, cùm in publicum prodeundum eſſet, ſolùm ſubſecutum fuiſſe aſſerit. Quo audito, hæc à Judice ſententia prolata eſt: Si id nil ſervitii, aut obſequii æſtimes, famulum ſex annos Dominum, quocumque ierit, ſequi; tu per totidem annos, poſt famulum ibis,& ſubſequeris: vel juſtam mercedem perſolves; quàm illicò præſtitit. non excidat tibi, quiſquis es Dominus,illud Carthaginienſis Antiſtitis: *q Ipſe de ſervo tuo exigis ſervitium,& niſi pro arbitrio ſerviat, flagellis verberas, & non agnoſcis Dominum Deum tuum, cùm ſic exerceas dominatum.*

o S. Thom. 1. part. q. 30. art. 4. ad 3. p Vide Pantheon feſto S. Lucæ. q Cyprian. lib. 4. Epiſt. 9.

§. V.

r Eccleſiaſticis, ac viris Religioſis LUSCINIA; *Sanctimonialibus* ALAUDA.

VEnio nunc ad *Venerandum Clerum,& viros Religioſos*,qui ſero veſpere, & primo mane, imò per dies & noctes,divinis laudibus concinendis vacant,quibus nulla aptior, aut acceptior avis in ſtrenam,quàm LUSCINIA, *ſeu* PHILOMELA, tribui poſſe videtur. *ſ* PHILOMELA nomen ſortitur à *Philos, & Melos, quia amat cantus dulces.* Parva quidem eſt „ corpore, ſed magna ſpiritus vi- „ vacitate; hoc eſt, quia mirabi- „ lem modulatum, & multipli- „ cem edit ſonum: qui nunc con- „ tinuo ſpiritu trahitur in lon- „ gum, nunc variatur quaſi ſpiri- „ tu vocis inflexæ, nunc diſtin- „ guitur ſono conciſo,& tunc co- „ pulatur quaſi ſpiritu retorto: & „ eſt plenus, gravis, acutus, ex- „ tenſus, exaltatus & depreſſus, „ *omnia ferè repreſentans muſicorum* „ *inſtrumenta.* Vivum, ac verum cantorum, ac Deo laudes concinentium, ſymbolum. Non abſimilem canoræ hujus avis, & ſuaviſſimè modulantis panegyrim, contexuit Plinius, qui agens de LUSCINIA: *t Digna*, inquit,*miratu avis. Primum, tanta vox, tam*

r Eccleſiaſticis ſeu Religioſis Luſcinia ſeu Philomela. ſ Albertus Magn. de animal. lib. 23. t. Plinius lib. 10. c. 29.

parvo

parvo in corpuſculo, tam pertinax ſpiritus; ubi hoc animadverſione dignum occurrit: parvas, & exiles corpore, ac carne, aviculas, gratioſiſſimè modulari: obeſas verò & magna carnis mole, taciturnas conſidere. Haud aliter Religioſos ac Religioſas, ſuaviſſimas in Dei laudes, voces modulari, qui graciles, toti quaſi ſpiritus, exili carnis mole gravati ſunt. Quo ſpectat illud Plutarchi: Laconem LUSCINIAM, quam ex voce ingentem avem crediderat, telo confixam deplumaſſe, & nil niſi exiguo corpuſculo comperto, dixiſſe: *Vox eſt, prætereaque nihil.* Pergit Plinius ſolitariæ hujus Pſaltriæ encomia enarrare: v *In una, perfecta muſicæ ſcientia modulatus editur ſonus, & continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto, Interdum & ipſa ſecum murmurat, ubi viſum eſt vibrans, ſummus, medius, imus, breviterque omnia tam parvis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit, ut non ſit dubium ſanè ſuavitatem præmonſtratam efficaci augurio, cùm in ore Sterſicori cecinit infantis.* At dicet aliquis, x quomodo argutias LUSCINIÆ in Choro æmulari potero? vox mihi rauca aut craſſa, numeri muſici incogniti, &c. Audi Plinium: y *At ne quis dubitet artis eſſe, plures ſingulis ſunt cantus, & non idem omnibus*; nec Religioſis *vox omnibus una eſt*; ſi quis non poteſt ſuperiorem, canat tenorem, aut baſſum. *Audit diſcipula intentione magna, & reddit, vicibus recitant.* Eſt illud gratiſſimum auribus lenocinium, in ſolitudine LUSCINIAS alternatim audire cantantes, & certis pauſis ſilentes. Eccleſiaſticis ac Religioſis ad æmulandum documento, alternantibus choris, ſacrificium laudis Deo ritè concinendum. Formam hujus Eccleſiaſticæ melodiæ, videntur Cœleſtes genii tunc dediſſe, quando ſancta Seraphim, circa ſolium Dei clamabant alter ad alterum: z *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Atque ex hac Divinorum ſpirituum diſciplina, mos in Eccleſiam inductus eſt, ut verſiculi Pſalmorum, & hymnorum ſtrophæ, in Templis alternatim concinantur, a *Ignatius* inquit Socrates, *Antiochiæ tertius à* Petro *Apoſtolo Epiſcopus, qui cum Apoſtolis ipſis multùm verſatus eſt, viſionem vidit Angelorum, ſanctam Trinitatem, hymnis alterna vice decantatis collaudantium: & formam canendi in ea viſione expreſſam, Eccleſiæ Antiochiæ tradidit. Vnde illa traditio in omnibus Eccleſiis recepta eſt.* Exercitium hoc tam Religioſum, tam pium, Pſalmos, atque hymnos modulandi, non induxerunt modò divinitùs Cœleſtes genii; verum & interdum etiam confirmârunt. b Sanctus Oſwaldus ex Erchiepiſcopo Monachus, & Aſcetarum Præſes, qui ſuper undas ambulavit, quâdam die penſum horarum Canonicarum perſoluturus, vix eas fuerat auſpicatus, à verſiculo illo conſueto: *Deus in adjutorium meum intende*; cum repentè chorus Angelorum proſecutus eſt: *Domine ad adjuvandum me feſtina.* Et deinceps alternis verſiculis, Officium totum exegit. Nec mirabile

v Plin. cit. x Aldrovand. lib. 18. p. 336. y Plin. ibid.

z Ioan. c. 6. a Socrat. l. 6. c. 9. b Sylv. Petra S. Taumaſię Tom. 2. Surius in vita.

minus quàm amabile, quod in Corbejenſi, Saxoniæ Monaſterio accidit *c*, ubi, dum vitæ aſceticæ laus floreret, Cœlites inſidere viſi ſunt odæi ſubſellia, cùm Religioſis canere, ac vices obire Monachorum, qui aberant ex obedientiæ præſcripto. Quem non exſtimulet, ac inflammet, ut ſanctâ æmulatione cum cœleſtibus illis choraulis, voce, & corde contendat? *De Philomela*, inquit Albertus Magnus, *expertus ſum, quod advolat ad cantantes, ſi bene cantant. Et dum cantant, auſcultat tacens, & poſtea quaſi vincere nitens, recantat, & reſpondet: & hoc modo etiam ſeipſas provocant ad cantandum. Atque ita quandoque una cum alia contendit cantu, ut potiùs vitam, quàm cantum victa deponat.* Idipſum confirmat Plinius: *e Certant inter ſe, palamque animoſa contentio eſt. Victa, morte finit ſæpe vitam, Spiritu prius deficiente, quàm cantu.* Nec inter ſe tantum; ſed & argutiſſimos choraulas, & cytharœdos æmulari, quin & ſuperare, tam animosè contendunt, ut victæ finiant ſæpe vitam, *Spiritu prius deficiente, quàm cantu.* Talem Famianus noſter, amœno poëmate depingit, cantu Cytharœdi exanimatam, in plectrum delapſam, quod aliis numeris, iiſdem propè verbis, ſic juvenis luſi:

f Sol medium transvectus iter, pronuſque relabi
Cœperat, & feſſis mitior ibat equis.
Cum fidicen plectro, ſolum comitatus eburno,
Propter Blanduſiæ murmura ſedit aquæ.
Et nemoris ſcena recubans, viridique Theatro,
Impulit æmoniæ ſtamina docta lyræ.
Audiit hunc hoſpes vicinæ garrula ſilvæ,
Muſa loci, ſiren ruris, amica cedri:
Et propè ſuccedens, petulantibus advolat alis:
Advolat, arboreâ ſtans bene tecta domo:
Accipiens cytharæ ſonitum de vertice fagi;
Quod bene reddat opus, præmeditatur opus.
Mixque pares liquido cantus dedit æmula roſtro,
Quos parit hic nervis, hæc parat ore ſonos:
Et velut arguto pro nervis lingua palato
Tenſa foret, lyricis tam ſonat apta modis.
Scilicet & vivum, latet hoc in corpore plectrum:
Lingua fides, ales Pſaltria, guttur ebur.
Tunc animata novo fidicen ſibi carmina plectro
Senſit reddi, alia carmina prompta cheli.
Et placet aligeræ ludum intentare choraulæ,
Gutturis & vivas ſollicitare fides.
Ergo ſuas avido pertentat pollice chordas,
Cunctáque ſolicitis fila terit digitis.
Utque paret Lycii præludia prima duelli,
Inſtituit dulci pectine, dulce melos. Mille

c Idem ex M. S. Corbejæ. d Albertus Magn. cit. e Plin. cit. f Famian. Strada proluſione Academicâ l. 2. proluſion. 6. Poſt.

Mille per excurrens, non ſegnius illa, ſuſurros,
Alternat variis guttura parva modis.
Tunc fidicen, ſtudio veluti lymphatus amœno,
Spiſſa gravi, ſummo temperat ima ſono.
Et pernice manu, celerique per omnia tactu
Fila volat, placidis ſtant modo fila modis.
Illa modis totidem, ſimilique exorſa tenore,
Rauca dabat ſpiſſis carmina mixta ſonis.
Nunc carptim replicat, plenóque exſibilat ore:
Nunc ſilet, argutis ingenioſa moris.
Miratur Fidicen, ſimul indignatur, & omnes
Artis promit opes, ne ſuperetur opus.
Et modo dat blandos, digito languente furores,
Nunc tacitum fracto murmure pectit ebur.
Hoc etiam Philomela canit, vocémque canendo
Exacuit, vocis cos, fit amica chelys.
Dat modo feſtivum pleno pœana tenore,
Nunc reſonant raucis claſſica fila modis.
Arte pari Philomela, artem deluſit inértis,
Jámque velut victrix, plaudere viſa ſibi eſt.
Erubuit fidicen, Phœbíque ut percitus œſtro,
Non imitabilibus carmina dat modulis.
Ars ſtupet artificem, nec ſe capit ipſe, per omnes
Curſitat inſolitâ mobilitate fides.
Tum ſtetit auſcultans, ſi quas daret æmula voces;
Ille ſilet; ſed non hoc ſat, & illa ſilet.
Illa ſilet, ſecúmque loquens, ſibi muſſitat, & vix
Auſa loqui, potius non ſatis apta loqui.
Sed luctata diu, minus & minus utilis, inſtat,
Quo magis auſa loqui eſt, hoc minus apta loqui.
Jamque volens laſſæ nodum diſrumpere linguæ,
Verbáque perfectis reddere plena ſonis:
Urget, & anguſto locat abdita verba palato;
Sed ſtetit ut Terei, lingua reſecta manu.
Ergo ſibi impatiens, vires dum ſuſcitat omnes,
Ultima præcluſo mens fugit hauſta ſono.
Et ſimul arguto ſubiens ſua fata duello,
Maxima victricis præmia, victa tulit:
Nam cadit in plectrum; dignum ſortita ſepulchrum,
Non potuit tumulo nobiliore frui.
Uſque adeò & tenues animas ferit æmula virtus,
Et viget in parvo corpore, laudis honor.

Utinam tam *animoſa contentio* Eccleſiaſticis, ac Religioſis eſſet, ut Choros Angelorum, alternis ſecum concinentes, æmulari niterentur, ac prius vita, quàm cantus deficeret. Illos vobis in choro pſallentibus adeſſe, imò prævenire, purpureus vates cecinit; g *Prævenerunt Principes conjuncti pſal-*

g Pſal. 67. v. 26.

pſallentibus. Ubi divinus ſacrarum litterarum interpres, *h* Hugo Cardinalis, qui laborioſiſſimum opus *concordantiarum*, quingentis ſtudioſis Patribus diverſorum cœnobiorum ordinis ſui Dominicani diſtributum, brevi tempore multorum ſedulitate perfecit. Hic in illud pſalmi, ſic diſſerit: *Exhortatio eſt ad Religioſos, & Clericos, ut attenti ſint in Pſalmodia: quia prævenerunt Principes, id eſt Angeli, conjuncti pſallentibus, non dormientibus, aut nihil dicentibus.* Quantâ decentiâ, reverentiâ, obſervantiâ, vigilantiâ divinum in choro perageretur officium, ſi hos cœleſtis aulæ Principes ſibi adſtare, ſecumque cantare perſuaderent? neminem oſcitantem, neminem evagantem, neminem ridentem, ac cachinnantem reperire eſſet. Quod quam indignum, & irreligioſum ſit, patet ex eo quod Annales minorum referunt: *i* In Oxonienſi Monaſterio, Monachos inter divinas laudes parum decenter & reverenter ſe gerentes, atque effusè in choro ridentes, Chriſti effigies, quæ ſuper chori oſtium pendebat, verſo ad fratres vultu, indignationem, & ſubſannationem erga ridentes indicavit, quam & illi ſenſerunt: nam ex tremendo fragore, & terrifico Chriſti vultu, eorum præcipui adeò perculſi ſunt, ut paucis poſt diebus è vita exceſſerint. Ne adeò tremendus vobis, venerandi Domini, Religioſiſſimi viri, Redemtoris noſtri vultus, ſi non in hac vita, ſed in altera, aut ſupremo vitæ agone appareat, occurrat illud animo, quod toties ore canitis: *k In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Quo motivo D. Bernardus, ſuis omnem irreverentiam, & torporem excutere conatus eſt, *l* ubi enim hæc ſacra regii vatis verba attuliſſet, ſubjungit: *Doleo proinde aliquos veſtrum gravi in ſacris vigiliis deprimi ſomno, nec cœli cives revereri; ſed in præſentia Principum, tanquam mortuos apparere; cum veſtra ipſi alacritate permoti, veſtris intereſſe ſolenniis delectentur. Vereor ne veſtram deſidiam, quandoque abominantes, cum indignatione recedant.*

Quare nemo cum ad matutinas evigilandum, diutiùs ſtertat, aut è ſtrato conniventibus oculis, ne diſtributiones 3. aut 4. aſſium amittat, accurrat. Nemo aut amicorum, aut relaxationum cauſa, veſperas negligat, aut chorum intermittat: Quod quam Deo gratum, & acceptum, miro ac ſtupendo benevolentiæ teſtimonio comprobavit. Accidit, ut in illuſtribus Seraphici Ordinis annalibus, refert vir verſatus, & litteratus Wadingus. *m* Fratrem Andream Burgundum, cui cella Cœlum erat, contemplationi divinæ intentum, ſpectabilem habuiſſe Divinum pumilionem Jeſulum, qui cum amores ſuos, & delicias aperto ſinu effundens, ſuumque Jeſulum ſuaviſſimè baſians, ſignum ad concinnendas veſperas in choro, de more datum eſt. Quid hic agat? Anceps hærere inter obedientiæ præceptum, & dilecti, à quo difficile avelli, complexus? Avulſus eſt ab iis, & ad chorum ſe contulit, at quanta divini numinis approbatione, ex

h Sixtus Senenſis in Bibliot. Hubertus Phaleſius in præambula concord. Hugo in Pſal. 67. v. 26. i Annales minor. a. 1210. n. 64.

k Pſal. 137. v. 1. l Bern. ſerm. 7. in cant. m Wadingus Annal. Minor. tom. 2. a. 1262. n. 40.

eo

eo patuit, quod à choro reverſus, Jeſulum ſe expectantem repererit, cujus cum infimam dignationem erga ſe ſervulum Andreas ſuſciperet, proque ea gratias referret, *ita factum*, inquit Divinus infans, *quia tui Ordinis inſtitutis obſecutus es; quod ſi aliter feciſſes, neque ad veſperas iviſses, prorſus te inſalutato, receſſiſſem.* Si, ne tali hoſpite aliquem detentum, divina bonitas approbarit chorum deſerendum, qui magnates, qui amici, aut propinqui; quæ negotia, aut repotia, quæ deliciæ aut illiciæ, ab eo nos, Deo probante, avocabunt? Neminem etiam monachorum noctu pſallere pigeat, cum volucres Deo laudibus concinendis, & ſummo mane, & ſero veſpere, & ipſa nocte intentæ ſint, quas D. Ambroſius in exemplum proponit, dicens: *Hoc autem ut faciamus fratres, non ſolum docemur ratione; ſed etiam admonemur Exemplis: nonne enim videmus minutiſſimas aves*, (de LUSCINIIS agit) *cum illuceſcentem diem aurora producit, in quibuſdam nidorum cubiculis varia dulcedine perſonare, ut Creatorem ſuum, quia loquela non poſſunt ſuavitate demulceant? hoc etiam peracto diei curſu ſimiliter facere?* & alibi: o *Utinam ſaltem* LUSCINIA *canat, quæ dormientem de ſomno excitet: ea enim avis ſignificare ſolet diei ſurgentis exortum, & effuſiorem diluculo deferre lætitiam.* Alio excitatore vobis opus non eſt, ſi hunc audire velitis; quod non Religioſos dumtaxat; ſed & quemque veſtrum concernit, ut experrecti Deo laudes gratiarum dicatis. Ac tandem concludit: p *Imitare ergo Frater minutiſſimas aves, mane & veſperi Creatori gratias referendo. Et ſi es devotior, imitare* LUSCINIAM, *cui quoniam ad dicendas laudes, dies ſola non ſufficit, nocturna ſpatia pervigili cantilena decurrit.* LUSCINIAM aliqui dictam volunt, quod in lucis, ſeu ſilvis canat. Varro etymon deducit, quod lugens canat, ſeu luctuosè canere exiſtimetur, quod ex Attica Progne, in luctu facta ſit avis. Communiter tamen ex eo nomē derivant, quod canat ante lucem, vel cantu ſuo ſignificare ſoleat diei ſurgentis exortum. Unde Ovidius:

> q *Inſuper eſt avium, ſpatiis garrire diurnis;*
> *Tu cantare ſimul nocte, diéque ſoles.*

Heſiodus ſcribit inter omnes aves, hanc ſomni expertem eſſe, ſedulòque in vigiliis verſari. Cauſam reddit Aldrovandus: „r LUSCINIA inquit, tempore „verno, dum aſſiduo cantui operam navat, rarò comedere perhibetur, *magnum Religioſis omnibus pietatis documentum*: Homines namque Deo addictos, & „ſacros, dum in ejus laudes incumbunt, ab ebrietatibus, & „commeſſationibus prorſus abſtinere decet. Et quemadmodum LUSCINIÆ de concentus „ſuavitate certare dicuntur, ita „pariter viros illos, ut alter alteri in commemoratis „piis muniis præcellat, eniti

n Ambroſ. Serm. 43. o Ambr. lib. 5. hexam. c. 14. in fine.

p Serm. 43. q Ovidius de Philomela. r Aldrova. lib. 18. Ornith. pag. 346.

par eſt. Ipſi Choraulæ, ſi voci ſuæ conſultum velint, à craſſiori potu, à crudis abſtinent; Quid ni, qui vix crapulam edormiere, rauca, & ferruginea, & hiulca voce, in choro detonent? Alterum denique obſervat: præſente majori hominum numero, ar„dentiùs canit; ſin auditores „non ſint, vel pauci, cantum ne„gligit; quod nonnulli faciunt, „qui in magna hominum fre„quentia, ad oſtentationem ni„mirum, inſtar Philomelæ cane„re audiuntur; noctu verò, vel templo clauſo, taciturni ſunt, aut vix os aperire dignantur. Qualis turpiter exploſus, & omnium ludibrio expoſitus, ut refert Lancicius ſ de Monacho Ciſtercienſi, qui tantum diebus feſtis, quando frequens, & honeſtus populi concurſus, arguta & elata voce cantabat; aliis verò diebus, & noctibus ſilebat, aut quid inter dentes muſſitabat. Hinc Dæmon, cum non Deo ille pſalleret ſed hominibus, horrido & fœde contorto vultu, in omnium conſpectu apparuit, plaudens manibus, & vaniſſimum cantorem irridens, dixit: *O bene cantavit, vere*; ſtatimque diſparuit. Non poſſum quin hoc loco intexam, ſuavem illam, ac planè mellifluam Abbatis Claravallenſis admonitionem: t *Laudem cum Cœli cantoribus in commune ducentes, utpotè cives Sanctorum, & Domeſtici Dei, pſallite ſapienter. Cibus in ore, pſalmus in corde ſapit; tantum illum terere non negligat fidelis, & prudens anima, quibuſdam dentibus intelligentiæ ſuæ: ne ſi forte integrum glutiat, & non manſum, fruſtretur palatum ſapore deſiderabili, & dulciori ſuper mel & favum.* hoc eſt pſallere & mente, in quo omnes LUSCINIAS, & PHILOMELAS ſola voce canentes, ſummis laudibus exſuperare valetis.

v Supereſt, ut & *ſanctimoniales, ac virgines Deo devotas*, ſuo Xenio non fruſtremus. Quibus vel cantando, ſeu divina meditando, læta ac libera mente, in Cœlum evolantibus, non ſine inſigni earum præconio, ALAUDAM aſſignabimus. x ALAUDAM quidam dictam volunt, ab AL, id eſt omne, & *aut*, quod eſt antiquum, quod ante terram genita ſit, quaſi ALAUD. Ut cantat Ariſtophanes „de avibus. Flandricè dicitur „*Leeuwerck*, quod verbum Goro„pius Becanus paululum immu„tat, & dici vult: *Leefwerck*, hoc „eſt, opus vitæ, ſeu vitæ offici„um, & munus. Mirificum, in„quit Goropius, & portentoſum „nomen: Quid enim vel tan„tum, vel tanti in hac puſilla „avicula eſſe poteſt, ut in eo vitæ „opus, conſiſtere meritò dici poſ„ſit? Ego ſanè quodnam hoc o„pus ſit, ſive munus, quo totius „vitæ ſummam iis complecti vi„ſum eſt, qui hoc nomen exiguæ „huic aliti dederunt; non ex li„bris ullis; ſed ex majorum acce„pi traditione, qui mihi adhuc „puero frequenter narrârunt, „hanc aviculam, *quotidie ſepties in* „*altum evolare*, qua hymnos can„tat ſuo Creatori, ut poſtea mira„rer in adoleſcentia, dum vide„rem, Pſalmiſtam ceciniſſe: y *Sep*„*ties in die laudem dixi tibi.* Ex hac „re, forte quidam arripuerunt

ſ Lancic. opuſc. Spirit. 3. c. 3. t Bern. ſerm 7. in Cant.

v 7 Sanctimonialibus & devotabus Alauda. x Aldrov. l. 18. ornith. p. 360. y Pſal. 118.

„ occaſionem ; ut ALAUDA à „ LAUDANDO nominari do- „ cerent. Quod non *quidam* z aliquis ; ſed ſcientia , & prodigiis Divinis clariſſimus, qui è vivis ad Cœlos conſcendens, animas ad ſex millia ex carcere piatorio, velut aves corte concluſas , liberè evolare fecit, ſic, *non uſitata penna* conſcripſit : *a* ALAUDA *avis eſt, à laude vocata , eo quod muſica valde, ſereno congaudet tempore : eſt multæ modulationis , & cantat aſcendendo volans.* Ubi duo in ALAUDA expendenda occurrunt ; quod ſepties de die cantare ſolita ; tum, quod aſcendendo , & volando cantet , & canendo volet. Quod primum ſpectat, ut Sanctimoniales nôrint, cur divinum officium in ſeptem omninò horas diſtribui ſoleat , cujus numeri rationem , quam varii variam excogitarunt, paucis exponam. 1. Sunt qui ſeptem horas referunt ad primam univerſi molitionem, quam ſeptem diebus abſolvit Deus ; ut tanti beneficii memoria iret in poſteros , & diurnis laudibus tot darentur à nobis horæ, quot Creator univerſo dies impenderat. 2. Dicunt alii ex recepto Davidis more , qui pro ea , qua erat in ſuperos pietate ac Religione, ſepties in die Deo laudes canebat, ut ipſe de ſe teſtatur : *b Septies in die laudem dixi tibi.* Et hæc ille , in ea aulicæ vitæ mollitie, luxu , deliciis : in tanta negotiorum mole, in regni curis , bellique ſtrepitu ac tumultu : tantúmque vacui temporis , quod ſibi , quod Deo concederet , & aliis negotiis ſubtraheret, invenire potuit. 3. Volunt alii hunc numerum eſſe pro peccati remedio : cùm enim *ſepties de die cadat juſtus* , ſepties ut reſurgat , neceſſe eſt ; reſurgit autem oratione , quæ ut ſacræ paginæ : *Eſt ſacrificium labiorum confitentium Domino* , quo horis ſeptem , repetitis , animum peccati ſordibus contaminatum diluere, & expiare dicitur. 4. Non deſunt alii authores , qui piè credunt , per ſeptem horas , in nos , Cœlo propitio devocari, ac depluere ſeptem dona Spiritus ſancti. 5. Video tamen pleroſque ſanctorum Patrum, hunc numerum ſeptenarium, ad ſacra Redemptionis noſtræ myſteria referre. Ea ſunt ſeptem eáque præcipua , quibus ex æquo horæ ſeptem reſpondent : Prima dicitur *nocturnum officium*, quod evolvitur adulta , mediaque nocte ; quando Deus immortalis homo factus, ex virgine natus eſt ; ut nox quæ prima divinæ in nos munificentiæ teſtis fuerat , foret & noſtræ in eam arbitra pietatis. A nocturnis officiis ſequuntur *laudes matutinæ* , quas ſol oriens excipit, ſimúlque monet illius funeſti diei exorientis , quo Redemptor noſter concilio malignantium ſiſtitur. Sequitur deinde *prima*, qua vinculis onuſtus , reorum in morem ad Pilatum , & Herodem ducitur. *Tertia* denotat condemnationem mortis , qua clamârunt : *Tolle , tolle, crucifige.* *Sexta* , qua infami ligno appenſus Deus homo. *Nona* , quâ auctor vitæ immortali numini Spiritum reddidit. *Veſpertinum officium* , animo proponit depoſitum è cruce exanime Chriſti corpus , & Com-

z Pet. Iammſi in vita ante opere. a Albertus M, de animal. lib. 23. b Pſal. 118.

Completorium ſepulchro mandatum. Hæc myſteria ſignificari probat Gloſſa, his verſibus:

Hæc ſunt ſeptenas propter quæ pſallimus horas.
MATUTINA *ligat Chriſtum, qui crimina purgat.*
PRIMA *replet ſputis, cauſam dat* TERTIA *mortis.*
SEXTA *cruci nectit, latus ejus* NONA *bipertit.*
VESPERA *deponit, tumulo* COMPLETA *reponit.*

Quam piam, in horis concinendis Chriſti patientis commentationem, ut ſanctimoniales ſectentur, ſtimulo eſſe poterit c Beata Clara de monte Falco, quæ pro quavis hora Canonica aſſignaverat aliquod myſterium Dominicæ Paſſionis tunc conſiderandum. d Pro *matutino*, Chriſti flagellationem ad columnam. Pro *prima*, condemnationem Chriſti ad mortem, & fune ligati deductionem, cum magna confuſione. Pro *Tertia*, iter Chriſti Domini crucem bajulantis, à Pilati prætorio, in montem Calvariæ. Pro *Sexta*, Chriſti in crucem affixionem, Deiparæ ſub illam ſtantis mœrorem. Pro *Nona*, Chriſti ſitim, & mortem amariſſimam. Pro *Veſperis*, Chriſti depoſitionem de cruce, & in ſinum Matris ſanctiſſimum corpus receptum. Pro *Completorio*, Chriſti ſepulturam. Quo pietatis officio illud conſecuta eſt, ut omnia patientis Chriſti inſtrumenta, à morte, in corde ejus, divinâ cælaturâ expreſſa reliquerit. Atque hæc de ſeptenario, quo laudes Deo concinendæ numero; quod ab *Alauda* diſcere non pigebit. *Alaudam*, inquit Lobbetius, e ferunt ſepties in die canere, habitamque à veteribus antiquiorem terrâ, ob hanc ipſam cauſam, quod in alto aëre toties Hymnos Cœlo caneret, ac Creatori Deo. Et inde, inter Ægyptiaca Hieroglyphica viſebatur *Alandæ* caput, ſepties docta manu, peritóque penicillo expreſſum, ac pictum. Diceres illi ſeptena guttura, ſeptena eſſe capita, quibus Deo ſuo ſæpius, ac blandiùs modulatur. Hic aviculæ genius, cantuſque, mirè placuit D. Franciſco, qui eam ſororem ſuam vocitare, & ad cantum gratáque cœlo carmina provocare ſolebat. Quod ætheri libero eſt *Alauda*: f hoc Eccleſiæ virgineus ſanctimonialium cœtus, ac chorus. Illa liquido ſonat aëre; hic Cœlo gratiùs auditur, & ſuperis inſonat ſepteno vocum, horarúmque intervallo ac modulamine, neque una tantùm, alterave anni tempeſtate, ut *Alauda*; ſed & anno toto, & frigida etiam, triſtique hyeme; ea vocum modulatione, & animorum contentione, ut quot virgines, tot *cœleſtes Alaudas* canere, & divinos genios æmulari videantur; non enim, ut ſæpè vidi, harum ſuaviſſima pſalmodia, plurimos mortalium ad audiendum concivit; ſed & ipſos Angelos illis concinere, declarat illud pſaltis: g *Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus in medio juven-*

c Pergilius in vita 1. part. c. 14. & 15. d Lancicius opuſc. 7. c. 13. in fine.

e Lobbetius ſpec. Eccleſ. f Pia Hil. g Pſal. 67.

culαrum

cularum tympaniſtriarum. Scitè & eruditè Hugo Carenſis. *h Prævenerunt Principes, id eſt Angeli in medio juvencularum, id eſt monialium, quæ juvenculæ dicuntur, propter novitatem vitæ.* Cur tympaniſtriæ, infra dicemus. Hiſce ſeſe Cœleſtes Spiritus conjungunt, & aſſociant, ut manifeſta viſione quandoque perſpectum eſt. *i* Anno 1318. cùm in Clariſſarum Monaſterio, villæ Comitis, una ex ſororibus, altùm dormiret, nec pulſum campanæ ad matutinas preces, quæ ſub noctis medium recitabantur, audiret; mox verò ad ſonum campanæ, quæ ad hymnum *Te Deum laudamus* pulſatur, expergefieret, & ad Chori oſtium accederet: dùm ſorores genuflexæ, junctis devotè (ex more) manibus, canerent verſiculum: *Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti*; vidit Cœlos apertos, & Angelicos Spiritus delapſos *in medio juvencularum, id eſt* MONIALIUM, unà concinentes, eandémque precationem repetentes. Ex quo aliud conſequitur, ut dum hæ ſacræ virgunculæ, in medio Angelorum voce pſallunt, corde & animo in Cœlum, quaſi *Alaudæ* evolent, quæ aſcendendo ac volando cantant. Vivum profectò, & doctum ſymbolum Religioſæ, ac Deo devotæ animæ, & quæ longè ab humanis, & terrenis omnibus, in Cœlum evolans, liquidâ perfruitur voluptate. Ubi cor hominis, quod hic humi repit, & prope terram, inſtar hirundinis volat, nec verè lætari & gaudere, nec in Spiritu canere poteſt: nec credo quemquam veſtrûm unquam conſpexiſſe aviculam, quæ cùm humi deſidet, ſuaviter modulantem. *k* Surſum *Alauda*, canendo ſuum *Tire lire* provolat, & vos provocat, dum inſtar Cœleſtis choraulæ cantando volat & volando cantat, ſuoque Creatori occurrit. ALAUDIS *quippe peculiare videtur eſſe, cum volant, ſuaviùs canere.* Hugo Carenſis in pſal. 87. opportunè nobis ſuccinit: *l Quantò plus levatur anima, tantò magis lætatur in Domino ſicut* ALAUDA, *quæ dum eſt in terra, non cantat, ſed cum jam ſurſum aſcendit, tunc cantat, & gaudet; ſic anima levata ad Cœlum, gaudet, & ſuaviſſimè modulatur.* Hoc puris mentibus, & caſtis virginibus proprium, quæ dum ſupra omnes voluptates terrenas, & carnales ſordes, ſublimes in Cœlum evolant, Cœleſti dulcedine delibutæ, ſuaviſſimè cantant, ut indies audire eſt in ſanctimonialibus; nam *m cum humi quieſcunt, aut numquam, aut rarò cantant.* Hunc cantandi, ſimul & volandi morem, annotat Albertus M. *n cantat,* inquit, *aſcendendo, per circuitum volans, ut ſæpe verno tempore videre eſt.* Unam vobis, Religioſiſſimæ Virgines, Cœleſtem *Alaudam*, voce cantantem & mente in Cœlum evolantem, dum ceremonias Chori promptè exequimini, attendite: Intererat Beata Ida *o* matutinis horis pſallendis, cum Cœli Regina, huic Virgini, Spiritu quodam extatito, in Cœlum raptæ, parvulum ſuum, in ulnas ejus, & amplexus dedit, quæ omni teneritudine, & animi dulcedine illum excepit. Interim ut ordo Chori poſtulabat, jam vices ur-

h Hugo Card. in pſal, 67. i Annal. Minor, Anno 1318.

k Aldrov. ornith. l. 18. l Hugo in pſal. 87. m Aldrov. cit. n Albertus M. cit. o Henriqu. in vita B. Idæ c. 9.

gebant

gebant, ut verſiculum Pſalmi Ida decantaret; at qui poſſet, parvulum Jeſum ulnis geſtans? animo fluctuabat, atque ita ſecum: *Si tenuero puerum inter brachia, verſumque ſic cantavero, ſtatum ordinis non ſervabo: quia cucullæ manicas extenſas jubet habere.* Exinde ſic concluſit, ac hiſce verbis dilectum ſuum affata eſt: *Cogita de te Domine, quia ſatisfacere debeo Ordinis mei præcepto.* Et ecce divinæ benignitatis prodigium, cum ad pſallendum ora laxaret, & manus intenderet, parvulus ulnis excuſſus, in collum Virginis involavit, illud ſtrinxit, atque ex eo, toto quo cecinit tempore, dulce onus pependit. Si vos cum B. Ida, voce canentes, corde in Cœlum evoletis, & ſacros ritus obſervetis, idem Cœlitus beneficium exſpectare poteſtis. Sed unum hic monendum occurrit, ut, cùm ad altiora natæ & vocatæ ſitis, jamque guſtare cœperitis, quàm ſuavis ſit Dominus, nullis terrenarum rerum illecebris illectæ, ex alto, ad inferiores viridantium arborum ramos, è cœlo in cœnum devoletis. p *Alauda* teſte Aldrovando, „ſibi primarium ſemper opus putat, ut terrâ, & terrenis omnibus relictis, quàm altiſſimè in „Cœlum evolet, ad preces, & laudes Deo canendas. Quid? quod „ne altiſſima quidem arborum „cacumina digna putat, ut in iis „ſedens, Deum vel oret, vel „hymnis extollat; propterea, „quod quamvis eæ ſint excelſæ, „vitæ tamen ſuæ pabulum è terra capiant, & radices ſic in ea „habent fixas, ut numquam ab ea „ſe vivæ liberare poſſint. Quocirca *Alaudæ* omnia terrena „ſpernentes, ut Cœleſtibus indigna, & ſe, quàm longiſſimè „poſſunt, ab illis dimoventes, „ſurſum contendunt. Sic Religioſæ animæ quidquid terreni „eſt, relinquant neceſſe eſt, ſi dignæ velint haberi, quæ ſe orationibus & laudibus divinis dedant, *Faceſſant omnes curæ, omnes „libidines, omnes livores; omnis ſuperbia, omnis avaritia, omnis faſtus, omnia denique, quæ vos ad „terram detrahunt, & terrenis affigunt. Sumantur alæ* ALAUDÆ, „*quas Socrates dixit non perdidiſſe, „cùm terrenarum rerum, & caducarum cupiditate, à Cœlo deſcenderemus. His unà cum* ALAUDIS „*ſubvolemus, nullis nixi terrenorum „adminiculis, aut potius retenti impedimentis.* Ne ſi ex alto contemplationis, aut dæmonis inſidiis, aut mundi blanditiis, ad terrena deſcendamus, illud verè accidat, quod fictè de Alauda fabulantur. *Æſopus* optimus morum magiſter, præclara ſuis fabulis documenta tradidit, nam ut ait Abulenſis, q *interdum proponuntur parabolæ* (ſeu fabulæ) *ut dulcedine parabolarum, attenti auditorum animi, meliùs quid intendat loquens, advertant.* Hæc itaque commentus eſt: ALAUDAM ex alto conſpexiſſe, in viridi campo aream, amœnis arboribus, ac viridantibus ramis conſitam, ad quam propiùs, ac propiùs advolans, eſcam palato non ingratam conſpicata, in terram deſilit, & in caſſes incidit, jamque laqueo capta, ſic ſortem ſuam lamentatur: hei mihi miſeræ, & infelici volucri: non aurum ſurripui, non argentum, non aliud quidpiam mali feci; granum tritici parvum, exigua eſca,

p Aldro. cit.

q Toſt. in lib. judic. c. 9.

mor-

mortis mihi cauſa fuit. Id ne vobis accidat, quæ in Cœlum evolatis, nec quidquam noxæ gravioris contraxiſtis; cavete, ne illectæ mundi hujus blanditiis, & carnis illecebris, in caſſes ſtygii aucupis decidatis, & ob vilem eſcam, animæ periculum, & mortem incurratis. Cautelæ ſerviet altera proprietas, quæ in *Alauda* commendatur: r *Fertur hæc inter Juniperos, & vepres verſari, Ramis non inſidet, ſed humi dormit:* ſic Virgo Senenſis, Magdalena de Pazzis, Seraphica Thereſia, aliæque innumeræ ſanctimoniales, inter & vepres, & ſpinas mortificationis verſatæ, in dura recumbentes, inſidias dæmonis declinârunt, & mente in Cœlum evolârunt; veræ *juvenculæ tympaniſtriæ*, de quibus Hugo Card. ſupra citatus proſequitur: ſ *Moniales tympaniſtriæ dicuntur, propter pœnitentiam quam faciunt. Tympanum enim fit de corio mortui animalis extento in ligno.* Atque ita de vobis rectè deprædicabitur: *Prævenerunt Principes (id eſt Angeli) conjuncti pſallentibus, in medio tympaniſtriarū.*

Unum propè exciderat, fratribus Reformatis novæ Religionis, id eſt heterodoxis ſtrenam dare. Scio & textores, & ſutores, & deliras anus, apud illos Biblia volvere, nec quidquam heterodoxis illis prædicantibus frequentiùs in ore, quàm: t *ſcrutamini ſcripturas, ſcrutamini.* Hinc celebris Divini verbi concionator, a. 1618. non ineptè, pro Xenio illis interulam Herodis, qui à vermibus conſumptus, aſſignavit, ne in vanum ſcrutarentur. Sed ut & illis ſua etiam volucris ſit, ne mihi ſuccenſeant, D. Ambroſius aptiſſimam illis avem, id eſt bubonem, ſeu noctuam attribuit, dicens: v *Quia de avibus mentionem feci, quæ noctibus vigilant, nolo te imitatorem eſſe noctuæ, quæ licet per noctem vigilet, per diem tamen pigra, vel cæca eſt, quæ grandibus oculis, tenebrarum caligines deligit, ſplendorem ſolis horreſcit: mirum enim in modum illuminatur obſcuritate, luce cæcatur. Illud animal* HÆRETICORUM *figura eſt, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem Salvatoris horreſcunt, & grandibus diſputationum oculis, cernunt vana, non reſpiciunt ſempiterna. De his ait Dominus:* x *oculos habent, & non videbunt. In tenebris ambulant: ſunt enim acuti ad ſuperſtitioſa, hebetes ad divina, qui dum ſe putant ſubtilibus evolare ſermonibus, tanquam noctua, veri luminis ſplendore turbantur.* Idem proſequitur lib. 5. hexameron. cap. 24. hæc avis mali augurii eſt, nec quidquam fauſti ominatur, juxta illud Poëtæ:

Solaque culminibus ferali carmine bubo.

Unde non habeo, quod felix illis, qui oderunt lucem, anni orientis auſpicium apprecer, cùm & auſpicium, quod ab avibus inſpiciendis, & augurium, omnia illis ſiniſtra, feralia, ac fatalia denunciet, ipſumque nomen *Ulula* quod ab *ululo* originem ſortitur fatale ſit: quia hæretici lucifugæ projicientur in tenebras exteriores, & tota æternitate horrendùm ululabunt, hoc enim de illis augurium canit Poëta:

r Aldrov. cit. p. 367. ſ Hugo Card. cit. t Ioan. 5. v. 39.

v Ambroſ. ſerm. 43. in fine. & lib. 5. hexam. c. 24. x. Pſal. 113.

y Fæ-

y Fœdáque ſit volucris, venturi nuntia luctus,
Ignavus Bubo, dirum mortalibus omen.

Itaque: *Fratres in Chriſto, ſumant ſibi lumen ab iſto,* ut noctuam, & noctem ſuam exoſi, veniant in admirabile lumen fidei. Interim filii lucis, & volucres Cœli, has noctuas fugiant, & clara luce, ut ceteræ volucres, Bubones illos roſtris impetere, & perſequi non perhorreſcant. Hanc de avibus ſtrenuam auditores, amanter & gratanter accipite, & ſi cujuſque, quam aſſignavi, aviculæ proprietates in vita, & moribus expreſſeritis, non exiguum è pennis volucrum, quibus hæc exaravi, emolumentum animarum, ſed ut & in Cœlum evolare poſſitis, alarum remigium acquiretis; atque hiſce, cui veſtrum felix anni exordium, & exitum voveo: *Sit tibi Ariſtarchus, ſit tibi Ariſtoteles.*

y Ovid. met. p. 5.

PRIMA

PRIMA EXORIENTIS ANNI FESTA LUCE.

Pro nihilo eorum Anni erunt. Pſalm. 89. v. 5.



ANNIS *nil omnibus actum.* Virgil. lib. 11. Æneid.

ARGUMENTUM.

QUæſtio Philoſophos inter ſubtiliſſima ventilatur: *Quid ſit tempus?* cùmque nihil nobis magis obvium; nihil minus cognitum eſt: quodque paradoxum videtur, pauciſſimi ſunt, qui, quot annos vixerint, nôrunt. Dies etenim & menſes, & annos in vanita-

nitatibus, & inſaniis falſis triviſſe, diu fuiſſe, non vixiſſe; ſic arbor arida diu fuit, non vixit. Nulli porrò dies aut anni, qui ſomno, ludo, ſympoſiis, flagitiis deperditi, in faſtis Dei numerantur; ſed *a pro nihilo eorum* ANNI *erunt.* Satagendum itaque, ut dies & anni noſtri, bonorum operum, ac meritorum pleni inveniantur: nam ut inquit Sapientiſſimus mortalium: *b* ſenectus venerabilis eſt, non diuturna, neque Annorum numero computata. Quod ſi cui tempus deperditum, dies vacui, & anni pro nihilo tranſacti, non numerentur in menſibus Anni, modum ac methodum ſuggeram, qua illos reſtaurare, & tempus perditum hoc novo Anno, novâ gratiâ, novâ vitâ redimere, ac recuperare poſſit. Aliàs *pro nIhILo eorVM annI erVnt sIC perDItI:*

§. I. *Quod Anni malè acti, inter vitæ Annos non computentur; ſed* PRO NIHILO EORUM ANNI ERUNT. *Pſalm.* 89.

§. II. *Qua ratione damna vitæ præteritæ, & Annos deperditos, qui pro nihilo habentur, recuperare poſſimus,* REDIMENTES TEMPUS. *Ad Epheſ.* 5.

§. III. *Si omni Anno, unum vitium extirparemus: citò viri perfecti efficeremur.* Thomas à Kemp. lib. 1. de Imitat. cap. 11.

a Pſalm. 89. b Sap. 4.

PRI-

PRIMA EXORIENTIS ANNI FESTA LUCE. c

Pro nihilo eorum ANNI *erunt.* Pſalm. 89. v. 5.

NIhil nobis familiarius, nihil uſitatius tempore, quod omnibus ſeſe locis & occupationibus interſerit : nihil notius tempore, nihil magis in oculos incurrit, quàm horologia ex ſummis turribus ceu ſpeculis appenſa : quàm alia minuta, affabrè facta, quæ quot horis, imò momentis certa Domino ſuo temporis reddunt indicia, quàm clepſydræ, quàm indices ſolares verticales, horizontales, qui in hortis, propylæis, parietibus, paſſim omnibus proponuntur. Nihil de quo frequentior ſermo: annus hic devolutus, tempus elapſum, tempus tali negotio impendendum : hunc diem nundinis, encæniis, menſem iſtum putationi, alterum plantationi, vel homo rudis & agreſtis perſpectum habet. Cùm interim nihil nobis magis ignotum, nihil intellectu difficilius, nihil quod omnium Philoſophorum ingenia magis exagitavit, quàm tempus. Hic Præſulis Hipponenſis ſenſus, hæc ſententia eſt, lib. 11. confeſſ. c. 14. d *Quid familiariùs, & notiùs in loquendo commemoramus, quàm tempus? & intelligimus utique, cùm id loquimur: intelligimus etiam cùm alio loquente id audimus. Quid ergo eſt tempus? ſi nemo ex me quærat, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio.* Computamus dies, menſes, annos, quibus viximus, & in nullo computu quàm in illo, magis fallimur. Mercatores in libris rationum quantumvis accurati: Theſaurarii, Quæſtores, Commiſſarii Regis in acceptis & expenſis quot millionum ſupputandis exactiſſimi : Arithmetici quamtumvis periti, hic omnes hallucinantur, ut ad calculum revocent, quot Annos vixerint. Problema hoc implexum, ac planè paradoxum vobis videtur, qui diem natalem, quo vos, quo liberi in lucem editi, faſtis conſignatum habetis, & quod Annos vitæ quiſque veſtrum vixerit, prorſus ignoratis. Quid quod juvenes, annoſos ſenes, & anus; Filii grandævos parentes Annorum numero æquare, & antiſtare queant? Oedipus hic vobis divinus Sapiēs, & David ſacer vates, pro Davo eſſe poterit quorum hic e *ſenectutem* non vult *Annorum numero computari*; alter verò ait.

c 1. Jan. d Aug. l. 11. confeſſ. c. 1.

e Sap. 4.

§ I.

Quod Anni malè acti, inter vitæ Annos non computentur; ſed f PRO NIHILO EORUM ANNI ERUNT.

SAcri Regum Annales unius Anni infantulum, in Regem Iſrael adlectum, inque ſolio conſediſſe commemorant: *g Filius unius Anni erat Saul, cùm regnare cœpiſſet; duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael.* Quæ res prope incredibilis, pleroſque ac præcipuos interpretum, in varias, ac maximè diſpares abire fecit ſententias. D. Anſelmus, ut innumeros alios omittam; *h Numquid* ait, *unum tantummodo ætatis Annum habebat, qui ab humero, & ſurſum altior cunctis erat?* Quod prius etiam D. Gregorius diſcuſſerat: *Vnius*, inquit, *Anni quomodo eſſe Filius potuit, qui univerſo populo, ab humero, & ſurſum eminebat? h* Rabanus, & Strabus volunt *Saul* hic dandi caſu accipi, in hunc modum: *Filius unius Anni erat Sauli, cùm regnare cœpiſſet*; hoc eſt Saul in ſui Regni exordio habebat filium unius Anni, nempe Isboſeth; quem ſenſum ut ridiculum, ait Damianus rectè à doctioribus viris explodi. Alii aliò hæc verba torquent: *k Filius unius Anni erat Saul*, nempe ſupra vigeſimum. Similior vero quibuſdam videri poſſet Genebrardi expoſitio, quaſi diceretur, *l* Saul unum jam annum, quem privatus egerat à ſua electione expleviſſe, ac tunc primùm Regni adminiſtrationem inchoaſſe: *Poſt Annum*, inquit, *à ſua electione, regnare cœpit.* Huic conſentit Eucherius: *m Uno Anno* inquit, *poſtquam Rex electus eſt à Samuele, in domeſtica domo ſedens, diſſimulavit ſe eſſe Regem; reliquis duobus Annis publicè judicavit omnem Iſraelem, tenens obedientiam cum humilitate.* Quod & venerabilis Bedæ confirmat opinio: *n Poſtquam* inquit, *electus eſt Saul, & oleo ſancto perunctus in Regem, toto anno primò humilis, & privato ſimilis manſit, nec Regio habitu indui, cæteraque Regni inſignia curavit.* Sed cùm conſtet celebre illud prælium contra Ammonitas, Anno primo Regni ſui Saulem feliciter confeciſſe, hac, aliâve expoſitione omiſsâ, veram ac genuinam communi Doctorum, ac SS. Patrum conſenſu, hanc eſſe comperio: *Filius unius anni erat Saul*, non ætate, ſed probitate, *cùm regnare cœpiſſet.* Ita expreſſit Chaldæus interpres: *Sicut Filius unius anni, in quo non ſunt culpæ, Saul erat, quando regnavit*, ſubſcripſit Abulenſis: *o Filius unius anni, &c.* id eſt *quando ſumptus eſt in Regem, erat unius anni, id eſt innocens & bonus, ſicut puer unius anni*, ut Gregorius, *p* Hieronymus, *q* Auguſtinus, *r* Rupertus, Theodoretus, *t* celeberrimi Eccleſiæ Patres. Damianus *v* & Hugo Cardinalis exponunt. Saul

f Pſalm. 89. g Reg. 13. h D. Anſelmus. i Hieron. Rupert. Hugo Cardin. k Damian. l. 2. Epiſt. 20. in ordine 41. Hugo Carthuſ. hic.

l Genebrardus. m Eucherius. n V. Beda. Lib. 1. Reg. c. 11. o Abulenſis hic. p Greg. hic. q Hierom. in quæſt. hebraicæ. r Auguſt. lib. 7. loquutionum in Iudices. ſ Rupertus hic, & lib. 2. in Apoc. c. 2. t Theodoret. quæſt. 28, v Damian. lib. 2. Epiſt. 20. Hugo hic.

itaque

itaque in hac velut parvuli integritate & innocentia, *duobus annis regnavit ſuper Iſrael.* Cumque ipſo Apoſtoli teſtimonio Act. 3. v. 21. quadraginta Annos Saul regnaſſe perhibeatur, manifeſtò concluditur, Annos vitæ in ſcelere, & iniquitate traductos, apud Deum in ſacris litteris non computati, ſed pro *nihilo* haberi: quod ſcitè obſervavit D. Gregorius, dicens: *Licet multis Annis regnaverit Saul; illis ſolis regnaſſe dicitur, in quibus innocens, ac humilis fuiſſe perhibetur.* Unde ſic ad mores excurrit: *Illo ergo ſolùm tempore nos vixiſſe gaudeamus, quo innocenter & humiliter viximus. Nam illa tempora, quæ in ſæculi vanitate, & fluxa carnis vita conſumpſimus, quaſi perdita, minimè memorantur.* Hoc etiam Ethnici in nocte gentilitatis ſapuerunt: tempore Adriani Imperatoris fuit vir quidam *Similius* nomine, qui ut refert Dio Caſſius, x præfecturam invitus ſuſcepit, libens depoſuit, ac tandem in ſuburbanum ſecedens, ſeptem Annos (quod fuit reliquum vitæ) curis omnibus ſolutus, altiora animo agitando, quietè traduxit; atque hæc moriens ſepulchro inſcribi juſſit: *Similius hìc jacet, cujus ætas quidem multorum Annorum fuit; ſeptem dumtaxat Annis vixit*; quaſi reliquos negotiis ſæcularibus, & publicis rerum mundanarum occupationibus, pro *nihilo* Annos illos duceret; hos verò paucos, & ſolos, ſibi, ac animo excolendo impenſos, ſe vixiſſe judicaret, & dictitaret. At quam funebrem inſcriptionem ſepulchro? quod epitaphium tumbæ hominis Chriſtiani, v. g. avari inſcribemus? qui plurimas horas, dies & menſes, & Annos, in fluxis opibus congregandis inſumpſit? aut quod ambitioſi, in honoribus, in titulis, officiis, dignitatibus aucupandis per omnem vitam intenti? quódve aſotis, ac luxurioſis adoleſcentibus? aut vanis & mundanis mulierculis, quorum optima vitæ pars, tot candidi dies & noctes in ludis, in poculis, in pravis conſortiis, laſcivis ſermonibus, fœdis libidinibus conſumitur: quarum plurimæ diei horæ ad fragile cryſtallum pectendo, criſpando, calamiſtrando, ceruſſando, vanitatibus, & inſaniis falſis impenduntur: quarum flos juventæ per longas & lubricas in multam noctem procationes marceſcit, & per laſcivos amaſios defloreſcit? quibus omnibus nè ſemel in hebdomada, ſemihora in ſacrificio Miſſæ audiendo; vel unicus de die quadrans conſcientiæ excutiendæ, imò ne momentum de Deo cogitando, niſi fortè paucis diebus, aut horis ante mortem ſuperfuit. Non aliud profectò illis Epitaphium, quàm gentilis illius Similii exarari poſſe videtur. Aut potius illud Regii vatis: y *Defecerunt in vanitate dies eorum, & Anni eorum cum feſtinatione.* Omnes dies defecerunt, & inaniter ſine fructu conſumpti ſunt feſtinanter, quia ut inquit Euſebius: z *In vanitate dies ſuos conſumentis, Anni tranſeunt feſtinanter; ſed dies ejus, qui in luce ac bonis operibus eos expendit, minimè deficiunt, ſed* PLENI *ſunt.* Vel, ſi lubet, illud ab eodem Propheta petitum, eorum tumulis inſcribendum: *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur*, id eſt *reputabuntur*, *quia laborioſi ſunt, & tamen inutiles,*

x Dio Caſſius in vita Adriani.

y Pſalm 77. v. 33. z Euſeb. in catena apud Corderium in Pſalm 77.

quia laborioſi ſunt, & tamen inutiles, & vani, ut Anni araneæ. Hîc Hugo Cardinalis, *b* quem hîc ad mores aptiſſimè diſſerentem, & Annos in vanitatibus conſumptos, ſimiles telis aranearum docentem audite. 1. *Aranea facit telam ſubtilem, & inutilem. Sic aſtutia mundi.* Iſaiæ 19. *confundentur texentes ſubtilia.* Quales illi qui Annos conſumunt in ſubtili, & inutili ſtudio: vel aſtuti & verſuti in technis, & fraudibus texendis, ut alios capiant, & irretiant, quibus ipſi miſere implicantur. 2. *Aranea ſeſe eviſcerat; ſic avari.* Eccl. 10. *c Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam: Hic enim in vita ſua projicit intima ſua;* quia ilia & exta, præ fame tabeſcunt, & ut opes conquirat, vitam & animam exponit, & perdit. 3. *Aranea multum laborat, & citò diſſipatur opus ejus; ſic in tali homine.* Job 8. *Sicut tela aranearum fiducia ejus;* quæ omninò fragilis, & labilis. 4. *Aranea tabeſcit, cùm tela ſua rumpitur. In tales* Pſalm 38. *tabeſcere feciſti, ſicut araneam, animam ejus.* Haud aliter dolore tabeſcent viri potentes, ubi omnia fila cogitationum, & negotiorum ſuorum rumpi; & mulierculæ technas, ac tæniam vanitatis infringi viderint. 5. *Ejus tela citò rumpitur, ſic vita iſtorum.* Iſaiæ 38. *dum adhuc ordirer, ſuccidit me.* Dum divitiis creſcere, honoribus aſcendere, ætate, ac forma floreſcere incipiunt, mors vitæ telam ſuccidit, & omnes dies, & Annos præteritos, pro nihilo fuiſſe ſerò explorant, & deplorant: *d Quia telas aranearum texuerunt; opera eorum opera inutilia.* 6. *Item rupta, non reſui poteſt; ſic poſt mortem non poſſunt facere pœnitentiam;* nec perditos vitæ dies, & Annos vacuos reſtaurare, quos in opus frivolum & inutile, nec minus laborioſum & difficilium nugarum pleniſſimum conſumpſerunt: in quo dies & noctes ordiendo & texendo, caſſo labore, mens aſſiduò fatigatur. *e* Hinc tenduntur cogitationum fila tenuia, & in orbem, atque in gyrum ægri capitis conſilia nectuntur, cor exſuccum, & exenteratum langueſcit: muſcæ captantur, jámque ſpe, & exſpectatione devorantur, cùm modicus venti adverſi flatus, inanem illam paraturam, ſubtilium textum cogitationum, vana molimina, perennium vigiliarum mæandros, ſolicitudinum plexus, illam denique araneæ meditationem, ut pompam quandam imbecillitatis humanæ ſubitò frangit, & evertit: nec quidquam *f habeat, ſervetque ſepulchro:* Tunc etenim manifeſtò patebit, quàm multos dies vacuos, & Annos pro nihilo, futili ac inutili labore conſumpſerit, & quam brevi tempore vixerit. Unde utiliter & ſalubriter monet Auguſtinus: *g Vir ille ineffabiliter mirabilis, & incomparabiliter honorandus,* qui hæc non copioſè, ſed nervoſè effatus eſt, Epiſt. ad Paulinum:

> *h Vive precor; ſed vive Deo, nam vivere mundo,*
> *Mortis opus; una eſt, vivere, vita Deo.*

Pluribus veſtrûm, exiſtimem minus exploratum, cur S. Jacobus dicatur *major*, & alter *minor*, qui

b Hugo Cardin. hic. c Pina in Eccl. hic. d Iſaiæ 59. 5.

e Cordier hic. f Virg. lib. 4. Æneid. g S. Proſper. Epiſt. ad Aug. ante lib. de prædeſt. h Aug. Ep. 16. ad Paulin. i Perard. feſto S. Iacobi major.

qui fuit Epiſcopus Hieroſolymitanus, & frater Domini appellatus. Erátne iſte potentiâ, opulentiâ, ſcientiâ *major*? minimè. An fortè ætate provectior, & natu *major?* imò *minor* illo ſenior. Quare igitur hic *major* nuncupatur? quia licet junior Annis in ſæculo, ſenior erat in ſervitio Chriſti, in ſchola tanti Magiſtri; quod tempus rectè ac rite impenſum, nos verè majores, ſeniores, venerabiliores, & ſanctiores reddit. Hoc edocuit annoſus & pius ſenex Barlaam. Adierat hic Principem Joſaphat, ut cum eo de ſalute, de religione, de Deo ageret. Quæſivit ex eo Princeps, quot eſſet Annorum? reſpondit ille: k *Annos, ni fallor, quinque & quadraginta natus ſum.* Rurſus miranti juveni, qui eum ſeptuagenario majorem ex oris habitu, veneranda canitie, rugoſa facie, & fronte contracta judicabat: *Si Annos,* inquit, *meos ab ipſo vitæ ortu nôſſe quæris, rectè ſanè eos pluſquam ſeptuaginta eſſe conjeciſti; at mihi quidem nullo omnino modo inter vitæ Annos cenſentur, qui in hujus mundi vanitate conſumpti ſunt.* Ex iis quadraginta quinque, quibus Deo vixi, dumtaxat cenſeo, alios omninò non computo: quos enim mundo dedi, non ſunt Anni vitæ, ſed mortis: non ii ſunt dies pleni, ſed vacui. Nunc vos compello viros, mulieres ſeptuagenario, octogenario majores, cujus ætatis eſtis; *Qui in hujus mundi vanitate*, plurimos Annos conſumpſiſtis? num Deo, ac felici æternitati, 45. imo 30. 20 10. vel unum, verè vos vixiſſe computare poteſtis? Rem ediſſeret Euſebius Emiſſenus, ſeu potiùs Eucherius Lugdunenſis, dum ait: l *Non te fallat, quicumque ille es, numerus dierum,* ob quem non præficieris apud Deum junioribus: nam ſi putes illum diu vixiſſe, qui multos dies & Annos computat, falleris: m *Non eſt,* inquit Seneca, *quod quemquam propter canos putes diu vixiſſe, non ille diu vixit, ſed diu fuit.* Ille tepidus Religioſus, ille leviculus ſacerdos, illa garrula monialis, illa vana, & vaga filia devota, illa mundana vidua, ille litigioſus conjux, *non diu vixit* in in ſuo ſtatu; ſed *diu fuit.* Quemadmodum non multum navigavit; ſed multum jactatus eſt, quem tempeſtas diu à portu, & felici curſu, à patria detentum, ſæpe eadem ſpatia relegere coëgit. Nec multum itineris confeciſſe dicitur, qui multos dies, & menſes errabundus, aut palabundus trivit, & parùm vitæ confecit. Quæ eſt ergo, inquiet aliquis, vera vita, & apud Deum computanda, ac in rationes æternitatis referenda? non alia, quàm vita ſecundùm dictamen rationis, ſecundùm virtutem & exigentiam ſtatus tui tranſacta. Principis Philoſophorum pronuntiatum eſt: n *Vivere, bene agere eſt.* Tùm ergo, ex ejus placito vixiſti, illoſque vitæ dies numerare potes, quando præcepta Dei, aut conſilia ſervaſti: quando opera ad Dei gloriam direxiſti, quando paſſionibus imperaſti: quando exercitia pietatis charitatis, juſtitiæ, miſericordiæ obiviſti: *Illum,* ait, *diem applica ad vitam tuam, cujus uſus pervenit ad animam tuam.* Hanc veritatem

k Damaſcenus in vita.

l Eucherius hom. 9. ad Monach. m Seneca lib. de brevit. vitæ c. 8. n Ariſt. l. 5. Ethic. c. 8.

edocere voluit purpuratus vates, dum ſic Deum precatur: *o Intellectum da mihi, & vivam*; Domine hanc mihi elargire illuminantem gratiam, ut curram viam mandatorum tuorum, ut intelligam judicia tua, & declinem vias pravas, *& vivam*. Vel ut D. Hieronymus, aliíque interpretes: *p* doce me vivere non inanem & falſam, ſeu ementitam vitam, brutorum vitæ ſimilem; ſed homine dignam, honeſtam, ac beatam. Quod verè vivere eſt. Ut rectè Mediolanenſis Antiſtes, in illud: *q Juſtus in ſenectute bona vivit. Non dixit longa, ſed bona; quia juſtus benè ſeneſcit; injuſtorum autem nemo, quamvis cornicibbus vivacibus* (quæ novem ſæculis vivere feruntur) *diuturniore vita vixerit: nam diu vivere, commune ſapientibus, atque inſipientibus; benè autem vivere, ſpeciale ſapienti*, hoc eſt juſto. Ætas etenim hominis non Annis, ſed virtutibus metienda eſt, quod ſapienter Sapiens pronuntiavit: *Senectus venerabilis eſt non diuturna, neque Annorum numero computata*; ſed *ætas ſenectutis, vita immaculata*, dies pleni, & Anni feraces bonorum operum, jejuniis, eleëmoſynis, orationibus, aliisque exercitiis traducti: Quod magnificè D. Ambroſius deprædicat: *r Verè ſenectus illa venerabilis, quæ non canis, ſed meritis albeſcit: Ea enim eſt reverenda canities, quæ eſt canities animæ, in canis cogitationibus, & operibus effulgens: quæ eſt enim veræ ætas ſenectutis, niſi vita immaculata? quæ non diebus, aut menſibus ſed ſæculis propagatur, cui ſine fine eſt diuturnitas, ſine debilitate longævitas*, quos manet felix æternitas, & æterna felicitas. Unde illis depontanis ſenibus Romanus Philoſophus meritò ruborem incutit, qui de veneranda ſua canitie, ac ætate provecta gloriantur: *t nihil*, inquit, *turpius eſt quàm grandis natu ſenex, qui nullum aliud habet argumentum, quo ſe probet diu vixiſſe, præter ætatem*; ſic terra *rudis, indigeſtáque moles* gloriari poſſet, ſéque ſoli ac ſtellis, ceteríſque animalibus, ipſique homini ad imaginem Dei creato præferre, quia tempore prior exſtitit: Et ovum pullo perfectius, atque ſenex aſinus, juveni ingenioſo ac litterato antecellere deberet, ut idem Doctor ingenioſè pertractat. Quod quàm abſurdum, & abſonum ſit, idem Doctor hiſce rationibus evincit: *x In principio creavit Deus cœlum & terram. Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. y Ergò cùm vides ſolem* (quarto die creatum) *attende terram, quæ antea fundata eſt: attende herbam fœni, quæ præſtat ordinis privilegio: attende ligna, quæ priora luminibus cœli eſſe cœperunt. Numquid merita fœni majora, quàm Solis? aut nunquid potior ligni prærogativa? abſit, ut inſenſibilia tanto mundi præferamus miniſtro.* Stultum eſt opinari, terram, fœnum, ligna, præſtantiora eſſe ſole, atque ipſo homine, quoniam ortu priora. Sic in domo Dei parum facit veniſſe ante alios, ubi is majoris æſtimatur, qui meritis & virtutibus antecellit, quorum major ratio habetur quàm ætatis. Idem argumentum proſequitur Seneca: *z Longa eſt vita, ſi plena* eſt.

o Pſalm. 118. v. 144. p Hieron. Euthym. Niceph. hic apud Lorin. q Ambroſ. lib. 2. de Abraham. cap. 9. Gen, 25. r Sap. 4. v. 8. ſ Ambroſ. 60.

t Seneca lib. de tranquil. animi c. 3. Ovid. lib. 1. metam. x Gen. 11. y Ambroſ. lib. 4. hexam, c. 4.

eſt. Quid illum ſexaginta anni juvant per inertiam acti? non vixit ille, ſed in via moratus eſt: nec ſerò mortuus eſt, ſed diu. At ille obiit viridis; ſed officia boni civis, boni amici, boni filii executus eſt; in nulla parte ceſſavit: licet ejus ætas imperfecta ſit, vita perfecta eſt. Alius octoginta Annis vixit; imò octoginta Annis fuit: niſi forte ſic vixiſſe eum dicas, quomodo dicuntur arbores vivere, & marmora; aut ſaxa. Sic Doctor Aſceticus monachos ac moniales perſtringit, qui *a numerant Annos religionis, ſed non converſionis*; jactant ſe à ſenioribus eſſe; hic ſe ſeniorem concionatorem, procuratorem, æditnum, profeſſum, jubilarium. In curia quis ſe ſeniorem Syndicum, cauſidicum, Senatorem, ceteris præferendum putat: In facultate litteraria ſenior fiſcus, Baccalaureus, Licentiatus, Doctor, ceteris junioribus antecellit; cùm interim *Senectus venerabilis, non Annorum numero computata*. Hieronymus: *Nec numero Annorum æſtimabilis*. Quo fit, ut religioſus tiro, juvenis monachus, ac monialis: junior ſcholaſticus, cauſidicus, Senator, ſeniores vitæ licentioris, fervore ſpiritus, vitæ probitate, Anníſque omni innocentiâ ac ſanctimoniâ tranſactis, longè antecellat. Nam ut verè Richardus Victorinus: *Melior eſt ſenectus morum, quàm Annorum: meritorum, quàm temporum*. Plures teneræ virgunculæ, decrepitas ſuperarunt anus. Agnes puellula tredecennis diu vixit, quia *perfecta eſt ætas, ubi perfecta eſt virtus*. De ea ſtylo nectare & ambroſia manante, ſic loquitur Ambroſius: *c Corpore juvencula; ſed animo cana: devotio ſupra ætatem, virtus ſupra naturam. Magiſterium virtutis implevit, quæ præjudicium habebat ætatis*. Ceſſent vetulæ luſtra decem jactare in cœnobio exacta, & juvenculas, primitias ſpiritus habentes, ac divino amore ferventes deſpicere; in cujuſmodi aptè, & verè cadit illud, licet gentilis Philoſophi: *Vides aniculam gloriari ſenectute longa; quis illam ferre potuiſſet, ſi contigiſſet centeſimum explere? quomodo fabula, ſic vita: non quamdiu, ſed quàm benè acta ſit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas. Quocumque voles deſine, tantum bonam clauſulam impone*. Ut rectè cócludit Ambroſius: *e Non ergo ætas rejicitur florentior, ubi morum eſt ſenecta. Theclam non ſenecta, ſed virtus probavit*. Sic & multos jubilarios ſenes, Joannes teneris ab annis in deſerto, Aloſius Staniſlaus in religioſo tirocinio, virtutum præſtantiâ, ac vitæ ſanctimonia multis paraſangis ſuperarunt. Hos ſi ferventi ſtudio æmulari niteremur, ceſſaret amariſſima illa melliflui Doctoris querela: *f O quàm multos ſenes, & judices Iſrael turpiter vitam ſuam negligentes, Rex Babylonis in terra captivitatis & confuſionis poſſidet! Et quàm multi juvenes ſpiritu ferventes, Domino ſervientes vim faciunt cœlo, totiſque viribus ſibi diripiunt illud! utinam talium præconia juvenum, noſtri imitarentur ſenes, ut annoſa redderet ſenecta, quod tenera fert*

z Seneca Epiſt. 93. a Thomas à Kempis de imitat. Chriſti. b Richard. Victorin. Tract. de different. ſacrificii Abrahæ & Mariæ.

c Ambroſ. in funere Theod. Idem lib. de virgin. d Seneca Epiſt. 77.
e Ambr. lib. 3. de velandis virgin.
f Bernard. lib. de formula bene vivendi.

ſponte adoleſcentia! tum in exemplum inducit juvenem illum Chriſto dilectum, dicens: *Adoleſcentem legimus Joannem, quamvis nulli ſeniorum fuerit ſecundus: erat enim in eo ſenectus venerabilis morum, & cana prudentia virtutum omnium.* Unde non eſt quod quis canos ſuos, aut aniles rugas jactet, & præ junioribus efferat, cùm illud dumtaxat diſcrimen inter eum qui tenera, & ſenem, qui devexa ætate moritur, ponat Hieronymus; quod hic vitam ſeniter & inerter in multam ſenectam prorogando, ligna peccatorum coacervet, quibus diutius crucietur: g *Inter eum*, inquit, *qui decem vixit Annos, & eum qui mille, poſtquam idem vitæ finis advenerit, tranſactum eſt tantundem; niſi quod ſenex magis onuſtus peccatorum faſce proficiſcitur*; juvenis verò qui ſervatâ primâ & illibatâ innocentiâ, ac juventute piè exactâ, vix delibatis piacularibus flammis, rectà in cœlum evolvet. Adferam hujus rei exemplum, de quodam tirone noſtro, Neapoli defuncto a. 1584. h Is erat Gulielmus Elfinſthonius, patria Scotus, ſanguine, & ingenio, & virtute admodum nobilis. Cùm penè Adoleſcens, nondum integro menſe, poſtquam in Societatem noſtram admiſſus eſſet, in lethalem febrim incidiſſet, incredibilem ſemper alacritatem & vultu, & verbis, & factis ipſis præ ſe tulit, cùm ſatiari non poſſet, Deo gratiis agendis, quod in Religione moreretur. Extremo autem fermè ſpiritu, cum Fratres in cubiculum confertim introeuntes videret, in hanc ipſam vocem erupit: *O glorioſam*, inquit, *mortem, tot Angelorum agminibus conſtipatam*! quin etiam ingenti, atque inſolito elatus gaudio: *non videtis*, inquit, *non videtis Angelos?* ſimúlque Angelum ſuum Cuſtodem compellans, aliquamdiu cum eo collocutus eſt, quaſi eum oculis aſpiceret; à quo ſibi deinde denunciatum narravit: *ſe purgatorii quidem loca tranſiturum, ſed celerrimè evolaturum, & ad gaudia Paradiſi perducendum*: ibi obviam ei futurum *Ignatium*, qui eum coram Sanctiſſima ſiſteret Trinitate. Quærente autem neſcio quo, qua ſpecie, & qua forma is Angelus eſſet? Adoleſcentem quendam, qui tum aderat, indicavit, cui ſimillimum eſſe dixit. Mox etiam dulcedine quadam, mixtóque fervore, ita completa eſt anima, ut corpus ipſum licet gravitate morbi, & mortis propinquitate fractum, tamen inſolitis motibus ſuper lectulum quaſi exiliens, & geſtiens agitaretur cum omnium admiratione, qui nunquam ſimile aliquid viderant. Simul etiam oculos retrò poſt cervical, cum magna quadam exultatione reflectens, ac neſcio quæ, quæ à nullo percipi potuêre, ſubmurmurans, indicabat ſe aliquid ibi ſpectare, quo majorem in modum oblectaretur. Inter quæ gaudia repente conſiſtens, tanquam placidiſſimo ſomno conſopitus, ſpiritum exhalavit. Addit, Lancicius: novi ego illum adoleſcentem, cui ſuum Angelum Cuſtodem eſſe ſimilem Elfinſthonius dixerat, eúmque in matura virili ætate Romæ concionantem

g Hieron. epiſt. 3. ad Heliodor. de epita. Nepotian. h Platus de bono ſtatus Rel. l. 1. c. 31. Litt. annuæ. 1584. pag. 93. Lancic. opuſc. 1. c. 6. n. 89.

tem adhuc pulcherrimam faciem præ ſe ferentem audivi. Si hic necdum unius menſis tiro, tam ferventer, tam integrè, & immaculatè, juventutis ſuæ Annos peregit, ut purgatorii flammas perniciter pervolârit, non habent ſanè ſenes, quod in multitudine dierum, & Annorum glorientur; quos per inertiam, ſocordiam, aut licentiorem vitam traduxerunt; cùm aurea ſit illa divæ Scholaſticæ ſententia, omnium Scholaſticorum calculo comprobata: *Dies unus bene impenſus obſequio Dei, plus valet, quam milliones Annorum ad obtinendum univerſum mundum.* Menſis unus, Anni pauci in ſervitio Dei, in vita monaſtica, ſpiritu ferventi religiosè tranſacti, plus valent, quam octoginta, centum, imò milliones Annorum, quos longævi ſenes in otio, in commodis propriis, ſenſualitatibus, & concupiſcentiis ſectandis inſumpſerint. Quo de argumento veriſſimè Bernardus pronuntiavit: *i Nec dicimus ullam ætatem, Dei gratiæ præmaturam: meliores bonæ indolis adoleſcentes, inveteratis dierum malorum.* De ejuſmodi porrò ſenibus, ſapientiſſimus mortalium, divino ſpiritu afflatus rectè pronuntiavit: *k Siquidem longæ vitæ erunt,* IN NIHILUM *computabuntur, & ſine honore erit noviſſima ſenectus illorum.* Quare cùm hac fauſta, feſtâque Anni exorientis luce, apud omnes populos & nationes receptum ſit, multos vitæ Annos, Annos Neſtoris, Annos Pylii ſenis, feliciter amicis apprecari; quos tamen ex voto ſuo conferre, aut certò condicere non valent; ego vobis hodie longos & multos Annos, non ſolum apprecabor; ſed quo pacto illos quamvis vita brevis, plurimos numerare & adipiſci poſſitis, paucis ediſſeram. quod fiet, *l ſi dies pleni* bonorum operum *inveniantur in eis,* qui ſoli pondus habent, & *numerantur in menſibus* Anni. Facit hîc quod narrat Plinius, Thraces conſueviſſe, ſingulos vitæ dies, prout erant proſperi, lucroſi, felices; vel contrà, adverſi, damnoſi, infauſti, candidis aut nigris calculis notare; Eúmque in fine vitæ feliciorem cenſebant, apud quem plures candidos; illum infeliciorem, apud quem plures nigros reperiſſent. De hac conſuetudine ſicait: *m Alius de alio judicat dies; & tamen ſupremus de omnibus, ideóque nullis credendum eſt. Heu vana & imprupens diligentia!* NUMERUS DIERUM COMPUTATUR, UBI QUÆRITUR PONDUS; Uti in nummis aureis & argenteis, quibus ſi quid deraſum, juſtum pondus non habent: quod & in omnibus operibus noſtris deprehendemus, illic quid deraſum à Sacrificio, ab officio divino, à conſuetis precibus, exercitiis charitatis, & *quæritur pondus,* quod in diebus, aut menſibus vacuis non reperitur; uti contingit illis, qui ſimiles ſunt fæminæ iſti, de qua Apoc. 3. *n quæ in deliciis eſt mulier, vivens mortua eſt, &* PLENA NON SUNT OPERA EIUS; quia Cœleſti gratia va-

i Bernard. epiſt. 42. k Sap. 3. v. 27.

l Pſal. 72. v. 10. Iob. 3. v. 6. m Plinius. n Apoc. 3.

cua. Unde nec dies, nec menſes, nec Anni, qui gratia, meritis, virtutibus vacui, computantur; idipſum ex ſacris litteris manifeſtum eſt; ubi Sanctorum dumtaxat virorum Anni computantur, non malorum, ut Cain, Lamech, Iſmael, Eſau, Abſolon. De Salomone verò ſcriptura ait: *o Dies quos regnavit Salomon in Jeruſalem ſuper omnem Iſraël, quadraginta Anni ſunt*; & tamen Joſephus: *p Salomon*, inquit, *jam admodum ſenex moritur, exactis Regni Annis octoginta*. Conciliat in rem noſtram, utrumque Theodoretus: *q exiſtimo*, inquit, *hunc quidem* (id eſt Joſephum) *ſimul numeraſſe omnes annos; illum autem* (auctorem hiſtoriæ Regum) *eos ſolos, quos tranſegit in pietate, ac vera Religione*, Reliqui dies & Anni in vacuum, & pro nihilo habiti ſunt. Huſſæus vates natalem ſuum execratur, quo gratiâ vacuus, labe originali reſperſus erat: *r pereat*, inquit, *dies in qua natus ſum: dies illa vertatur in tenebras, occupet eam caligo, & involvatur amaritudine*: NON COMPUTETUR IN DIEBUS ANNI, NEC NUMERETUR IN MENSIBUS. Si Jobus diei, qua in peccato natus eſt, tam dura imprecatur, & ex omnibus faſtis eradi velit; quantò dutiora debet homo diei imprecari, quo in lethale peccatum lapſus eſt; pereat profectò hic dies, atque iterum pereat, & de numero dierum expungatur. Appoſitè in hanc rem D. Eucherius: *ſ Illum diem vixiſſe te computa, quem non malitia, non invidia, non ſuperbia commaculavit; qui peccato non ceſſit, qui diabolo repugnavit.* Quem autem vel malitia, vel invidia, vel ſuperbia, vel aliud quodvis ſcelus infecerit, illum ne computa, nec recenſe inter vitæ tuæ dies: non enim ille in divinis Faſtis reperiendus eſt. Quod ſi dies in quo quis peccat, de numero dierum deleri debeat; quotnam dies erunt vitæ veſtræ, ubi nulli, aut pauci ſine ſcelere traducti? Hoc ergo agite, ſi longævi, ſi *pleni dierum* mori velitis, ut *dies pleni inveniantur in vobis*; id eſt, *non vacui, nec ſine fructu*; ſed ut Euthymius exponit, *a pleni operibus virtutum*: ſic enim fit, ut quis plures dies plenos uno Anno, quam alter 10 aut 20 Annis computando, diutiùs illo vixiſſe mercatur. Magno Alexandro vox digna; quem cum ſui per omnem amicitiam obteſtarentur, ne in primævo vitæ flore, præſenti ſe periculo exponeret, reſpondit: *b ego qui non Annos, ſed victorias numero, ſi munera fortunæ bene computo, diu vixi.* ſic mercator, qui nullam horam, nullum diem ſine lucro abire paſſus eſt, plúſque uno Anno, quam alter 30 lucratus! dicere poterit: *Ego qui non Annos* ſed divitias, ſed lucrum, & cenſus annuos computo; qui liberis meis, aliquot centena, aut millena in Annos ſingulos teſtamento relinquo, *diu vixi*. Idem de Religioſis, temporis ac lucri Spiritualis maximè avaris, ſenſit Bernardus, dicens: *c Multos juniorum videmus ſuper ſenes intelligere, moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, & quod*

o 3 Reg. 11. p Ioſephus l. 8. antiq. c. 3. q Theodoret. q. 37. in 3. Reg. r Iob 3. v. 3. v. 6. ſ Eucherius hom. 9. ad monachos.

a Euthym. hom. in Pſal. 72. b Curtius l. 9. c Bern. Epiſt 42. ad Henric. Senon Epiſcop.

ætati

ætati deeſt, compenſare virtutibus: qui profectò ſenioribus nil niſi canam barbam & larvam præferentibus, loco, officio, honore, dignitate anteponendi ſunt, quod Philo Judæus notat Eſſenos ſpectâſſe, & obſervaſſe, ut honorem in ſedendo & locum digniorem, non annis ſed meritis, ac vitæ contemplativæ maximè ſtudioſis conferrent: *d nec enim*, inquit, *ſeniores ex annis exiſtimant; ſed quantumlibet grandævos habent pro pueris, ſi ſerò inſtitutum hoc complexi ſunt. Honorem verò ſenectutis tribuunt his, qui exercuerunt ſe à juventute in hac pulcherrima divinaque parte contemplativæ Philoſophiæ.* Tales ſunt non modo Religioſi, ſed & ſæculares, quorum *e dies pleni inveniuntur*, id eſt interprete Lorino, quorum dies felices, & æterni non effluxerint, nec vacui abierint; ſed ratione fructus & meriti, bonorúmque operum perſeverant; qui illud Simonidis uſurpare poſſent, qui rogatus quot Annos vixiſſet? Reſpondit: *f Tempus quidem exiguum; Annos autem multos.* Idem ſenſit de magno illo Patriarcha Abraham Philo, quem Hieronymus Platonem Chriſtianum compellat: *g Hunc*, inquit, *Divina oracula primum nominant ſeniorem, quamvis majores ejus, triplo & amplius longæviores fuerint: quorum neminem legimus hâc appellatione dignum habitum. Et meritò; nam revera ſenior, non ex longitudine temporis, ſed ex laudata vita ſpectatur. Siquidem qui multum ætatis in corpore vixerunt ſine probitate, longævi pueri dicendi ſunt; quia nunquam diſciplinas attigerunt dignas canitie. Amator autem prudentiæ* (addo ego & juſtitiæ, temperantiæ, pietatis, ac timoris Domini) *juſtè ſenior, ſive primus vocari poteſt.* Unde concludit: *itaque ſenior & primus, vir bonus dicendus eſt: omnis autem malus, extremus & noviſſimus, ut novator & tractans res extremi ordinis.* Philonem ſecutus D. Anacletus, & Origines hom. 4 in Geneſim, de Abrahamo, & Sara agens: *h quantum* inquit *ad ætatem corporis pertinet, multi ante ipſos numeroſioribus Annis duxerant vitam; nemo tamen presbyter* (hoc eſt ſenex) *appellatus eſt: unde videtur nomen hoc Sanctis, non longævitatis ratione, ſed maturitatis adſcribi.* Ex quibus fontibus hanc interpretationem hauſiſſe videtur Hieronymus, & conjuges longævos ſalubriter commonere: *i Diligenter attendo in ſcripturis, ubi primum legerim ſenectutem. Adam nongentis triginta annis vixit; & tamen ſenex non dicitur. Mathuſalem nongentis ſexaginta novem Annis vixit; & ſenex non dicitur, venio uſque ad diluvium, & poſt diluvium per Annos fere tria millia, & nullum invenio, qui dictus eſt Senex. Primus Abraham Senex dicitur. Et certò multo minoris ætatis fuit quàm Mathuſalem; ſed propterta dicitur ſenex, quoniam* SENECTUS IN MISERICORDIA UBERI; hoc eſt bonis charitatis, & miſericordiæ operibus abundans, uti & Saræ conjugis; unde Sacer textus: *k Erant ambo ſenes,*

d Philo de vita contemplat. e Pſal. 72. v. 10. Lorinus hic. f Stobæus. ſerm. 96. g Gen. 2. 4. Phil. lib. de Abraham ſeu de legibus non ſcriptis ſub finem.

h Anacletus 1. epiſt. 1. Origenes hom. 4. in Gen. i Hieron. in Pſal. 9. n. 11. Senectus mea in miſericordia uberi. k Gen. 18. n. 11.

nes, provectæque ætatis, qui omnium primi in Scriptura, ſenes appellantur. Quis niſi inſanus, inveteratos illos ſenes dierum malorum, Danieli, Juveni integertimo, ingenioſiſſimo, Spiritu Dei pleno, præponendos, & audiendos arbitrabitur? De quo ſuaviſſimus hic D. Ambroſii ſermo promanavit: l *Daniel cum puer eſſet, accepit Spiritum, quo dignus ſenectutis primitiis haberetur, ut redargueret ſenes: ipſe non ſenior longævitate, ſed gratia: Erat enim in illo ætas ſenectutis, vita immaculata, non Annorum numero computata.* Sic etiam humanitùs fieri videmus, ut pueri ac juvenes, quandoque ingenio, prudentia, virtute præcoces, ipſos capulares ſenes exſuperent, juxta illud Perſii:

> m *Sunt, quibus ingenium, & rerum prudentia velox,*
> *Ante pilos venit.*

Et Ovidius de arte, lib. 1.

> *Cæſaribus virtus, contigit ante diem.*

De eo laudat Aſcanium Maro. lib. 9. Æneid.

> *Ante Annos, animumque gerens, curámque virilem.*

Unde Neſtor apud Homerum Iliade 9, dicebat Diomedem inter Argivos Reges, *natu minimum, conſilio maximum.* Quod & Romani non ignorabant, ætatem 20 Annorum, aptam gerendo conſulatui interdum, ex lege definientes; ut oſtenderent, inquit Tullius: n *Virtutis curſum celeriorem eſſe poſſe, quam ætatis.* Caneſcebant illi ſalaces ſenes, ſed conſcientia redarguente, Danieli puero dicunt: o *veni, & ſede in medio noſtrum, & indica nobis: quia tibi Deus dedit* HONOREM SENECTUTIS. Cedunt puero virtutibus ſeneſcenti, vitiis repueraſcentes ſenes, quique per malitiam in puerilem jam amentiam delirârant, ut disertè D. Baſilius: p *Differt is, qui ætate puer eſt, ab eo qui mente infans eſt: cana enim prudentia, homines ſenes facit, magis quàm albedo capillorum. Si quis enim ſit, ut ſapienti Daniel placet, juvenis quidem corpore, prudentia verò canus, æquius ſanè eſt, ut ei major honor tribuatur, quàm illis, qui pravo judicio, corporis canitiem anteponunt.* Hæc in ſua ſacra eremo Hieronymus expendens; ac modeſtiſſimè de ſe ſentiens, ſic ad Paulinum ſcribit: q *Noli frater chariſſime, Annorum nos æſtimare numero: Nam Daniel adhuc puer, longævos judicat, atque impudicos ſenes ætas laſciva condemnat. Noli, inquam, fidem penſare temporibus, nec me idcirco meliorem putes, quod prior in Chriſti exercitu cœperim militare: Paulus Apoſtolus, & vas electionis, de perſecutore mutatus, noviſſimus in ordine, primus in meritis eſt: quia extremus licet, plus omnibus laboravit.* Habent igitur ſenes & anus quod erubeſcant, & confundantur, juvenes ſibi non loco, officio, dignitate; non ætate ſed maturitate morum, vitæ in-

k Gen. 18. n, 11. l Amb. ſer. 2. in pſal. 118. m Perſius Sat. 4.

n Cicero Philip. 5. o Daniel 13. v. 50. p v. Ramirer ſtemmata Soct. pag. 473. q Hieron. Epiſt. 13. al Paulinum.

integritate, probitate, ac ſanctitate præcellere, de quibus Iſaias vaticinatus eſt: *r Puer centum Annorum morietur*; quomodo, inquies, puer, ſi centum Annorum? Ex Solis, Lunæque curſu, centum vixit Annos, eóque ſenex eſt; at quia hic totius vitæ curſu, in una & continua noxæ lethalis nocte confectus eſt, quia *menſes* meritis *vacui*, quia *ſ non dies pleni inveniuntur in eis*, dies inanes, & vacui fuêre, quia pueriles amores & mores non exuit, non plus ſecum ad judicium meriti, quàm puer unius Anni, aut duorum Annorum deferet, ô dies quàm multi numero, quàm inæſtimabiles pretio, quàm celeres tempore, vacui tranſierunt! Tot dies trivi in infantia futiliter: tot dies conſumpſi in pueritia inutiliter: tot dies expendi in adoleſcentia negligenter: tot dies exegi in juventute turpiter: tot dies alacer & hilariter traduxi in conviviis helluando, in popinis potando, in ſphæriſteriis ludendo, in lecto dormitando, in Theatris ſpectando, in foro otiando, in cœno & luto peccatorum volutando. Ex quibus omnibus, non unus dies in Cœli faſtis referendus, aut in menſibus Anni numerandus eſt. Quod quàm indignum, graphicè exaggerat Maſſilienſis Antiſtes, agens de excidio Trevirenſi: *Lugubre eſt referre quæ vidimus, ſenes honoratos, decrepitos Chriſtianos, imminente jam admodum excidio Civitatis, gulæ ac laſciviæ ſervientes. Quid primùm accuſandum eſt, quod honorati? an quod ſenes? an quod Chriſtiani? an quod periclitantes? Quis enim hoc fieri poſſe credat, vel in ſecuritate à ſenibus? vel in diſcrimine à pueris, vel unquam à Chriſtianis?* iíſque honoratis ſenioribus? Mures, qui auctore Plinio *v*, inter omnia animalia nihil diſcunt, cùm domus, quam inhabitant, futuram ruinam ſentiunt, tum matura fuga, præſenti ſe periculo ſubducere ſolent, ut obſervat Elianus: *x cum domus aliqua conſenuit, & ruinam minatur, mures primi ſentiunt, & relictis ſuis cavernis, & priſtinis habitationibus, quantum contendere pedibus poſſunt, fugiunt, aliúdque domicilium quærunt.* O pudorem! O hominum ſummam inconſiderantiam! O ſtolidiſſimam amentiam! præſenti ſcitis ſenectute imminere corporis, & *x domus hujus terreſtris reſolutionem*; neque hoc temporis, firmiorem illam, hoc eſt Cœleſtem, non manufactam, ſed æternam quæritis. Quid, quod nidos veſtros luxuriæ, & horrea avaritiæ, jam jam deſerenda, adhuc incolitis? nec theſauros ubi fur non appropiat, cogitatis? Quam dementiam non ferendam, ſic perſtringit Auguſtinus *z*: *Nonne in frigidis ſenibus avaritia ad acquirendum tantò ferventius inardeſcit, quantò citius relictura eſt, quod acquirit? mirabilis ſanè dementia! gravioribus enim ſe ſarcinis onerare feſtinat, cum pervenerit, quo tendebat.* Quod vitium adeò execrandum, ipſi Gentiles vix capere potuerunt. Cato certè ille ſapiens ſic diſſe-

r Iſa 65. ſ Pſal. 72. t Salvianus lib. 5. de Provid.

v Plin. lib. 10. cap. 45. x Elianus lib. 1. pag. 3. y 2. Cor. 5. 5. z Aug. ſermon. 46. de temp.

rit: *a Avaritia ſenilis quid ſibi velit, non intelligo: poteſt enim quiddam eſſe abſurdius, quam quò minus viæ reſtat, eo plus viatici quærere?* Tempus eſt ut ad vos non mea, ſed aurea Chryſologi convertatur oratio: *b Vivamus Deo paululum, qui ſæculo viximus totum; dedimus corpori Annum, demus animæ paucos dies; tempus eſt ut aliquando domui tuæ provideas.* Tempus quod vitæ ſupereſt, 10, 12, 20 Annorum, Deo, animæ ac æternitati beatæ impendamus; qui optimam & maximam vitæ partem, corporis commodis, voluptatibus, ac rebus fluxis & caducis, in vacuum impendimus. *c Nulla ætas ad perdiſcendum ſera eſt. Erubeſcat ſenectus quæ ſe emendare non poteſt. Non annorum canities eſt laudanda, ſed morum. Nullus pudor eſt ad meliora tranſire. Quare vivamus paululum Deo*, paululum, quia ex hîc ſtantibus intra paucos Annos, imò menſes, bivium illud diſparis æternitatis ingreſſuri ſunt, & nox illos occupabit, in qua non poterunt operari. Quemadmodum ſeni iſti inveterato dierum accidit, qui dies, menſes, Annos vacuos jure numerare poterat, de quo paucis ab hinc Annis ad nos plurimorum litteris delatum eſt. *d* Senex erat octogenario major, vir opulentus, homo durus, & qui plurimos oppreſſerat. E morbo cum periclitari cœpiſſet, monitus ſæpius à ſuis, ut animæ conſuleret, & conſcientiam jam Annis triginta neglectam, confeſſione ſalutari purgaret, tempusque deperditum, & Annos, qui pro nihilo fluxerant, redimeret. Quibus ille reſpondit, necdum eò periculi deventum, facturum ſe quod erat officii, ubi præſens inſtaret neceſſitas. Urgent amici, etiamnum inſtare, agi de vita, de ſalute, de æternitate. Importunis eorum precibus, monitíſque tandem annuit æger, conſenſítque ut evocentur duo Religioſi, quos ipſi probaſſent. Dùm itur, & curritur, ecce adſunt duo habitu ut videbatur Religioſo; ad infirmum vocatos ſe ajunt, admittuntur illicò, & ſine teſte, & ſine arbitro relinquuntur. Interea adveniunt alii duo in eadem veſte, viri verè Religioſi, qui & ipſi admitti poſtulant. Attoniti domeſtici, ajunt duos alios jam intromiſſos, etiamnum eſſe cum ægro. Mirari hi, & aſſerere nullos alios è ſua domo evocatos, nullos adeſſe poſſe. Contrà domeſtici reipſa adveniſſe, & adeſſe; interea per aulam inambulant hi, tandémque pertæſi longioris moræ, cubiculum ſubeunt, unà cum domeſticis, de hero anxiis: Et ecce neque perſonatos illos Confeſſarios reperiunt, neque ægrum in rectulo; ſed tantùm cubiculi parietes aſperſos recenti, multóque ſanguine; & fumum ac flammas ex imo lecti furentes. Evolarant nimirum, quos pro nihilo habuerat, tot dies, menſes, anni, atque illuc corpore & animo abreptus eſt, ubi *e tempus non erit amplius.* Nulla ſpes ampliùs obtinendi bravii, decurſum eſt ſtadium: nec referendæ Coronæ, confectum eſt bellum: nec comparandi merces, finitæ ſunt nun-

a Cic. de ſeneɛt. b Chryſolog. ſerm. 12. c Amb. ep. 12. ad Valentinianum Imp. d Lobbetius dom. 5. poſt Pent. ſect. 5.

e Apoc. 10.

dinæ: nec intrandi Cœlum, clauſa eſt janua: *Tempus non erit amplius.* Numquam mihi poſt hac Sol orietur, ut pro ſalute negotier: nulla deinceps mihi elucеſcet dies, qua pro æternitate laborem: nullum indulgebitur momentum, quo ſalutem operari queam. *Tempus non erit amplius:* fuit tempus quando unico oris verbo, cordis gemitu, manus planctu, pedis greſſu, oculi ſtillicidio, operari poteram æternum gloriæ pondus; ſed nunc *tempus non erit amplius* jubilæi, pietatis, miſericordiæ, gratiæ, favoris, amicitiæ cum Deo. Si modò ſub pedibus noſtris terra decederet, ingentíque hiatu, ac voragine ad ipſos uſque illetabiles inferorum receſſus ſeſe aperiret, ſic, ut ipſorum ejulatus, auribus poſſemus haurire; Ecquænam voces ex illo igneo ſpecu, & horrifico æternitatis antro reſonarent? non alias ab hoc inveterato dierum malorum & Annorum ſilicernio, qui vivus in inferno ſepultus eſt, quam illas ipſas, cum omni damnatorum turba, quas Jeremias hoc ſuo oraculo expreſſit, audiremus: *f tranſiit meſſis, finita eſt æſtas, & nos ſalvati non ſumus.* Quæ cum ita ſint, ne ulli veſtrum hic Annus adeò inauſpicatus contingat, infert infallibilem Doctor gentium concluſionem: *g Ergo dùm tempus habemus, operemur bonum;* dies, & menſes vacuos, bonorum operum cumulo adimpleamus. Ergo dum tempus habemus, *h Annos quibus vidimus*, & fecimus *mala*, qui *pro nihilo habentur*, hoc Anno reſtaurare nitamur. *Ergo dum tempus habemus*, clamemus ad Dominum, & Annos deperditos lugeamus, iſtud Bernardi potiori jure quam ipſe, uſurpantes: *i De mea miſera vita, ſuſcipe obſecro reſiduum Annorum meorum; pro his verò, quos vivendo perdidi, quia perditè vixi, cor contritum & humiliatum ne deſpicias.*

Quin & viris Religioſis, ac Sanctimonialibus uſui, & ſolatio eſſe poterit praxis, qua pro delictis, ignorantiis, negligentiis in Religione contractis, non modò brevi ſatisfacere; ſed divina quadam metamorphoſi, ea inaurare, & in cumulum meritorum referre queant; ſi nempe per merita Chriſti, iis ſibi ignoſci ardenter poſtulârint.

Ita eveniſſe legimus S. Gertrudi Virgini *k*, quæ ſecundo feſto Paſchæ, cùm ſeſe ad ſacram Synaxim compararet, Chriſtum Sponſum, per chariſſimum ſanctiſſimi Corporis, quod nobis in ara reliquit pignus, obnixè precata eſt, ut omnes iniquitates, defectus, ignorantias, negligentias in vita Religioſa commiſſas, non recordaretur amplius. Ad hæc à Chriſto uſa erat in habitu religioſo, rapta eſt in cœlum, ſtititque eam Patri ſuo cœleſti; hæc autem veſtis, videbatur ex tot laciniis & centonibus conſuta, quot Annos in Religione exegerat: Erátque adeò expanſa, ut ne ruga, vel plica in ea appareret. Quódque magis in hoc myſterio obſtupeſcas: in quaque laſcinia cujuſque Anni, omnes dies, & horæ: omnia dicta,

f Jerem. c. 8. g ad Galat. 6. h Pſal. 89. v. 15.

i Bern. ſer. 20. in cant. k In vita, lib. 4. cap. 28.

facta,

facta, cogitata, intentiones, affectus, motus, minutiſſima quæque expreſſa cernebantur; at ubi filius Dei apud Patrem pro ea peroravit, & pretium vitæ ac ſanguinis ſui obtulit, derepentè veſtis illa, laminâ aureâ, pellucidâ inſtar cryſtalli, cooperta fuit: per quam omnes defectus, & negligentiæ diſtinctè relucebant, & beatis mentibus miro ſplendore patebant.

Quo amabili & mirabili prodigio Religioſæ animæ excitari debent, ut de præteritis culpis non modò veniam; ſed & inſuper auctiorem gratiam, & majorem gloriam ex meritis Chriſti ſibi ſtudiosè, & religiosè conquirant.

§. II.

Quâ ratione damna vitæ præteritæ, & Annos deperditos, qui pro nihilo habentur, recuperare poßimus, REDIMENTES TEMPUS. *Ad Epheſ. 5.*

APoſtolus Epheſios non modò ad rem difficilem, ſed ut prima fronte patet, ad impoſſibilem hortatur, dum ait: *l Videte fratres quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes*, REDIMENTES TEMPUS, *quoniam dies mali ſunt.* Ubi quis jure phraſim illam *redimendi tempus*, ut planè exoticam admiretur; cùm redimere, ſit rem alienatam, occupatámque, pretio recipere, quod communi hominum calculo, tempori adverſatur. Etenim *m fugit irreparabile tempus*; non ſecus ac ſagitta, quæ nervo emiſſa, fertur celerrimè, voláque irrevocabilis, etſi millies jam in filium, aut propinquum fortuitò incidentem, retinere exoptes. Conſimile eſt illud:

n Nec quæ præteriit, rurſus revocabitur unda:
Nec quæ præteriit, hora redire poteſt.

Suffragatur his authoritas, qua major non eſt in terris: variis quippe de rerum ſuarum jactura apud ſanctiſſimum Dominum Clementem VIII. conquerentibus, reſpondiſſe fertur: *o Eam jacturam rei, graviſſimam eſſe, quæ ſemel amiſſa recuperari non poteſt, eámque eſſe* TEMPORIS. Si veſtis ſciſſa eſt reparari poteſt: domus incenſa eſt, reedificari poteſt: exercitus cæſus eſt, novis copiis reſtaurari poteſt: civitas perdita eſt, recuperari poteſt. Lis abjudicata eſt, appellari, & evinci poteſt, ut eleganter in re ſeria luſit Poëta.

Damna fleo rerum; ſed plus fleo damna dierum:
Rex poterit rebus ſuccurrere, nemo diebus.

Congruit his dictum venerabilis ſenis, qui ut refert B. Dorotheus

l Ad Epheſ. 5. 16.

m Virg. 1. Georg. n Ovid. lib. 6. faſt. o Beyerlinck Apophteg. tit. Tempus.

theus, dicebat: p *Aurum vel argentum ſi amiſerit homo, poſſe eum idipſum vel tantundem recuperare; tempus autem ſi pereat, nec ipſum amiſſum, nec aliud pro eo poſſe aliquando reſtaurari.* Nihilominus hodierna die, veriſſimam Pauli ſententiam comprobabo, & qua ratione vos viri ſenes, vos annoſæ mulieres, qui horas, dies, menſes, annos perdidiſtis, conſumpſiſtis, combuſſiſtis, redimere & recuperare valeatis (quæ praxis utiliſſima, & ſaluti veſtræ unicè neceſſaria) demonſtrabo. Doctor Angelicus, qui Paulum meruit habere magiſtrum, ſic illum locum ad Epheſios 5. exponit: q *Contingit quandóque quod aliquis per magnum tempus vitæ vivit in peccato, & hoc eſt tempus perditum. Sed quomodo redimet, cùm homo non ſufficiat ad debita perſolvenda? reſpondeo: dicendum eſt, quod tantò magis debet vacare operibus bonis, quantò prius inſtitit malis.* Plures ac præcipuos vitæ dies, in virtutis ſtudium impendendo, quos in flagitiis conſumpſimus; aucto ſubinde virtutum cenſu, deperditum tempus redimendo, & duplicatis bonis operibus, omiſſas virtutum actiones reſtaurando. Quod fiet, ſi quoties ſacrum præceptis diebus audire, aut jejunium, aliáque pietatis opera ſervare neglexeris, toties nunc conduplicato jejunio, Sacro, aliiſque ſanctis occupationibus, jacturam illam compenſare coneris: ſi divitias, quas pauperi denegaſti, & in uſus profanos, & ſceleratos perdidiſti, nunc duplicato nummo ſubſtracto tuis deliciis, neceſſitati pauperum erogare contendis: quótque horas potando, ſcortando, laſciviendo perdidiſti, duplò plures pœnitendo, & flendo, redimere ſatagas. Diſertè id expreſſit Sanctus Anſelmus: r *Tempus redimimus,* inquit, *quando anteactam vitam, quam laſciviendo perdidimus, flendo reparamus: Dum enim malè agimus, tempus in quo benè operari debemus, amittimus. Sed damnum temporis redimimus, ſi ita vitam commendamus, ut ea bona, quæ olim facere neglleximus, & ea quæ nunc facere debemus, faciamus.* Hoc eſt, tempus redimere, & rapinam Deo reddere; ea videlicet bona, quæ olim facere omiſimus, & ea quæ nunc facere præcipimur, ſimul perficere, atque exemplo Apoſtoli, ad ſ *ea, quæ ſunt priora extendentis* & diſtendentis ſeipſum, novas vires ad duplicatos virtutum actus exercendos exerere. Præluxit hic nobis Jonas Propheta, qui à facie Domini fugerat, quò injunctum ſibi concionandi munus declinaret; ſed ab illo correptus, ac denuò ad Ninive concionator miſſus, obſequii tarditatem, promptitudine, & alacritate compenſavit. Sic enim Jonæ cap. 3. v. 3. t *Ninive erat civitas magna itinere trium dierum, & cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius.* Sed quid opus erat ad Prophetæ prædicationem, & pœnitentiam deſcribendam, tum Ninive magnitudinem, tum quot in ea percurrenda dies inſumpſerit, indicare? cauſam eleganter ſubdit Hieronymus, ut & ſic nobis innoteſceret, moram, qua

p Dorotheus Doct. II. q S. Thom. in Epiſt. ad Epheſ. c. 5.

r S. Anſelm. in Epiſt. ad Epheſ. cit. Cornel. ſ Ad Philip. 3. t Jonæ 3.

præ-

præceptum Domini prævaricatus fuerat, pernicitate incredibili compenſaſſe, dum Urbem itineris triduani, uno die velut pervolavit: Doctorem maximum audite: v *At ille præcepti, & ſuperioris naufragii memor, viam trium dierum, unius diei feſtinatione complevit.* Expende illud: *Præcepti, & ſuperioris naufragii memor*; ut præcedentia damna, & interpoſitas divinis juſſis remoras, ea feſtinatione redimeret; ſeſe extendens, & grandioribus ſolito paſſibus, virtutis viam percurrens, ut ea quæ olim facere neglexerat, & ea quæ nunc facere debebat, perficeret. Quod Jonas, hoc & nos. Si fortè cum illo fugimus à facie Domini, ſi mandatis ejus non paruimus, ſi ab inobedientia, & peccato naufragium fecimus, nunc præcepti & mandati probè memores, compenſare ſtudeamus, & inſigni animi contentione, nisúque, tantum una die virtutis, & meriti acquiramus, quantum alias tribus; ſic & ipſi tempus redimemus, ut ille cecinit:

x *Ampliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus*; hoc eſt
Vivere bis, vita poſſe priore frui:

Columen ac lumen Eccleſiæ Auguſtinus, aſſerit eum tempus redimere, qui illud negotiis ſæcularibus ſubtrahit, & tribuit Deo, divinísque occupationibus: y *Quando*, inquit, *aliquis tibi infert litem, perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus; id enim quod perdis, pretium eſt temporis: ſicut enim das nummos, & panem emis, aut vinum, aut oleum, aut lignum, aut aliquam ſupellectilem das, & accipis: aliquid amittis, & aliquid accipis, hoc eſt emere. Sic perde nummos, ut emas tibi quietem, id eſt, tempus vacandi Deo: hoc eſt* ENIM TEMPUS REDIMERE. Utitur hic S. Doctor duplici ſimilitudine, ut rem illam, qua de agitur, quaſi oculis, ac ſenſibus ſupponat. Prima, lis tibi eſt, ut eam redimas, aliquid perdis, & litem redemiſti. Secunda, das nummos, & panem emis, ſicque acquiris aliquid, & aliquid amittis: Ex quo conficit, ut tempus redimas, aliquid perdendum tibi, aliquid temporale, ut acquiras æternale; aliquid terreſtre, ut acquiras cœleſte: aliquid corporale, ut acquiras ſpirituale. Quantum temporis liti inſtruendæ, alius villæ excolendæ, alter mercaturæ exercendæ, plerique otioſis, utinam non laſcivis fabulis, prolixis conviviis tribuêre! quantum pigro in multam lucem ſomno abſumptum! ſubtrahe jam illis portionem aliquam, *perde aliquid, ut Deo vaces*, ut orationi vaces, ut verbo Dei vaces, ut conſcientiæ diſcutiendæ vaces, ut epulo divinæ menſæ vaces: Hoc ENIM EST TEMPUS REDIMERE, Unde alibi ſic diſſerit z QUID EST TEMPUS REDIMERE? *niſi cùm opus eſt, etiam detrimento corporalium commodorum, ad æterna quærenda & capeſſenda, ſpatia temporis comparare.* Natura vocat ad ſomnum, vocat & corpuſculi cura; ſubtrahe illi aliquid, & da orationi, da examini conſcientiæ, &

v Hieronym. in c. 3. Ionæ v. 3. x Martialis lib. 10. Epig. 22. y Auguſt. Serm. 24. de verb. Apoſt.

z Auguſt. hom. 1. ex. 50.

tempus redemiſti. Aura ſerenior invitat ad ambulandum, detrahe ambulationi aliquid, & da veſperis audiendis, aut concioni, aut cætui Mariano frequentando, *& tempus redemiſti*: vocatio tua, & vitæ ſtatus, te ducit ad officinam, ad diſtrahendas per diem merces, ad commercium ultrò citròque: ſubtrahe mediam horulam, ut ſacrum audias, *& tempus redemiſti.* Fortuna tibi cenſus annuos dedit, & arcas tuas auro argentóve replevit; ex illis aliquid ſubtrahe, quod pauperibus dones, *& tempus redemiſti.* Denique ut paucis omnia complectar, temporale aliquid amitte, ut æterna acquiras, *& tempus redemiſti.* Sic fecit ille homo militaris, qui Antwerpiæ in noſocomiæ lecto affixus, cùm ſenſim contabeſceret, ſalubriter à P. Hermanno Spruyt, viro Societatis noſtræ Apoſtolico commonitus, ut indies corollam Marianam perſolveret; ſe nunquam per omnem vitam illud penſum perſolviſſe, nec modum, quo recitandum, ſe ſcire ingenuè faſſus eſt; pluribus tandem ad cultum Deiparæ inflammatus, ſciſcitatus eſt, ſi per biennium lenta illa tabe decumberet, quot indies Roſaria ſibi perſolvenda eſſent, quæ numero æquarent omnes vitæ dies, quibus illo pio exercitio neglecto vixerat. Reſpondit ille, cùm jam ſexagenarius eſſet, & Annus 365. dies, ſexaginta verò Anni, dies 21900. complecterentur; 30. Roſaria in dies ſingulos biennio toto recitanda; cum numerus 30. Roſariorum in dies per biennium, adæquet præcisè numerum omnium dierum 60. Annorum quibus vixerat, id eſt, 21900. Quo expleto biennio è vivis exceſſit & tot Roſaria perſolvit, atque ſi per omnem vitam indies penſum Marianum perſolviſſet; ſicque dies malos, & inertia exactos, in bonos, ſanctóſque convertit, tempúſque perditum pio fœnore redemit. D. Hieronymus eruditè eum Apoſtoli locum explicat: cenſet enim tempus, cùm à Deo hominibus datum ſit, ut bonis operibus ſerviat, ab eiſdem quaſi captivum teneri, cùm in malis operibus inſumitur; ideoque per bona opera redimendum, atque ex captivitate diuturna, in libertatem quodammodo vindicandum: ſic enim inquit: a *Quando tempus in bono conſumimus, emimus illud, & proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat; ſicque dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præſentis ſæculi, ſed futuri.* Stupendo id ſanè exemplo effecit mulier Japonenſis, b quæ ad fidem Chriſtianam ſub Annum 1622. converſa, quotidie JESU & MARIÆ nomina toties ingeminabat, quoties nomen idoli, id eſt 14000. invocare conſueverat; ad hoc bene manè ab Angelo ſuo Tutelari, uti ante à malo dæmone excitari ſolebat. Audiat & obaudiat, qui tempus ipſum hoſtibus ſuis, mundo, carni, dæmoni, ceu malis mercatoribus vendiderit, & illico redimere ſatagat, hoc eſt, præterita damna, fervore reſarciat, & tantum unico die ſpiritualis lucri acquirat, quantùm aliàs tribus, vel pluribus, hoc enim interprete Magno Gregorio eſt tempus redimere

a Hier. in Ep. ad Epheſ. 5. Cornel. hic. b Litteræ Societ. IESV An. 1622. P. Suffren.

dimere: c *Quia ſe erraſſe à Deo conſiderant, damna præterita, lucris ſequentibus compenſant.* Solatium id ingens peccatoribus raròaccidere, *ut noviſſimi fiant primi.* Noviſſima certè fuit Samaritana, noviſſima Magdalena, noviſſima Maria Ægyptiaca, & aliæ innumeræ, de quibus præclarè *d* Raynaudus noſter. Beatam Margaritam de Cortona induxiſſe ſufficiat, quæ egregia forma, ſed peſſima fama, vanam & lubricam omnem propè vitam duxerat, vagis thoris asſueta, & longo concubinatu infamis; fœtido tandem, ac vermibus corroſo amaſii ſui cadavere objecto, ad Deum converſa, ordini S. Franciſci ſeſe mancipavit, atque, ut prædixerat dominabus, cultum ejus vanum carpentibus, in magnam ſanctam brevi evaſit: tanto enim dolore, & Chriſti amore præterita peccata deflebat, ut ſæpiſſimè vocem & ſpiritum amitteret, ſæpiſſimè è recordatione ſcelerum mori timeretur. Quid, quod radices oculorum viderentur ſuis orbibus erui, ſanguineas lacrymas profundendo: Inedia, flagellis, pugnis, alapis, corpus adeò excarnificabat, ut caro naturaliter candida, penitus livida appareret; Novaculam ſibi comparârat, qua parata erat, niſi Confeſſarius obſtitiſſet, ſibi nares, & labia præſcindere, ut formam, qua in ſæculo alios ad peccatum pellexerat, deturparet. Continuatis gemitibus, & lachrimis, diebus octo totius vitæ confeſſionem inſtituit, omnium, quæ cœlitus illi exhibita, peccatorum; ac tandem audivit Chriſtum dicētem ſibi: *Ego, Filia te abſolvo abomnibus offenſis tuis, quasegiſti cogitatione, locutione, & operatione, à tua nativitatis exordio, uſque nunc.* Eámque confirmans in gratia, addidit: *Tibi confirmo gratiam, quam petiſti, ne unquam mortaliter me offendas.* Alia ſtupendæ ſanctitatis argumenta, fusè apud vitæ Scriptores videre eſt: uti & de actis, ac illuſtri Martyrio Samaritanæ apud Cornelium. Adumbrari hujuſmodi mihi videor per mulierem illam, quæ plures annos infirmitatem paſſa, ad Chriſtum ultima acceſſit, & primò curata eſt, ut refertur *Matth. 9.* Quo in eventu obſervat Chryſoſtomus, quod prior Princeps acceſſerit ad Chriſtum pro incolumitate, & ſalutem nihilominus ante conſecuta eſt Hæmorrhoiſſa: *Cùm ultima veniſſet*, inquit, *prima curata receſſit: nam etſi ægritudine tardabatur; fidei tamen voluntate volabat.* Quæ ergo meritis & ferventi fide, ac amore; eadem quoque gratia apud Deum præibat, qui non tempus ſpectat, ſed merita. Ita brevis pœnitentia, & fervens dolor, multorum Annorum flagitia expiare, & multorum dierum tepidum in aliis dolorem, æquare poteſt. Mortuus eſt in Ægypto Magnus ille Patriarcha Jacob: & *e flevit eum Ægyptus ſeptuaginta diebus.* Abierunt Joſeph, & cæteri Filii ſuperſtites in terram Chanaan, ſepelieruntque Patrem, *f & celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi, impleverunt ſeptem dies.* S. Auguſtinus acutè adnotavit, quod filii Jacob ſolos ſeptem, Ægyptii totos ſeptuaginta dies plorando exe-

c Greg. hom. 34. in Evang. Matth. 20. d V. Raynaudum Mariam Ægypt. Bollandus 22. Febr.

e Gen. 60. f v. 10.

exegerint, dicens: *g Numerum in luctu Jacob decuplaverunt Ægyptii, qui eum ſeptuaginta diebus luxerunt.* Anfortè major fuit charitas Ægyptiorum erga advenam, quam liberorum erga parentem! minimè; ſed indicare voluit Moyſes, inquit Nyſſenus, *h* æſtimari luctum non à longitudine temporis; ſed ab vehementia, & intenſione doloris, atque ideo dixiſſe Ægyptios ſimpliciter fleviſſe 70. dies: filios autem Jacob *planctu magno, atque vehementi, ſeptem dies* ploraſſe, qui illos 70. multum exſuperabant; atque ita fieri poſſe, ut qui ad operandum ſumma contentione utitur, & omnes vires expromit, plus efficiat ſeptiduo, quàm alius ignavus & languidus ſeptennio; quo *fiant noviſſimi primi.* Noviſſimus Publicanus, noviſſimus Zachæus, noviſſimus Filius prodigus, noviſſimus Latro. Qui etiam Judam, diu ſub diſciplina mitis humiliſque Magiſtri verſatum, nimium quantum antecelluêre: ſic etenim Hieronymus: *i Judas, qui quondam audierat: tu autem homo, qui mecum dulces capiebas cibos, dux meus, & notus meus, in domo Dei ambulavimus cum conſenſu, proditor amici, & Magiſtri Salvatoris arguitur voce:*

Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.

E contrario, latro crucem mutat paradiſo, & facit homicidii pœnam Martyrium. Qua ratione, & graviſſimos peccatores, & inveteratos dierum malorum reſipiſcere poſſe, tradit Doctor Angelicus, dicens: *k* Poteſt *eſſe quod ex fervore recuperent rem, prius amiſſam, ut legitur de Latrone.* Poſtremus ac noviſſimus poſt Chriſti mortem, converſus eſt Paulus, de quo ſupra diximus: *l* P*aulus Apoſtolus noviſſimus in ordine, primus in meritis eſt: quia extremus licet, plus omnibus laboravit.* Hoc eſt, quod inſigni parabola de laborantibus in vinea Dominus declaravit, non majorem mercedem recepiſſe eos, qui diutius laborârunt; ſed eos intenſione, & fervore operis adæquaſſe, & ſuperaſſe, qui ultima hora venerant, & unica dumtaxat deſudârunt. Hinc rectè ſubditur: *m Sic erunt noviſſimi primi,* ubi S. Thomas: *non incredibiliter poteſt quis arbitrari hunc noviſſimum eſſe Apoſtolum, quia una hora operatus eſt,* & tamen dicit *n plus omnibus laboraſſe.* Quantumvis quis vitam omnem uſque ad decrepitam ætatem in variis flagitiis exegerit, & computruerit in ſtercore ſuo, ſpes eſt, ſi velit, & reſipiſcat ut noviſſimus primus fiat. Etenim *o ut mane noſtrum pueritia eſt: hora tertia, adoleſcentia intelligi poteſt: nona autem ſenectus intelligitur: undecima verò ea ætas, quæ decrepita vocatur;* hæc tamen aurea Chryſoſtomi ſententia eſt: *p Compoſita eſt hæc Parabola, ut eos avidiores faceret, qui in ultima ſenectute convertuntur: ne exiſtimarent ſe minus aliquid habituros,* quàm qui à prima ætate in vinea Domini languidiùs laborarunt. Qua de re præclara exſtat hiſtoria de ſene quodam Lutheranæ factionis Miniſtro, *q* qui Anno 1575. (is Jubilæus fuit) non tam devotione, quàm curioſitate quadam viſendi Roma-

g Aug. q. 196. in Gen. h Iacob. Nyſſ. Dom. 16. poſt Pent. §. 4. i Hieron. Ep. 13. ad Paulin. k S. Th. Matth. c 20.

l Hier. cit. in Matt. 20. v. 16. S. Th. in cat. n Matt 20. Greg. hom. 19. o S. Th. in cat. cit. p S. Chr. h. 65. apud S. Th. cit. q Florimund. Rem. de orig. hær. l. 4. c. 13.

nam.

nam illam Babylonem, Anno illo confuſionis (ſic Jubilæum, & Urbem ſanctam compellabat) ubi populi Religionem ad limina Apoſtolorum, aliáſque Baſilicas advertit, atque in ſumma æde Principis Apoſtolorum ritus ac ceremonias ſummo Pontifice faciente, adſtantibus Cardinalibus, & affuſis Legatis, ac Prælatis, attonitus contemplatus eſſet, illico mutatus in virum alterum, cum lacrymis ac ſingultibus ad pedes Pontificis affluxit, errores ſuos palàm deteſtatus, Cardinalibus traditus inſtruendus, ritè abſolutus, ſanctóque Euchariſtiæ pabulo munitus, cùm æſtu ardentiſſimo, & fervore animi ſummo, loca ſacra viſitaſſet, in morbum incidit, & in Xenodochium S. Spiritus delatus poſt triduum animam Deo reddidit, unicè ſe gaudere dictitans, quod poſt tot, tantáſque tenebras, in domo Domini lux ſibi oborta eſſet, póſtque innumera pericula, ad portum ſalutis, in extremo vitę termino appuliſſet. Ejus audita morte Pontifex, ſublatis in cœlum oculis in hæc verba cum Apoſtolo prorupit: r *O altitudo ſapientiæ! quam multi miſeri peccatores vel in deſertum, vel in Monaſterium ſe conferunt, ut peccata ſua, diuturna vitæ auſteritate eluant; & hic tantus peccator* TRIBUS DUMTAXAT DIEBUS, *vera animi contritione, peccatorum remiſſionem & Paradiſum promeruit, & miſericordiam conſecutus eſt*; ut fuſiùs alibi enarravimus. Ita *fieri poteſt, quod ex fervore recuperant rem prius amiſſam*, tempus amiſſum, gratiam amiſſam, gloriam amiſſam. Nec eſt quod quis animos abjiciat, quod deſperet, qui in ſervitio Dei, in domo Domini, vitam prope omnem in otio, & ſegnitia, tempus omne in tepore & torpore conſumpſit; medium & remedium ſuppetit D. Hieronymus ſ, quo plurimos vitæ Annos in omni licentia, ſenſualitate, libertate, inertia & tepore exactos, quis brevi temporis fervore, & ardore ſpiritus reſtaurare queat; dum ſic multa paucis: *Subitus calor, longum teporem vincit.* Aureæ huic ſententiæ fidem adſtruet, quod ex Patre Lancicio t, viro doctrinæ & ſanctitatis fama claro, ſubjungo. Extat Romæ Monaſterium turris Speculorum appellatum, pluribus quàm centum è prima Romana nobilitate virginibus refertum, & magnę probitatis famâ, eáque non vulgari celeberrimum, *à ſancta Franciſca Romana* fundatum, Ordinis ſancti Benedicti. In hoc Monaſterio, Anno 1626. vixit ex nobilibus orta parentibus virgo, *Maria Bonaventura*, inſigni ſpecie corporis, & raro ingenii acumine, ac judicio prædita, aſtrorum cognitione, & ſcribendorum Italicè verſuum peritiâ ornata, & ob generoſitatem animi, ac morum ſuavitatem cum eximiâ prudentiâ conjunctam, omnibus valde chara; ſed ſpiritualibus rebus, ac perſonis parum addicta, nedicam ab iis abhorrens, & lætis converſationibus cum domeſticis, & ſæcularibus, plus æquo dedita. Hæc cùm caſu quodam mihi, inquit Lancicius (quem paſſim fugiebat) confiteri cœpiſſet, viderémque in ea indo-

r Lux Euang. p. 2. Dom. 9. 1. poſt Pent.

ſ S. Hieron. Epiſt. de Inſtit. monaſt. & Epiſt. ad Paulin. t Lancicius opuſc. ſpirit. 6. c. 22.

indolem naturæ ad præclara quæque aptiſſimam, traditurus ſuperiorum juſſu, multis in eo monaſterio monialibus ſpiritualia exercitia, ſuaſi *Mariæ Bonaventuræ*, ut iis ipſa quoque ſe ſineret excoli. Reſtitit initio, & cum cachinno quodam conſilium meum rejecit. Tandem aliis quoque monialibus ſuadentibus, manus dedit; valde tamen repugnante natura, quam ut vinceret (quemadmodum ipſa mihi poſteà dixit) pro Dei amore, ea ut ipſi quoque traderem, me rogavit: atque ut cognoſcas, quod v *ſubitus calor longum teporem vincat*, primo die, cum per horas aliquot, ſummâ mentis attentione, in prima meditatione, fundamenti, ac finis, ad quem creata erat, excellentiam ponderâſſet, & mediorum ſibi cœlitùs conceſſorum, & à ſe neglectorum multitudinem, & efficaciam ad conſecutionem hujus finis, deplorato imprimis tam ſegni & inerti tot beneficiorum abuſu, & medicorum neglectu, ruminâſſet, tanto derepente lumine & fervore divinitus ſe repletam ſenſit, ut generoſiſſimè ſtatuerit, perfectiſſimam vitæ rationem, ab anteactâ planè diverſam amplecti, atque omne tempus futiliter, & inutiliter deperditum, inſigni fervore ſpiritus reſtaurare: Tùm ſtabilitâ coram Deo hac reſolutione, illo ipſo die, hunc animi ſenſum, & meditationis ſucceſſum mihi aperuit, his verbis: *Pater, non oportet amplius jocari cum Deo: agnovi quid à me velit Deus, quid nolit. Volo tota eſſe Dei, & totis viribus conari, ut ob majorem Dei Gloriam, ſine ulla mora, Sancta evadam, & non qualiſcumque; ſed magna, & cito.* Inde ſe læta in cubile ſuum recipiens, re cum nullo communicata, pulcherrimo, quo ſolebat (non fœmineam, ſed virilem elegantiſſimi Scriptoris manum referente) charactere, hanc ſui oblationem fecit poſt mortem primùm repertam. *Ego Maria Bonaventura, ſerva indigniſſima Crucifixi, qui motus infinita ſua pietate, dignatus eſt hoc die veneris quarto Martii* 1626. *dum exercitia facio, dare mihi tantum robur, poſt multas & infinitas inſpirationes, quibus ingrata ſemper reſtiti, convicta tandem à divina gratia, in conſpectu Sanctiſſimæ Trinitatis, Beatæ Virginis, meæ Matris, Sanctæ Franciſcæ, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ meæ peculiaris advocatæ, & totius curiæ Cœleſtis, propono tibi & offero Jeſu, ſponſe animæ meæ, à me infinities offenſe, numquam amplius tradendi affectum ulli creaturæ extra Deum, ubi agnovero intercedere offenſam, & tui ſervitii remoram: quod deſidero, & obire,* CUM MAXIMO QUO POTERO FERVORE, *adjuta divina gratia tua, ſine qua cognoſco, me ne quidem unam cogitationem poſſe dirigere ad Cœlum. Et hanc oblationem Deus meus, & propoſitum, quod facio, avellendi me à rebus omnibus, quæ me poſſunt à tuo ſancto elongare ſervitio, tam libenter facio, ut ſi poſt mea obſequia, tota vita mea impenſa tibi, volueris me detrudere ad infernum, ero contentiſſima, dummodo in me tua ſanctiſſima voluntas adimpleatur. Quocirca ſcripturam hanc meam, meæ propriæ manus, tibi dono & conſigno Jeſu Creator, & animæ meæ Redemptor, eámque in tuo ſanctiſſimo latere depono, rogans per precioſiſſima merita ſanguinis tui, ut mihi condones omnia peccata mea; nec permittas dilecte Deus meus, te unquam à me am*

v Hieron. cit.

amplius offendi, cum amplius non ſim mea, ſed tota tua. Amen. Quo verò fructu, & animi ardore, per decem dies in hiſce ſpiritualibus exercitiis perrexerit, ex effectu, & mirabili vitæ ejus, ex vana, tepida ac languida, in ferventiſſimam, ac ſanctiſſimam converſione, patebit; propoſita hæc fecit, & ad amuſſim ſervavit: *Primum* conſervandi animam in ſumma, quæ poſſet reperiri in hac vita, puritate. 1. Purgando animam à præteritis peccatis, & omne veniale impoſterum deteſtando, ac devitando, adeò, ut Lancicius teſtetur (quo ſolo utebatur à confeſſionibus) eam à deliberatis venialibus, omninò immunem fuiſſe. 2. etiam abſtinendo à peccatis materialibus: hoc eſt, à rebus, quæ in ſe malæ videntur, ſed formalem culpam adjunctam non habent, dùm fiunt ex primi motus impulſu, ſine advertentia, & uſu liberi arbitrii. 3. attendendo paſſionibus naturalibus, ut non tantum ad culpam non pertraherent, ſed neque quietem animi perturbarent. 4. ſatisfaciendo etiam pro omni reatu peccati unquam admiſſi, quo ita puram redderet animam non tantum à macula culpæ, ſed etiam à ruga pœnæ. 5. vitando omnes res in ſe non malas, ſed minus rationi, & decentiæ congruentes. *Secundum propoſitum*: omnes internas & externas actiones facere modo perfectiſſimo poſſibili, adæquatè, & planè juxta lumen ſibi divinitùs conceſſum: habendo pro idea, & exemplari, non tantùm Sanctos eximios; ſed ipſum Deum hominem. *Tertium propoſitum*: Amare Crucem in omnibus, ac per omnia, cum deſiderio patiendi plurima pro Deo, & omnem poſſibilem amaritudinem, ſine ulla excuſatione; ſed animo libenti, abſque ulla mercede, aut præmio gloriæ propoſito, ut citò ad magnam ſanctitatem pervenire poſſim. Hæc ita conſtanter, ac ferventer ſervavit, ut nullam inſpirationem divinam reſpuerit, aut diſtulerit. Atque eo ipſo tempore, ita immutata fuit, ut omnes inordinatas affectiones (multorum Annorum conſuetudine roboratas) animo extirpârit, ac vehementiſſimè diſpliccrent res, quæ prius in deliciis fuerant. Adeò *ſubitus calor longum teporem vincit.* Numquam poſteà de ulla re queſta: nullo unquam caſu perturbata: nunquam vel minimam temporis partem otiosè tranſegit: numquam illius dicta, vel facta, verbo aut mente etiam interiùs perſtrinxit. A colloquiis cum ſæcularibus ſe totam ſubduxit, ne viros etiam illuſtres admittendo, quorum præſentia olim delectabatur. Quidquid in cella pretioſum, aut affectui gratum, eliminavit. His inſuper donis, ac gratiis divinis cumulata fuit: nullum unquam in oratione tædium, ſed guſtum perpetuum habebat, ut complures per diem horas continuas orationi vacaret, quæ antea ne Sacro ad horæ dimidium aſſiſtere valebat; eóſque Sacerdotes devitabat, qui dimidiam in Sacrificio horam excederent. Quod, quid aliud eſt quam tempus deperditum redimere? Quotidie bis per longum temporis ſpatium in ſe acriter flagellis ſæviebat, quæ antea vanitatibus dedita; ad infima culinæ miniſteria ſe abjiciebat. Cùm quadam vice, cuidam abjectæ monaſterii

ancillæ

ancillæ deſerviret, quæ manus ulceroſas, & fœtida ſcabie infectas habebat petiit à me (inquit Lancicius) ut ſibi liceret S. Catharinæ Senenſis, & S. Xaverii exemplo, fœtidam Saniem ex ulceroſis manibus exſugere: quod, accepta à me poteſtate, ita dextrè fecit, ut ne teſtem ipſam ægram haberet: dùm enim ab infirmæ manibus (uti quotidie ſolebat) medica quædam herbarum folia, purulento ſanguine, & tabo imbuta avulſiſſet, ut recentia apponeret, illa ſolo Deo teſte, tanquam dulciora ſuper mel & favum, exſuxit. His paſſibus currentem in ſtadio virtutum, ſeu potiùs volantem, cùm jam Cœlo maturam videret Deus, pleuritide, aliiſque acutiſſimis doloribus, quos, ut pro tempore multo vanitati impenſo ſatisfaceret, obnixè expetierat, per 14. dies eam comprobavit: eóſque acerrimós ultimis vitæ ſuæ horis patiebatur, ut difficillima multarum horarum agonia indicabat: cúmque metuerem ei morienti aſſidens, ne quid humanum ex doloris vehementia paſſa eſſet, ideóque ſuaderem, ſi quid occurriſſet, confeſſione expiaret, illa ſincerè mihi reſpondit, ſe omnes illas morborum, & agoniæ acerbitates, ſine ullo impatientiæ nævo, & abſque ulla animi perturbatione; imò magna cum lætitia interna, & deſiderio plura patiendi, toleraſſe. Jam in has voces ſæpius erumpens: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. O amplius Domine! O amplius! O dilecte mi! quando te videbo?* Sacerdos ſæcularis fortè præſens, cui *Bonaventuræ* virtus adeò perſpecta non erat, metuens hæc ab ea dici ex deſiderio, ut pœnæ, ac dolores abbreviarentur, ſuper ea re à me rogata reſpondit, ſe paratam ad tolerandas inferni pœnas æternas, ſi id Deo placeret: ſed cum ſciret perfectiùs ſe in Cœlis Deum glorificaturam, hac ſolum de cauſa, ſe ad Cœli domicilium anhelare; cúmque rogaretur ab aliqua, ut ſe Domino poſt mortem in Cœlo commendaret, illa modeſtè quidem, ſed confidenter promittebat, tanquam de ſalute ſua ſecura; & hac occaſione dixit, ſe poſt mortem unam è monialibus poſt ſe tracturam, nutu innuens, quæ eſſet. Dum ecce quinto decimo poſt mortem die, *Flavia Domicilla*, quam deſignârat, moritur: cui *Bonaventura* promiſerat id petenti, ut à ſua morte, ipſi veram peccatorum contritionem (quemadmodum Catharina Senenſis B. Raymundo) impetrâret; & eo ipſo die, quo *Maria Bonaventura* obiit, nil adhuc *Flavia Domicilla* ſciens de ejus morte, tam vehementem repente dolorem de peccatis commiſſis, & tempore ante hac minus bene impenſo, in ſe ſenſit, ut præ doloris, & fervoris vehementia, in ſpaſmum inciderit, & ſe morituram putârit. Hæc, aliáque, quæ apud Lancicium fusè legere eſt, manifeſtò declarant, quod *ſubitus calor, longum teporem vincat*, & exiguo temporis ſpatio, quis complures dies, menſes & annos in Religione, & ſanctæ vitæ inſtituto ſegniter, & ſine fructu tranſactos, queat recuperare, cum hæc virgo miranda, & imitanda vix anno expleto, *x conſummata*

x Sap. 4.

mata in brevi, expleret multa; & quod S. Thomas de Sanctis inſignibus diſſerens ſcriptum reliquit. y *Unus* (qui etiam in omni pigritia, tepore, & torpore vitam anteactam conſumpſit) *ab altioris ſanctitatis gradu incipit*, *quam ſit ſummum alterius, ad quod per totam vitam ſuam* (quamvis Religioſè exactam) *alter perveniet.* Quod hortor, & moneo ſanctimoniales, & animas Deo devotis, ut æmulari velint exemplo hujus Bonaventuræ *redimentes tempus.*

Tandem ut præſens argumentum concludam; O ſi miſerandos ploratus, amariſſimos ejulatus, & horrendas vociferationes eorum, qui piacularibus Flammis, aut æternis cruciatibus apud inferos torquentur, audire contingeret! nihil quidquam gravius eos queri, & acerbius torquere lamentarentur quam pauculos vitæ Annos & dies ſalutis, pro nihilo defluxiſſe, ac miſerè deperditum; quod, ut Humbertus z tradit, vox ex infernali ſcrobe ad aures viri Religioſi allata, diſertè teſtata eſt, dicens: *Noveris me, ceteróſque averni incolas, nihil acerbius lugere, nihil amarius deplorare, quam inter vanitates ſæculi, brevéſque illecebras, dilapidati temporis jacturam.* Horum omnium una ſera comploratio, & ſeria deſperatio:

O mihi præteritos referat ſi Jupiter Annos!

O ſi quis inſtitor vendendi temporis poteſtate à Deo acceptâ, ad portas inferorum conſiſtens, damnatis omnibus copiam faceret emendi, aut redimendi temporis, quàm caro putatis, vel horulam redimerent? Epulonem in ignea ſua purpura percunctare, quid daturus pro Anno uno, (qui vobis hodie, & ſi velitis auſpicatiſſimus exoritur? darem, inquit, mille millium aureorum facultates, darem, mundum univerſum, imò millè mundos, ſi haberem. Sic tu, ô peccator, nunc a *cogita de tempore quod perdis: quod illi qui in inferno ſunt, darent totum mundum ſi haberent, pro eo, omni die.* Quid tu ô Herodes ſanguiſuga? darem Regnum meum, delicias, lautitias omnes, & poſitâ purpura libens in ſacco, & cinere, in clauſtri angulo, in vigiliis, & jejuniis vitam omnem ad extremum judicii diem traducerem. Quid tu proditor Juda? O ſi daretur vel momentum reſipiſcendi, pœnitendi, veniam emerendi, illud emerem omnibus laboribus, doloribus, afflictionibus, quas unquam homines tolerârunt, aut etiam tolerant in purgatorio, vel in inferno; etiamſi illa etiam centum millia, imò mille milliones Annorum durarent. Hæ voces Diocletiani, Neronis, Maxentii. Sic Arius, Neſtorius, Lutherus, Calvinus, turpes Eccleſiæ abortus, Libertini omnes, inimici Crucis Chriſti loquerentur. Sic avari Eucliones, impuri ganeones, temulenti bibones, viduarum ac pupillorum oppreſſores lamentarentur; mille ſuppliciis, protractis in mille milliones Annorum, redimerent breviſſimam horulam, vel momentum, quo iterum contritionis actum, cum immenſa illa bonitate in gratiam redire, orcum Cœlo commutare liceret. Appoſitè Beatus Laurentius Juſtinianus b *Quis mente aſſequatur, ut pretioſum*

y S. Thom. opuſc. 17. c. 7. z Humber. de 7. donis.

a Bern. de forma honeſtæ vitæ.
b Laurent. Juſtinian. de vita ſolitar. c. 10

eſt tempus ? aut quis lingua caritatem ejus explicet ? nôrunt, qui amiſerunt, hi enim grato animo erogarent opes, honores, delicias, ac quidquid eſt voluptatis pro una horula: nam exiguo illo tempore poſſent iram, ac furorem divinæ Juſtitiæ ſedare, Angelos exhilarare, flammis æternis ſe eripere, & Cœleſte Regnum adipiſci. Hoc ne quis veſtrum ſerò lamentetur, animo recolat Annum hunc ſibi fortaſſe, certò multis noviſſimum fore, poſt quem c *tempus non erit amplius.* O deſperatio! *tempus non erit amplius*? Numquam ergo poſt hac orietur mihi Annus novus? nulla mihi dies, vel hora, vel momentum dabitur, quo peccata abominer, quo Deum mihi propitiem. *Tempus non erit amplius*: numquam tibi dabitur tantum temporis, quantum ſufficit ut te pœniteat commiſiſſe pœnitenda, ut ſemel cum Publicano pectus percutias, cum Petro fleas, cum prodigo dicas: peccavi. Et has amoris plenas querelas ejaculare. O ſi vertere retro annos vitæ meæ poſſem! O ſi mihi daretur tranſcurſæ ætatis ſpatium ad ortum revocare! ô ſi facultas foret, ut horas, & dies, & menſes, & Annos remetirer, temporúmque revolutiones, & cœli circuitus ad nativitatis meæ momentum reducere liceret! quàm aliam vitæ telam ordiri vellem! quàm alias curas, cogitationes, ſtudia, deſideria, animo volverem! quid enim aliud, ô bone Deus, agerem? quid curarem, niſi hoc unicum, ut nihil aliud agerem, curarem nihil, quàm te amare? ah ſerò te amavi pulchritudo tam antiqua, tam nova! ſerò te amavi! ah malè vitam alia amando perdidi! Potiori jure, quam olim ſanctus Bernardus, ipſe dicam: d *Recogitabo tibi omnes Annos meos in amaritudiue animæ meæ. Oportebat, ſi fieri poſſet, revivere me, ut ita loquar, denuò qui malè vixi; ſed quia hoc non poſſum, ſaltem recogitabo tibi omnes Annos meos in amaritudine animæ meæ: faciam recogitando; quod reoperando non poſſum,*

Poſſedit amorem meum mortalis forma: duæ humani vultus micante ſtellæ, paulò poſt in mari mortuo occaſum habituræ, attonitum me tenuerunt: flavi in circulos contorti crines, tanquam catenam auream mihi nexuerunt, qua animus illigatus libertatem amiſit.

O tempus in vanitatibus, & inſaniis falſis miſerè deperditum! utinam quàm mobiles in anteriora alas habes, tam etiam in tergum recurrere, promptum te præberes! revolvite vos dies, menſes, & Anni, quibus aliud quàm Deum amavi. Redi juventus, redi lactea ætas; ut ab ubere Deum meum amem: ut in illius amore nutriar, adoleſcam, & ſeneſcam.

Ah mare, quas in æſtu arenas in littus effundis, eas in refluxu reſorbes; cur mihi non liceat Annos, quos in res terrenas tanquam in ſterile littus effudi, retrahere in oceanum divinitatis? fuit, cùm terræ motu, flumina in caput ſuum relabi ſunt viſa, ah cur nullo impetu Anni mei in originem ſuam retroagi poſſunt! novum deinceps metaturi alveū divini amoris? ſunt Planetæ, qui iter ſuum relegentes, curſu retrogrado feruntur; ah cur non omne

b Laurent. Iuſtin. de vita ſolitar. c. 10. c Apoc. 10.

d Bernardus in Cant. Ezech.

cœlum, uſq; ad diem quo primum ſolem oculis hauſi, retro ſe volvit, ut novam amoris vitam auſpicari queam? Ægrotante Ezechia Rege, Sol viam ſuam remenſus, umbram uſque ad decimam retrò lineam traxit; ô ſi retraheret me aliquis uſque ad primam vitæ meæ lineam, ut inde uſque ad ultimam mortis lineam currerem in ſtadio amoris!

Quod ſi nec hujus voti compos fiam, erige te anima, indue amoris talaria, eáque pari cum temporis alis velocitate commove: ut quot in tempore momenta evolant, æquali numero flammas, cor meum erga Deum meum eliciat; quæ tamen non ut illa momenta fugacia evaneſcant; ſed omnes in unum junctæ incendium, Deo meo per totam ardeant æternitatem. Atque ita quidquid amoris in res perituras effluxit, jacturam hanc geminatis deinceps tui amoris ignibus reſarciam. Ad hæc tam ſancta deſideria adimplenda, & bona opera exercenda Magnus ille Apoſtolus meritò nos hortatur: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Citò, citò, dum tempus habemus, operemur bonum, quia brevi *tempus non erit amplius.* Audi Poëtam Neothericum:

Quid tricaris, quid moraris?
Non te vanis ludo minis,
Fors hac hora vitæ finis.
Nulla mora, fors hac hora,
Fors, quo loquor, hoc momento
Deſtinaris monumento.

Ergo dum tempus habemus operemur bonum, ne differamus de Anno in Annum, de die in diem: quia brevi, brevi effluet clepſydra noſtra, evolvetur horologium noſtrum, ſonabit hora noviſſima, & tempus non erit amplius: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum*, ut fruamur ſummo, & æterno bono.

§. II.

Si omni Anno unum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur. THOM. à KEMPIS lib. I. de Imit. c. II.

VERiſſimum illud Abbatis Claravallenſis *e* pronuntiatum, quotidianâ experientiâ comprobatum eſt: *Nemo repente fit peſſimus.* Nemo potator, aut helluo uno die evadit; ſed ſenſim, ac ſenſim, plus ſe ingurgitando, ac capacioribus ſcyphis certando, omnis temulentiæ vorago efficitur. Quod in univerſitatibus videre eſt, ad quas dum à matris ſinu juvenes, ſubductâ manu ferulæ divertunt, ita calicibus ſtudent epotandis, ut amphora pro Ariſtotele, poculo magis, quàm Porphyrio utantur: ac tandem magiſtri in artibus bibendi, & partibus potandi evadant: *Nemo repente fit peſſimus*, nec repente ex opulento pauperrimus; ſed ut Poeta canit:

f Gutta cavat lapidem, non vi ſed ſæpe cadendo:
Vina cavant burſas, non vi ſed ſæpe bibendo.

Qui fit ingenuos, ac nobiles

e S. Bern. Serm. Ecce nos reliquimus omnia. f Ovid. lib. 6. de Ponto.

Ado-

Adoleſcentes, infames mæchos ac perditiſſimos lenones factos; de uno in aliud proſtibulum, effrenes ſine fronte irruere? niſi quod eam ſenſim licentiori contubernio, ſermone laſcivo, petulanti geſtu, conſuetudine noxia exuerint, omnémque honeſtatem protriverint, uti aliquando diximus:

Poſt viſum, riſum: poſt riſum venit ad uſum.
Poſt uſum, tactum: poſt tactum venit ad actum.
Poſt actum, factum. Poſt factum pœnitet actum.

Sic ſenſim ſine ſenſu, *Nemo repente fit peſſimus*: famuli, vel ancillæ, aliíve harpagones, qui digitos longiores, & piceas manus habent, non primo die, quo in opulentis ædibus, potenti alicui Domino, aut Dominæ ſervire incipiunt, arculis perfractis, expilatis chryſendetis, omnes gemmas, ac cymelia aſportantes, aufugere conſueverunt; ſed hinc inde per minuta furta, nummum unum aut alterum clepſando, furcinulam, aut cochlear argenteum ſuffurando, g *Non repente fiunt peſſimi.* Sic latrunculus Latro, *Leunculus factus eſt leo, & didicit prædam capere.* In quem locum divini verbi Præco celeberrimus, in venerando purpuratorum Patrum Senatu ingeniosè & nervosè diſſerit. Leunculus in Hircania nuper ab ubere depulſus, & antro excluſus, inermis quæſiturus prædam vagatur. Miſerum animal, cui nondum dentes ſuccreverant, teneris adhuc, & imbellibus unguibus, jubâ nulla collo circumdata terribilis, ad paſtoris aut opilionis conſpectum, fuſte armati, prope exanimis ſe in ſpecum proripit. Attamen fame ſtimulante, rurſus in prædam erumpit. Progreditur, ſed metu tremens, accedit ad gregem; aſt oculis ſemper ad canes intentis, & expeditis ad fugam pedibus, tandem ſumma cautela, agno uno è viliſſimis arrepto, ſe recipit, eúmque dilanians anxius aut pavidus famem exſaturat.

i Haud procul à ſtabulis captat cuſtode remoto
Segne pecus tenerâque famem conſumit in agna.

Non multis poſt menſibus, cum belluæ dentes firmati, indurati ungues, & juba excreviſſet, prodit leo, non intrepidus modò, ſed timendus, ad nullius paveſcit occurſum; ſed paſtores vel ſolo rugitu terrefaciens, & caudæ ſib lo canes percellens, ipſis inſpectantibus ac flocci habitis, in armentorum ſepta irrumpit, ac dedignatus aggredi vitulum vel juvencam, ferociſſimum taurum deſignat in prædam. Illum aggreditur, illum ſternit, illi incumbit, illo ſe cruentat, illum dilaniat, famémque ſuam ipſius carne & ſanguine exſaturat. Sic Poeta luſit egregiè:

—— Imbelles vitulos, molléſque juvencas

g Ezech. 19. v. 6. h Ioan. Paulus Oliva, Tom. 1. Conc. 5 n. 80.

i Statius lib. 8.

Tranſmittit : magno furor eſt in ſanguine mergi.
Nec niſi regnantis cervice recumbere tauri.

Quid cenſetis? an non Hircania deſcripſit in belluis perfidos Reipublicæ, ac facinoroſos Regum Miniſtros; incipitur à gregibus, ad armenta tranſcutritur; ungues primùm in innocuos agnos exeruntur, mox in taurorum lacertos dentes acuuntur. Sub principio timetur ad catelli latratum; deinde ad canum impetus ſurgit audacia.

Temperare mihi non poſſum, quin argumentum hoc acutâ & argutâ ſimilitudine, quam in erudito opere, ex aureo Oratore *k* producit, perſequar. Si fortè, inquit Chryſoſtomus, in amplum fœnile ſcintilla ignis irrepat, & paleam invadat, continuò campanæ perſonant, omnis excitatur vicinia, exhauriuntur piſcinæ, tumultuantur domeſtici, undique concurritur, nemo ad reſtinguendum ignem non feſtinat. Quid, tanti eſt jactura fœni, aut paleæ? non hæc anxios & ſollicitos habet; ſed metuitur, ne ignis à viliſſima re facto initio, ad pretioſiſſima quæque progrediatur, ne à fœno volet ad ſericum, à ſtabulo ad gazophylacium, ubi liquato auro & argento, rivos opulentos in vicum effundet. Sic porrò Antiochenus Antiſtes: *l Poſtquam in domo aliqua parum ſtupæ incenſum viderimus, conturbamur, & tumultum movemus; non enim attendimus initium, ſed ex initio finem.* Ignis ſub initio paſcitur fœno, mox pannos aureos vorat, & pretioſa omnia conſumit. Id mihi credite, contingit in familiis veſtris, in Magnatum ædibus, & Principum aulis, ſi ignis non elementaris quidem, ſed moralis, aut, ut melius dicam perverſi mores, & vitia ac flagitia; ſi ignis rapacium Miniſtrorum lanam apprehenderit, mox corripiet ſericum: à periſtromate cubiculorum, conſcendet ad Sacramenta templorum: nec parcet mitris, Altaribus, aut Religioni, nec ipſi Deo moranti in aureis capſis, & regnanti in cœlo. Puto me intelligi, inquit, dum præ reverentia tam auguſti conſeſſus, obvelo metaphoris graves injurias, quæ primum tenuioribus irrogantur, ac tandem potentioribus præparantur. Non alia ex cauſa, quàm quod *non attendimus ex initio finem*, nec ex ſcintilla veremur incendium. Quod ſtygio Lavernioni optimè perſpectum eſt, qui à parvis ad maxima, à levibus ad graviſſima ſenſim deducit. Ut diabolus Saulem in Pythoniſſæ ſervitutem, & ſcelerum abyſſum, præcipitem ageret, eum ſenſim à Samuelis obedientia prius abduxit: *m Dum Samueli non obtemperavit, paulatim labens, non ſtetit: quouſque ad ipſum perditionis barathrum ſeipſum immiſit*, inquit Chryſoſtomus. *n* Deinde alterum à Caino exemplum deſumit, modica primum ſpernente: *Non enim*, inquit, *confeſtim cædem Fratris illi diabolus ſuggeſſit, ne magnitudine rei commotus, tam ſceleſtum facinus abominaretur; ſed prius perſuaſit leviora offerre, nullum id dicens eſſe peccatum. Dein-*

k Oliva cit. l Chryſoſt. in Pſalm 8.

m 1. Reg. 13. v. 9. & 1. Reg. 15. v. 9. n Chryſoſt. hom. 85. in Matth.

de-

de invidiæ veneno ſuccedit, nihil etiam, hinc mali ſecuturum perſuadendo: ita ſenſim ad cædem fratris impulit; nec prius ceſſavit, quam malorum omnium verticem impoſuit. Ac tandem concludit ex ſcelere Judæ, & Judæorum, qui ſenſim ulterius proceſſerunt: *Nemo repente ad extremam improbitatem proſiliit: habet enim anima inſitum, & innatum quendam pudorem, quem ſubitò projicere non poteſt; ſed ſenſim.* Atque utinam iſtiuſmodi cataſtrophæ inter hic ſtantes, inter Religioſa clauſtra non reperirentur! Quàm præclara in tyrocinio cœpta fervent? quidquid auſteritatis, ac moleſtiæ objicitur, animosè digeritur. Tandem in arrepto propoſito flacceſcere, in divinis tepeſcere, diſciplinæ Religioſæ minus attendere, liberius animo & corpore evagari, ac tandem fit, quod quidam obſervavit, in primis verbis, ex parvis horis, incipiunt: *Legem pone*: mox ſequitur: *Defecit*, ac demum: *Mirabilia*, quæ Regius vates deſcribit: o *Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.* Miramur, nec ſine ingenti ſtupore narrari audimus, excelſas illas cedros Libani, ſtellas cœli, duces gregum è cœlo in cœnum tam turpiter delapſos, è clauſtris profugos, infames apoſtatas, imò hæreſiarchas evaſiſſe; non quod excelſæ illæ arbores primo ictu fœdè proſtratæ ſint: aut lucida illa quondam Eccleſiæ luminaria, repente nimbo exorto, tenebris involuta ſint, ſed ſenſim, inertiæ, deſidiæ, proprii commodi, honoris, æmulationis, ambitionis tineâ depaſcente, robur omne amiſerunt; idémque illis accidit, quod ligno carioſo, quod etſi integrum videatur extrinſecus, tamen pondere impoſito frangitur, & caſu ipſo oſtendit, quid antea vitii lateret extrinſecus. Ita inquit magnus ille minimæ Societatis P. Claudius Aquaviva: p fortes olim ac robuſti debilitantur paulatim, atque franguntur: q *Lapides enim* (ut ait Scriptura) *excavant aquæ, & alluvione paulatim terra conſumitur.* Neque verò exiſtimandum eſt, ut ait Bernardus, cum ruinæ alicujus cernuntur, cum incipere damnum; r *ſed quia comederunt alieni robur ejus & ignoravit.* Sic tenuiſſima licia, in funes nauticos videmus excrecere. Ex quibus omnibus rectè concluſeris: *Nemo repente fit peſſimus.* Sic è contra Doctor mellifluus: ſ *Nemo repente fit ſummus*, ſcientia, experientia, opulentia, magnificentia, ſanctimonia. Nemo diſcipulus repente, fungi inſtar, una nocte fit ſummus Doctor; ſed per elementa prima, mobile fixo conjungendo, per decurias, per claſſes gradatim conſcendendo, in altum emergit. Triviales pueri non repente, ſed paulatim à Ludimagiſtris characteres, medios, tum integros; mox ſyllabas, tandem verba, & lineas exarare condiſcunt. Quod ſcitè Mediolanenſis Antiſtes obſervavit: t *Ut ſi puerulum litteris imbuas, à ſingulis litterarum elementis inchoandum eſt, ut à ſingulis apicibus ad ſyllaba, à ſyllabis eum per ordinem, ad nomina, orationémque deducas.* Puellæ non pri-

o Pſal. 105. v. 35.

p P. Claudius Epiſt. 2. de Renovatione Spirit. q Iob. 14. r Eccl. 10. ſ Bernard. Serm. 1. de Sancto Andrea. t Ambroſ. l. 1. de Abraham cap. 4.

primo, aut ſecundo die, opus dentatum amplum, & artificioſum; ſed 4 aut 6 glomis, dein pluribus operari aſſueſcunt: iſtud enim vero ſanè ſtolidum, ac planè ſtultum foret, ſi quis puerum calamo in manum tradito, & exemplari propoſito, repente elegantes characteres exarare, ſcribere, & legere: puellam in ſinum pulvino poſito, opus dentatum, aut acu pictum ſummi moliminis repente concinnare juberet; is profectò oleum & operam perderet, quemadmodum ille qui præſtans vinum in phialam, aut lagenam, exiguo orificio, vel gutture anguſto, ex capaci vaſe, aut vaſta amphora, ſimul infundere vellet, quod guttatim inſtillandum erat. Nemo muſicus, nemo pictor, aut fictor, nemo opifex, aut artifex repente ſummus fit; ſed per annos plures, ſub periti Magiſtri diſciplina, ſenſim in arte perficitur; quod apta ſimilitudine expreſſit Patriarcha Venetus: v *Nemo ad perfectionis valet faſtigium ſcandere, niſi mediante progreſſu. Materialia videmus conſtrui ædificia, non repente, ſed paulatim, & per incrementa: pueri quoque ab eruditioribus ſuis, litteris imbuuntur, & ex quotidiana aſſiduitate ſtudendi efficiuntur docti* Errat qui à puero plura ſimul impetrare, ac varias ſimul linguas, ac ſcientias addiſci, virilémque maturitatem, in ætatis vere, ac juventutis flore ſperare præſumat; nec ſecus is agere cenſendus eſt, quàm qui primo anni vere, aut ipſa hyeme, ceraſa aut uvas quærat.

v B. Laur. Iuſtinian. Serm. de omnibus Sanctis.

Unde illa Philoſopho digna ſententia: x *Nihil eſt magnarum rerum, quod derepente fiat; quandoquidem ne botrus quidem aut ficus. Quod ſi nunc mihi dicas te cupere ficum* (aut ceraſa) *reſponderem ſanè, tempore quodam opus eſſe; ſine prius ut floreat, poſtea fructum producat, & maturitatem. Una hora, & ſubito non abſolvitur. Mentis humanæ fructum, tam brevi temporis curriculo, acquiſiturum ſperas? id verò moneo, ne exſpectes*; niſi fortè fungus ſit, qui una nocte naſcitur. Ingenia præcocia, ut poma illa aprica, rarò ad maturitatem, ſæpè ad inſaniam perveniunt, juxta vulgarem parœmiam:

Vroeg rijp, vroeg rot:
Vroeg wijs, vroeg ſot.

His mihi evenire videtur, quod Camerarius de partu immaturo in lucem edito enarrat. y Ludovicus IX. Rex Hungariæ, mortuâ in puerperio matre, immaturè natus eſt, ſine pelle, quæ arte, unguentis fuit inducta: coronatus Anno ætatis ſecundo, eíque deſponſata conjux anno nono, cœpítque regnare decimo. Ante tempus barbam emiſit, & vix annum decimumoctavum egreſſus, canos oſtendit: denique præcoci, ac præmaturo conſilio confligens, in fuga miſerè occiſus, ſeu, ut alii, in paluſtri loco ſuffocatus eſt. Cùm vigeſimum dumtaxat Annum attigiſſet: *Ita ut omnia in illo Rege ab ineunte ætate, & regno, præcocia, & inſolita fuerint. Vixque exemplum ſimile, in quo hæc omnia infauſta, in perni-*

x Epictetus apud Arrian. lib. 3. c. 15.
y Camerarius operæ ſubſciſivæ Centuria 3. c. 23. pag. 80.

ciem unius Regis, iſta cumulata inveniantur. Ut fœtus perfectus ſit, per novem menſes in utero creſcere, formari ac ſolidari, dein per Annos, & ætates, animo ac corpore matureſcere debet, ut fructus ferat in tempore ſuo. Idipſum in progreſſu virtutum fieri tradit D. Ambroſius: z *Ubi ſemen ſparſum fuerit, ſolvitur humo, & primò prorumpit in radicem. Deinde germinat, formatur fructus, & poſtea matureſcit. Idem in arboribus. Feramus etiam fructum fidei* (Charitatis, juſtitiæ, miſericordiæ) *ab ipſa pueritia, augeamus in adoleſcentia, coloremus in juventute, compleamus in ſenectute.* Nulla glans repente in quercum excreſcit, nullum ædificium confeſtim à fundamentis ad tectum aſſurgit; a *Nulla res conſummata eſt, dum incipit. Longè ſemper à perfecto fuêre principia. Ita nemo repente fit ſummus.* Nemo mercaturæ, aut agriculturæ ſeſe applicans repente ſummè dives, & opulentus evadit. Nemo ſeſe Religioni, ac perfectionis ſtudio tradens, repente ſummè perfectus, & ſanctus eſt. Amens ſit, qui in turris apicem, ex imo gradu in ſummum, uno quaſi paſſu, aut ſaltu repente pervenire nititur: *Aſcendendo,* inquit Bernardus, b *non volando apprehenditur ſummitas ſcalæ.* Angeli etiam alati gradatim ſcalam Jacob aſcendebant. Idem proſequitur Climacus, dicens: c *Sanctorum converſationem velle quempiam repente totam imitari, irrationabile ſimul, & impoſſibile.* Et alibi d inſipientiſſimum vocat, qui *puero præciperet, ut ſcalarum gradus omnes uno paſſu repente conſcenderet;* qui adeò non proficeret, ut in primo veſtigio, & infimo gradu hæreret. Mirandum magis, Auditores, ac deplorandum, ea ſtoliditate non paucos reperiri, qui ſubinde ferventiori deſiderio inflammati, extemplò, ac derepente ſummæ perfectionis ac ſanctitatis apicem attingere, & ad oſculum oris aſcendere volunt, qui ne digni ſunt cum Magdalena ſedere ad pedes Domini: quod argumentum ſuaviſſimè tractat Doctor mellifluus: e *Minimè ſibi arroget, mei ſimilis anima, onerata peccatis: non temere aſſurgat ad os ſereniſſimi Sponſi; ſed ad pedes ſeveriſſimi Domini mecum pavida jaceat, & cum Publicano tremens, terram non cælum aſpiciat. Non tibi, ô quæcumque es talis anima, non tibi ille locus vilis ac deſpicabilis videatur, ubi ſancta peccatrix peccata depoſuit, induit ſanctitatem. Ibi Æthiopiſſa mutavit pellem. Sumpto itaque ad pedes primo oſculo, nec ſic quidem præſumes ſtatim ad oſculum oris aſſurgere. Longus ſaltus, & arduus eſt, de pede ad os; ſed nec acceſſus conveniens. Quid enim? recenti adhuc aſperſus pulvere ora ſacra continges; heri de luto tractus hodie vultui gloriæ præſentaris? per manum tibi tranſitus ſit; illa prius te tergat, illa te erigat. Quomodo erigat: dando unde præſumas.* Sic quaſi per gradus perfectionis aſcendendo, merebitur quis ad oſculum oris pertingere: *Jam tandem in oſculis duobus, geminum habendo divinæ*

z S. Ambroſ. lib. 2. de Abraham c. 9. a Seneca lib. 6. natur. quæſt. c. 5. b Bernard. Serm. 5. de S. Andrea. c Climacus gradu 4. coll.

d Gradu 24. & 25. e Bernard. Serm. 3. in Cant.

dignationis experimentum, audemus forſan ad ipſum os gloriæ caput attollere (pavens, & tremens dico) non ſolum ſpeculandum; ſed etiam oſculandum.

In eodem errore verſantur, qui peccata ſua totius anteactæ vitæ amariſſimis lacrymis deteſtantur, ſtatuuntque firmiter nullum amplius admittere, omnes defectus emendare, pravos omnes habitus, & inveteratas conſuetudines ſimul & ſemel penitus eradicare; dum interim ejuſmodi ſemper in eodem hærent veſtigio, ne gradum unum perfectionis conſcendunt, nullum toto Anno vitium, aut defectum emendarunt: ſed ſemper in eadem prolabuntur, ſemper eadem confitentur: hic rurſus ſe toties temulentum, iracundum, blaſphemum: alter ſe toties obſcænis fabulis caſtas aures offendiſſe, impudico tactu contaminâſſe; toties iterum cum ancilla conſueviſſe, &c. Quin & Religioſi, ac Religioſæ ipſæ ſuppudeſcunt, quod per Annos plures eoſdem ſemper defectus, ac imperfectiones, eidem Confeſſario exponere cogantur: pérque Annos plures, ne unum ſe extirpaſſe, nec quidquam etiam in ſchola perfectionis ſe profeciſſe, animadvertunt. *f* Cujus graviſſimi damni, ac ſpiritualis jacturæ, unica, & ſola cauſa eſt, quod ſcalarum gradus omnes, uno paſſu repente conſcendere ſatagant. De omnibus defectibus generatim, ac univerſim doleant, omnia peccata ſimul emendare ſtatuant, nec ad particulare aliquod inſectandum, aut extirpandum ſeorſim, hoc menſe, hoc Anno deſcendant; non uni vitio, aut paſſioni vehementiori, ſingulare bellum indicant. v. g. eſt qui luſui aleæ, teſſeris, ac chartis luſoriis impenſius deditus, centenos, aut millenos dilapidavit, temporis, ac fortunarum ſuarum, quin & animæ non ſemel jacturam fecit, uxori ac liberis ingens damnum intulit: is ſtatuat hoc Anno, ab ejuſmodi ludis, & ludionibus ſe ſubducere. Alius qui pravam jurandi conſuetudinem habet; hoc Anno à juramentis, & perjuriis, pertinaciter abſtinere. Sic temulentiæ aſſuetus, à potu: luxuriæ impenſiùs deditus; à noxio contubernio cavere, & ſic de ceteris. Quod quàm efficax ad ſummam perfectionem remedium ſit, viri Aſcetici, & ſpiritualis vitæ Magiſtri, omnes teſtantur. Quos inter principem locum obtinet Doctor ille, qui omnium gentium, ac nationum linguis legitur, & manibus teritur, Thomas Kempenſis, cujus hoc aureum effatum: *g Si omni Anno unum vitium extirparemus, citò viro perfecti efficeremur.* Pueri ſubinde ſetas vellunt è cauda equina, ſed qui plures ſimul aut totam caudam prenſat, fruſtra laborat.

> *h Caudæque pilos ut equinæ*
> *Paulatim vello: demo unum, demo etiam unum.*

Sic ſingulos pilos excerpens, facilè totam caudam evulſerit. Ita & nos peccata ſingula evellere laboremus. Homo ſordidus & a-

f Climac. cit.

g Thom. à Kempis de imitatione Chriſt. lib. 1. c. 11. *h* Horat. lib. 2. Epiſt. ad Auguſt.

varus, divitiis & vitiis totus immerſus, hoc Chriſti oraculo, velut quodam fulgetro perſtrictus hæreret: *i Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in Regnum Cœlorum*; niſi noverit κάμηλος juxta Sacros interpretes, rudentem, ſeu funem nauticum ſignificare, quo in tenuiſſima fila redacto, ſingula ſeorſim per foramen acus tranſire poſſunt. Quod & ipſe ſanctè æmulabitur, ac Regnum Cœlorum ſibi reſervaverit; qui ſi quas hactenus pauperi eleëmoſynas denegavit, nunc ex ingenti acervo, non totum ſimul (quod illi impoſſibile videretur) ſed nummos ſingulos & grandiores aureos, vel argenteos, in minores redactos, liberaliter elargitus fuerit. Hic modus etiam omnia vincula peccatorum, inſtar rudentium contorta, facilè diſrumpet, & per foramen examinis particularis emiſſa, nos aptos facient tranſire in Regnum Cœlorum. Laudatur etiamnum à Chriſtianis Sciluri Regis barbari *k* commentum, qui filiis ſuis faſciculum ſagittarum colligatum ſimul frangendum obtulit; quod cùm vires cujuſque excederet; eo diſſoluto, quodque telum ſeorſim nullo negotio confregerunt. Hoc ſibi iracundus æmulandum proponat, qui ſi integrum faſcem telorum, in plures, quos inſectatur inimicos, circumferat: neque tanto ſit animi robore, ut totum ſimul confringat, ſimul omnibus ignoſcat: ſigillatim hoc menſe uni; proximè ſequenti, cum altero in gratiam redeat. Quod & in cæteris vitiis, ac perturbationibus practicandum, ut quoque menſe, de uno triumphemus. Ad hoc aureo ſuo dicendi flumine hortatur Chryſoſtomus: *l Vitia noſtra tempore corrigamus: hoc menſe unum, alio aliud, & ita conſequenter meliores: Sic enim tanquam per gradus aſcendentes, per ſcalam Jacob ad Cœlos pervenimus.* Alius homo ſegnis ac deſes, ubi hortum animæ ſuæ ingreſſus, eum in horridam veprium, ac zizaniorum ſilvam excreviſſe cernit, hæret attonitus, ac prope in deſperationem actus, diffidit ſuæ facultatis eſſe, ut terram per tot Annos adeò incultam, in qua nil niſi *m infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ* expurgare, quidquid veprium, ſpinarum, ac zizaniorum eſt valeat eradicare; quem ut in ſpem ac fiduciam erigam, à priſcis illis Eremi incolis, exemplum practicum deſumam.

„*n* Homo quidam habuit poſ„ſeſſionem, & ejus neglectu in „ſentes redacta eſt, ac repleta „tribulis & ſpinis, viſum eſt „autem ei, poſtea ut eam excole„ret, dixítque filio ſuo: vade & „purga agrum poſſeſſionis illius. „Venit filius ut purgaret; ſed „cùm reſpexiſſet, vidit multi„tudinem tribulorum & ſpina„rum in eo excreviſſe, & animo „deficiens, ſibi ipſe ſic locutus „eſt: Ecquando hæc omnia „evellere, & expurgare pote„ro? & projiciens ſe in terram, „dormivit; hoc autem fecit „multis diebus. Poſt hæc venit „viſum pater ejus quid fecerit, „invenitque illum nihil effe„ciſſe, & dixit ei. Quare uſ-

i Matth. 19. ver. 24. k. Val. Max. lib. 7. c. 3.

l Chryſoſt. hom. 26. in Ioan. m Virg. n Roſvveydus in vitis Patrum patt. 2. lib. de patient.

„ que modò nihil feciſti? Reſ-
„ pondit juvenis patri ſuo: mox
„ ut operi appropinquavi, viſâ
„ tribulorum ac ſpinarum tanta
„ copia, deterrebar à ſuſceptione
„ laboris, & præ anguſtia animi
„ proſtratus in terra dormiebam.
„ Cui pater; ad menſuram lati-
„ tudinis fili, quam jacens in ter-
„ ra occupas, per ſingulos dies
„ operare, & ita paulatim perfi-
„ cies opus tuum. Quod cùm
„ audiſſet juvenis, conſilium pa-
„ tris ſecutus, parvo tempore a-
„ grum expurgavit, eúmque fru-
„ ctuoſum, ac fertilem reddidit.
Hac Methodo vel ipſi ethnici non modò ſingulis Annis, ſed quotidie meliores fieri ſtudebant, dùm ante cubitum, ſeipſum quiſque hiſce verbis compellabat: quod hodie lolium extirpaſti? *Quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es?* At iſtud maximè dolendum, & amariſſimis lacrymis deflendum, neminem propè reperiri, qui quotidie vitio alicui obſiſtat, & indies aliqua parte melior evadat: perpaucos etiam numerari, qui ex conſilio Chryſoſtomi quot menſibus nunc hunc, nunc iſtum defectum emendent. Raros denique cenſeri, qui *omni Anno unum vitium exſtirpare* contendant; ſed quod jure meritiſſimo idem & Auctor queritur: *E contrario ſæpe ſentimus, ut meliores & puriores initio converſionis noſtræ* (juventutis, Religionis) *nos fuiſſe inveniamus, quàm poſt multos Annos profeſſionis*, quàm poſt multos Annos ætatis provectioris, vitæ longioris: Quot Annis non modò titionem, ſed integros faſces peccatorum accumulando ad comburendum; dum ſingulis Annis ſæpe novum, imò non unum, ſed plura flagitia accumulamus, ſimiles Jacobo Regi Scotiæ, *q* qui ut mortem patris truculenter occiſi, ſe graviter ſentire comprobaret, quoad vixit, catenâ ferreâ ſe cinxit, cui ſingulis Annis unum annulum adjiciebat. Quis hic pro rei indignitate ſatis exaggeret, quàm longo, & multiplici annulorum nexu, per Annos ſingulos vitæ veſtræ, novos & novos adnectendo, immanem vobis catenam, qua apud inferos æternùm colligandi, procudiſtis? quia ut expediri valeatis, quot hebdomadis, quot menſibus, at ſaltem quotannis, hoc novo Anno, unum, alterúmve peccatorum annulum ſubducere, vóſque in libertatem filiorum Dei aſſerere ſtudeatis. Atque ita fiet ut Annum qui præteriit, rectè concludatis, & novum ſanctè auſpicemini; quemadmodum aureo ſtylo exaravit, & aureo ore deprædicavit Chryſoſtomus hiſce verbis: *r Si fructum ergo percipere è* NOVO ANNO *vis, hoc facito, ubi Annum expletum videris; gratias age Domino, qui te ad hanc Annorum circuitionem perduxit; vitæ tuæ tempus tecum reputa, tecum ad hunc modum verba facito: dies prætereunt, Anni finiuntur, magnam vitæ noſtræ partem confecimus: quid boni à nobis factum eſt? judicium Dei præ-*

o Seneca lib. 3. de ira c. 36. p Thom. à Kempis lib. 1. cap. 11.

q Spondanus Anno Chriſti 1481. n. 11. pag. 191. r Chryſoſtom. Tom. 5. oratione habita in Kalendis.

ſori-

foribus eſt, & reliquum vitæ tempus ad ſenectutem vergit. Hæc de Annorum revolutionibus tecum revolve, ne adverſum te loquatur quis illud : ſ Abierunt dies eorum cum vanitate, & Anni eorum cum feſtinatione; ſed fuerunt dies eorum pleni, & *t Anni tui non deficient; ſed multiplicabuntur tibi Anni vitæ, & Annos æternos* habebitis in Cœlis.

ſ Pſalm. 77. v. 33. Pſal. 101. v. 28.

t Proverb. 9. 11. Pſalm. 76. v. 6.

FESTUM

FESTUM EPIPHANIÆ DOMINI.

Omnia traham ad meipſum. Joan. 12. v. 32.



TRES TRAHIT *è multis.* Ovid. lib. 3. de arte.

ARGUMENTUM.

E*Lectrum* ut omnibus æſtimationi, ita & admirationi eſt, quòd arcanâ naturæ vi ad ſe paleas trahat; ut rerum naturalium ſcriptores, atque ipſa cumprimis experientia manifeſtò declarat. Deus infans *Electrum* prorſus electum, ſub cujus ſpecie illum olim

lim Divinus Vates contemplatus eſt, in r æ ſepi poſitus, primò ad ſe fœnum & paleas traxit, è mapali traxit Paſtores, & homines fœno ſimiles, ac paleis leviores. Tum ut Magnates, tres, inquam, Reges ad ſe attraheret, *Magneticâ* quaſi virtute uſus eſt, qua etiam maximè obduratos peccatores, & corda ferrea ſibi adſtringeret. *parVVLVs oMnIa CorDa trahet.* Unde non inſcitè Franci, *Magnetem* ſuâ linguâ *pierre aimant* vocitârunt. [a] *Quid ferri duritia pugnacius!* inquit Plinius; *Sed cedit & patitur amores: trahitur nempe à MAGNETE, domitrix illa rerum omnium.* Ita barbara Gentilitas, ſuis ipſa marmoreis, ferreis, ac aureis idolis durior, hodie cedit, TRAHITURQUE *ab Amoris Magnete*; qui in aëre pendulus, *omnia* TRAXIT *ad ſeipſum.*

§. I. *JESUS infans, inſtar* ELECTRI, POST SE OMNEM HOMINEM TRAHIT. Job. 21.

§. II. *Chriſtus parvulus, inſtar* MAGNETIS, *ad ſe gentes, & peccatores trahit.*

§. III. *Chriſtus ſignis, verbo, & exemplo traxit ad ſeipſum.*

§. IV. *Cùm exaltatus fuero à terra: omnia traham ad meipſum.* Joan. 12. v. 32.

a Plinius lib. 36. c. 16.

FESTUM

FESTUM EPIPHANIÆ DOMINI.

Omnia traham ad meipſum. Joan. 12. v. 32.

DIvinus Vates Ezechiel, qui teſte Gregorio, *b magiſtrorum ſpeciem, & prædicantium typum tenet*, quem D. Hieronymus *c ſcripturarum Oceanum, & myſteriorum Dei labyrinthum* indigitavit, inter ſtupenda æternæ Majeſtatis oſtenta, quæ illi per viſum cœlitus objecta fuêre, narrat ſe vidiſſe nubem igneam, fulgore miro undique coruſcantem, quaſi vehiculum Dei; *d* porrò in hujus medio, exhibuiſſe ſe ſpeciem electri, id eſt, imaginem hominis ex electro: *e vidi*, inquit, *& ecce nubes magna, & ignis involvens, & ſplendor in circuitu ejus, & de medio ejus quaſi ſpecies electri, & quaſi aſpectus hominis*. In qua electri ſpecie contemplanda, ut varia Sacrorum Commentariorum deſudârint ingenia, quæ cæteris non minus ingenioſè, quam copioſè primum Orbis oraculum, Summus Pontifex Gregorius, *f* illud expoſuiſſe perhibetur; qui ut alii electrum, ſeu ſuccinum, bitumen eſſe velint, quod è ſcopulis manat, atque aëris, & aquæ frigiditate, cryſtalli inſtar dureſcit, ſeu ut rerum omnium magiſter Plinius, ex auro & argento *g quinta ſui parte* coaleſcit, aptiùs ad propoſitum noſtrum ipſe diſſerit: *h Quid* ELECTRI *ſpecie, niſi Chriſtus Jeſus, mediator Dei & hominum deſignatur?* ELECTRUM *quippe ex auro & argento eſt. In* ELECTRO, *dum aurum, argentúmq; miſcetur, argentum ad claritatem creſcit; aurum verò à ſuo fulgore palleſcit. Illud ad claritatem proficit, hoc à claritate temperatur. Quia igitur in Unigenito Dei Filio, natura divinitatis unita eſt natura noſtra, in qua adunatione, humanitas in majeſtatis gloriam excrevit; Divinitas verò à ſui fulgoris potentia, humanis ſeſe oculis temperavit: per hoc quod natura humana clarior facta eſt, quaſi per aurum crevit argentum; Et quia divinitas à fulgore ſuo noſtris eſt aſpectibus temperata, quaſi aurum nobis palluit argentum. Illa enim natura immutabilis, ſi ita, ut eſt, nobis apparere voluiſſet, fulgore ſuo nos incenderet potiùs, quàm renovaret; ſed claritatem ſuæ magnitudinis temperavit noſtris oculis Deus; ut dum nobis ejus claritas temperatur, etiam noſtra infirmitas per ejus ſimilitudinem, in ejus luce clareſceret.* Ac tandem concludit: *quaſi* ELECTRUM *ergo in igne, eſt Deus factus homo id perſecutione.* Hactenus Gregorius. Habetis itaque Deum in carne, electum à ſeculis, nobis electrum apparuiſſe, & illam Ezechielis viſionem Electri, ſpeciem hominis Dei, ſeu

b S. Greg. l. 26. mor. c. 5. & in Ezech. h. 12. c Hier. in c. 347. Ezech. d Cor. hic. e Ezech. 1. v. 4. & v. 26. & 27 f Cæſius de miner. lib. 3. c. 8. ſ. 2. g Plin. l. 33. c. 4.

h S. Greg. in c. 1. Ezech. l. 1. hom. 2.

verbi incarnati adumbrâſſe. Nunc quemadmodum Electrum hoc paleas traxerit, fœneam noſtram carnem, & hominem ſtipulam, atque in Bethleemitico ſtabulo, ſtramen, & feſtucas traxerit, videamus: Tum quid magnaticum, quid magneticum in divino pumilione refulſerit quo magnates ex ultimis orientis finibus ad ſe traxerit; ac tandem quibus amoris vinculis, per omnem vitam, mortalium corda, & in morte omnia ad ſe traxerit, deducemus.

§. I.

Jeſus Infans, *inſtar* ELECTRI, POST SE OMNEM HOMINEM TRAHIT. Job. 21. v. 33.

ÆTerna, & immenſa Dei bonitas, non valuit, ut vellet, potentiùs vires ſuas exerere, nec prodigaliter prodigum in homines amorem ſuum efficacius comprobare, quàm incredibili, & incomprehenſibili vi Divina hominem ad ſe trahens, intimè ſibi copulando. Quod amabile, & admirabile myſterium Prophetæ illius vaticinio aliquando ſignificavit: *i Charitate perpetua dilexi te, ideò* ATTRAXI *te, miſerans tui.* Si uſquam, vel unquam, hîc profectò ſe electri naturam induiſſe, & expreſſiſſe declaravit. Solertiſſimus ille naturæ oculus Plinius, qui omnia ſcrutatus eſt, ſic ait: *k* ELECTRUM *attritu, accepta caloris anima, trahit in ſe paleas.* Quæ doctiſſimus Maldonatus ſcitè propoſito noſtro accommodat, dicens: *l* ELECTRUM *autem miſericordiæ ſymbolum eſt, ut videtur Hieronymus interpretari*: *m* ELECTRUM *enim, ſicut miſericordia*, ATTRAHENDI, *alliciendîque vim habet*, etiam dum maxime mortalium injuriis, ac flagitiis, velut affrictu concitata. Quod tùm maximè potuit, dum fœneam noſtram naturam attraxit; Unde Bernardus *n quid tantopere declarat ejus miſericordiam, quam quod ipſam ſuſcepit miſeriam? Quid ita pietate plenum, quam quod Dei verbum propter nos factum eſt* FÆNUM? Quod proſequitur eximius interpres; illud Iſaiæ: *o Clama, omnis caro fœnum*, ſic perappoſitè exponens: quorſum hoc clamare jubetur Iſaias? at reſpondet: Vide hîc *Verbum* dum caro factum eſt, factum eſt fœnum, quia omnis caro fœnum, & omnis caro per peccatum ſimilis facta erat jumentis. *Cognoſce ergo*, inquit Bernardus, *p pecus, quem non cognoviſti homo. Adora in ſtabulo, quem fugiebas in paradiſo. Honora præſepium, cujus contempſiſti Imperium. Comede fœnum, quem panem, & panem Angelicum faſtidiſti.* Quin & in paleis naſcitur, ut nos tanquam leves paleas ad ſe trahat. Rurſus itaque jubetur Iſaias clamare: *omnis caro fœnum*; ut homines intelligant, quantum ſe propter eos demiſerit, & exinaniverit *Dei Verbum*, quámque immenſa fuerit Divina bonitas, qua Chriſtus voluit attrahere homines tam infirmos, & fragiles, ut ſint inſtar paleæ aut fœni, quod ſtatim marceſcit; *q* ſimul ut homines cognoſcant ſe ad hanc Chriſti gratiam, & gloriam im-

i Jerem. 31. k Plin, l. 37. c. 3. l Mald. in Ezech. c. 1.

m Cornel. in Iſa. c. 40. v. 6. n D. Bern. ſerm. in Epiph. o Cornel. in Iſa. c. 40. v. 6. p Bern. ſerm. 35. in cant. q Corn. cit.

mortalem ; non naturæ viribus, ſed dono Dei pervenire; ſi videlicet fœno, id eſt cum carne *Verbi*, quod manet in æternum, arcano amoris nexu jungantur. Ita Theodoret. Procop. Hieronymus. Hujus inſtituti ſectator egregius Hector r Pintus in Ezechielem: Eſt etiam altera ratio, inquit, cur Dei bonitas electro comparetur. Ut *Electrum* paleas ad ſe attrahit à terra, ſecúmque unit, & amplectitur; ſic Dei virtus, nos ad ſe allicit à rebus terrenis, nóſque ſecum retinet, & adunat. Quid eſſemus abſque Divinæ bonitatis favore, niſi paleæ in terra jacentes? ſ *Adhæſit pavimento anima mea*, dicebat Pſaltes; ac ſi diceret: palea eram adhęrens pulveri, humi eram proſtratus, ſcelere oppreſſus; at tu Domine me attraxiſti ad te, & ut *pretioſum ſuccinum* erexiſti, & ad te ipſum elevaſti. Ex illo Electro ſuſpendantur per hoſce dies, noſtrûm omnium ſenſus, mentes, cogitationes, curæ, ſolicitudines, opera, & labores. Accedamus confidenter ad illud Electrum miſericordiæ, ut ab eo ſuaviter rapiamur. Fugit olim Adamus dum loquentem, & quaſi avertentem in Paradiſo Dominum audivit; non fugiat modò eùm homo ſilentem, & allicientem in fœno, in præſepio. Suaviſſimè ad hoc invitat Doctor mellifluus: t *Noli fugere*, inquit, *noli timere, non venit cum armis: non puniendum, ſed ſalvandum requirit, & ne forte dicas, etiam nunc, vocem tuam audivi, & abſcondi me. Ecce infans eſt, & ſine voce: nam vagientis vox, magis miſeranda eſt, quàm tremenda.* Alliciat igitur nos Chriſti humilitas, non deterreat. Ejus humilitatem & majeſtatem in præſepio veneremur, & admiremur cum Ezechiele, v cui Dominus iteratò apparuit, humanam ſpeciem indutus, & inferior corporis pars tota igne collucebat, ſuperior ſimilis *Electro* radiabat. Origenes: *Non totus eſt igneus; ſed* ELECTRI *fulgore rutilat: non enim ſolus tormenta habet Deus* (ut olim) *ſunt in ea etiam* (dum in carne) *refrigeria.* Hoc Divinum verbum antequam Electrum eſſet, cùm ſola Divinitate radiaret, neque noſtra ex humilitate colluceret, non trahebat ad ſe, imò neſcio qua ſui majeſtate omnibus inacceſſa, quodammodo avertebat; nunc verò omnes ad ſe trahit, ſua, ſeu noſtra humanitate, & humilitate. Olim filii Iſrael ad Deum, ignem, & flammas evibrantem propius accedere reformidabant, dicentes: x *Non loquatur nobis Dominus: ne fortè interficiat nos*: Quod Chryſologus attendens, ſic aureo dicendi flumine excurrit: y *Obſederat pavor omnia, timor ſolverat univerſa, cuncta concuſſerat terror: in Cœlo Divinus ſplendor proſtraverat Angelos: in terra tonitrua, & fulmina corda mortalium quaſſabant. Sic nimius pavor Angelos fugavit, homines traxit ad idola, fecit omnes Creatorem fugere, colere creaturas.* Quod Deus noſter, qui amor eſt, videns: *Mundum labefactari terrore, continuò agit, ut eum amore revocet, invitet gratia, charitate teneat, conſtringat affectu.* Sæpius quidem tentavit amore hominum mentes flectere, & ad ſe trahere; numquam tamen id

r Hector Pintus in c. 1. Ezech. ſ Pſalm. 118. t Bernard. Sermon. 1. in Natali Domini.

v Ezech. c. 1. v. 27. & c. 2. v. 2. x Exodi 9. y. Chryſolog. Sermone 147.

egit

egit manifeſtiùs, nec magnificentiùs, quàm dum :

Fœno jacere pertulit,
Præſepe non abhorruit.

Unde ſic rectè concludit idem Chryſologus : z *Sic naſci voluit, qui voluit amari.* Omnia quæ cernis, amorem ſpirant, omnia trahunt nos ad amandum. Trahunt amabiles ſuper pallidas genas depluentes lacrymæ : trahunt rubicunda labia, lacte & melle manantia : trahit vox ſuper omne melos ſuaviſſima : trahit vultus plenus gratiarum : trahunt panni, trahunt omnia vincula charitatis. Hieronymus, *a cujus eloquium,* inquit Auguſtinus : *Ab Oriente uſque ad Occidentem inſtar lampadis refulget*, ita diſſerit : *Si in* SUCCINIS *hæc vis eſſe dicitur, ut ſtipulas, & feſtucas ſibi copulent; quantò magis Dominus omnium creaturarum, ad ſe* TRAHERE *poterit?* quantò magis divinum illud Electrum, homines vanitati ſimiles, qui ſunt *ſicut paleæ ante faciem venti*; ad ſe trahere poterit? quantò magis ſpecioſus forma præ Filiis hominum, ad ſe trahere deberet juvenum corda, qui inſtar paleæ, neſcio cujus infamis pellicis formâ attracti, ſervantur igni inextinguibili? b *Fulgor ipſe,* inquit idem Doctor, *& majeſtas Divinitatis occultæ, quæ in humana facie relucebat, ex primo, ad ſe, videntes* TRAHERE *poterat aſpectu*; omnes quippe pulchritudines, ac venuſtates creatæ, meriſſimæ fœditates ſunt, ſi cum vultu illo, *cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur*, & in quem deſiderant Angeli proſpicere, conferantur. Quicumque Chriſtum hîc in terris, vel momento unico intuebatur, amore ejus totus incenſus, ex primo aſpectu, omnibus ſpretis trahebatur. Tantâ porrò pulchritudine fuiſſe ait D. Chryſoſtomus, ut paratum ſe aſſeveret omnes cruciatus, & inferorum pœnas experiri, dummodo venuſtiſſimum JESU vultum, uno dumtaxat oculorum ictu, per tranſennam contueri liceret. Sordes ſunt omnes, quæcumque exiſtêre virorum, aut mulierum formæ, quæ tot hominum corda, ut paleas leviſſimas taxêre. Traxit olim Paulam à propinquis, & cognatis, ex amplis, & auratis atriis, ex ſplendido Romanarum Matronarum contubernio, ex urbe, Orbis Domina, ſanctum illud Bethlemiticum tugurium, nuda JESU cunabula, præſepe, in quo Divinus infans aliquando vagiit, atque ipſa loci facies, omnes rapuit Paulæ ſenſus, & amores. Et non trahat ad ſe oculos mentis, cogitationes, curas, ſenſus noſtros, Diviniſſimi infantis vultus, ſuaviſſimè ridentis, ac renidentis? ſed potentiores fortè ad commovendas mortalium animas, flentis ac gementis lacrymæ; quæ quo in pretio, & quam vim habere debeant, ut affectum, & amorem noſtrum ad ſe rapiant, videamus. Antehac flere miſerum, molle, muliebre, & prorſus indecorum, adeò ut Ezechiam Regem ſuppuduerit lacrymarum, & illis erumpentibus ſe ad parietem converterit; ne ab adſtantibus, teſte Hieronymo, Rex

z Chryſolog. Serm. 158. a Auguſtin. Epiſt. ad Hieronym. Hieron. in Matth. c. 9. b Hieronym. cit.

c. Hieronym. Epiſt. 27. ad Euſtachium.

flere videtur. Hoc enim, ut refert Iſidorus, priſci Philoſophi ſententia, à Regia majeſtate ita alienum; ut Alexander, Orbis Dominus, & Domitor, Tragœdum capitis reum condemnârit, quod funebri dramate, Regi lacrymas excuſſiſſet. Multò magis à diis immortalibus, veteres omnem fletum remotiſſimum aſſeverabant.

d Neque enim lacrymare deorum eſt

At verò nunc, immutata ſunt omnia, ubi Rex Regum, Cœli gaudium, Angelorum delicium, Dei Filius, infantili more, à lacrymis lucem auſpicatur. Nunc lacrymæ Chriſti in vinum, lacrymæ in gemmas, lacrymæ in Electrum commutantur: non vanus olim Vates *e* cecinit, Heliadum lacrymas, fratrem Phaëtonta plorantium, in Electrum verſus eſſe: *Quæ*, ut Auguſtinus, loquitur, *ficta quidem narratione, ſed veraci ſignificatione dicuntur*, cùm eas Orbis lacrymas acceperit, quæ pretio omne Electrum exſuperant, & virtute ſua non paleas ſed vana mortalium corda attrahunt.

g His meritò *eſt honor & lacrymis.*

Vindocini in Gallia, ut fidus Auctor Lorinus *h* refert, exſtat etiamnum ſumma in veneratione lacryma Chriſti, quæ ſtupenda pietatis edit teſtimonia, atque è remotis, & longè diſſitis oppidis, innumeros ad ſe trahit. Quidni, quæ hodiernâ luce in antro Bethleemitico innumeræ, eæque calidiſſimæ depluunt, corda noſtra ad ſe trahant? felix profectò, ac pretioſa anima, quæ vel unam exceperit, eique immerſa, amore tota à ſe abierit. Electri forte gutta formicam attrahens, pretioſa morte illam conſepelivit; ut eleganter Martialis luſit, lib. 6.

i Dum phaëtontæa formica vagatur in umbra,
Implicuit tenuem ſuccina gutta pedem.
Sic modo quæ fuerant vita contempta manente,
Funeribus facta eſt, nunc pretioſa ſuis.

Exiles nos terræ vermiculi, & viles homunciones, ingens omnium laborum pretium acquirimus, ac pretioſâ Sanctorum morte defungimur, ſi vel unicâ Chriſti lacrymâ tingi, noſtraſque illi attemperare contingat. Denique ſi nec pueri ridentis vultus, nec flentis lacrymæ flectant, vagientis ſaltem vox alliciat, & attrahat. Orpheum Muſæ filium molliſſimis fidibus, rationis etiam expertes feras demulſiſſe, omnes fabuloſi teſtantur Scriptores, omnium ferme pictorum colores loquuntur. Quare leo & aper propè adſunt, Orpheum auſcultant, & cervus quidem ac lepus, minimè ab impetu leonis reſiliunt, & quibuſcumque in venatione terribilis fera viſa eſt, congregantur placidi, ac remiſſi, cum ipſo, ut apparet, feriante. Ceterum ne aves quidem inertes videris, non canoras tantum, quibus ſuaves modulos concinere in ſalti-

d Ovid. lib. 4. faſt. e Ovid. lib. 2. metam. f Auguſtin. lib. contra mendacium c. 13. g Ovid. 10. metam. h Lorinus in Pſalm. 55.

i Martialis lib. 6.

ſaltibus mos eſt: quin etiam vide clamoſum graculum, & ſtridulam cornicem, & Jovis aquilam: hæc quidem qualis eſt, alarum librata remigiis, & ſponte ſua defixis oculis Orpheum ſpectat, nec ſe ad proximum lepuſculum, prædæ ſcilicet oblita, convertit. Hic enim verò conſtrictis maxillis (quæ ars eſt Orphei mulcentis) & lupi & agni promiſcuè attoniti, ſaltatorium orbem verſant. Majus porrò quiddam animoſus pictor comminiſcitur: nam arbores à radicibus avulſas, ad auſcultandum orpheum ducit, atque ipſe in orbem ſiſtit. Pinus igitur, & cupreſſus, & alnus, & populus, hæc & aliæ quævis arbores, confuſis ramis, tanquam conſertis manibus Orpheum circumdant, ac certè Theatrum, ipſius gratiâ, non ſine exquiſito artificio circumcludunt. Cerne jam ut omnia vocali illius plectri modulamine tacta, & ſuaviſſimè tracta geſtiant, feritate poſita miteſcant. Sic TRAXIT *Amphion lapides canendo*, imò, ut Auctor eſt Philoſtratus, fecit, ut ſaxa illa immania, in Thebanæ urbis conſtructionem, ſua ſponte mirabiliter convenirent: quædam in fundamenta cederent, quædam in faſtigia ſurgerent, quædam ad ſolidanda extrema interjacerent, omnia ad amuſſim, & libellam coagmentata, in portentoſam ſtructuram necterentur. Faceſſant veteres Orphei, & Amphiones, quos ſolum inanes fabulæ dicunt habuiſſe vires, ad res ſenſus, rationiſque expertes, incantandas. Verbum Infans omnes hos vel vagitu ſuo mutos reddet, atque elingues, quo longè potentiùs efferos mortalium animos, de ſuis ſedibus ad ſe traxit, & incantavit. Sic ſenſit D. Clemens Alexandrinus, dicens: k *Verbum divinum, ſolus eſt ſanctus animæ* INCANTATOR. Quod de verbo incarnato, exhortatoriâ ad Gentes, expreſſit. Ubi dum exploſit fictos, ac fabuloſos illos Orpheos, & Amphiones, ſubdit: non talis eſt meus Cantor, *ſolus quidem ex iis*, qui unquam fuerunt, difficillimas *feras*, homines *manſuefecit*. Quod ſtatim explicat: l *Nam ſævos, ut leones, ad manſuetudinem: fallaces, ut vulpes, ad ſinceritatem: obſcœnas, ut ſues, ad continentiam: & ſic alios, aliis vitiis propenſos, ad alias virtutes, iis vitiis contrarias revocavit.* Hoc enim illud eſt, quod præcinit Iſaias: m *Habitabit lupus cum agno, & hædus cum pardo accubabit.* Ubi rectè obſervat Hieronymus, non agnum cum lupo; ſed vice verſa, lupum cum agno habitaſſe: quod non agnus in lupinam ſævitiam degeneraret, ſed potius lupus in agninam innocentiam. Hoc illud eſt: n *Vitulus, & leo, & ovis, ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Hoc illud eſt: *Leo quaſi bos paleas comedet.* Quid enim obſecro, eſt aliud, tam feras belluas, in cicures commutatas, niſi improbos homines, in bonos quodammodo transfuſos? At quis tam Divinam in hominum moribus fecit metamorphoſim? o *Solus cantator meus Chriſtus, ex omnibus qui unquam fuerunt, difficillimas feras, homines manſuefecit.* Et

k Clemens Alexand. lib. 1. pædag. c. 2. l Clemens Alexand. in exhort. ad gent. m Iſaiæ 11. 6. n Iſaiae ibid o Clem. Alexand. cit.

quem-

quemquam veſtrûm hæc mira harmonia, illis fabuloſis præferenda, non flectat? non iram ex animo, ferrum à latere deponere, pellicem domo deturbare, omnia vitiorum monſtra mitigare non compellat? at quæ harmonia, dicet aliquis, à Verbo Infante elicietur? ubi nulla eſt eloquentia, facundia nulla, ſumma infantia, quæ melodia, quis concentus audiatur? certè jucundiſſimus: nam ex illo *Verbi* ſilentio & vagitu, mirabilis quędam harmonia exiſtit. Quid illo ſilentio ſuavius? teſtem ego appello Petrum Damianum, profanis aliquando concentibus deditiſſimum; ſed cum hauſit harmoniam, quantum diverſus ab illo, qui quondam fuerat, exclamavit: *p Olim mihi Tullius dulceſſebat, blandiebantur carmina Poëtarum, & Syrenes dulces meum incantaverant intellectum. Neſcio quomodo dulciùs immurmurat* FILIUS JESSE, *qui omnes, illosquos antea diligere conſueveram, ineloquentes reddidit & mutos.* Vides ut illa Tulliana Eloquentia ſit infantia, ſi cum hac infantuli balbutiæ conferatur? ut illa Virgiliana Poëſis ſit inertia quædam ruſticana, ſi cum hac *Æterni Verbi* taciturnitate comparatur? ut illa fabuloſa ſyrenum dulcedo, ſit quædam injucunda auribus raucedo, ſi cum illis *Æterni Verbi* ſuſpiriis, & ſingultibus componatur? ut illi quondam vates, & cantores, poëtandi, & cantandi peritiſſimi, ſi cum puero immurmurante, ſeu muſſitante, balbutiente, & vagiente certare velint, muti omnino, & elingues videantur: *q Laudemus*, inquit Sapiens, *Viros glorioſos in peritia ſua; requirentes modos muſicos*. Sunt qui legant, non *in peritia*; ſed *in pueritia*. Quaſi illi veteres Patriarchæ, & Prophetæ, quorum immortalis gloria commendabatur, ex eo commendabiliores viderentur, quod in pueritia modos muſicos requirebant. At quos ſuaviores numeros ulla in pueritia reperirent, quam in pueritia hujus infantis vocaliſſimi? hic è ſuis paſcuis vigiles ad ſe Paſtores excivit. Hic Cœlo evocavit, & in terras pertraxit non aves, ſed cœlites: crederet viator auditis tot choraulis, alteros per nubes Amphionas volare, & novam cum Orpheo ſuo velle Rhodopen ambulare. Sic ubique & ruſticæ teſtudines ſtrepere & citharę tinnire, & nablia canere, & valles omnes, colleſque geſtire audiebantur. Hactenus parvulum qui natus, & datus eſt nobis, pauperculos è ramali, & mapali ſuo opiliones, ac gregum cuſtodes, amoris electro, & linguæ plectro, ad ſe rapuiſſe cognovimus. Nunc quemadmodum potentiori amoris vi, inſtar lapidis ſyderitis, ſeu magnetis, remotiſſimas gentes, alta caligine merſas, ab idolis ſuis, & induratos ac ferreos peccatores, à flagitiis abductos, ad ſe attraxerit, expendamus.

p Petrus Damian.

q Eccl. 44. v. 5.

§. II. Chri-

§. II.

Chriſtus Parvulus, inſtar Magnetis, ad ſe gentes, & peccatores trahit.

NAturalium rerum indagatores, multi ſunt in effectu medico & virtute mirâ lapillorum commendandâ, & prædicandâ, ut Hæmatitæ, lapidis *Bezoar*. Alii præ his in pretio habent illos, qui raritate, ſplendore, æſtimatione, apud homines valent plurimum: ut ſunt carbunculi, topazii, berilli, ſapphyri, Adamantes. Præ his tamen omnibus, hodierna die vobis lapidem proponam, qui virtute omnes lapillos medicos, pretio omnes gemmas, & adamantes antecellat. Plinius l. 36. cap. 16. *r à marmoribus digredienti ad reliquorum lapidum inſignes naturas, quis dubitet imprimis* MAGNETEM *occurrere? quid enim mirabilius? aut qua in parte naturæ major poteſtas? Quid ferri duritia pugnacius? ſed cedit, & patitur mores.* (alii legunt amores) TRAHITUR *námque à* MAGNETE LAPIDE, *domitrixque illa rerum omnium propius venit, aſſiſtit, tenetúrque, & complexu hæret.* Scitè, & eruditè, Franci, magnetem aptiſſimo vocabulo, *aimant* vocitârunt; potentiſſimus quippe magnes, Divinus amor eſt: *Quid* enim illo *mirabilius? Quid mirabilius*, quàm *Verbum Infans*, quam immortalem mortalem, omnipotentem faſciis conſtringi, Deum hominem fieri, vitam mori; *aut qua in parte naturæ major poteſtas?* quam in amore, de quo Poëta: *omnia vincit amor* etiam omnipotentem. Unde Bernardus: *ſ Triumphat de Deo amor*, quem è ſolio majeſtatis, è ſinu Patris, ex Angelorum contubernio, in vile tugurium, in præſepium, inter brutas animantes pertraxit. Et quorſum hæc niſi ut ferrea corda, & obduratos animos ad ſe traheret? *Quid ferri duritia pugnacius? ſed cedit, & patitur amores: trahitur námque ab amoris* MAGNETE *domitrix illa rerum omnium.* quid Barbara, & effera gentilitate durius, quid pugnacius? ſuis ipſa idolis marmoreis, Æneis, ferreis, longè durior gentilium animus; ſed hodie cedit, *trahitúrque ab amoris* MAGNETE. Ex Judæis antè traxerat Paſtores, quoniam ex Judæis præcipuos, primóſque Paſtores Eccleſia habuit: Petrum Pontificem ſummum, Paulum, & reliquos Apoſtolos. Ex gentibus traxit *Magos Reges*, quia ex Gentibus multi Reges ac Principes, multi Potentes, ac ſapientes, Chriſto nomina dedêre. Paſtores è propinquis locis; quia gentes idolorum cultrices longè diſtabant. Unde Auguſtinus: *t Manifeſtatus eſt Chriſtus iis, qui propè, & iis qui longè erant; Judæis in Paſtorum propinquitate: gentibus in Magorum longinquitate.* Sed amabo vos, quid hos tres alienigenas, potentiſſimos Dynaſtas, ex ultimis orientis finibus ad an-

r Plinius l. 36. c. 16.

ſ Bern. ſerm. 64. in cant. t Aug. ſerm. 2. in Epiph.

trum

trum Bethleemiticum evocavit, excivit, attraxit? num divinum æternæ ſapientiæ alloquium, ut olim Salomonis Reginam Auſtri? num Regalis *Verbi incarnati* majeſtas, aurato ſedens ſolio, Sceptro, diademate, & famulantum catervâ. ſtupenda? nihil horum, inquit Hipponenſis Præſul: v *Neque enim ætas erat, cui adulatio humana ſerviret. Non ſub poplite ſella Regalis, non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat: non pompa famulantium, non terror exercitus, non glorioſorum fama præliorum hos ad eum viros ex remotis terris cum tanto voto ſupplicationis* ATTRAXERAT; ſed panni, præſepe, ſtabulum, Deus infans. Quærit opportunè Gilbertus: x *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia* TRAHAM *ad meipſum. Quid verò cùm humilitatus fueris ad Terram? nónne omnium ad te* TRAHIS *animos.* Hi itaque tres Reges, divina hujus Magnetis virtute attracti, propius y *veniunt, aſſiſtunt, complexúque hærent.* Pretio & æſtimatione Magnetem, quamtumvis pretioſum Adamantem exſuperare, ex eo convincitur, quòd ejus ſolius arcanâ & z *divina*, ut S. Thomas ait, *virtute*, qua ſemper polum ſpectat, aurifera Indiarum Regio inventa ſit. At longè beatior Magorum ſors, qui potentiori magnetis ductu, invenerunt omnium theſaurorum Dominum, totiúſque Orbis Regem opulentiſſimum, illiúſque matrem locupletiſſimam, ex quibus univerſus Terrarum Orbis Cœleſtes opes comparavit: a *Invenerunt puerum cum Maria Matre ejus.* Non novi orbis hæc inventio, auro referti; ſed novæ matris, novíque Filii, Cœleſtibus divitiis refertiſſimi. b *Nova mater, mater Virgo: novus Filius, Deus homo*, omnium divitiarum pelagus infinitum. Quid ni adamantibus & gemmis, divinus hîc magnes conferatur; Salvianus Antiſtes: c *ſicut illas*, inquit, *naturæ admirabilis gemmas ferunt, quæ porrò propius admotæ, duriſſimum licet chalybem affectu quodam aſpirante ſuſpendunt; ita etiam ille, id eſt ſumma, & clariſſima negotiatorum gemma* (Chriſtus) *hoc valuit; ut, dum ſe licet duriſſimis nobis, deſcendens de Cœlo, propius adjungeret, affectu ſui nos quaſi amoris ſui manibus admoveret.* Magnetis naturam ejúſque arcanam vim, qua ferrum mole ſua graviſſimum quovis etiam obice interpoſito ad ſe leviſſimè trahat, nemo hactenus aſſequi potuit. Lucretius d dum eam quærit, multis nugatur, ac tandem eò devolvitur, ut ſecretum eſſe dicat nec *ipſius rei*, *rationem reddere poſſit.* Empedocles Agrigentinus vim ejus admirandam cum nec caperet, nec ſaperet, magnetem animatum aſſeret, firmavit. Auguſtinus lib. 21 de civit. cap. 4 vocat *mirabilem ferri raptorem.* Ubi cumprimis obſervandum occurrit, quod e Nicandro tradit Plinius, inventorem magnetis opilionem extitiſſe, qui dum greges ovium duceret, ferrei clavi calceis in-

v Aug. ſer. 7. in Epiphaniam ſerm. 35. de temp. x Gilbert. ſerm. 20. in cant. y Plin. cit. z S. Thom. quodl. 12. c. 12.

a Matth. 2. b Hugo de S. Victore inſtitut. mon ſerm. 49. c Salvian. l. 4. d Lucret. lib. 6. e Vives. in Auguſt. l. 21. c. 4. f Plin. l. 16. c. 16.

fert

ferri, & pedum paſtorale chalybe præmunitum, lapidi magneti, qui plures illic reperiebantur, adhæſit. Ludovicus Vives g præſtans, & elegans Auguſtini interpres: narrant, inquit, nautæ noſtrates, in ima India eſſe maritimas cautes magneticas, quæ medio curſu navigia, ſi quid in eis ferri vel unius clavi, ſiſtant, detineant, attrahant, atque idcirco, qui illac ſunt prænavigaturi, poſtes navium ligneis clavis ſolitos compingere. Addunt alii *h*, equites cataphractos in ejuſmodi cautes fortè tranſeuntes, ex equis detractos, quæ ut à multis commenta, & figmenta habeantur, convincit tamen Sanctiſſimi, juxtà ac Sapientiſſimi Doctoris Auctoritas, effectus non minus mirandos, quos vidit, & obſtupuit, approbantis: dum annulos ex annulis ſibi cohærentes, in catenam aſſerit quaſi conflari. Quod naturæ miraculum ſubtiliſſimum orbis Doctorem, in ſacrum horrorem, ac ſtuporem rapuit; ipſum audite: *i Magnetem*, inquit, *novimus mirabilem ferri eſſe raptorem; quod cum primum vidi, vehementer inhorrui: Quippe cernebam à lapide ferreum annulum raptum, atque ſuſpenſum; deinde tanquam ferro, quod rapuerat, vim dediſſet ſuam, communémque feciſſet, idem annulus admotus eſt alteri, eúmque ſuſpendit: atque ut ille prior lapidi, ſic alter annulus priori annulo cohærebat: acceſſit eodem modo tertius: acceſſit & quartus. jamque ſibi per mutua connexis circulis, non implicatorum intrinſecus, ſed extrinſecus adhærentium, quaſi catena pependerat annulorum.* Tum admiratione defixus exclamat: *Quis iſtam vim lapidis non ſtuperet; quæ illi non ſolum inerat: verum etiam per ſuſpenſa tranſibat, & inviſibilibus ea vinculis ſubligabat.* Hæc Auguſtinus. Quis illam vim lapidis non ſtuperet? Quis illam catenam nullo fabro, aut malleo connexam, non demirabitur? Verum enimverò de quo nos agimus, Magneticus Redemptoris noſtri amor, omnia hæc naturæ portenta excedit, & admirationem omnem in ſtuporem vertit. Hic porrò Paſtores cum Pedo, hic Reges cum diademate, hic equitem cataphractum, hominem ferreum Saulum ex equo traxit. Naves, quibus S. Ambroſius *k* homines conferre non dubitavit, plenis velis & remis in ſyrtes, & ſcopulos abripiendas, in portum ſalutis feliciter attraxit. Catenam autem gratiarum, meritorum, ac beneficiorum, velut tot annulis conflatam, adeò ſtupendam concinnavit, ut potiori jure hîc exclamare liceat: *l Quis iſtam vim* Cœleſtis *lapidis* (amoris, inquam, Divini) *non ſtuperet?* amabilis noſter Deus, Magnes eſt, veriſſimus *Aymant* qui, ut Bernardus loquitur, *m non modò amans, ſed amor eſt*, multiplici ad ſe illicio frigida, ac ferrea mortalium corda pertrahens, ut luculenter teſtantur innumera mortalibus collata beneficia, quæ in uſus noſtros largiſſimè effudit. Numera, ſi potes, hortorum flores, agrorum herbas

g Vives. ci.. h Caſius de mineralibus l. 4. part. 1. c. 6. i Aug. l. 21. de civit. c. 4.

k Amb. in pſal. 1. l Aug. cit. m Bern. ſerm. 83. in Cant.

&

& gramina, ſilvarum arbuſta & fruteta, camporum greges, & armenta, nemorum feras; ætheris volucres, oceani piſces, Cœli orbes, & auguſtum illud Divorum prætorium, longè omnem Regiam excellens amplitudine. Concatenata hæc benigniſſimi Numinis beneficia ſuſpicit, & admiratur, quantumvis gentilis Seneca: *n tot arbuſta*, inquit, *non uno modo frugifera, tot herbæ ſalutares, tot varietates ciborum, per totum annum digeſtæ. Iam animalia omnis generis: alia in ſicco, ſolidóque: alia in humido innaſcentia: alia per ſublime demiſſa; ut omnis rerum naturæ pars tributum aliquod nobis conferret.* Tum ſubdit: *quis tam miſer, tam neglectus, quis tam duro fato genitus, ut non tantam munificentiam ſenſerit?* quis tam ferreus, ut tot beneficiorum annulis non trahatur? largitur inſuper *innumerabilia, oculos, aures, animum mulcentia: neque enim neceſſitatibus tantummodo noſtris proviſum eſt; uſque in delicias amamur.* Chaldæus Paraphraſtes illud Oſeæ: *Traham eos in vinculis charitatis*, exponit: *ſicut moris eſt* TRAHI *filios dilectos*, TRAXI *eos in fortitudine charitatis*, pluſquam Magnetica. Quàm forti vinculo, quàm magnifica, ac Magnetica virtute, beneficia ac munera, mortalium corda trahant, manifeſtum eſt; at quis unquam homo homini tanta contulit, quanta tibi Deus, ut te totum ad ſe raperet? nam ut præclarè Patriarcha Venetus: *p Beneficia Dei, manu quadam ſpirituali jacentem erigunt, & gratitudinis vinculis ad Deum* TRAHUNT. Quod ſi ea, quæ animo contulit, expendamus, *q quis illam vim* Cœleſtis *lapidis non ſtuperet?* paucis ea complexus ingenioſus ac Religioſus Doctor Leonardus Leſſius; *r* conſideranda ſunt, inquit, Dei dona in ſe ipſis quàm magna, quàm varia, quàm innumerabilia, ſive quæ ad animam, ſive quæ ad corpus pertinent, omnes enim creaturæ vel conditæ ſunt propter hominem, vel benignitate conditoris, ſerviunt homini, ut eum dirigant ad ſalutem. Et hæc omnia externa ſunt. Jam interna omnem æſtimationem ſuperant: præter enim integritatem corporis, & ſenſuum, quorum nullum vel cum regno ampliſſimo commutare velis, dèdit animam immortalem, capacem vitæ æternæ: Dedit vim intelligendi, qua totum mundum, & ipſum Deum pulcherrimè in te depingas; & vim amandi, qua omnes virtutes, atque adeò Dei amicitiam omnis boni ſupernaturalis fontem conſequaris. In filium & hæredem Regni adoptavit: Nec quiſquam adeò durus, ac ferreus, ut divinâ per tot beneficiorum annulos virtute diffuſa non rapiatur, catenâ tam amabili non trahatur, totúſque rapiatur? Plinius lib. 24. c. 14. de hoc lapide agens: *ſ ſola hæc materia* (ferri) *vires ab eo accipit, retinètque longo tempore, alind apprehendens ferrum, ut annulorum catena ſpectetur interdum. Quod imperitum vulgus appellat ferrum vivum.* Eandem

n Seneca l. 4. de benef. c. 5. o Oſeæ 11. p Laurent. Iuſtin. l. 2. de ſpiritual. Reſurr.

q Auguſt. citat. r Leſſius lib. de jure & juſtiti. lib. 2. cap. 47. dub. ſ Plin. lib. 24. cap. 14.

Ferreorum annulorum concatenationem, vi Magnetica dependentium, admittunt S. Iſidorus *t*, S. Albertus Magnus *v*, Matthiolus *x*, Mylius *y*, Baſſa à Porta *z*, aliique, & vetus Poëta decantat:

a Hunc homines lapidem mirantur: quippe catenam
Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex ſe.
Quinque etenim licet interdum, pluréſque videre
Ordine demiſſos, levibus jactarier auris:
Unus ubi ex uno dependet ſubter adhærens.
Ex alióque alius lapidis vim, vincláque noſcit.
Abdita vis adeò peramanter pervalet ejus.

Denique ſi annulos ſpectemus, quibus Deus quemque noſtrûm ad ſe traxit, catenam non modò è terra in Cœlum protenſam, ſed prorſus immenſam comperiemus. Expende non quæ omnibus communia, ſed quæ in ſinum tuum munificus Dominus effudit. Domus veſtræ penuaria, omni copia vini, cereviſiæ redundantia: horrea tritico, ſolaria frumento, atria pretioſis periſtromatis conveſtita, arcas auro & argento oppletas, alias denique ex aliis fruges, cenſus, opes indies ſibi ſuccedentes cernere eſt. Quod ſi hæc parva ſint, adjiciam majora: *b unde tibi iſtum, quem trahis ſpiritum? unde iſtam per quam actus vitæ tuæ diſponis, atque ordinas, lucem? unde ſanguinem, cujus curſu vitalis continetur calor? unde iſta palatum tuum ſaporibus exquiſitis ultra ſatietatem laceſſentia?* Quod ſi quiſque in ſe deſcendat, inveniet innumera ſibi propria, per omnem vitam collata beneficia, præſentiſſimo periculo corporis, & animæ non ſemel ereptum, in Dei amicitiam toties receptum, ſacra Sinaxi frequenter refectum: Mitto à probis, piis, honeſtis parentibus natum, & educatum, diſciplinis variis excultum, ad talem ſtatum, ſeu officium provectum, aliáque, quæ in ſe ſinguli collata, ſi recenſere velint, nec finem, nec numerum invenient. Tam potenter vinculis charitatis, ab amabili Jeſu tracti, funem dimittimus, & attrahi nolumus. Si quis vel puer è littore funem porrigit, in vado hærenti, ſe ad illum attrahet, ut quidam ingenioſo ſymbolo amantium expoſuit: *dum trahimus, trahimur*. Trahit hic puer faſciis, trahit pannis, trahit *vinculis Charitatis*, & cor noſtrum quaſi de ſede evocat, ut cordi ſuaviſſimo Jeſu, indiſſolubili nexu copuletur. Quod ſi corculum illud Magneticum divini hujus puelli inſpicere liceret, quod *charitate perpetua*, ab omni æternitate *dilexi te*, ut attraheret te; non ſolum te ex caula bubulcum, ex officina fabrum, è muſæo cauſidicum, ex curia Senatorem; ſed & ex ſuis toparchiis nobiles, ex aulis Principes, & Reges pertraheret. Facit hîc ludus, qui quondam in Aula, Philippi II. Hiſpaniarum

t Iſidorus lib. 16. cap. 4. v Sanctus Albert. Magnus lib. 2. in mineral. tr. 2. cap. 1. x Matthiol. lib. 5. c. 105. y Mylius lib. 4. c. 18. z A Porta lib. 7. c. 25. a Lucretius lib. 6. b Seneca lib. 4. de benef. c. 6.

rum Regis habitus eſt. Ipſo pervigilio trium Regum, quatuor Principes Dynaſtæ, quos *grandes* vocant, chartis pictis ludebant, ſpectante viro Religioſo, qui Regi erat à concionibus. Accidit cuique alias inter chartas, obtingere Regem, quo ſibi quaſi de luſu evicto applaudente, quartus qui Regem cordis (quod teſſera ludi erat) habebat, omnes tres Reges ad ſe traxit, vicit, ac triumphavit. Quod ludicrum argumentum Regius concionator hac feſtiva luce aulicis expoſuit; natum Regem, *Dominum cordis*. HERTEN HEER, tres Reges mirabili & amabili luſu ad ſe traxiſſe. Altera catena verè aurea, gemmea, adamantina, gratiarum eſt, qua nos infixos luto, & demerſos in limo profundi, alto ſcelerum puteo hærentes attraxit, ut rectè Doctor Angelicus advertit, expendens illud: *c Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me*, TRAXERIT *eum*; de gratiæ illicio & attractiva virtute intelligit, dicens: *Magna gratiæ commendatio, nemo venit niſi* TRACTUS. Hoc experti hodiernâ die tres illi Sapientes *d quos ſtella præibat, quodammodo apprehenſa manu* TRAHENS *eos*; ſed non tam ductu ſideris, quàm interiori gratiæ luce ſecuti ſunt: nam *e qui per ſtellam foris admonuit*, inquit Bernardus, *ipſe in occulto cordis edocuit, & qui illos adduxit, ipſe & inſtruxit*. Hi poſtea velut annulos, complures alios traxerunt. Admirari, & percunctari hîc libet cum Doctore mellifluo: *f Cui comparabimus, aut cui ſimiles æſtimabimus viros iſtos?* Has primitias, hos Chryſoſtomus *g Eccleſiæ progenitores*, & *Euangeliſtas* nuncupare non dubitavit; qui cunctis nomen ſanctum unigeniti prædicarunt, & fidem ſuo ſanguine, ac glorioſo Martyrio confeſſi ſunt. Plato in Timæo: *h* MAGNES LAPIS *non ſolum ferreos Annulos* ATTRAHIT; *ſed vim etiam Annulis ipſis infundit, qua hoc idem efficere poſſint, ac perinde ut lapis, alios annulos trahere; unde longa plerumque concatenatio ferri, & annulorum invicem pendet, & omnibus his ex illo lapide vis attrahitur*. Adeò ut à Magnete virtus quædam exeat, & qualitas abſiſtat, quæ ferro indita, & communicata, illud ad ſe allicit; ut Angelicè etiam in Phyſicis Doctor Aquinas, cùm de motuum rationibus diſſerit: *Alio*, inquit, *modo poteſt dici aliquid* TRAHERE, *quia movet ad ſeipſum, alterando aliqualiter: ex qua* ATTRACTIONE *contingit, quod alteratum moveatur ſecundum locum: Et hoc modo* MAGNES *dicitur trahere ferrum; nam* MAGNES *dat aliquam qualitatem ferro per quam movetur ad ſeipſum*. Hæc virtus toties à Deo exivit, multíſque indita, ut traheret a ſe; ſed mundus, caro, dæmon, parentes, deliciæ, divitiæ retrahunt, & ſic manent quaſi in aëre penduli, miſerum, inte-

c S.Thom. in Ioan. c.6. v.44. d Chryſoſt. opere imperf. hom. 2. e Bernard. Serm. 1. in Epiph.

f Bernard. Serm. 2. in Epiphan. Crombach hiſt. 3. Regum, Tom. 3. lib. c. 34. g Chryſoſt. hom. 7. in Matth. Origenes hom. 3. in diverſis. Bernard. Serm. 2. in Epiphan. h Plato in Timæo, vel de natura pag. 509. i Cæſ. de Mineral. pag. 534. k S. Thom. l. Phyſic.

terram, & cœlum, ſuſpendium tolerantes; quia ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma; ille ſurſum, caro trahit deorſum; atque adeò velut quoddam *l ſuſpendium eligit anima* illa; quod inter Magnetes ſibi oppoſitos, hinc & illinc trahentes videre eſt. Hujus argumenti, miraculum naturæ Auguſtinus commemorat, dicens: *m Ex hoc, quod* MAGNES *ferrum attrahit, tam mirifica fiunt arte mechanica, ut ea, qui neſciunt, opinentur eſſe divina. Unde factum, quod in quodum Templo, lapidibus* MAGNETIBUS *in ſolo & in camera, proportione magnitudinis poſitis, ſimulachrum ferreum, aëris illius medio, inter utrumque lapidem, quaſi numinis poteſtate penderet.* Quam ſtatuam ante Auguſtinum, Ruffinus Aquilejenſis *n* refert Alexandriæ, in Templo Serapidis conſpectari. Hæc fraus erat naturæ, inquit, lapis Magnetis virtutis eſſe perhibetur, ut ad ſe rapiat, & attrahat ferrum. Signum Solis ad hoc ipſum ferro ſubtiliſſima manu artificis fuerat fabrefactum, ut lapis, cujus naturam ferrum ad ſe trahere diximus, deſuper in laquearibus fixus, quàm temperatè ſub ipſo ad libram fuiſſet poſitum ſimulachrum, aſſurrexiſſe paululum, & in aëre poſtea pendere videretur. Hæc ut fabulosè conficta, aut arte magicâ confecta, Cabbæus *o* de Magnete diſſerens, explodit; qui multo molimine vel acum, duos inter Magnetes pendulam, in aere ſuſpendere non valuit. Uti & de ferreo Mahometis Sepulchro imperiti fabulantur: de quo Chriſtophorus Radzivilius *p* in peregrinatione ſua Jeroſolymitana: cùm eſſem Damaſci, diligenter ſum percunctatus è Turcis, qui è Moſcha veniebant: verúmne eſſet, quod vulgò de Sepulchro Mahometis fertur, illud è ferro compactum, vi lapidis Magnetis attractum, veluti in aëre pendere? negârunt hoc illic eſſe; ſed Sepulchri mauſoleum altiùs elevatum, columnis non adeò craſſis ſuſtentari: cúmque conclave illud anguſtum, & obſcurum ſit, nec aliud lumen quam lampadum admittat, iis qui à longè proſpectant, penſilis tumba videtur; ſed qui proprius acceſſerit, facilè animadvertet, illam columnis impoſitam. Quod nec ars, nec natura valet in Mechanicis, hoc indies plerique in ſe experiuntur, dum inter carnem & ſpiritum, inter cœlum & terram, inter Deum & mundum, animo penduli hærent; quos Divinus ille Magnes trahit ad ſanctioris vitæ inſtitutum, ad perfectionis apicem, ad ſibi uni, vero, & omni bono adhærendum; *q O virtus magnetica virginalem ad ſe trahens naturam!* ex altera autem parte, & mundus, & caro, & dæmom retrahunt, ut miſerâ, ac miſerandâ carnificina inter utrumque penduli hæreant. Proponite mentis oculis vivum Symbolum, quod Hermannus Hugo *r* ſcitè expreſſit, pingens animam alis inſtructam, ſummo impetu ad dilectum, qui apertis cœli valvis invitat, nitentem; ſed uni pedi gravi compede injecto, mundi globo

l Iob 7. m Auguſtin. lib. 21. de civit. c. 6. n Ruffin. ad Euſebii hiſt. lib. 11, c. 23. o Cabbęus de Magnete.

p Radzivil. pereg. Ieroſol. Epiſt. 2. n. 20. q S. Cyrill. Ieroſol. l. 4. Apol. mor. c. 8. r Hermannus Hugo pia deſideria lib. 3. deſid. 39. Ad Philip. 1.

alligatam, Paulino lemmate ſubjecto: *Coarctor à duobus, deſiderium habens diſsolvi*; ſed gravis carnis catena detinet: unde Nazianzenus: ſ*Quænam hæc lex? cur me conſtringunt vincula carnis? ſpiritus & ſocium tam grave pondus habet.* Modum ac methodum ſuggerit Chryſoſtomus, ut toti ſi velimus, trahi poſſimus: t *Corpus de terra nobis Deus contulit, ut illud in cœlum revehamus; terrenum eſt, ſed ſi velimus, efficitur cœleſte.* TRAHE *teipſum ad illum, qui te ſurſum tollit: pondere quodam vetuſtatis gravaris*: hoc deponendum; concupiſcentiæ, quibus adſtrictus teneris, reſcindendæ; affectus pravi, qui deprimunt ſenſum, ſuperandi. Ne, ut innumeris accidit, tam immani pondere ad terram, ad inferos detraharis. Genevenſis Antiſtes eruditione, & Sanctimoniâ vitæ celebris, Franciſcus de Sales *v*, quinque impedimenta, ſeu obices adinvenit, qui impediunt, ne toti ad Deum rapiamur: ferrum inquit, quinque modis impeditur, quo minus à Magnete trahatur. Primò, ſi vim Magnetis ſua mole excedat. Secundò, ſi ferrum longius, quàm par eſt ab eo diſtet. Tertio, ſi adamas interponatur. Quartò, ſi adipe aut pinguedine perunctum ſit. Quintò, ſi allio perfrictum. Ita cor noſtrum totidem rebus impeditur, ne Deo adhæreſcat. De primo jam dictum eſt, dum peccator à Deo ſe ſegregans, cum Filio prodigo *x in Regionem longinquam* proficiſcitur, *y ut ſubſtantiam ſuam diſſipet inter meretricias cupiditates*: Etenim, ut eleganter Hieronymus, Epiſtola ad Damaſum: *Peccatores recedunt à Deo, affectuum, non locorum ſpatiis.* Ut alibi fuſius deduximus. 3. Si adamas interponatur; inter illum quippe & Magnetem, teſte Plinio, *a* antipathia maxima: *Adamas*, inquit, *diſſidet à* MAGNETE *in tantum, ut juxta poſitus, ferrum non patiatur attrahi.* Quoties adamantes, uniones, monilia, pretioſa munera impediunt, ne Divinus Magnes attrahat? ut avari omnes, viri divitiarum, & potentes ſęculi teſtantur. Quàm potenter aurum trahat, videre eſt, ubi hæreditas pinguior obvenerit; ad centum leucas trahet. Magnetum & magnatum cognatio magna, nec nominis tantum; ſed etiam rei. Hi ferrum, illi aurum trahunt, hinc illud: z

Cuncta trahunt ad ſe Magnates aurea; ſicut
Ad ſe Magnetes ferrea cuncta trahunt.

Quin & illi, qui inſtar adamantis obduruerunt, nulla vi divina moveri, nedum trahi queunt. At ſi animum à divitiis hujus ſęculi abſtraxeris, etſi affluant, & ſi multum auri & argenti poſſideas, impedimento non erit, quò minus divinus Magnes te trahat: ſic etenim compertum eſt, ut argento interpoſito, Magnes ferrum attrahat, ut refert Auguſtinus; dicens: *b Sed multò eſt mirabilius, quod à fratre, & Coëpiſcopo meo Severo Milevitano de* LAPIDE MAGNETE *comperi Se ipſum namq; vidiſſe narravit, quemadmodum Barthanarius, quondam Comes Africæ, cum apud eum convi-*

ſ Nazianz. carm. de animæ calam.
t Chryſoſt. hom. 55. ad popul. v Sales de l. Amor. divin. lib. 7. c. 14. x Luc. 15. y Auguſtin. lib. 1. conf. c. 28.

z Lux Evang. part. 2. Dom. 13.
a Plin. l. 37. c. 4. b Auguſtin. lib. 21. de civit. c. 4.

varetur Epiſcopus, eundem protulerit lapidem, & tenuerit ſub argento, ferrúmque ſuper argentum poſuerit; deinde ſicut ſubter movebat manum, qua lapidem tenebat, ita ſerrum deſuper movebatur, atque argento medio, nihilque patiente, concitatiſſimo curſu, ac recurſu, infra lapis ab homine, ſupra ferrum rapiebatur à lapide. Dixi, quod ab ipſo audivi, cui, tanquam ipſe viderim, credidi. Quartò, quàm potenter luxurioſos, qui ventri & abdomini ſerviunt, carnales deliciæ, & ſenſuales voluptates trahant, nimis compertum eſt. c *Trahit ſua quemque voluptas*; illos fulgor auri, alios nidor convivii, quoſdam honor, & ſplendor nominis: trahit ſua quemque voluptas, ſua libido, ſua voluntas; ſed neminem quempiam potentiùs, nec libentius, quàm voluptas carnis. Auguſtinus Tract. 26. in Joan. c. 26. *Nolite cogitare invitum* TRAHI; TRAHITUR *animus & amore: quin & voluptate* TRAHERIS. TRAHIT *ſua quemque voluptas; non neceſſitas, ſed voluptas: non obligatio, ſed delectatio. Da amantem, & ſentit, quod dico.* Quàm innumeri amantes trahuntur vano, & inſano amore? quot amantes trahuntur fragili, & labili formæ venuſtate? quot mulierculæ e *per exteriorem cultum & habitum, plurimos poſt ſe* TRAHUNT *amatorum greges?* quot trahuntur pravis deſideriis, & concupiſcentiis? ut ille inquit: f *Amans fertur votis,* TRAHITUR *deſideriis.* Quintò denique guloſos allia, & pepones, cum Iſraëlitis eſurientes, maſſica, falerna, Rhenana ſitientes, opiparæ menſæ, ingentes cyathi, capaces amphoræ, largiores amyſtides trahunt. Orexis exquiſiti ferculi, appetitus peregini vini trahit: *Da,* inquit Auguſtinus g *eſurientem, da ſitientem, da talem, & ſcit quid dicam.* Quod eleganti exponit ſimilitudine: *Ramum viridem oſtendis ovi, &* TRAHIS *illam: nuces puero demonſtrantur, &* TRAHITUR, *amando* TRAHITUR. Hederam vini venalis oſtendis temulento, & trahitur: h *Si ergo iſta quæ inter delicias, & voluptates terrenas revelantur amantibus,* TRAHUNT; *quoniam verum eſt:* TRAHIT *ſua quemque voluptas. Non* TRAHIT *revelatus Chriſtus?* qui hodie apparuit totus amabilis, totus deſiderabilis. Quare i *ſi Poëtæ dicere licuit:* TRAHIT *ſua quemque voluptas, quantò fortiùs nos dicere debemus,* TRAHI *hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt.* Quidquid uſpiam deliciarum, cupediarum, venuſtatis, voluptatis eſt, quod trahit, & allicit, id totum Chriſtus eſt, id totum Parvulus, qui nobis natus, & datus eſt: k *An verò habent corporis ſenſus voluptates ſuas, & animus deſeritur à voluptatibus ſuis? ſi animus non habet voluptates ſuas, unde dicitur: inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ. Da in iſta ſolitudine peregrinantem, da ſitientem, & fontem æternæ Patriæ ſuſpirantem; da talem, & ſcit, quid dicam. Si trahendi ſumus, ab illo* TRAHAMUR, *cui dicit quædam, quæ diligit:* TRAHE ME POST TE. Dicamus & nos: trahe me amantiſſime JESU, ſi non amore, timore; mille tibi trahendi modi ſunt: trahe blanditiis, trahe minis:

c Virgil. Ecl. 2. d Auguſt. Tract. 26. in Ioan. c. 26. e Chryſoſt. hom. 8. in 1. Tim. 2. f S. Thom. in c. 6. Ioan.

g Auguſtin. Tract. 26. in Ioan. c. 26. h Aug. cit. i Aug. cit. k Ibid.

minis : trahe proſperis, trahe adverſis; trahe fortiter ; trahe verbis, trahe exemplis, trahe volentem, trahe nolentem. Ita te feciſſe memini,dum peccatricem animam nolentem , & reluctantem, potenti & inſolenti modo ad te pertraxiſti. B. Margarita de Corcona, prius vanam , & lubricam vitam ducens, vagis thoris aſſueta, egregia formâ , & laſcivo ornatu *l multorum poſt ſe corda trahebat* ; uni autem amaſio , viro nobili tenaciùs adhærebat , & per novem annos, ſeu ſpe nuptiarum ſeu mundo muliebri copioſo (cujus mirum quantum cupida erat) aliiſque muneribus illecta , illi ſerviens, conſueverat.Cum is domo ſecedens, catellam ſecum duxiſſet, illa ſola domum poſt aliquot dies rediens , ac gemens, Margaritam , veſte dentibus apprehensâ , extra domum protrahere conabatur ; quæ admirans, catellam ſequitur,donec ad quandam lignorum congeriem veniens, catella ſubſtitit , ligna reſpiciens, & attingens , quaſi dominam, ut ea amoveret,monens. Margarita itaque cum aliquot ligna amoviſſet, dominum ſuum mortuum, jamque vermibus ſcatentem videt. Quo ſpectaculo adeò commota eſt , ut anteactæ vitæ pœnitens,domum paternam repetierit ; ſed à patre, novercæ ſuaſione, domo ejecta, ad orationem, qua ſe Deo commendabat, confugiens : interius , ut Cortonam ad Fratres Minores ſe conferat, admonetur. Quanta autem ſanctitate in Religione vixerit, apud Bollandum videre eſt. Si tu ô peccatrix anima, *m Nondum traheris*, inquit Auguſtinus, *ora ut* TRAHARIS, ora ut hac, aut ſimili mortis larva, alióve adverſitatis ſpectro , ſi aliter ſequi nolis, traharis : *n* TRAHI enim *vult,quæ & hoc rogat* ; *non autem rogaret, ſi ſequi per ſeipſam dilectum , prout vellet, valeret.*

l Bellanus 22. Febr. p. 300. m Auguſtin. Serm. 27. in Ioan.

Non minori violentiâ trahuntur, ac compelluntur nonnulli, terrifico viſionum objectu ; uti nuper Anno 1603.in Manila,una ex Philippinis Inſulis clariſſimè compertum eſt. *o* Degebat hîc, vir quidam abjectâ prorſus verecundiâ,proſcriptáque virtute impudentiſſimus : jámque annis omninò novem, contra opportunos monitores, & ſtimulos conſcientiæ calcitrârat; cùm ecce nocte quadam, candelâ nondum extinctâ,dum lecto ſe infert, moloſſum videt cubile ingredientem ſpecie horribili, hiantibus faucibus , & ſcintillantibns oculis : qui ubi ſemel , iterumque lectum circumiît, eum in ſe inſilicentem, & collum dentibus invadentem ſenſit. Hic miſer homo, mortuo,quàm vivo ſimilior, ad inferos ſe trahi cernens, divinam opem implorare, ad Virginis Matris patrocinium recurrere, novæ vitæ propoſitum, ne in diem ſe dilaturum, polliceri. His ſic ſanctè , & ſalubriter conceptis , diſparet monſtrum. Ille de lecto exiliens, noctem totam precibus impendit , & primo mane, arcana conſcientiæ apud Sacerdotem retegens , è cœno vitiorum extractus , mutatus eſt in virum alterum. Subdit Auctor : *p Quidnam hic mireris magis ? contuma-*

n Bernard. Serm. 21. in Cant. o Annue Philippin. An. 1605. p Mancinus de paſſione Chriſti pag. 518.

ciámne

ciámne reſiſtentis, *an conſtantiam vocantis*, ET PENE PER CAPILLOS TRAHENTIS IN VIAM? Innumeros Deus objectâ mortis larvâ Amaſii; vel repentino parentis aut amici potentis obitu: vel vel mutatâ fortunæ facie, vel nocturnis phantaſiæ luſionibus & ſpectris, è ſeculo ad Religionem: è cœno in cœlum, è barathro inferni traxit ad Paradiſum.

§. III.

Chriſtus ſignis, verbo, & exemplo, TRAHIT AD SEIPSUM.

AMantiſſimus Redemptor noſter inter homines converſatus, primò quidem cœpit homines trahere ingentibus miraculis, ac prodigiis, quibus obſtrictum habebat univerſum orbem; ſic enim D. Joannes: q *ſequebatur eum multitudo magna, quia videbat ſigna, quæ fiebant.* Et D Lucas ait: *quod multitudo copioſa ab omni Judæa &c. venerint, ut viderent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis: & omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Uti enim qualitas, ſeu virtus à Magnete exiens, ferrum ad ſe trahit; Ita virtus, quæ ab eo exibat, ſanabat, & trahebat ad ſe omnes. Altera quidem virtus ſanitatis corporalis, altera ſpiritualis ſalutis. Per primam trahebat ad ſe corpora; per poſteriorem, animas: nam quorum medebatur corporibus, ſanabat etiam mentes; imò ideo, inquit Ludovicus de Ponte, r trahebat eos ad ſe in funiculis Adam, quæ ſunt beneficia corporalia, ut traheret animas in funiculis charitatis per interiores illuminationes, & affectiones immiſſas, & admiſſas occaſione impertitæ ſanitatis. Quod egregiè confirmat Doctor Angelicus hâc ratione: ſ *Quoniam Chriſtus Dominus miracula patrabat divinâ virtute; Dei autem perfecta ſunt opera, nihil verò eſt perfectum, niſi finem conſequatur; at æternarum curationum per Chriſtum præſtitarum, finis præcipuus erat curatio animæ; non ergo decebat ipſum alicujus corpus curare, niſi ſimul ejus curaret animam.* Unde ut Salvatoris officium expleret, & per corporis ſanitatem traheret animam, languidos, quos curabat, monebat ne amplius peccarent, indicans à peccatis etiam fuiſſe ſanatos. Uti paralytico dixit: t *Ecce jam ſanus factus es, jam noli peccare.* De quo poſteà teſtatus eſt: *quod totum hominem ſanum fecit.* Ubi S. Auguſtinus: v *totum*, inquit, *ſanum fecit, quia curatus eſt, ut ſanus maneret in corpore, & credidit, ut ſanus maneret in anima.* Nec modò ſanabat infirmos, ſed etiam famelicos, & propè deficientes reficiebat, dum paucis panibus, & piſcibus, plura millia hominum, qui eum cum parvulis ſequebantur, ſatiavit. Quo beneficio eos fortiùs ad ſe trahere nitebatur, ut in ſe crederent. Cúmque multi eorum non Spiritu traherentur, ſed carne: nec eum ad ſalutem animæ, ſed ad ſaturitatem corporum iterum quærerent, increpuit eos, dicens-

q Ioan. 6. Luc. 6.

r Lud. de Ponte in cant. l. 2. exhort. 2. ſ S. Thom. 3. part. q. 45. ad 3. t Luc. 6. 9. v Aug. tr. 33. in Ioan.

x *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Quo monet, & movet nos, omnia beneficia temporalia, & ſigna mirabilia ab ipſo patrata, ita à nobis excipienda, tanquam funes, & vincula, quibus trahamur ad ipſum quærendum, & per fidem, ac dilectionem illi adhærendum. Sed pergo porrò; nec ſolum miranda prodigia, & cumulata beneficia; verùm etiam Chriſti verba, ſupra omnem Tullii, Demoſthenis, Periclis facundiam, Magneticum quid habuiſſe, ad homines ſuaviſſimo illicio ad ſe pelliciendos, ſcripturæ, ac Patrum teſtimonia ſatis ſupérque loquuntur. Quod, ut orbi manifeſtum eſſet, ipſi dicenti ad Apoſtolos: y *Et vos vultis abire?* Reſpondit Petrus, omnium cauſam agens: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ac ſi diceret; quomodo à te divelli poſſumus, qui nos tibi ligatos habes verbis tuis, in quibus noſtra ſalus, felicitas, & vita æterna conſiſtit. Hac divina dicendi ſuadâ, trahebat innumeram populi multitudinem. Luc. 6. multitudo copioſa ſequebatur, qui venerant, z *ut audirent eum.* Et alibi: a *Turbæ requirebant eum, detinebant eum, ne diſcederet ab eis.* Et iterum: b *Cùm turbæ irruerent in Ieſum, ut audirent Verbum Domini.* De hac attrahendi vi, præclarè Origines, l. 2. contra Celſum: *quaterna*, inquit, *quinávе millia hominum ſequebantur eum uſque in ſolitudines, non annumeratis mulieribus, & pueris*; TANTA VIS ATTRAHENDI, *velut Lynx quædam inerat Ieſu ſermonibus.* Denique Joannes ait, tam potenter traxiſſe, ut c *totus mundus poſt illum curreret.* Si uſquam, hîc illud Libanii ſerm. 2. de vita ſua, vim habet: *pulchritudo ſermonibus inſita*, MAGNETIS VIM HABET. De illo etenim pſaltes regius: d *ſpecioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Unde procedebat ſermo tam ſtupendæ, ac prodigioſæ virtutis, ut verbo vel unico, hominum animos ſibi arctiſſimè devinciret; hac quippe voce, *ſequere me*, attraxit Petrum & Andream: Jacobum, & Joannem: Philippum & Matthæum publicanum, qui relictis parentibus, propinquis, & omnibus, quæ poſſidebant, (etſi Matthæus multis polleret) hilariter ſecuti ſunt eum, non breviter & leviter moti, ſed virtute divinâ, & interno lumine fortiter & ſuaviter compulſi. Verè potens ſermo tuus Domine, adeò e *ut omnes mirarentur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus*; quæ gratia trahebat eos, ut verbis adhiberent fidem, & Chriſti ſequerentur veſtigia. Utinam & hæc verba mentes veſtras afficiant: nam adhuc ineſt illis vis iſta, ut ab eis trahamini. Supereſt nunc ut Chriſtum exemplo, quod verbo longè potentiùs, ſuos trahere ſtuduiſſe oſtendamus. Verbum Patris è Cœlis in terras deſcendens, tres ſibi nobiliſſimos fines præfixit. *Primum*, ut ſua nos morte redimeret. *Secundum*, ut ſua prædicatione doceret. *Tertium*,

x Ioan. 6. v. 26. y Ioan. 6. v. 68. z Luc. 6. a Luc. 4. b Luc. 5.

c Ioan. 12. v. 19. d Pſal. 44. v. 3. e Luc. 4. v. 22.

ut ſuæ vitæ, omniúmque virtutum exemplar daret perfectiſſimum. Hæc Angelici Doctoris ſententia eſt: *f Convenientiſſimum fuit Chriſtum pati mortem Crucis; primò quidem propter* EXEMPLUM *virtutis.* Quæ ſolidiſſimè, ac ſolertiſſimè proſequitur gravis Theologus *g*; dum præ omnibus, Chriſtum rationem exempli, & imitationis potiſſimum ſpectaſſe, oſtendit: longè enim majorem vim, & efficaciam, ad hominum animos alliciendum habent viva exempla, quæ oculis videntur, & manibus palpantur, quàm illa ſpiritualis, & ſupernaturalis doctrina, longè à ſenſibus remota, juxta illud:

Verba movent, Exempla TRAHUNT.

Woorden verwecken, Exempelen trecken.

Unde ait *h*: nihil, vel certè parum ſine exemplo actum erat in genere humano, ad vitæ ſanctitatem. Quantum autem hoc beneficium, ex eo perſpici poteſt, quod hæc exempla omnis virtutis, tanti Filio Dei ſteterint: ideo enim tot annis in terris nobiſcum converſatus eſt, ideo tam gravia & indigna perpeſſus eſt: Momento quippe in forma humana ſe exhibendo, unâ ſanguinis guttâ, unâ lacrymula, unâ precatione, ad totius mundi Redemptionem, ſufficientiſſimè ſatisfeciſſet: ſed ad luculentiſſimum omnis virtutis exemplum, illa erant potiſſimum neceſſaria: quamvis ſimul in illis ſubeundis, etiam redemptionem, & ſolutionem noſtri debiti ſpectârit. Tum emphaticè ſubdit: *Ratio tamen exempli, & imitationis, videtur fuiſſe præcipua, cùm modum neceſſariæ Redemptionis tantoperè exceſſerit.* Unde 1. Petri 2. dicitur: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens* EXEMPLUM, ut (trahamini, &c) *ſequamini veſtigia ejus.* Magnates exemplo ſuo, ſe Magnetes præbeant: Princeps, Præſul, Præſes, Paterfamilias, ſuperior omnis, ut ſubditos etiam obduratos, & ferrea pectora ad ſe trahat, exemplo tolerantiæ, manſuetudinis, benignitatis, benevolentiæ Magnes exiſtat neceſſe eſt, ut in illum cadat, quod Nazianzenus de benigniſſimo JESU: *i Se percutientibus Adamas, & diſſidentibus* MAGNES *efficitur, arcana naturæ vi ferrum trahens.* Nihil ad omnem virtutem potius, nihil ad omnem Sanctimoniam potentius. Viri, qui ſingulari Dei gratia, ad Excelſum perfectionis culmen pervenerunt, ſuo vitæ exemplo, complures pertraxerunt: de ſancto Walerio Abbate, ita ſcribit Surius: *k Quemadmodum* MAGNES *lapis ferrum ad ſe trahit; ita etiam gratia Dei, quæ in ſancti viri cultu, verbíſque, & moribus relucebat, permultos ad vitæ ejus piam, ferventémque æmulationem invitavit, & adduxit.* Conſimili, ad ſe omnes pertrahendi, efficacia pollebat S. Eutychius Patriarcha Conſtantinopoleos, de quo ita ſcribit Auctor vitæ Euſtatius Presbyter: *l Quantò quis illi magis hærebat, tantò magis* ATTRAHEBATUR, *eodem erga il-*

f S. Thomas 3. part. q. 46. a 3. g Leſſius de perfect. divin. l. 2. c. 9. n. 66. h Leſſius.

i S. Gregor. Nazianz. orat. 25. in laude S. Athan. k Surius 1 April. Novarin. ſchediaſm. lib. 11 n. 229.
l Novarin. cit.

lum affectus modo, quo erga MAGNETEM *lapidem ferrum.* Si in omni cœtu Religioſo, in quavis urbe, curia, familia, ejuſmodi Magnes reperiretur, quanta animorum conjunctio, quanta ad obediendum promptitudo, quantus ad omnem virtutem ſtimulus, ad omnem pietatem excitamentum exiſteret? fieret enim verò tunc, quod Gregorius ille Nazianzi Antiſtes de ſe teſtatur: *m Eodem modo erga me affecti videmini, quo ferrum erga* MAGNETEM: *nam ex me pendetis, & alii ex aliis mutuo nexu inter vos cohærentes, & omnes ex Deo, ex quo omnia, & in quem omnia. O admirandam catenam, quam Spiritus Sanctus nectit firmiſſimis vinculis compactam, & comploſam!* quærit argutè & peracutè D. Bernardus, *n* cur ſponſa, ſeu fervens anima dum à dilecto ſuo trahi petit, clamet: *Trahe* me, & mox ſubdat, *ſequemur*? quaſi una, plures eſſet. O pulc[illegible]ra, inquit, ô felix! ô beata! ediſſere nobis hujus diſtinctionis rationem, trahe me, ais. Quare me, & non nos? cur ergo pluraliter ſubjunxiſti, curremus? *Current,* inquit, *adoleſcentulæ mecum: curremus pariter, ego odore unguentorum tuorum; illæ meo excitatæ* EXEMPLO. Dilectus, qui hodie in Bethelem apparuit, rectè in amoris Cantico *Lilium convallium* dicitur, quod odore, velut apes, ad ſe Orientis Dynaſtas traxit, ut idem Claravallenſis Abbas ſuaviter proſequitur: *o Agnoſce,* inquit, *lilium ex candore, qui mox in ipſo exortu floris, Paſtoribus de nocte emicuit. Agnoſce lilium, & ex odore, quo & longè poſitis innotuit Magis. Et quidem ſtella apparuit; ſed eam minimè viri graves ſecui fuiſſent, niſi intima quadam* SUAVEOLENTIA *orti lilii* TRAHERENTUR. Clama & tu cum Sponſa, ut in odore hujus lilii traharis, & tuo aliæ *excitatæ exemplo* trahantur. *p Chriſti,* juxta Apoſtolum, *bonus odor* eris, ſi candidis moribus, & exemplaris vitæ fama, ac fragrantia excellueris: *q Habent enim mores, colores ſuos, habent &* ODORES: *odorem in fama, colorem in conſcientia. Colorem operi dat ejus bonitas, & cordis intentio. Odorem modeſtia, & virtutis* EXEMPLUM. D. Bernardus virtutum fragrantia imbutus de ſe fatetur: *r Ego igitur ſi exaltatus fuero à terra* (audacter dico) *omnia traham ad meipſum.* Exaltatus à terra, à mundo, à carne, traxit in odorem ſuum parentes, fratres, ſorores, propinquos ſæculares innumeros ad ſe, ad Religionem, ad Deum. Verum enimverò hoc maxime execrandum, ac deplorandum occurrit, longè plures exemplo malo, & perverſo ſociorum contubernio ad flagitium, atque æternum præcipitium trahi, cùm homo ex natura ſua eò pronus feratur. Multum laborarat Auguſtinus in ſuo Alipio, ut ejus animum à ludis Circenſibus avocaret, & retraheret. Sed fortiùs pravi ſodales familiari violentia traxerunt: *ſ Dum theatra inſaniunt &c. non erat jam ille qui venerat, ſed unus de turba ad quam venerat, & verus eorum ſocius, à quibus abductus erat. Quid plura? ſpectavit, clamavit, exarſit. Abſtulit inde ſecum inſaniam, qua ſtimulare-*

m S. Gregor. Naz. orat. 1. in Iulian. n Bernard. Serm. 21. in Cant. o Bernard. Serm. 70. in Cant.

p Cor. 2. v. 4. q Bernard. Serm. 71. r Bernard. Serm. 21. in Cant. ſ Auguſtin. lib. 6. confeſſ. c. 8.

tur

tur redire, non tantum cum illis, à quibus ABSTRACTUS *eſt*; *ſed etiam præ illis, & alios* TRAHENS; nam ſicut annulus annulo Magnetis vim, ita ſocius ſocio vitium affricat. Ubi, ut obvia utar ſimilitudine, uſuvenit, quod natatori imperito, vel fatiſcenti, jámque ſubmergenti accidere ſolet, ut ſocium adnantem prenſans ſecum in profundum pertrahat. Quid, quod illum, qui pravo exemplo alios ad peccandum pertrahit, ſimillimum Cacodæmoni, *t qui cauda ſua traxit tertiam partem ſtellarum*, jure pronuntiâro? Vir ſtemmatis virtute, & Religione nobilis, Ergoviæ amplam ad lalacum arcem incolebat, cum grandæva conjuge, & duobus frugi filiis. Præter hos duos, qui jam adoleverant, nulli ipſi liberi; res autem familiaris lauta erat. Evenit autem meſſis tempore, cùm ſervi, & ancillæ in agris abeſſent, nemo ut domi remaneret, præter patrem, & matrem familias, & duos heriles filios. Cùm autem his duobus placuiſſet refrigerandi corporis, & exercitii cauſa, in lacu, cœlo ſereno ſe exercere natando, Patre Heroico ſene è ſublimi proſpectante, alter è duobus, natando longiùs, provectus in altum, incidit in quandam voraginem, in qua circumactus, cum fluctibus luctabatur, & quandoque emergens miſeranda voce auxilium fratris inclamabat, atque ut nulla prope calamitas ſola eſt, alter ut fratri laboranti ſubveniret, natando propius accedens, ab altero attractus, atque inter germani complexus fundum petit, & patre, ut erat limpidiſſima aqua, ſolíſque ſplendor clariſſimus lacrymantibus oculis inſpectante, uterque ſubmerſus eſt. Triſte fatum; at longè luctoſius, tot indies animas, à ſceleratis ſociis in hoc mundi pelago natantibus, & periclitantibus, unà in profundum inferni trahi; quod melleo ſuo eloquio docet Bernardus, dicens: *v Quibus aſſimilabimus homines generationis hujus? profectò ſimiles ſunt his, qui ſubmerſi periclitantur in aquis; nimirum videas eos tenentes tenere, nec ulla ratione deſerere, quod primum occurrerit manibus, quidquid ſit illud licet tale ſit aliquid, quod omninò prodeſſe non poſſit, ut ſunt radices herbarum, ceteraque ſimilia: & ſi qui ad eos fortè veniant, ut ſubveniant, nonnunquam ſolent apprehenſos involvere ſecum, adeò ut jam nec ſibi, nec illis auxilium ferre prævaleant.* Atque utinam in hoc numero periclitantium, non ſint, qui eos, à quibus ex cœno vitiorum, & volutabro ſordium extrahendi erant, ſecum involverunt, & ad inferos detraxerunt; ut horrenda nimis cataſtrophe edocuit viri illius potentis, quàm divitiis, tam vitiis affluentis; qui à morte, nocte intempeſta foro inambulans, excitum ad ſe, quaſi ægrum, Confeſſarium damnationis ſuæ reum egit, eúmque complexus, terrà dehiſcente, unà ſecum ad æterna incendia traxit. Quam tragœdiam Lorinus noſter, celeberrimus Eccleſiaſtes, coram Archiduce Alberto, & Iſabella, Bruxellis enarravit, & qui volet, Auctores x conſulat. Supereſt nunc actus ult-

t Gryneus in Epiſt. nuncupat.

v Bernard. Serm. 1. de Adventu. x Stengelius lib. 2. Exemplorum, 6. 2. Marchant. candelabrum myſt. Tract. 5. impedim. 5. Doultermans pedag. Chriſti, part. 2. c. 15. parag. 2.

ultimus, & tractus potentiſſimus, illud Joannis 12. v. 32.

§. IV.

Cùm exaltatus fuero à terra, omnia TRAHAM *ad meipſum.* Joan. 12. v. 32.

REdemtor noſter in monte, ex ſublimi crucis trabe, orbi univerſo conſpicuus eſſe voluit, ut ad hoc tam inſolens, & inuſitatum ſpectaculum, omnes gentes, & nationes exciret. In quam ſententiam præclarè Theophylactus, rationem reddens: *y Cur Deus crucem maluerit? quòd ſcilicet illa exaltari eum fuit neceſſe: nam quoniam is, qui patibulo ſuſpenditur, conſpicuus eſt omnibus, & cæteris altior, crux potius electa eſt, quæ ſignificaret illũ tam conſpicuum, támque ſublimem futurum, ut ad eum cunctæ nationes, ex omni orbe concurrerent.* Quos inter ſpectatores innumeros, ad fidem, ad pœnitentiam, ad amorem ſui traxit, qui revertebantur plangentes pectora ſua. Pergit porrò dicens. *z Nunc videtur effectum ſortiri, quod Dominus dixerat: cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum: exaltatus namque in cruce,* ATTRAXIT *latronem, & centurionem.* Cùm interim hoc tam mirabile, hoc tam amabile adeò cruenti Salvatoris noſtri ſpectaculum, toties oculis, animíſque veſtris exhibitum, avarum è telonio, luxurioſum è proſtibulo, temulentum è diverſorio, adulterum ex alieno thoro, peccatorem à flagitio ad ſe attrahere hactenus non valuerit: Traxit petras: *a Traxit ad ſe omnia,* inquit Drogo Hoſtienſis, *cœlum, terram, & inferos. Contremuit terra, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta: quia vocem Filii Dei audierunt.* Traxit mortuos è monumentis, & corda veſtra ſaxis duriora, non commoventur? tot non quatriduo, ſed quadriennio, & amplius, in ſepulchro ſcelerum fœtentia cadavera, non excitantur. Hipponenſis Præſul piè commentatur, Chriſtum in omnes orbis partes extenſum, manus ad Auſtrum, & Aquilonem porrectas; ut omnes diſperſos, ad ſui benigniſſimum amplexum, & pacis oſculum, ambobus amoris brachiis pertraheret: *b Continetur,* inquit, *in crucis figura, altius Sacramentum; quod quantò eſt altius, tantò attendendum diligentiùs; quod ſignificavit Dominus in cruce caput ad Orientem erigens, pedes ad Occidentem ſubmittens: manus ad Aquilonem, & Auſtrum extendens: ut adimpleretur quod de ſe ante Paſſionem dixerat; cùm exaltatus fuero à terra, id eſt, cum fuero crucifixus, omnia* TRAHAM *ad me ipſum, id eſt, totum mundum.* Quam quidem mundi diviſionem, & attractionem, Nyſſenus ex illo Pauli: *c Ut poſſitis comprehendere quæ ſit latitudo, & longitudo, ſublimitas, & profundum,* ſic comprobat: per *ſublimitatem* cœleſtia: per *profundum* inferna, per *latitudinem*, & *longitudinem* (quæ crucis brachia ſunt)

y Theophyl. lib. 4. Inſtit. divin. c. 26. z Theophyl. in Matth. c. 27. v. 54. a Drogo Hoſtienſ. Serm. 1. de Paſſione Domini. b Auguſt. Serm. 3. in Annunt. c S. Gregor. Nyſſen. orat. in Chriſti Reſurr.

om-

omnem intra ſinum orbis, circumquaque diffuſam creaturarum multitudinem, ad extremos uſque mundi fines exporrectum, comprehendi. Juvat hîc cum Leone Magno exclamare, qui Pontificia differens majeſtate, & Apoſtolico facundus eloquio, ſic intonat: *d O admirabilis potentia crucis! ô ineffabilis gloria Paſſionis, in qua tribunal Domini, & judicium mundi, & poteſtas eſt crucifixi!* e TRAXISTI *enim Domine omnia ad te, & cùm expandiſſes toto die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ majeſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit.* TRAXISTI *Domine omnia ad te, cùm in execrationem Judaici ſceleris* (adde etiam ſatanicæ tyrannidis, & ſervitutis peccati) *unam protulerunt omnia elementa ſententiam: cùm obſcuratis luminaribus cœli, & converſo in noctem die, terra quoque motibus quateretur inſolitis, univerſáque creatura impiorum ſeſe uſui negaret.* Traxiſti Solem, Lunam, ſidera, elementa, creata omnia: *Traxiſti Domine omnia ad te, quoniam ſciſſo templi velo, Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus receſſerunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifeſtationem, & lex in Evangelium verteretur.* TRAXISTI *Domine omnia ad te, ut quod in uno Judææ Templo, obumbratis ſignificationibus tegebatur, pleno apertoque Sacramento, univerſarum ubique Nationum devotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Levitarum, dignitas amplior ſeniorum, & ſacratior eſt unctio ſacerdotum: quia crux tua, omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum.* Nam ille modus expanſionis brachiorum (ut apud ſacrum Tridentini Senatum celeberrimus Theologus f Alphonſus Salmeron) conveniens eſt, ad omnia dona à paterna pietate impetranda; ad omnia ſua bona in electos largiter effundenda, ad omnia ad ſe redeuntia plena remiſſione amplectenda, ad omnia corda ad ſe trahenda: TRAHIT *enim inſtar Solis humores devotæ mentis, ut in pluvias lacrymarum diſſolvantur.* TRAHIT *etiam more* MAGNETIS, *per occultum ſpiritum ferrea corda ad ſe: inſtar etiam* VACUI, *ad ſe homines* TRAHENTIS: *nam ob eam cauſam tantopere ſe evacuavit, ut ſitiat*; nec extinguitur illius ſitis, niſi lacrymas tuas doloris, amoris, ardenti ſpiritu traxerit: *Trahit præterea funiculo triplici, nimirum corporis, animæ, ac divinitatis*; qui, etſi ruptus ſit cum magno dolore, quod attinet ad animam & corpus; manſit tamen fortiſſima Deitas cum utroque conjunctiſſima; ut anima ſeparata traxerit vinctos de lacu, in ſanguine ſuo; & corpus exangue, quod manſit in cruce, præſentes, qui revertebantur percutientes pectora ſua, ad ſe attraxerit. Trahit etiam per naturam ſimilis: nam erat Chriſtus in ſimilitudine carnis peccati. Alteram hujus tam humilis exaltationis cauſam adfert Maldonatus, g ut ex edito

d Epiſc. Alecienſis ad Paulum, 11.
e S. Leo de Paſſione Domini. Serm. 8.
f Alphonſus Salmeron Tom. 10. de Paſſion. Tract. 36.
g Maldonat. in Ioan. 12. v. 32.

loco, inferni tyranno faciliùs de-victo, ad ſe omnia traheret, volebat Chriſtus vim paſſionis ſuæ declarare, proptereáque trahendi uſus verbo. Eadem opinor ratione, & exaltandi verbo uſus eſt: loquebatur enim de ſe, tanquam de milite, cum diabolo pugnante. Solet miles eò fortior eſſe, & adverſario ſuperior, quo ex altiore loco pugnat. Significavit ergo, ſe ex cruce ſua, tanquam ex altiſſima, & munitiſſima arce pugnaturum, diabolúmque victurum eſſe; propterea genus illud mortis, exaltationem appellavit. *Traxit exaltatus omnia ad ſemetipſum, quemadmodum Aquila in ſublime volans; prædam* TRAHIT; Opima de victis hoſtibus rapiens ſpolia, atque ipſas inferorum Phalanges ſub dominatu ſuo captivas trahens: Unde Rupertus inquit: *h Omnia* TRAHAM *ad meipſum. Quæ omnia? poteſt non ſolum de gratia, qua ſolummodo electa trahit ad ſeipſum, ſed etiam de poteſtate dictum rectè intelligi; qua non ſolum electa, ſed etiam reproba omnia ad ſeipſum* TRAXIT: *quia videlicet poteſtas, quam Pater Filio ſuo dedit, omne genu curvavit ſibi, Cœleſtium, Terreſtium, & & infernorum.* Rupertum *i* Cardinalis Cajetanus, aliíque ſequuntur, qui etiam dæmones ipſos tractos ſub jugum, & aliquando trahendos non ad ſalutem, ut Origenes falsò excogitavit, ſed vel invitos ad Crucifixi gloriam, cùm in publico totius orbis Theatro, Chriſtus in nubibus exaltatus apparebit, pertrahendos. Trahemur & nos, ac peccatores quidem, cum dæmonibus, ignitis conſtricti vinculis catenarum. Quærunt hîc ſacri interpretes, & diſceptant Eccleſiæ Doctores, quomodo Chriſtus *traxerit omnia?* Gaudentius Brixienſis Antiſtes, vult omnia à Chriſto attracta, quia cum omnia creata, prius eſſent Idolorum immolatione polluta, & contaminata, fuiſſe à Chriſto, in Cruce Pontifice, benedicta, ſibíque conſecrata: *k Quid, ait, omnia* TRAHAM *ad meipſum, & non omnes? illud ſignificari exiſtimo, quod omnia creaturarum genera, quæ idolis vel immolabantur, vel dedicabantur, Chriſtus ad ſuam benedictionem revocanda promiſerit, ſuoque nomini conſecranda.* quod ſi hactenus cor veſtrum, corpus, anima, Idolis, Baccho, Veneri, Pluto immolârunt, nunc omnium conditor, velut creaturarum perfectiſſimum omniúmque compendium, ac velut caput, membra ad ſe trahere nititur, ut diſertiſſimè Auguſtinus: *l Non dixit omnes ad me* TRAHAM, *ſed omnia: non enim omnium eſt fides. Non itaque hoc ad univerſitatem hominum retulit, ſed ad Creaturæ integritatem, id eſt, Spiritum, animam, & corpus. Aut ſi omnia ipſi homines intelligendi ſunt, omnia prædeſtinata ad ſalutem poſſumus dicere. Ex quibus omnibus ait nihil periturum. Aut certè omnia hominum genera, ſive in linguis omnibus, ſive in gradibus honorum omnibus, ſive in artium profeſſionibus omnibus, à Rege uſque ad mendicum. Omnia, inquit,* TRAHAM *poſt me, ut ſim caput eorum, & illi membra mea.* Traxit hoc caput ad ſe omnium membrorum miſerias, & dolores:

h Rupert. in Ioan. 12. v. 32. i Cajet. in Ioan. cit.

k S. Gaud. tr. 12. ad Neophytos.
l Augtr. 52. in Ioan. c. 12.

res: traxit ad ſe infirmitates, & neceſſitates noſtras, &, ut optimus Medicus, ſanavit; unde D. Leo: *m* quem, ut fulgur, perhorruit hæreticorum impietas; coluit ut numen Imperatorum majeſtas; veluti parentem venerata, eſt cuncta Chriſtianitas; ſic ſuper illud Joannis diſſerit: *n Cùm exaltatus fuero, omnia ad me* TRAHAM, *id eſt totam cauſam humani generis* (Advocatus ad Patrem) *agam, & olim perditam in integrum revocabo naturam. In me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga ſanabitur.* Si præcellens legis petitus, & eximius advocatus, gratis omnium pauperum cauſas ſuſcipere paratus eſſet, omnium animos devinciret; nos advocatum habemus apud Patrem, qui ultrò *totam cauſam humani generis* potenter aget, ac defendet; quomodo is ſibi nos totos devinctos non habebit? Apis illa Claravallenſis Bernardus, ex illo Joannis, aliud nobis ſuaviſſimum eloquium collegit: *o Vide*, inquit, *quomodo* TRAHAT *ad ſe omnia, quomodo ei omnia uniantur, unitate ſubſtantiali, perſonali, ſpirituali, Sacramentali. Habet in ſe Patrem, cum quo eſt una ſubſtantia: habet aſſumptum hominem, cum quo eſt una perſona: habet adhærentem ſibi fidelem animam, cum qua eſt unus Spiritus: habet ſponſum Eccleſiam, unam omnium Electorum, cum qua eſt una caro. Et fortè carnalis hæc unio dicenda fuiſſe videbatur; ſed Sacramentalem dicere malim; dignum hoc vocabulum arbitratus, præſertim occaſionem dante Apoſtolo, ubi ait: Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico vobis in Chriſto, & Eccleſia*; ſed quid eſt illud *omnia traham*? D. Athanaſius, *p* aliíque Patres Græci, Chryſoſtomus, Cyrillus, Euthymius, non *πάντα* ſed *πάντας* legunt, id eſt *omnes* ad me traham. Omnes tam Judœos, quàm Gentes, ac peccatores, leni ſuæ gratiæ illicio (quam nemini denegat) velut manu ſua fortiter, & ſuaviter pertrahendos. Quod expendens Doctor Angelicus, diviné more ſuo diſſerit: *Cor humanum ex ſe ad inferiora tendens, non poteſt ſurſum elevari, niſi* TRACTUM; *ſi verò non elevatur, non eſt defectus* TRAHENTIS, *qui quantum in ſe eſt, nulli deficit; ſed eſt propter impedimentum ejus, qui non* TRAHITUR. *Deus autem omnibus ad* TRAHENDUM *manum porrigit, quantum in ſe eſt: Et quod plus eſt, non ſolum* ATTRAHIT *manum recipientis; ſed etiam averſos ad ſe convertit.* Ac tandem concludit: *Ex quo ergo Deus paratus eſt dare omnibus gratiam, & ad ſe* TRAHERE, *non imputabitur ei, ſi aliquis non accipiat, ſed ei, qui non accipit*; & potiùs ſequitur trahentem carnem, quàm Spiritum; Terram, quàm Cœlum: diabolum, quam Deum. Sic Matthæum è telonio, tótque indies Adoleſcentes ingenio, opibus, ſanguine florentes, ſpretis omnibus ad ſe trahit. Sic Magdalenam, Pelagiam, Thaidem, tótque infames Mœchos ab inveterata fœdæ libidinis conſuetudine, atque indies tot teneras, ſpecioſas, ſybariticè educatas Filias, à Parentibus, patrimo-

m Epiſc. Alerienſ. ad Paulum 11.
n S. Leo de paſſione dom. ſer. 6.
o Bern. ſer. 34. in cant.

p D. Athanaſius lib. de incarn. aliis in locum 5016 12 32. S. Thom. in c. 6. Ioan. l. 5. c. 3.

niis, matrimoniis, divitiis, deliciis, quaſi ab uberibus matris abſtrahit. Invitat & vos, manum extendit, funiculum gratiæ, & charitatis porrigit, & in cæno, altiſſimóque vitiorum puteo hærentes, arripere recuſatis; *q quare non imputabitur Deo, ſi aliquis non accipiat, ſed ei qui non accipit.* Eſt hîc fortè talis, adhuc nimis lenta, ſomnolenta, frigida, rigida anima, quæ reluctatur, movet caput, non vult ſequi: pertinax manet vel in odio inveterato, vel concupiſcentia libidinoſa, vel iniqua poſſeſſione bonorum, vel alia flagranti occaſione peccandi, quam non cupit deſerere. Quamdiu ſic; ô infelix anima, quamdiu ſic patieris te trahi? agite, quotquot adeſtis, veſtris efficacibus precibus, ardentibus deſideriis, velut ſimul adnitentibus equis, trahite hanc animam ad Chriſtum. Agite vos omnes SS. Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, trahite ad Chriſtum hanc animam reluctantem. Tu potentiſſima Cœli Regina, quæ *r Cœli Magnes* es, hoc ferreum, & obduratum pectus, per te, ad Filium tuum trahe. Tu dulciſſime Jeſu, qui omnia traxiſti ad teipſum, trahe hanc animam rebellem, trahe omnibus Paſſionis tuæ funibus, & charitatis vinculis, hunc peccatorem Davidem, ac Manaſſem ex ſua perfidia: hunc novum Matthæum, & Zachæum, & Publicanum, ex uſura, & injuſtitia. Hunc novum Saulum ex ſpirante vindictâ, & ſpumante iracundia: hanc novam Magdalenam ex ſua immunditia, & flagitioſa vita. Hunc Lazarum ex monumento pravæ, & inveteratæ conſuetudinis. Denique, ut concludam, ad vos electos, ad vos viros rectos, ac timentes Deum: ad vos matronas pias, ac honeſtas: ad vos Religioſas, ac Chriſto ſponſo ſacratas Virgines, ſermo convertitur; quoniam (ut Bernardus ad ſuos) *ſ opus habetis* TRAHI; *& quid mirum, ſi indiget* TRAHI, *qui poſt gigantem currit? qui comprehendere nititur eum qui ſalit in montibus, tranſilit colles? non valet ex æquo currere, non poteſt pari cum illo celeritate contendere, qui exultat ut gigas ad currendam viam. Non poteſt ſuis viribus; & propterea rogat* TRAHI. *Feſſa ſum* (inquit ſponſa) *deficio, noli me deſerere; ſed* TRAHE *me poſt te, ne incipiam vagari poſt amatores alios, nec curram quaſi in incertum.* TRAHE *me poſt te: quia ſatius mihi eſt, ut me* TRAHAS, *& vim qualemcúmque mihi, aut terrendo minis, aut exercendo flagellis, inferas, quam parcens in meo me torpore malè ſecuram relinquas.* TRAHE *torpentem, ut reddas currentem.*

Vos fructus ſuaviſſimi, quos ex glorioſa Crucis Palma, ſibi ex populo nequam collegit, & amantiſſimâ manu ad ſe traxit; ſic ſenſit, quem audire juvat Divus Honorius, qui ita Chriſtum loquentem inducit: *t Aſcendam in palmam, id eſt Crucem, & vincam Tyrannum; & tunc apprehendam fructus ejus, ſcilicet ſalvandos omnes, & victo Tyranno, ad me* TRAHAM *ad victoriam; videlicet quia exaltatus ſum*

q S. Thom. cit. r B. Brigitta in ſer. Angel. c. 19.

ſ Bern. ſer. 21. in cant. t Honorius. apud Delrio ad hunc locum cant.

in Cruce: ſimilitudo enim eſt illius, qui arborem ſcandit, & pendentia poma ad ſe TRAHIT: *Quia ſic Chriſtus in Crucem aſcendit, & electos in multis erroribus diſperſos, ad ſe collegit.* Felices animæ, quæ dilectum tam fortiter, & ſuaviter trahentem ſequimini, quæ veriſſimum illud D. Bernardi experiemini: *Erit quando non indigebimus* TRACTORE, *quoniam voluntariè, & cum omni alacritate curremus.*

FESTUM

FESTUM CONVERSIONIS S. PAULI APOSTOLI.

Domine, quid me vis facere? Actor. 9.



Formáſque aptè vertetur in omnes. Ovid. 4. metam.

ARGUMENTUM.

SI quis *Paulum*, Vas electionis, collaudare voluerit, omnium laborum iliadem, omnium meritorum myriadem, totiúsque vitæ ſanctitatem, hoc brevi lemmate complectetur: *Domine, quid me vis facere?* vis me

me ad Garamantes & Indos portare nomen tuum? volo. Vis algere, ſitire, eſurire, colaphis & virgis cædi, ſanguinem & vitam dare? ecce me; faciam omnes voluntates tuas: a *O verbum breve, ſed efficax,* clamat Bernardus; in quo omnis perfectio eorum, qui in terris, & in cœlis ſunt. Unde toto cœlo aberrant, qui beatitudinem in libertate conſtituunt, & graviſſimam ducunt ſervitutem, ex alterius voluntate, etiam ipſius Dei, vivere; quam Apoſtolorum Princeps *malitiæ libertatem* jure nuncupat. c His *PaVLò MaIora CanenDa sVnt: Si voluntas mala ſemper ſuæ permittenda eſt libertati, quare* PAULUS *non eſt permiſſus uti peſſima voluntate, qua perſequebatur Eccleſiam?* quid orbem perdidit, & infernum replevit, niſi voluntati Dei, repugnans voluntas propria? illa vera & aurea libertas eſt, vivere, ut vult Deus; hac Paulus gloriatur: d *Qui in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini.* Hanc libertatem in alta gentilitatis nocte ſpectavit, & amavit ille, e qui dixit: *Conformavi voluntatem meam divinæ. Vult me febricitare? & ego volo. Aliquid aggredi? volo. Potiri? volo. Non potiri? nolo. Mori? volo.* Inde quanta libertate frueretur, his verbis declarat: *Quis jam prohibere, aut cogere voluntatem poteſt, non magis, quàm ipſum Deum?* Quidni Chriſtianus in luce gratiæ, ſic dicat? in omnibus voluntati divinæ obtemperet? nec ipſi ſolùm; ſed quod Paulus commendat, ipſius loco præpoſitis, ſervi Dominis, mulieres viris: atque hic exemplo Pauli, prompta, & cæca obedientia.

§. I. DOMINE, QUID ME VIS FACERE? *Actor.* 9.

§. II. *Non ſolùm ſupremo Numini: ſed & homo homini obedire tenetur; juxta illud Pauli:* OBEDITE

a Bernard. Serm. de Converſ. S. Pauli. b 1. Petri 2. c Auguſtin. Donato presbyt. d 1. Cor. 7. e Epictetus lib. 3. c. 26.

PRÆ-

PRÆPOSITIS VESTRIS, ET SUBJACETE EIS. *Ad Hebr. ult.*

§. III. *Mulieres viris ſubditæ ſint, ſicut Domino.* Ad Epheſ. 5.

§. IV. *Obedientiam velocem ad vocem, actutum ad nutum commendat Paulus his verbis:* DOMINE, QUID ME VIS FACERE? *Actor.* 9.

§. V. *Obedientia cœca ex illo Pauli inculcatur:* APERTIS OCULIS NIHIL VIDEBAT. *Actor.* 9.

FESTUM CONVERSIONIS S. PAULI.

Domine, quid me vis facere? Actor. 9.

GRandis ille è Stoa Sophos Diogenes Cynicus, quondam rogatus, *f quid eſset mortalium cuique in hac vita optimum, ac longè jucundiſſimum?* hoc e dolio, velut è tripode, Jovis protulit oraculum *g*: LIBERTAS: ad hanc hominem natum, ut piſcis ad natandum, avis ad volandum: hanc omnibus vitæ commodis, divitiis, deliciis præferendam, commune omnium Sapientum ſuffragatur judicium. Optimus magiſter morum Philoſophus Romanus: *h Inæſtimabile*, inquit, *bonum eſt, ſuum eſſe*; nec alterius nutu, & alienâ vivere quadrâ: *Lacon ille memoriæ traditur, qui captus clamabat: non ſerviam, ſua illa dorica lingua; & verbis fidem impoſuit, ut primum juſſus eſt fungi ſervili, & contumelioſo miniſterio, illiſum parieti caput rupit. Tam prope eſt* LIBERTAS: *& ſervit aliquis?* unde illud vulgari parœmiâ ventilatur: *Vryheyt, blyheyt*:

Nec bene pro toto LIBERTAS
venditur auro;

Quàm vincti, & in ſervitutem redacti, immenſis facultatum ſuarum copiis comparare ſibi non dubitarunt. In hac primi parentes noſtri beatitudinem ſuam collocâſſe videntur, dum, ut omnibus affluerent, & quaſi terreſtres Dii univerſis dominarentur, ac imperarent, miſeros ſeſe arbitrarentur, libertate ſibi unius arboris fructu veſcendi præciſa, his verbis: *i Ex omni ligno paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni, & mali, ne comedas.* Quod humaniſſimum, ac facillimum Domini præceptum, adeò impotenter, ac inſolenter tulêre, ut in procaces querelas, ceteris omnibus beneficiis penſi habitis, proruperint: *k De fructu ligni quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Obſervat hîc Lipomannus, quod Eva *ſe non tam gratam pro tot, tantiſque conceſſis in Paradiſo fructibus, quam querulam, & impatientem, de uno negato ſe oſtendebat*; nihil porrò homini ad beatitudinem conferre cenſetur rerum omnium terrenarum copia, & bonorum affluentia, ſi aurea deſit libertas, qua pro arbitrio ſuo frui queat. Quod emphaticè tractat ſanctus Bernardus Senenſis *l*, dicens: *Nihil eſt quod homo natu-*

f Laertius lib. 6. g Libertas quanti æſtimanda. h Seneca Epiſt. 76. Idem Epiſt. 77.

i Gen. 2. v. 16 17. k Gen. 2. v. 16. 17. Lipoman. l Bernardin. Tom. 3. conc. 13.

rali affectu refugiat amplius, QUAM PRIVARI PROPRIA LIBERTATE; nec à re alia æquè humanus animus abhorret, ac ab omni ea, quæ voluntatis facultatem coarctat, ut non liceat, quod libet. Hoc quàm arduum, & acerbum ſit, Doctor mellifluus, *m* qui ſanctitate venerabilis, eloquentiâ ſuavis, & ſignorum innovatione, immutationéque mirabilium exſtitit mirabilis, ediſſeret: *n Cùm nihil*, inquit, *in nobis ſit charius, intimius, altius, & majus* PROPRIA LIBERTATE, *ac facultate uſus ejus, abdicare hanc à ſe, prout eſt poſſibile; tantò eſt perfectius, & altius, quantò iſta præponderat omnibus aliis abdicabilibus noſtris*: quia facilius abdicare ſua, quàm ſe. Trucidides *o* eouſque *libertatem* extulit, ut eam ſolam, & veram *beatitudinem* pronuntiârit. Veriſſimè, ſi in quo vera libertas ſita ſit, ſpectârit. Quod ut pleniùs, ac planiùs capere poſſitis, Romanæ Eloquentiæ principem ſic definientem audite: *p Quid eſt* LIBERTAS? *poteſtas vivendi, ut velis. Quis igitur vivit, ut vult? qui recta ſequitur.* Unde neminem niſi virum probum (quem Gentiles ſapientem nuncupant) liberum vocabat. Quæro ego ulterius: quis recta vult, & veriſſimè, ac certiſſimè ſequitur? qui infallibilem omnis rectitudinis regulam, id eſt, voluntatem divinam, ad amuſſim ſequitur. Me hic continere non poſſum, quin recitem Senecæ ſententiam, omni poſteritatis commendatione digniſſimam: *q In regno nati ſumus, Deo parere* LIBERTAS EST. Etenim, ſi libertas, teſte Tullio, eſt VIVERE ut velis; nihil autem velis, quàm quod Deus vult, aurea fruêris libertate, quæ veriſſima beatitudo etiam hic in terris eſt, qua cœlites tota æternitate perfruentur. Hanc ſpectavit, & omnibus inculcavit Africanus Antiſtes: *r Quem delectat*, inquit, VERA LIBERTAS, *quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo ſubjectus ſit.* Ubi graviſſimè errant, & turpiſſimè hallucinantur filii hujus ſæculi, qui ſervitutem æſtimant ex Dei lege, & voluntate vivere, qui Saulum effræni voluntate quidlibet audentem, liberum; Chriſti autem arbitrio, ac voluntati ſeſe liberè ſubdentem hac voce: *Domine, quid me vis facere*, mancipium, ac gravi ſervituti ſubjectum dixerint. Quos ſolerter, ut ſolet, refutavit idem Auguſtinus, dicens: *t Si voluntas mala ſemper ſuæ permittenda eſt* LIBERTATI, *quare Paulus non eſt permiſſus uti peſſima voluntate, qua perſequebatur Eccleſiam?* Tunc enim ſectabatur *v* MALITIÆ LIBERTATEM, quam Libertini, ſpretis Dei, ac Eccleſiæ præceptis, plenis buccis concrepant; adeò ut Calvinus hoc impium dogma evulgare auſus ſit: *x Conſcientia dicente peccaſti: reſponde, peccavi. Ergo Deus puniet, & condemnabit; non. At lex hoc dicit: ſed nihil mihi cum lege; quare? quia* LIBERTATEM HABEO. Ejuſdem ſententiæ Lutherus, ejuſque ſectatores. Cùm

m Petrus Cellenſ. Epiſt. 166.
n Bernardus Serm. 13. in Cant. o Thucidid. lib. 10. p Cicero paradox. 5. q Seneca de Beata vita c. 15, in fine.

r Auguſtin. lib. de vera religione. ſ Vera libertas obedire Deo. t Auguſtin. Donato, Epiſt. 204. v 1. Petr. 2. v. 16. x Calvin. lib. 3. inſtit. c. 19. v. 2, 4, 7.

Pau-

Paulus dicat ad *y* Gal. 5. v. 23. *Vos* IN LIBERTATEM *vocati eſtis; tantum* NE LIBERTATEM *in occaſionem detis carnis*, quæ eſt ſervitus duriſſima. Hæc autem libertas, & legi divinæ, & civili, omnîque politiæ adverſatur. S. Hieronymus ait ſic quoſdam ſub initium fidei Chriſtianæ, cùm audirent ſe vocari ad libertatem Chriſtianam, putaſſe per eam ſe ſolvi vinculo ſervitutis, quam Dominis ſuis debebant; uti noſtro hoc ſæculo, inquit Cornelius, *z* putarunt ruſtici illi in Germania, quos tam in ſuam, quàm in Dominorum perniciem, ad rebellionem accendit, & armavit Lutherus; ita ut ex eis cæſa ſint centum millia. Quare ad hunc exîtialem errorem Libertinorum confutandum, qui etiam quorundam fidelium animos occupavit, exiſtimantium ſervitutem eſſe ex Dei præcepto vivere, ſuámque voluntatem in omnibus ita divinæ alligare, & conformare, ut nihil velit niſi quod Deus, aut ejus Vicarius vult, ſolidas è Doctorum placitis rationes adferemus, ac Paulum hodie propriam abnegando voluntàtem, ſéque divinæ arctiſſimè obſtringendo, *in veram* LIBERTATEM *Filiorum Dei* aſſertum fuiſſe, convincemus. Ac primum quidem ſi quis ita exiſtimat homines à natura liberos eſſe factos, ut quidquid libeat, & quidquid brutalis appetitus ſuadeat, id faciant, nullâ lege, nullóve ſuperiore vivant, is vehementer fallitur. Rectè enim Hipponenſis præſul, in epiſtola quadam, ubi de vera felicitate, hoc inter cetera: *a Primum*, inquit, *attende, utrum acquieſcendum ſit eis, qui dicunt eum beatum eſſe, qui ſecundum ſuam vivit voluntatem? ſed abſit, ut hoc verum eſſe credamus. Quid enim ſi nequiter velit vivere? nónne tantò miſerior eſſe convincitur, quantò facilius mala ejus voluntas impletur?* Quod vel ipſo Ethnicorum teſtimonio confirmat: *Meritò hanc ſententiam etiam ipſi, qui ſine Dei cultu philoſophati ſunt, reſpuerunt: nam quidam eorum eloquentiſſimus ait: Ecce autem alii non Philoſophi b quidem, ſed prompti tamen ad diſputandum, omnes ajunt eſſe beatos, qui vivant ut ipſi velint; falſum id quidem: velle enim quod non deceat, idem ipſum miſerrimum. Nec tam miſerum eſt non adipiſci, quod velis, quam adipiſci quod non oporteat.* Hæc Auguſtinus. Quin ipſe etiam Ariſtoteles *c* optimam reipub. formam exquirens, illud præcipuè monet: tollendum eſſe eum errorem, quo fermè homines laborare ſolent, ut unuſquiſque agere velit, quod placet, & vivere, ut placet; quod ſibi perſuaſerint in hoc ſitam eſſe libertatem, ut faciant quodcumque libuerit; Atque id quidem falſum eſſe, quia id ſcilicet nulla ſervitus vivere ſecundum leges, ſed ipſa ſalus. Subdit alibi, *d* neminem ſanæ mentis liberos, ſeu filios, ſervos dicere, qui ad parentum, aut moderatorum nutum vivunt, nec quidquam contra amabile eorum agunt, vel

y Luther. in Epiſt. ad Galat. 2. v. 19. & in c. 4. z Cornelius in Epiſt. ad Epheſ. c. 6. v. 5.

a Aug. Epiſ. 131. Libertas falſa & vera ſervitus. b Cic. in Horten. qui liber nunc non exſtat. c Ariſt. 5. polit. d Ariſt. 3. polit. c. 4.

VO-

volunt, imperium. Sed quid opus eſt in hac re pluribus philoſophari, cum ſacrarum litterarum, Sanctorúmque Patrum plena, ac plura exſtent oracula? Paulus qui in hac Chriſti libertate gloriatur 1 ad Cor. 7. 22. *qui in Domino vocatus eſt ſervus*, LIBERTUS *eſt Domini*. Unde dum ſe ſervum Chriſti, glorioſo libertatis encomio deprædicat, Ambroſius ait. *e Conditionem fatetur; quia qui Chriſtum confitetur Dominum, hîc magis* LIBER EST *& habet ſalutem*. Quod de virginibus voto etiam Deo adſtrictis, ſenſit Tertullianus lib de Veland. Virg. c. 3. *tantò magis* LIBERÆ, *quantò Chriſti ſolius ancillæ*. Interim quid frequentius, quam ut adoleſcens illuſtri familiâ, opibus pollens, ingenio excellens, ſeſe in religioſum clauſtum abdere; filia nobilis, formâ ac famâ ſpectabilis, libertatem vendere, ſervitutem longè duriſſimam per omnem vitam ſibi ſponte eligere non dubitet? dum vos interim ſub jugo mundi, & vitiorum Tyrannide, duriſſimam ſervitis ſervitutem; ſic etenim Auguſtinus *f*: *malus, tot Dominorum ſervus eſt, quot vitiorum*: déque eo, quam jactant libertatem, exclamat Sanctus Bernardus: *g* O LIBERTAS *omni ſervitute ſervilior*! Ambroſius quoque hoc argumentum ingenioſè, & copioſè pertractans id ita confirmat: *h Quoniam ille* LIBER *ſit, qui faciat quod velit; juſtus autem quamvis legi, vel homini* (vel Deo) *obediat, ſemper tamen faciat quod velit, quia idipſum bonum velit, quod præcipitur*; ſeu quod idem eſt, quia idipſum velit, quod vult Deus, & ad omnes Dei nutus, promptiſſimus clamat cum Saulo: *Domine, quid me vis facere*, vel pati? Vis me è ſummo gradu dignitatis in ſervitutem redigi? volo. Vis me in carcerem, in mortem ire? Volo. Vis me algere, eſurire, ſitire, perſecutiones, contumelias, flagra tolerare? Volo. Talem mirari, & æmulari juvat ad omnia paratum.

i Animæque magnæ prodigum
PAULUM.

Hæc aurea, hæc divina libertas eſt, vivere, ut vult Deus, nec quidquam aliud velle, quam quod vult Deus. Inculcare hæc poſſem aurea Chryſoſtomi, aut Chryſologi facundia; ſed quid naturæ ductu gentilis docuerit, & egerit attendite. Epictetus apud Arianum lib 3 diſſert. c. 26. *Conſtitui, & conformavi voluntatem meam divinæ. Vult me febricitare? Et ego volo? Aliquid aggredi? Volo. potiri? volo. non potiri? nolo. mori? volo.* Inde quanta libertate frueretur, his verbis declarat: *Quis jam prohibere, aut cogere voluntatem poteſt, non magis quam ipſum Deum?* Si hæc ille in alta gentilitatis nocte, quid Chriſtiani in luce gratiæ? Fuit olim magni nominis Theologus *k*, qui octennium ipſum aſſiduis precibus Deum obſecravit, hominem ſibi monſtraret, à quo viam doceretur ad cœlum compendioſiſſimam. Eo igitur Die; quo hujus hominis alloquendi diſiderio maximo tenebatur,

e Ambr. comment. in hunc locum. Velaſq. in Philip. c. 1. v. 1. adnot 4. pag. 15. f Aug. lib. 4. de civit. c. 3. g Bernard Epiſt. 42. h Amb. l. 2. Epiſt. 22

i Horat. 2. Ode 12. k Tauler. drexel. Heliotrop. l. 2. c. 1.

batur, nec aliud mallet, quam videre magiſtrum tam arcanæ veritatis; vocem cœlitus allatam audire ſibi viſus eſt, quæ ſic moneret. Exi foras ad templi veſtibulum, & qualem quæris, reperies hominem. Prodiit ergo in publicum, & ad ædis ſacræ limina mendicum venit tibiis ulceroſis, & multo pure fluentibus; veſtis mendici vix trium obolorum erat. Huic Theologus candidum precatus eſt, & proſperum mane; cui mendicus: non memini, ait, me unquam habuiſſe adverſum. Hîc literatus ille primam ſalutationem velut correcturus: eia, inquit, fortunatum te reddat Deus; at ego, inquit mendicabulum, infortunatus numquam fui. Obſtupuit ad hanc vocem Theologus; ſed ne forſan erraſſet audiendo, ingeminat votum paulò aliis verbis, dicens: felicem te eſſe jubeo. Mox iterum mendicus: numquam, ait, infelix fui. Theologus argutari credens dicacem mendiculum, & ut hominis ingenium experiretur. Eveniant, inquit, volo tibi quæ optas, atque id fiat. Non eſt ait iſte quod hîc querar: omnia fiunt, ut volo; quia hoc unum volo, quod vult Deus: ſi velit mane mihi exoriri pluvium, volo: ſi ſerenum, volo: ſi eſurire, ſitire, algere me velit, volo; nec aliud volo, quam quod vult Deus. Abiit Theologus, & quam quærebat rectiſſimam ad Cœlum viam, & in terris libertatem beatam, non ſubtili argumento, ſed certo & claro experimento edoctus eſt. O ſi in omnibus, quæ à naturalibus cauſis, ab hominibus, à Deo nobis adveniunt, ita animo diſpoſiti eſſemus, quanta libertate, tranquillitate, & æquitate mentis frueremur? Hæc mens Demetrio fuit cum Deo ſic piè, & Chriſtiano more diſſerenti: *l Hoc unum, Dii immortales de vobis queri poſſum; quod non antè mihi voluntatem veſtram notam feciſtis: prior enim ad iſta veniſſem, ad quæ nunc vocatus adſum. vultis liberos ſumere? illos vobis ſuſtollite. Vultis aliquam partem corporis? ſumite; non magnam rem promitto, cito totum relinquam. Vultis ſpiritum? nullam moram faciam, quò minus recipiatis, quod dediſtis: à volente feretis, quidquid petieritis. Nihil cogor, nihil patior invitus, nec ſervio Deo, ſed aſſentior.* Quanta, & quam ſublimia hîc omnis perfectionis, & ſanctitatis perfectiſſimæ documenta, non ſolum Chriſtianis, ſed & viris religioſis, ac ſanctimonialibus ſæpe ruminandi, & meditandi argumenta; quorum nemo queri poteſt, divini numinis, ac æternæ providentiæ voluntatem ſibi notam non eſſe; ſed ad ea quæ immittuntur, prompto animo vocatus, adſit, & dicat: Vult Deus aliquam partem corporis, dentem evelli, mammillam ſecari, crus præcidi, uxorem auferri, unicum filium avelli, *citò totum relinquam.* Vult villas, prædia, cenſus, thedas, famulos, fortunas omnes eripi, *à volente feret, quidquid petierit.* Vult in flore ætatis, in officio, & rerum agendarum implicito negotiis, Spiritum & vitam? *nullam moram faciam, nihil cogor, nihil patior, nec ſervio Deo, ſed aſſentior*, quæ omnia Paulus complexus paucis hiſce verbis:

l Seneca, lib. de providentia. c. 5.

§. I.

Domine, quid me vis facere. Act. 9.

QUæſtio inter Theologos non levis, acerrimè agitata, & ardentiſſimè ventilata; *n quodnam fuerit primum progenitorum noſtrorum peccatum?* quod in mari tempeſtates & naufragia, quod in cœlo intemperies, grandines, tonitrua, & fulgura: quod in terra, calamitates, peſtes, & bella, duella, vulnera, & cædes, morborum agmina, mortem ipſam, omne denique, quo miſeri mortales ab utero ad extremum Spiritum conflictantur, malum invexit? Varii hic in maximè varias abiere ſententias. Prima eſt Doctoris Angelici, *o* cum communi Theologorum ſchola, fuiſſe *peccatum* SUPERBIÆ: Dicitur enim Eccl. 10. & Tobiæ 4. *initium omnis peccati* SUPERBIA; his porro verbis: *cur præcepit vobis Deus*, ſerpens oſtendit per illud Dei præceptum valde gravari, & opprimi libertatem hominis, ejuſque dignitatem minui. Statim igitur his auditis, motus quidam elationis extitit in animo Evæ, indigne ferentis aſtrictam ſe teneri ea lege, nec poſſe arbitratu ſuo liberè vivere, nullíque ſubjectam eſſe. Declarat hoc ipſum diſertiſſimus verbis, & ſententiis, S. Auguſtinus: *p Malæ voluntatis initium, quod potuit eſſe, niſi* SUPERBIA? *initium enim omnis peccati* SUPERBIA *eſt; quid eſt autem* SUPERBIA, *niſi perverſæ celſitudinis appetitus? &c.* Idem ſentit Gregorius, *q* & conſentit Bernardus: *r Fugite ſuperbiam, Fratres mei: quæſo, multum fugite: initium omnis peccati ſuperbia; quæ tam velociter ipſum quoque ſideribus cunctis clariùs micantem æternâ caligine obtenebravit Luciferum. Unde & protinus invidens homini, quam conceperat in ſemetipſo, in eo peperit iniquitatem.* Alii gulam fuiſſe volunt, flagrantiſſimè expetendo vetitum ſibi fructum, quod non obſcurè ſacræ paginæ innuunt: *Vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum.* Sunt qui allegant primum orbis peccatum fuiſſe mendacium Evæ dicentis: *præcepit nobis Dôminus ne comederemus de ligno vitæ, & tangeremus*; Mentita eſt, Deum interdixiſſe eis tactum arboris, qui ſolam interdixerat eſum. Nonnulli recurrunt ad infidelitatem, & perfidiam, quod ſententiam Domini dicentis: *Si comederis ex hoc ligno, morte morieris,* Eva quaſi in dubium revocârit ac falſificârit: *ne forte moriamur,* & maluit credere ſerpenti, quam, Deo. S. Ambroſius, *ſ* & S. Proſper *t* lib. adverſus Caſſianum c. 19. & 21. non dubitârunt dicere antecedenter *Adam perdidiſſe fidem, nimirum quia plus dictis, & promiſſionibus ſerpentis, quam verbis Dei credidit.* Atque ut alios non paucos aliter ſentientes omittam, mirabilis illa, & non improbabilis

m Hoc dicto oſtenditur obedientia Deo præſtanda.

n Quodnam fuerit peccatum Adæ.

o S. Thom. 1. q. 84. a. 2. Peterius. in Gen. lib. 5 c. 3. v. 6. quaeſt. 1.

p Aug. lib. 14 de civit, c. 13.

q Greg. lib. 34. mor. c. 17.

r Bern. ſer. 1. Advent. Dom.

ſ S. Amb. in illud. Lucae c. 10. deſpoliaverunt eum.

t S. Proſper cit.

lis doctrina eſt, Adamum amore inordinato uxoris, præceptum Domini prætergreſſum. Ita Auguſtinus Doctor eximius, ut illum jure compellat Caſſiodorus, *bellator hæreticorum, defenſor fidelium, & famoſorum palma certaminum.* lib. 14. de Civitate Dei, c. 11. & lib. 12. de Geneſi ad litt. c. 42. *Credendum eſt*, inquit, *illum virum ſuæ fœminæ, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi ad Dei legem tranſgrediendam, non tanquam verum loquenti credidiſſe ſeductum; ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe.* Et altero in loco, quid affectus & ardor mariti in uxorem ſuadeat, & extorqueat, his verbis indicat: *y noluit Adam Evam contriſtari, quam credebat ſine ſuo ſolatio contabeſcere, ſi ab ejus abalienaretur animo; non quidem carnis victus concupiſcentiâ, quam nondum in membris ſuis ſenſerat; ſed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus: quod eum facere non debuiſſe, divinæ ſententiæ juſtus exitus indicavit.* Rationem hanc Deus indicare viſus eſt, dum dixit: quia *audîſti vocem uxoris.* Verum enim verò cùm omne peccatum à pravâ voluntate ſit, & contra mandatum Dei, z nemo quiſquam mirabitur, ſi initium omnis peccati, inobedientiam eſſe dixero, & demonſtraro, ipſo Divi Thomæ imprimis nixus ſuffragio, quem in omnibus magiſtrum veneror, & ſuſpicio: Fundamentum eſt illud Apoſtoli ad Romanos. cap. 5. v. 19. *Sicut per* INOBEDIENTIAM *unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi* (S. Thomas, *a* id eſt omnes qui ab eo naſcuntur ſecundum generationem ſeminalem) *ita & per unius* OBEDITIONEM, *juſti conſtituentur multi*, qui renati ex gratia. Quem locum expendens 2, 2æ. quæſt. 105. art. 2. ubi agit de peccato Adami, ait: *videtur Apoſtolus, accipere* INOBEDIENTIAM, *ſecundum quod generaliter ſe habet ad omne peccatum*; quod intentum meum eſt probare, nullum peccatum nec mortale, nec veniale fieri, niſi contra voluntatem Dei, atque ex ſola perverſa voluntate humana; atque adeo omnem perfectionem, & ſanctitatem, in illis verbis Pauli comprehendi: *Domine, quid me vis facere?* Quare dum ſuperbia initium omnis peccati ab Eccl. dicitur, ad propoſitum noſtrum ſic diſſerit: *b Dicendum quod ſuperbia reſpicit peccatum ex parte averſionis à Deo, cujus præcepto homo ſubdi recuſat,* Et paulò poſt: *ad ſuperbiam pertinet, cuique ſuperiori nolle ſubjici, & præcipuè, nolle ſubdi Deo. Ex quo contingit, quòd homo ſupra ſeipſum indebitè extollatur.* Quod dilucidè more ſuo divinus Doctor proſequitur, & elucidat, in illud Pauli ad Rom. 5: *c ſicut* PER INOBEDIENTIAM &c *Cauſæ*, inquit, *ſimiles ſunt ſuis effectibus.* INOBEDIENTIA *autem primi parentis, quæ habet rationem injuſtitiæ, conſtituit peccatores, & injuſtos* (quo docet, & declarat, nullum peccatorem eſſe, niſi per inobedientiam, ut pluribus dicemus) igitur obedientia Chriſti,

v Caſſiod. lib. divin. lect. c. 20. Moralia vide apud Fernand. hic in Gen.
x Aug. l. 14. de civit. c. 11. y Idem l. 12. in Gen. ad litt. c. 42. z Peccatum Adæ inobedientia.

a S. Thom. in c. 5. ad Rom. b S. Thom. 1. 2. q. 84. art. 2. c S. Thom. in epiſt. ad Rom. 5. v. 19.

quæ habet rationem juſtitiæ, conſtituit juſtos (id eſt Sanctos) Sed objici poteſt, peccatum ejus videtur fuiſſe ſuperbia, ſecundum illud Eccl. 20. *initum omnis peccati ſuperbia.* Cui reſpondet: *ſed & ibidem dicitur, initium ſuperbiæ facit homines apoſtatare à Deo: quòd homo non vult ſubjici præceptis divinis, quod ad* OBEDIENTIAM *pertinet. Unde primum hominis peccatum videtur fuiſſe* INOBEDIENTIA, *non ſecundum actum exteriorem; ſed ſecundum interiorem motum ſuperbiæ, quo voluit divino præcepto contraire.* Quid luculentius, quid potentius ad voluntatem noſtram divinis præceptis, & æterni numinis voluntati conformandam dici poteſt, *quàm primum hominis peccatum* ex quo omne malum, *inobedientiam* extitiſſe? pergit porrò id ipſum comprobare, dicens: *Unde ejus inobedientiam Dominus arguit* Gen. 3. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, &c.* Tum ſanctiſſimam antitheſim inſtituit: *d* OBEDIENTIA *autem Chriſti, hîc dicitur, ſecundùm quam, præcepto Patris* OBEDIENS, *mortem ſuſtinuit pro ſalute noſtra, ſecundum illud Philip.* FACTUS EST OBEDIENS USQUE AD MORTEM. Tandem compendio, & brevi epitome argumentum noſtrum complectitur: *Per* INOBEDIENTIAM *nos peccatores effici, & per* OBEDIENTIAM *juſtificari: quia juſtitia legalis, quæ eſt omnis virtus, attenditur in obſervatione præceptorum legis, quod pertinet ad rationem* OBEDIENTIÆ. *Injuſtitia autem illegalis, quæ eſt omnis malitia, ut dicitur Et hic. 5. Attenditur in tranſgreſſione mandatorum legis, quæ pertinet ad rationem* INOBEDIENTIÆ. *Sic ergo convenienter dicitur, quod per* OBEDIENTIAM *conſtituuntur homines juſti, & per* INOBEDIENTIAM *peccatores.* Cui unquam veſtrûm hoc incidit, *inobedientiam peccatores* facere? necullum peccatũ fieri, quod non ex inobedientia voluntatis noſtræ cum divina repugnante procedat? *f In occulto mali eſſe cœperunt, ut in apertam* INOBEDIENTIAM *laberentur: non enim ad malum opus perveniretur, niſi præceſſiſſet mala voluntas.* Nihil in ſe arbor, aut fructus ejus, mali continebat; ſed omne malum in tranſgreſſione præcepti fuit, ut rectè Auguſtinus de Geneſi ad litteram: *g Mihi etiam atque etiam conſideranti, dici non poteſt, quantum placeat illa ſententia, non fuiſſe arborem cibo noxiam: neque enim, qui fecerat omnia bona valde in Paradiſo inſtituerat aliquid mali; ſed malum fuiſſe homini tranſgreſſionem præcepti. Oportebat autem, ut homo ſub Domino Deo poſitus, alicunde prohiberetur, ut ei promerendi Dominum ſuum, virtus eſſet ipſa* OBEDIENTIA: *quam poſſum veriſſimè dicere ſolam eſſe virtutem omni creaturæ rationali agenti ſub Dei poteſſate; primùmque eſſe, & maximum vitium tumoris ad ruinam, ſua poteſtate velle uti, cujus vitii nomen eſt* INOBEDIENTIA. Sic, quod heterodoxi nobis obganniunt, ſextâ feriâ, & ſabbatho, aliiſque inediæ diebus, carnes malæ, aut noxiæ non ſunt; ſed iis veſci malum, quia præcepto vetitæ ſunt. Etiamſi porrò, quantum ad animum, & affectum Adami, principale & formale peccatum ejus fuerit ſuperbia; attamen quan-

d Obedientia Chriſti reſtauravit inobedientiam Adæ e S. Thom. cit. ad Rom. 5.

f Auguſtin. lib. 14. de civit. c. 13. g Auguſtin. lib. 8. de Geneſ. ad litteram c. 6.

tum

tum ad offenſam Dei, & ad damnum, & pœnam, quâ ſe, & poſteros omnes involvit: *h Principale peccatum fuit* INOBEDIENTIA: propterea enim Deus graviſſimè eſt offenſus, quod præceptum ejus non cuſtodiviſſet, ut ex objurgatione ejus patet: *Quia*, inquit, *comediſti de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, &c.* Omne itaque malum, & peccatum, non modò progenitorum noſtrorum, ſed & omnium poſterorum, ab inobedientia, & prava hominis voluntate voluntati divinæ, ejuſque præceptis contrariâ naſcitur; adeò ut divus Bernardus, ex communi omnium Doctorum calculo, rectè pronunciârit: *Quid odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? ceſſet voluntas propria, & infernus non erit.* Ab inobedientia, & perverſa voluntate non ſolùm omnis culpa, ſed & pœna, omniſque plaga, quæ unquam humano generi illata. S. Auguſtinus in Pſalmum 70. *Non potuit Deus perfectiùs demonſtrare, quantum ſit bonum* OBEDIENTIÆ, *niſi cùm prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi* INOBEDIENTIA *invenit pœnam.* Adamus aureâ fruens libertate, & dominatu non ſolùm in omnes animantes, ſed in omnes animi ſui motus, per inobedientiam & ipſas belluas, & belluis longè ferociores paſſiones, ac concupiſcentias in ſe ferocire miſerrimè, & bellum inteſtinum omnium perturbationum expertus eſt: *In illius peccati Adæ pœna*, inquit idem Doctor, *l quid* INOBEDIENTIÆ *niſi inobedientia retributa eſt? nam quæ homini eſt alia miſeria, niſi adverſus eum ipſum* INOBEDIENTIA *ejus ipſius: m ut quoniam noluit, quod potuit, quod non poteſt, velit? in Paradiſo enim etiamſi non omnia poterat ante peccatum; quidquid tamen non poterat, non volebat: & ideò poterat omnia, quæ volebat. Nunc verò quis enumeret, quàm multa, quæ non poteſt velit? dum ſibiipſi, id eſt, voluntati ejus, ipſe animus ejus, eòque inferior caro ejus non obtemperat; ipſo námque invito & animus plerúmque turbatur, & caro dolet, & veteraſcit, & moritur.* Atque ideò dum prævaricando præceptum Domíni, peſſimam libertatem ſectatur, in graviſſimam omnium malorum ſervitutem prolapſus eſt: *n Hæc etenim juſta damnatio ſubſecuta eſt; & talis quidem damnatio, ut pro libertate, quam concupierat, duram, miſerámque ageret ſervitutem: mortuus ſpiritu volens, & corpore moriturus invitus: deſertor vitæ etenim æternæ, niſi gratia liberaret, morte damnatus.* Poſitus erat in loco voluptatis, in luce, in gratia totus: in ea viſus ad paucas, id eſt, ad ſex horas, ſi ſancto Ephrem *o* credimus; conditus enim ſub horam nonam matutinam, & Paradiſo pulſus ſub tertiam pomeridianam, exul, nudus, inops, in ſudore vultus quærens panem ſuuum, omnium calamitatum telam exorſus eſt. Mirandum hîc occurrit, primos omnium parentes ob pomum unicum admorſum, tam gravi affectos ſupplicio. Quis enim Diocletianus, aut Phalaris, ob pauculas

h Pererius in gen. lib. 6. c. 3. v. 6. n. 201.
i Bernard. 3. de Reſurrect.
k Auguſt. in Pſalm. 70. Conc. 2.
l Auguſtin. lib. 14. de civit. c. 15.
m Inobedientiæ pœna.
n Auguſtin. ibid.
o Lobbet. de peccato lib. 1. prop. 3. §. 3.

ficus,

ficus; aut aliquot floſculos, aut unicum pomum, mille homines in crucem rapuit? cur igitur Deus non mille homines, ſed innumeros hominum milliones æternæ mortis damnavit, ob arbuſculam unam non ſolo exciſam ſed pomo privatam, & quidem unico? *Puerile præceptum*, inquit Theodoretus, *p & infantibus conveniens videri potuiſſet illud: de ligno hoc non comedas.* Cur ergo tanta, támque diuturna ſeveritate punitur tranſgreſſio? meritò ſanè, quod imperium hoc leviſſimum, & pueris facillimum, detrectaverint tamen protoplaſti. Si grandia Deus, & difficilia imperâſſet, habuiſſent, quòd culpam purgaſſent. At verò, cùm illis amæniſſima libertas in omnes arbores eſſet, excepta unica, facinus fuit intolerabile, & tanto ſupplicio dignum, nec ab hac quidem unica, tam ſeriò vetita velle manus abſtinere. Hoc eſt, quod Hipponenſis Præſul exaggerat: *q Deus, qui hominem creaverat, qui ad ſuam imaginem eum fecerat, qui ceteris animalibus præpoſuerat, qui in Paradiſo conſtituerat, qui rerum omnium copiam, ſalutisque præſtiterat, qui præceptis nec pluribus, nec grandibus, nec difficilibus oneraverat; ſed uno* BREVISSIMO, ATQUE LEVISSIMO AD OBEDIENTIÆ SALUBRITATEM *adminiculatus fuerat, quo ſuper eam creaturam, cui libera ſervitus expediret, ſe eſſe Dominum commonebat.* Unde in tam excellenti bonorum omnium ſtatu homine conſtituto, leviſſimum hoc præceptum tam pervicaciter prætergreſſo, inobedientiam exprobrat, & pœnam dignam irrogatam demonſtrat, dicens: *r Sicut* OBDIENTI A *ſecundi hominis* (Chriſti) *eò prædicabilior, quia factus eſt* OBEDIENS USQUE AD MORTEM; *ita* INOBEDIENTIA *primi hominis eò deteſtabilior, quò factus eſt* INOBEDIENS *uſque ad mortem. Ubi enim magna eſt* INOBEDIENTIÆ *pœna propoſita, & res à Creatore facilis imperata, quiſnam ſatis explicet, quantum malum ſit* NON OBEDIRE *in re facili, & tantæ poteſtatis imperio, & tanto terrenti ſupplicio?* hanc inobedientiæ pœnam Adamo, ac poſteris inflictam, quiſquis miraris, ad animum tuum refer, & tibi applica: Deus tibi dedit non tantùm fructus terræ, ſed & omnium pecorum, ac volatilium carnes, ut iis ad delicias frueretis, & paucos dumtaxat dies excepit, quibus ab iis abſtinendum præcepit, & refugis *obedire in re facili* (ubi tanta piſcium, & aliorum ciborum ſuppetit copia) *& tantæ poteſtatis imperio, & tanto terrenti ſupplicio?* tibi Deus in ſinum tuum gratis profudit tot millenos aureos, tam amplas in fundis & redditibus fortunas, unum præcepit, ne alterum defraudes, ne aliena invadas, injuſtè occupes, aut poſſideas; ſed tuis amplis poſſeſſionibus minimè contentus, recuſas *obedire in re facili, & tantæ poteſtatis imperio, & tanto terrenti ſupplicio?* Deus tibi elargitus eſt tot dies, & horas, ut negotiis, & otiis ad libitum vaces; unam ſolummodo ſemihoram per hebdomadam ſibi poſtulat, ut diviniſſimo ſacrificio decenter interſis, & quoties hoc præceptum, aliudve non minus facile

p Theodoret. Serm. 10. de providentia. Gen. 2. v. 17. q Auguſtin. lib. 14. de civit. c. 15.

r Ibidem.

facile pretergreſſus es, & inventus *non* OBEDIRE *in re facili, & tantæ majeſtatis imperio, & tanto terrenti ſupplicio? &c.* Quàm autem ſeverè, & horrendè vindex Deus in voluntatis, ac mandati ſui tranſgreſſores animadvertat, innumera è Sacris, ac profanis hiſtoriis exſtant exempla. Geneſi 19. fugienti ex incendio uxori Loth, hoc prudens, & ſalutare præceptum datum fuit: *ſ Salva animam tuam, noli reſpicere poſt tergum.* At fæmina curioſior, quàm cautior, *reſpiciénſque poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Lapideſcere illo viſa eſt, ac verti non in inſulſum lapidem, ſed in ſimulachrum ſalis. Futura ſexui ſuo, ne deſipiat, & ſtultè tranſgrediatur præceptum Domini, ſapientiæ documentum. Mira ea fuit metamorphoſis, & quam ne ipſa quidem Poëtarum ingenia comminiſci didicerunt. Scribit Tertullianus aliquot ſæculis ſuperſtitem hanc ejus ſtatuam fuiſſe, & quod admirationem ejus auget, juxta conſuetudinem mulierum ei factum fuiſſe; quod clariùs Auctor citatus *v* exponit. Fateor miraculum hoc in pœnam inobedientiæ, in ſpeciem levis, ejuſmodi eſſe, cui ſimile, aut par, ægre invenias; quid fæminis illis eveniet, quæ non in agro, ſed in templo, non dico reſpicere, ſed ridere, garrire, concupiſcere auſæ ſunt? non eæ in ſtatuam ſalis, ſed medulæ, in ſtatuam ignitam picis, & ſulphuris mutandæ. Mulier hæc, inquit Auguſtinus lib. 16. de civit. c. 30. *Quoddam præſtitit condimentum. quo ceteræ ſapiant, unde illud caveatur exemplum.* His firmandis Regum faſti rem miſerandam memorant. Virum Dei, Prophetam verum, Rex Jeroboam invitaverat humaniſſimè ad prandium: cui Propheta, non venio, inquit, neque ſi dimidium domus tuæ dones, non venio: hoc enim mihi vetitum: ita Vates fortiter ſe geſſit, & Rex tulit repulſum. Utinam & vos dum ad popinas, ad prandia, & commeſſationes, ubi temulentia, & luxuria invitat, & quavis occaſione ubi mandatum Dei violandum, reſiſteretis! abeuntem hunc Vatem prophetes alius, ſed falſus in itinere aſſecutus, invitavit in domum, & ad menſam ſuam; non licet mihi, ait alter reverti, nec in via quidquam vel comedere, vel bibere; hæc enim vetantis Domini vox eſt: *x Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec reverteris per viam quam ireris.* Cui alter: *Et ego,* inquit, *Propheta ſum, ſimilis tui: & Angelus locutus eſt mihi in ſermone, dicens: reduc eum in domum tuam, ut comedat panem, & bibat aquam: ita fefellit eum, & reduxit ſecum.* Nec diu abfuit pœna. Dum enim una prandent, vox ruit ab alto: *y Quia non* OBEDIENS *fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, & reverſus es, & comediſti, & bibiſti aquam in loco, in quo præcepit tibi, ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in ſepulchrum Patrum tuorum.* Sententiâ tam triſti acceptâ aſſurrexit, abiit, & in via diſcerptus eſt à leone, qui prandium punivit vetitum. Haud ali-

ſ Gen. 19. v. 17. v. 27. t Tertullian. Silveſter à Petra Sancta. v Thaumaſiæ Tom. I. c. 13. pag. 103.

x 3. Regum c. 13. v. 17, 18, 19.
y Ibid. v. 21. & 22.

ter non rarò accidit, ut quis homo timoratus; primo peccandi aſſaltui reſiſtat, importunis ſocii ad occaſionem flagitii invitantis precibus reſiſtat, & blanditiis ſe expediat; ſed alterius ſub ementita ſpecie viri vitæ ſanctioris, fucatis argumentis ſuccumbat, & leoni tartareo præda fiat. Dux belli laudatiſſimus Joſue, expugnaturus urbem Jericho, edictum militare promulgari juſſit: z *Cavete, ne de his quæ præcepta ſunt vobis, quidpiam contingatis, & ſitis prævaricationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint, atque turbentur.* At verò Achan amore prædæ captus, modeſtiſſimè, ut ipſe putabat, clàm aliquid ſurripuit contra vetitum. Quod ipſe demum faſſus: *a Vidi*, ait, *inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulámque auream quinquaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentúmque foſſa humo operui.* Præda militis in bello juſta, nec ulli noxia videri poterat: quia tamen vetita, hæc in Achanum ſententia capitalis pronuntiata eſt: *Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac.* Secutum mox ſupplicium, ab omni populo lapidibus obrutus eſt: omnia quæ illius erant, filii, & filiæ, omne pecus, omnis ſuppellex, una cum argento, & aurea regulâ, & pallio, in deteſtationem criminis, conſumpta ſunt igni. Tanti eſt audere vetitum, & voluntatem, ac mandatum Domini prava voluntate prætergredi. Idem, & longè graviùs illos manet ſupplicium, qui regulam auream juſtitiæ auferentes, non pallium coccineum, non aliquot ſiclos argenti, ſed domos viduarum, & argentum pupillorum expilant. Tu, ô Deus, *b mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Væ nitentibus in vetitum, quocumque pretio, aut emolumento propoſito. Hac in re Baalam inſigniſſimè ſe geſſit: miſerat ad eum Rex Balac Principes, qui virum ſuaviter invitatum ad ſe perducerent. At ille Principibus liberrimè: *c Ite*, inquit, *in terram veſtram, quia prohibuit me Dominus venire vobiſcum.* Renuntiatum eſt hoc Balaco Regi: *d Qui rurſum plures, & nobiliores, quam ante miſit.* Legati virum humaniſſimè ſalutantes: hæc ipſiſſima, inquiunt, Regis te ſalutantis verba ſunt: *e Ne cuncteris venire ad me, paratus ſum honorare te, & quidquid volueris, dabo tibi.* Cui Balaam iterum: *Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam, argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei*, non venio, edictum vetans non temero. Animus magnus, & præcepti divini obſervantiſſimus, modò & conſtans fuiſſet. Retinaculum omnis peccati, memoria præcepti, & mandantis auctoritas, & violatoris vindicta, quæ nullius gratiâ, aut prece, aut pretio incurrenda. Vetantem ſpernis? à tergo tuo Nemeſis ſequetur. Vociferatus eſt Moyſes: *f Quod ſi audire nolueris*, inquit, *vocem Domini Dei tui, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro: maledictum horreum tuum: maledictus*

z Ioſue c. 6, v, 18. a cap. 7. v. 21.

b Pſal. 118. v. 4. c Num. 22. v. 13. d Ibid. v. 15. e v. 16. f Deuteron. 28. v. 15. &c.

fru-

fructus ventris tui, *&c.* Hæc memori tu mente repone, quiſquis mandata Dei toties violaſti: ſi ſuper te variæ maledictiones venerint, aut venturæ ſint: ſi in civitate filius, aut uxor, aut calamitas, ſi horrea incendantur, ſi liberi eripiantur, ſi alia in bonis fortunæ, aut famæ jactura inferatur, nôris hæc omnia immitti, *quia non obediſti mandatis Dei tui.* Mortales principes, quos Deus poſuit ſuper capita noſtra, ſeveriſſimè prevaricatores legum ſuarum punierunt. *g* Anno ab urbe condita CCCXXII. bello Fidenati, inquit Gellius *h*, Poſthumius Tiburtus dictator, Aulum Poſthumium Filium, quem unum ad generis ſucceſſionem propagandam habuerat, cujus infantiam ſinu, atque oſculis foverat, quem puerum litteris, quem juvenem armis inſtruxerat, ſanum, fortem, ſui pariter ac patriæ amantem; quia tamen non ſuo juſſu, ſed ſua ſponte, præſidio progreſſus, hoſtes fuderat, victorem ſecuri feriri juſſit. Quo filii ſupplicio monſtravit non tanti victoriam, *quàm obediendi legem*, & mandantis imperium faciendum eſſe. *i* Æquè rigidus exactor obedientiæ T. Manlius Torquatus, qui bello Latino Conſul, ſuum itidem filium, quod à Tuſculanorum duce Geminio Metio ad dimicandum provocatus, ſe ignaro deſcenderat, glorioſam victoriam, & ſpecioſa ſpolia referentem, abripi, à lictore, & in modum hoſtiæ mactari juſſit; ſatius eſſe indicans patrem forti filio, quàm patriam obtemperandi exemplo, aut militari diſciplina exercitum carere. Quod ſi hi legum humanarum tam ſeveri obſervatores, & in tranſgreſſores voluntatis ſuæ, vindices extiterint, quantò æquiùs, veriùs, & ſeveriùs, infallibilis & amabilis voluntatis divinæ prævaricatores punientur;

g Valer. Max. lib. 2. c. 7. h Aug. Gell. noct. att. i Val. max ibid.

§. II.

k Non ſolum ſupremo numini, ſed & homo homini obedire tenetur, juxta illud Pauli : OBEDITE PRÆPOSITIS VESTRIS, ET SUBJACETE EIS. Ad Hebr. ult.

S. Thomas 2. 2æ. quæſt. 104. art. 1. ingenioſè, ut ſolet, & nervoſè hanc quæſtionem diſcurit: *Utrum unus homo teneatur alteri* OBEDIRE? quod repugnare videtur inſtitutioni divinæ, quæ habet, ut homo ſuo conſilio, ſeu arbitrio regatur, ſecundum illud Eccl. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui* Reſpondet: *dicendum, quod ſicut actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus: ita etiam operationes humanæ procedunt ab humana voluntate. Oportuit autem in rebus naturalibus, ut ſuperiora moverent inferiora ad ſuas actiones, per excellentiam naturalis virtutis collatæ divinitus. Unde etiam oportet in rebus humanis, quod ſuperiores moverent inferiores per ſuam voluntatem, ex vi auctoritatis divinitus ordinatæ. Movere autem per rationem, & voluntatem, eſt præcipere: Et ideo ſicut ex ipſo ordine naturali, divinitus inſtituto, inferiora in rebus naturalibus neceſſe habent ſubji-*

k Obedientia præpoſitis, & ſæcularibus poteſtatibus præſtanda. S. Thom. 22. q. 104. art. 1.

ei motioni ſuperiorum; ita etiam in rebus humanis, ex ordine juris naturalis, & divini, tenentur inferiores ſuis ſuperioribus OBEDIRE. Ubi Cardinalis Cajetanus *l* advertit, duo exigi, ut homo homini teneatur obedire. Primum eſt *inæqualitas*, ut ſcilicet unus ſit ſuperior, & alius inferior: par námque in parem non habet imperium. Secundum, *poteſtas unius ſuper alterum*. Oportet enim eum qui obedire tenetur, ſubjici poteſtati illius, qui præcipit. *m Deus autem reliquit hominem in manu conſilii ſui, non quia liceat ei facere omne, quod velit; ſed quia ad id quod faciendum eſt; non cogitur neceſſitate naturæ, ſicut creaturæ irrationales; ſed libera electione, ex proprio conſilio procedente. Et ſicut ad alia facienda debet procedere proprio conſilio, ita etiam ad hoc quod* OBEDIAT *ſuis ſuperioribus. Dicit enim Gregorius, n quod dum alienæ voluntati nos humiliter ſubdimus nosmetipſos in corde ſuperamus* Quod manifeſtò probat Apoſtoli præcepto: OBEDITE *præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*; Quam ſubjectionem, & obedientiam, ad omnem ordinem, ac politiam neceſſariam Hugo Cardinalis *p* rectè adnotavit, dicens: certè magnum malum eſt ſine principe eſſe, & calamitatis materia, & principium inordinationis, & confuſionis; quod patet exemplis. Tolle navis gubernatorem, & Scapha perit. Proverb. 11. *Ubi non eſt gubernator, populus corruit*. Item ducem exercitus tolle, & ordo perit legionis; ut habetur Judith 3. & alibi: *q percute paſtorem, & diſpergentur oves*. Tum ſubdit: *non minus autem malum eſt in ſubditis* INOBEDIENTIA: *deterius enim eſt non* OBEDIRE *principi, quam non habere principem*. Cornelius *r* quidem hic per præpoſitos, intelligit Paſtores, & Epiſcopos, quaſi diceret Apoſtolus: Quidquid vobis Paſtores præcipiunt, quod ſanctum, & ſanum eſt, facite. Jejunium, orationes, feſta, ſupplicationes, & ſimilia inducit Epiſcopus; popinas, & ſympoſia vetat, obtemperate; ſed & poteſtatibus ſæcularibus ſubditos eſſe oportere, diſertè docet ad Rom. 13. *ſ omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. non eſt enim poteſtas niſi à Deo*; poteſtates ſublimiores hic dicuntur *t homines in poteſtate conſtituti*, quibus ſecundum juſtitiæ ordinem ſubjici debemus, etſi perverſi, ac ſcelerati ſint; poteſtatem tamen regnandi à Deo acceperunt, ut diſertè D. Auguſtinus: *v non tribuamus*, inquit, *dandi regni, atque imperii poteſtatem niſi Deo vero, qui dat felicitatem in regno Cœlorum ſolis piis; regnum verò terrenum & piis, & impiis ſicut ei placet, cui nihil injuſtè placet*. Et infra: *qui dedit Mario, ipſe & Cæſari: qui Auguſto, ipſe & Neroni: qui Veſpaſiano, vel Patri, vel Filio ſuaviſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo. Et ne per ſingulos ire neceſſe ſit: qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe Apoſtatæ Juliano*. Hæc itaque poteſtas nequiſſimorum Imperatorum etiam à Deo eſt; ſed non eorum prava voluntas: *x Sicut*

l Cajeta. in D. Thom. hic m S. Thom. cit. ad 1. 22. cit. expreſſius. n S. Greg. lib. moral. ult. c. 22. o Ad Heb. ult. p Hug. Card. in Epiſt. ad Heb. c. ult

q Zacha. 13. r Cornel. in epiſt. ad Heb. c. 13. ſ Ad Rom. 13. v. 1. t S. Tho. hic Corn hic v Aug. lib. 5. de civit. c. 22. x Aug. lib. de nat. boni c. 32.

enim

enim omnium naturarum creator eſt, ait idem Doctor, *ita omnium poteſtatum dator, non voluntatum: malæ quippe voluntates ab illo non ſunt, quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt;* hanc autem eorum malitiam permittit ad juſtorum probationem, & meritum, & iniquorum flagellationem, ut fusè docet, dicens: *y Nocentium poteſtas non eſt niſi à Deo, ſicut ſcriptum eſt loquente ſapientia; per me Reges regnant, & Tyranni per me tenent terram. Dignè autem fieri, in libro Job ſcriptum eſt: z qui regnare facit, inquit, hypocritam hominem, propter perverſitatem populi. Et de populo Iſrael dicit Deus: dedi eis regem in ira mea. Injuſtum enim non eſt ut improbis accipientibus nocendi poteſtatem, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur: nam per poteſtatem Diabolo datam, & Job probatus eſt, ut juſtus appareret: & Petrus tentatus eſt, ne de ſe præſumeret: & Paulus colaphizatus, ne ſe extolleret.* Videtis igitur ex diſcolis, ac pravis ſuperioribus, qualis quantúſque fructus exiſtat; quorum rabiem, ac Tyrannidem Chriſtiani patientiſſimè tulerunt; nec vel minimam vindictam ſumere unquam in animum induxêre, ut apud interpretes *a* ex Tertulliano, aliiſque videre eſt, memores divini præcepti: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt,* tum ab ipſa poteſtate temporariam, tum à Deo æternam. Ita Chryſoſt. Theophylactus, œcumenius. Principibus itaque ac Magiſtratibus, in civilibus rebus obedientia præſtanda eſt, juxta illud 1. Petri 2: *b Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive regi quaſi præcellenti: ſive ducibus tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum; laudem verò bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei:* Venio nunc ad alteram obedientiam, *c* quam ſervi, & ancillæ Dominis: quam uxores maritis: quam filii parentibus exhibere debeant. Quod primam ſpectat de ſervis, ſic Apoſtolorum Princeps pronuntiavit: *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis non tantum bonis, & modeſtis; ſed etiam diſcolis,* Ubi illos hortatur ad ſubjectionem obedientiæ, & reverentiæ in timore filiali, *e non tantum bonis,* quo ad Deum, fide, vita, moribus: & *modeſtis*, quo ad proximum moderatè parcentibus & condonantibus, quando commiſſum eſt aliquid contra eos; ſed etiam *diſcolis*, indiſciplinatis, indoctis, & difficilioribus; qui nihil gratanter accipiunt, ſimiles Holiferni Judith 3. v. 11. ita D. Thomas; qui in 1. ad Timoth. c. 6. hæc ſubdit: *f Quicumque ſub jugo ſervi Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, licet infideles. S. Athanaſius hic: commonefacio, ut ſi infideles ſint Dominos nacti, morem illis ut ſervi gerant. Nam tum maximè deteſtarentur infideles Chriſti Domini Sanctiſſimum dogma, cùm illud per fideles ipſos oppugnatum iri conſpicerent. Quod ſi be-*

y Ibid. z Superioribus etiam malis & diſcolis obtemperandum.
a Gregor Ambian. in Paulum ad Rom. 3. pag. 4. 18. Corn. hic.

b 1. Petri 2. v. 12. c Obedientia ſervorum erga Dominos d 1. Petri. 2. v. 18. e D. Tho. hic. f S. Thom. 1. ad Timoth. c. 6. v. 1.

nignos ſe ſervi præſtiterint, & ad parendum faciles erunt, demirabuntur hauddubiè Domini Chriſtianæ Religionis virtutem, quæ tanta ſit, ut ſervorum etiam mores faciles reddat, ut imperanti mox pareant. Econtrà verò, inquit Chryſoſtomus, g *infidelis ſi viderit fidei cauſa illos ſuperbire* (& præceptis Domini nolle obedire) h *blaſphemabit dogma noſtrum, tanquam ſeditionis cauſam*; non tamen obediendum prava jubentibus, quæ religioni, ac præceptis Dei, & Eccleſiæ adverſantur: quia *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Imperat Saul ſervo ſuo armigero, ut ſe occidat: i *Dixitque ad armigerum ſuum, evagina gladium tuum, & percute me*; cui mandato armiger obtemperare non poterat. Imperat Dominus ſervo, ut alterum in condictum diem, & locum, ad duellum provocet; ut ſibi ſit ſervus pro ſecundo, ut innocentem opprimat: quemadmodum Joab ſervus Davidis Uriam Ethæum, obtemperandum non eſt: perverſum mandatum vel tacitum, redit in auctorem, & ſceleris reum agit. Satis fuit Henricum II. Angliæ Regem animum ſuum declarâſſe, ac ſæpius conqueſtum fuiſſe, k *ſe in ſuo regno cum uno Sacerdote pacem habere non poſſe*, ut miniſtri ejus ſperantes gratum ſe Regi facturos, Thomam Cantuariæ Præſulem, in ipſo templo obtruncarent, & ejus ſanguine, ac cerebro locum ſacrum reſpergereunt. Jubet Dominus ſervo, ut ſcortum adducat, ut contra uxorem falſò conteſtetur: ut fraude & dolo in mercatura particeps fiat; obtemperandum non eſt. Imperat Dominus ſervo, ut feſtis, & Dominicis operetur, ſacrum negligat, vetitis diebus veſcatur carnibus, aliàque divinis legibus contraria, obtemperandum non eſt. Sic ſi Domina ad flagitium invitet, cum Joſepho, ſervo fideli, potiùs fugiendum eſt, quàm obtemperandum. Si gubernator urbis, aut caſtri conſpirationem aut deditionem ſuis imperaret contra ſuum Regem ac Principem, nemo non videt obtemperandum non eſſe tali Domino; cùm major ſit, cui & ipſe & ipſi fidem ſervare, & obtemperare debeant. Duos Dominos domina ſuperiores Joſeph habebat, maritum & Deum, quibus illi potius, quàm contra illos fides ſervanda erat. Valet hic illud aureum Auguſtini effatum: l *Qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit; ſed quid ſi illud jubeatur, quod non debeas facere? hîc ſanè contemne poteſtatem: ipſos humanarum legum gradus adverte. Si aliquid juſſerit Curator, faciendum eſt; non tamen ſi contrà Proconſul jubeat. Non utique contemnis poteſtatem, ſed eligis majori ſervire; nec hinc debet minor iraſci, ſi major Prælatus eſt. Rurſum ſi aliquid ipſe Proconſul jubeat, & aliud jubeat Imperator: numquid dubitatur iſto contempto, illi eſſe ſerviendum? Ergo ſi aliud Imperator, & aliud Deus, quid judicatis? ſolve tributum, eſto mihi in obſequium; rectè, ſed non in idolio. In idolio prohibet. Quis prohibet? major poteſtas. Da veniam, tu* car-

g S Tho. ib. h Non obediendum præcipienti contra Deum. Actor. 5. i 1. Reg. 31. v. 4. Ad Eph. 6. v. 5. 6. 7. k Breviar. Rom. 29. decemb. l Auguſt. ſer. 6. de verbis Dom.

carcerem, ille gehennam minatur. Habetis in ſervo, attendite non minus illuſtre exemplum in ancilla. Virgo Potamiœna conditione ſerva,ſed virtute nobiliſſima,cum incredibili eſſet pulchritudine,in oculos Domini ſui incurrit, qui pudicitiam ejus omnibus blanditiis, & minis expugnare tentavit: an, inquit, tu in poteſtate mea non es, & in omnibus, quæ tibi mandavero humiliter obſequendum ? Liberè illa reſpondit, paratam ſe potiùs mori, quàm contra Dei legem peccare. Ad hæc ipſe ardore furens,videbimus, ait, an lex tua plus efficere, quàm meum imperium ; & an Deus tuus Crucifixus,te meis manibus eripere poterit; atque è veſtigio delata à Domino ad judicem, quòd Chriſtiana eſſet, per exquiſita tormenta, virginitatis liliis, lauream martyrii adjunxit. Ab hac una diſcant omnes ancillæ, potius ſanguinem fundere, & vitam perdere, quàm animam ; & quàm contra Dei leges,terreno Domino obſequantur. Ubi & hæc cautela illis inculcanda, ne ejuſmodi diſcrimini pudicitiæ perdendæ exponantur ; ſolicitè prius in vitam Dominorum, quam ſe elocent, inveſtigandum. In cæteris omnibus, *quæ non ſunt contra fidem, vel contra Chriſtum,* Dominis obediendum, non minus promptè, & alacriter, quàm ipſi Deo, illúdque ſemper in ore habeant, Domine, Domina, *o quid me vis facere?* ſic etenim Paulus ; *ſervi obedite Dominis carnalibus cum tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto* ; Cornelius illud exponit; *p cum timore & tremore*, quaſi dicat: Timentes & trementes Chriſtum judicem, qui in judicio hujus obedientiæ à vobis (ſervis & ancillis) rationem exiget. Unde ad Coloſſenſes 3. v. 22. hunc timorem explicare videtur, dicens : *Timentes Deum* ; illud autem *in ſimplicitate cordis*, ſignificat, ſimpliciter, ingenuè, candidè, non fictè, non fraudulenter, *q non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes ; ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo,cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino & non hominibus*, ut ſemper in ore habeant, : *Domine, Domina quid me vis facere ?* Talem ſe præbuit ſervus ille, de quo Hector Pintus. *r* Remoaldus Grimoaldi Longobardorum filius, Beneventum Italiæ urbem incolebat, cum Conſtantinus II. fidei hoſtis, & Chriſtiano nomini maximè infenſus, eam oppugnaret. Remoaldus dux, periculoſa preſſus obſidione, ſervum ſuum Goſualdum clam ad parentem cum litteris emittit, quibus opem, ſubſidiúmque efflagitat. Remiſſus ergo ſervus cum reſponſoriis ad Remoaldum, quibus nuntiabatur brevi auxiliares copias ad ſolvendam obſidionem adfuturas, interim bono eſſet animo, in manus exploratorum Conſtantini incidit ; hic lectis litteris captivo ſervo mandat, ut ea nocte ad urbis muros accedat, & Principem Remoaldum ad colloquendum evocet, ſuadeátque ut Imperatori ſe dedat, quod parens omninò opitulari non poſſet : ni faceret,

m P. Ioan.Cordier la famille Saincte. part. 4. chap. 9. n S. Thom. in Epiſt ad Ep. 6. v. 5. o Ad Eph. 6.

p Corn.hic. q Ad Eph. 6. r Hect. Pintus lib. 3. de tranquill. vitæ c. 20. Fulgoſus l. 3. c. 8.

mor-

mortem ſibi paratam intelligeret. Ejus rei gratia milites, qui eum comitarentur, ac ad mœnia urbis deducerent, tradit. Quò cùm acceſſiſſent, Remoaldus accitur. Tum ſervus libera voce, hæc à parente tuo accipe: is te bono animo eſſe jubet; certamque tibi opem ſpondet, in proximo eſt cum ingenti exercitu. Pluribus non licet, uxorem & liberos commendo, vix hæc effatus, variis undique pugionibus confoditur. Poſſem plures ſervos fideles, & ad mortem Domino ſuo obſequentes, ad imitandum proponere, niſi unus qui *non venit miniſtrari, ſed miniſtrare*, ad mortem obediens, omnibus nobis perfectiſſimæ obedientiæ exemplar exſtitiſſet. Habent & ancillæ fidelem illam Abram, Judithæ famulam, quæ juſſa Dominam comitari per Aſſyriorum caſtra, & dum audax illud, & heroicum facinus hera intus aggreditur, ut mandatum fuerat, ad oſtium Abra præſtolatur, & caput Holofernis peræ impoſitum, per ipſa hoſtium agmina, cum præſentiſſimo vitæ periculo, intrepidè defert. Habetis ſanctam Oringam, aliáſque plures, quas Andreas Hoye peculiari libello complectitur. Præ his in exemplum ancillis producit Chryſoſtomus: *Agar* ancillam, cui fugitivæ Angelus, voce Domini, amplam benedictionem promiſit, dicens: *Multiplicans multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.* Vt quid hæc tam magnifica promiſſio, quæ Patriarchis debita, vili & pauperculæ ancillæ facta? rationem petit Chryſoſtomus ex iis, quæ

ſ Gen. 16. v. 10.

Angelus præmiſerat: t *Revertere ad Dominam tuam & humiliare ſub manu illius*; tu liberè excuſſo jugo heræ vagaris, *revertere ad Dominam tuam*; ubi Doctor aureus: v *Magna pollicetur, ut præ ſe ferat* OBEDIENTIAM. Ita ancillis magna benedictio in temporalibus etiam expectanda, ut aptas nuptias contrahant, ut lauto ſtipendio, & muneribus dotentur; *ſi præ ſe ferant* OBEDIENTIAM. Denique una vobis ſemper ante oculos *ſit* MARIA, *ancilla Domini*, cujus obedientiam per omnem vitam maximè arduam videre eſt apud Drexelium: x nunc ad obedientiam, quam uxor marito debeat, veniamus, ut in omnibus dicat: *Domine quid me vis facere?* hæc ex præcepto Domini, mulieri impoſita eſt, juxta illud Apoſtoli.

§. III.

Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris. Ad Ep. 5. v. 22.

HAnc ſubjectionem y mulieris ſub imperium viri, Deus in pœnam peccati, & rebellionis contra ſuum præceptum, Evæ, ejuſque poſteris impoſuit, dicens: z *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Quid infelicius mulieri, quæ maximæ libertatis amans, evenire poſſet? ut verè, ac diſertè Procopius annotavit: mulier malè imperitans,

t v. 9. v Chryſoſt. hic. x Drexeli. roſę part. c. 13. y De obedientia uxoris marito pręſtanda. z Gen. 3. Procop. hic

præ

prævaricationis cauſa fuit viro: quapropter quaſi non rectè imperaſſet, ex libera & ingenua, alieno juri ſubjicitur, & ſerva fit. Eodem ſenſu Anaſtaſius Nicænus Epiſcopus: *a Ipſe dominabitur tui: non tuliſti libertatem, ſuſcipe ſervitutem: neſciviſti imperare, pare igitur imperio; virum agnoſce Dominum*; *b* in poteſtate viri erunt deſideria tua, actiones tuæ, excurſiones tuæ, nec pedem movebis, nec quidquam appetes contra mariti voluntatem. Quærit hîc ſolerter Auguſtinus, cùm hæc adeò ſevera ſententia ex transgreſſione mandati pronuntiata ſit, an in ſtatu innocentiæ mulier verò ſubjecta non fuiſſet, an in eum pariter dominari potuiſſet? reſpondet: *Serviret quidem, ſed ſervitutem dilectionis, non conditionis. Dicit Apoſtolus*: PER CHARITATEM SERVITE INVICEM; *ſed nequaquam diceret, invicem dominamini. Servirent igitur conjuges per charitatem invicem. Ergo maritum habere Dominum meruit mulieris non natura, ſed culpa* Ex qua doctrina ſic ſtatuendum eſt: *d* fuiſſet in ſtatu innocentiæ mulier ſub poteſtate viri ſed illa ſubjectio nec pœna, nec maledictio eſſe poterat: cùm enim mulier fuiſſet rectâ mente, ſine ulla animi perturbatione, aut voluntatis deordinatione, & nihil vir niſi ex amore, & rectæ rationis judicio imperaret, haberétque conjugem, non uti ancillam, ſed vitæ ſociam cariſſimam, conſiliorum participem, ſine ulla repugnantia libens, gaudénſque ad nutum viri obtemperaſſet, eſſétque illa ſubjectio dulcis, & amoris plena. At poſt peccatum, cùm natura humana ſit vitiata, & acerrimis paſſionibus à ſtatu illo rectæ rationis pacatiſſimo dejecta, exagitetur, planè fit ut hæc ſervitus mulieris ſui impotentis, ſub poteſtate viri temulenti, turbulenti, intoleranda ſit. Auguſtino conſentit Chryſoſtomus, qui ſic Deum loquentem inducit: *e Ego ab initio honore parem te formavi, & ejuſdem dignitatis in omnibus participem: cæterum quia abuſa es honoris dignitate, ſubjicio te viro, & ad virum converſio tua: quia relicto eo, qui dignitate par, & cujus naturæ particeps, & propter quem formata es, familiaritatem cum ſerpente, mala illa beſtia habere, & ejus conſilium accipere voluiſti (propterea poſt hac illi te ſubjicio, & illum Dominum tuum aſſero, ut illius ſcilicet dominium agnoſcas: & quia neſciviſti imperare, diſce bene regi; melius eſt, ut tu ſub illo ſis, & illum Dominum habeas, quàm impavidè, & liberè vivens per præcipitia feraris.* Hanc autem ſubjectionem in ſtatu lapſo, ob infirmum muliebre cerebrum, & dominandi appetitum, vel ex eo conjicere eſt; *f* quòd vir miſerrimum mortalium mancipium eſſet, ſi fœminæ prædominanti ſubdi deberet; juxta illud Eccl. 25. *Mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo*; quod Romanæ eloquentiæ Princeps Tullius, *g* ſalutari documento viris relicto, in ampla quadam familia exaggeravit: *An ille*, in-

a Anaſtaſius Nicen. b Vxor ſub imperio viri. c Auguſtinus. lib. 11. de Gen. ad litt. c. 27. d An mulier etiam in ſtatu innocentiæ ſubjecta viro.

e Chryſoſtom. in Gen. cit. f Viri miſeranda ſervitus. cui uxor prędominatur. g Cicero in parad.

quit

quit, *mihi liber eſt, cui mulier imperat, cui leges imponit, præſcribit, jubet, vetat, quod videtur? qui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet; poſcit, dandum eſt: minatur, extimeſcendum eſt; ego verò iſtum non modò ſervum, ſed nequiſſimum ſervum, etiamſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandum puto.* Quæ omnia, cùm viri juris ſui tenaces ſint, in fæminas viris ſubjectas meritò retorquentur, adeò ut acerbiſſimam ſub viri jugo pati cogantur ſervitutem; quæ innuptis, & libertate fruentibus adeò perſuaderi non poteſt, ut etiam ingenti dote, & pretio magno eam per matrimonii ineundi tabulas ſtipulentur; quod egregiè D. Ambroſius, exhortatione ad virgines expendit: *h Quæ nupſerit, ad ſervitutem pecunia ſua venditur, meliore conditione mancipia, quàm conjugia comparantur: in illis meritum emitur ſervitutis, in iſtis pretium ad ſervitutem additur. Nupta venalis auro gravatur, auro æſtimatur,* ut libertatem perdat, & ſervitutem emat; idque per omnem vitam, nec effugere, aut dominos mutare, quod ſervis ſolatio, liceat; ſed nodus ille gordius conjugii, non niſi mortis falce diſſecandus, & ad extremum ſpiritum jugum mariti quamtumvis rigidi ſatellitis, aut ſeveri Rhadamanti tolerandum eſt. Unicum mulieribus in hac ferrea neceſſitate, & duriſſimâ ſervitute conſtitutis remedium, ad mala omnia mitiganda, & velut in innocentiæ ſtatu, tranquilliſſimè cum viro vivendum, eſt, *i* illis in omnibus gratanter, & hilariter, & libenter obſequi: illud identidem ingeminando, ac virum percunctando: *Domine, quid me vis facere?* vis peregrè proficiſci; vis me domi manere: vis comitari? volo. Vis hoſpites menſæ adhiberi, vis illa & illa apparari, tale vinum, album aut rubellum? volo. vis filium in exteras partes mitti, illis ſtudiis, aut functionibus applicari? volo. Vis me ſic indui, filiam tam modeſtè & honeſtè contineri? volo, &c. Quo amabili obſequendi ſtudio, nonnullæ viros efferos, & quaſi leones in domo, manſuetos ut agnos reddiderunt, & ferream ſervitutem, in auream libertatem commutârunt. Ita fecit S. Franciſca Romana, *k* quæ iterato à marito conſuetis precibus, quibus vacabat, vocata, dum actutum obtemperat, verſiculum, quo hæſerat, inauratum reperit. Crotildis, inſtar Heliotropii, ſe ad mariti voluntatem, velut ad ſolem ſuum, convertebat, & *l ad virum erat converſio ejus*; quo factum, ut etiam viros infideles, & pravæ religionis ſectatores, Deo lucratæ ſint. Talis extitit nobiliſſima origine, & vitæ ſanctimoniâ Matrona, Suſanna Pomelia, *m* Anno 1571. in Caſtro prope Lemovicum illuſtribus parentibus, ſed heterodoxis nata, & educata. Hæc viro hæretico juncta, ſororem & amitam ſub D. Benedicti diſciplina, in monaſterio Lemovicenſi ſanctimoniales habebat; ad has conſanguinitatis, & humanitatis causâ quandoque viſebat, à quibus no-

h Ambroſ. exhort. ad virg. i Mulier ut pacificè vivat, in omnibus viro ſubdita ſit, & obediat.

k In vita. l Gen. 3. ſeptuaginta. m Pauli Barrii, cent. illuſtres de la maiſon de dieu. chap. 12. §. 1.

ſtræ

ſtræ fidei, cujus omninò ignara, quædam rudimenta avidiſſimè excipiebat; † unde ſcintillis jam conceptis, fortè alias viſitationes prætexendo, frequentiùs eò itabat: jámque, quod animo fovebat ardens, converſionis deſiderium impotenter celabat, & ſocrum & maritum verita; omnia tamen Spiritus Sancti gratiâ, ac conſilio religioſiſſimi viri, ordinis Seraphici, in tractandis animis periti, generosè contemnens, profeſſione fidei præmiſsâ, ubi animum ſacrâ exomologeſi expiaſſet, divino epulo refecta eſt; quod ut parenti, ac marito ſuboluit, ingens in eam tempeſtas detonuit, quam ſereno ſemper vultu, mira patientia, & ſingulari erga virum, in iis, quæ contra Deum non erant, obedientia ſerenabat. Accidit ut die Eccleſiæ feſto, equo inſidens ad proximum Catholicorum pagum miſſæ audiendæ gratia deveheretur; cum in ipſo itinere mandatum à viro per expreſſum ſubmiſſum accipit, ut quantocius domum reverteretur: eadem promptitudine, qua iverat, ad propria divertit, ſat gnara, ut ajebat, quod ſi non obtemperaſſet, omnem ſibi libertatem, ut impoſterum ſacris intereſſet, præcidendam: hoc medium, ac modum eſſe, ut maritum ſenſim (pro quo & precibus, & lacrymis, ac corporis afflictationibus inſtabat) Deo lucraretur. Quod & fecit, & nullo potentiori admoto ariete, quàm prompto obediendi ſtudio, expugnavit. Hæc illuſtris Domina virum contumacem, perfidum hæreticum, in ſe verbis, & verberibus detonantem fregit, [n] & è Tyranno amicū, è lupo agnum, è Saulo Paulum fecit, non alio, quàm Pauli præcepto obſecuta, *& viro ſubdita tanquam Domino*, cui, ut omnes conjugatæ, quæ de maritis diſcolis, ſeveris, zelotypis, ejuſdem tamen ſecum religionis, queruntur, ſerviet hiſtoria à viro litteratiſſimo, & Conſule Romano, multis hactenus inaudita, quam inſcripſit *de obedientia, & fide uxoriâ*, his prope verbis propoſita. Pedemontium in Italia, civitates aliquot, & oppida habet egregia; inter cetera ad radicem præcelſi montis Veſuli terra Salutiarum, vicis & caſtellis ſatis frequens, nobilium Marchionum arbitrio regitur, quorum unus, primúſque omnium fuiſſe traditur *Gualterus* quidam, ad quem familiæ, ac terrarum omnium Regimen pertineret: & hic quidem forma virens atque ætate, nec minus moribus quàm ſanguine nobilis, venatui, aucupióque tam impensè deditus, ut alia penè cuncta negligeret: quòdque imprimis ægrè populi ferebant, ab ipſis quoque conjugii conſiliis, libertatis amans, abhorreret. Statuunt itaque primates inter ſe *Gualterum* adire, quorum unus, cui vel auctoritas, vel facundia major, & cum duce ſuo familiaritas erat, ſic exorſus eſt: humanitas tua, optime Marchio, hanc nobis præſtet audaciam, ut liberè, quod animo ſentimus, eloqui poſſimus. Cùm igitur veſtra in nos benevolentia, & paternus animus perſpectus ſit, meritò felices nos tali Domino judi-

† Viri per obedientiam & obſequium uxorum ad fidem converſi.

n Petrarcha de obedientia ac fide uxoria mihi pag. 601. Hiſtoria raræ obedientiæ uxoris erga maritum.

ca-

camus, feliciſſimi futuri, ſi à te impetrari ſinis, téque nobis exorabilem præbes, ut, quem fata immortalem eſſe non ſinunt, te ſaltem in tuis poſteris habere mereamur perpetuum, & è lecta conjuge heredes tui ſimiles habere in multas generationes: & quamvis florida ſis ætate; continuo tamen hunc florem tacita ſenectus demetit, morsque ipſa omni proxima eſt ætati. Quod ſi nobis illud ſtudium quærendæ conjugis committere placeat, talem tibi procurabimus, quæ te merito claris orta parentibus, indole, & forma, digna ſit. Moverunt piæ preces animum viri: cogitis, inquit, me, amici, ad id quod numquam mihi in animum venit, delectabar omnimoda libertate, quæ in conjugio rara eſt. Ceterum ſubjectorum meorum voluntatibus me ſponte ſubjicio, prudentiæ veſtræ fiſus, & fidei. Illam verò quam offertis quærendæ curam conjugis, remitto, eámque in me ſuſcipio; fiducia nixus Altiſſimi, in cujus manibus ſortes matrimonii ſunt, ut ea mihi obveniat, quæ quieti meæ, & ſaluti expediens ſit: veſtrum deſiderium nec fruſtrabor, nec morabor. Unum vos mihi verſa vice promittite, ac ſervate, ut quamcumque conjugem ipſe delegero, eam vos ſummo honore, ac veneratione proſequamini, nec ſit ullus inter vos, qui de meo unquam judicio in deligenda uxore, aut litiget, aut queratur: quæcumque uxor mea erit, illa vobis ceu Romani Principis filia, Dominæ loco habenda erit. Promittunt unanimiter ſanctè nil in hac parte defuturum; ita à colloquio diſceſſum eſt. Abierant jam fortè aliquot dies, aut hebdomadæ, cùm domeſticis ſuis nuptiarum diem, omnémque apparatum prorſus regium indixit. Dum ille haud procul à Palatio excurrit in villulam paucorum atque inopum incolarum, quorùm uni omnium pauperrimo, *Janiculæ* nomen erat; ſed ut pauperum quoque tuguria nonnumquam gratia cœleſtis inviſit, unica illi contigerat filia *Griſeldis* nomine, forma corporis egregia, ſed pulchritudine morum, & animi dotibus excellentiſſima, quæ pauculas parentis oves paſcebat, fuſum trahebat, oluſcula familiæ parabat, & anguſto in tugurio totum filialis obedientiæ, ac pietatis officium exercebat. In hanc virgunculam *Gualterus* ſæpe illac tranſiens, quandoque oculos non juvenili laſcivia, ſed honeſta & prudenti gravitate defixerat, & virtutem ac verecundiam eximiam ſupra ſexum, ſupráque ætatem, quam vulgi oculis conditionis obſcuritas abſcondebat, acri intuitu penetrarat; unde effectum, ut hanc ſibi, nec ullam aliam uxorem habere in animum induxerit. Inſtabat jam nuptiarum dies, unde autem ventura ſponſa eſſet, nemo non mirabatur. Ipſe interim & annulos, & inaures conquirebat, & nuptiales veſtes, & calceos, & omnem mundum muliebrem ad menſuram puellæ alterius, quæ ſtatura ſuæ ſponſæ perſimilis erat, præparari curarat. Venerat jam expectatus dies & cùm nullus ſpon-

ſponſæ rumor audiretur, admiratio omnium, ſimul & dubitatio vehementer excreverat: Hora jam prandii aderat, jamque apparatu ingenti domus tota fervebat. Tum *Gualtherus* adventanti velut ſponſæ obviam profecturus, domo egreditur, proſequente virorum, & matronarum nobilium caterva: *Griſeldis* omnium, quæ erga ſe pararentur ignara, peractis quæ agenda domi erant, aquam è longinquo fonte convectans, paternum limen intrabat, ut expedita curis aliis, (jam enim rumor increbuerat de nuptiis) ad viſendam Domini ſui ſponſam, cum puellis è pago comitibus properaret. *o* Dum *Gualtherus* cogitabundus incedens, eámque compellans nomine, *Griſeldis*, inquit, ubinam eſt Pater tuus? quæ cum illum domi eſſe reverenter, atque humiliter reſpondiſſet, accitum ſeniculum manu prehenſum parumper abſtraxit, ac ſubmiſſa voce: Scio, ait, mi *Janicola*, te hominem probum ac fidum, me tibi charum, & quæcumque mihi placeant, te velle arbitror; unum tamen nominatim nôſſe velim, an me, quem Dominum habes, datâ mihi hac tua *Griſelde* in uxorem filiâ, generum velis? Inopino negotio ſtupefactus ſenex obriguit, & vix tandem paucis hiſcens: nil, inquit, aut velle debeo, aut nolle, niſi quod placitum tibi ſit; quia Dominus meus es. Ingrediamur ergo ſoli, inquit, ut ipſam de quibuſdam interrogem te præſente. Aliis, foris morantibus & mirantibus, accitur puella, quam iis verbis *Gualtherus* aggreditur: Et patri tuo placet, inquit, & mihi, ut uxor mea ſis. Credo id ipſum tibi placeat; ſed habeo à te quærere, ubi in ſociam thalami adlecta fueris, an volenti animo parata ſis, ut de omnibus mihi tecum conveniat, *p ita ut nulla in re unquam à mea voluntate diſſentias; & quidquid tecum agere voluero, ſine ulla frontis, aut verbi repugnantiâ, te volente, ex animo mihi liceat.* Ad hæc illa, miraculo rei tremens: Ego inquit, mi Domine, tanto honore me indignam ſcio, at, ſi voluntas tua, ſique ſors mea eſt, *nil ego unquam ſciens, nedum faciam, ſed etiam cogitabo, quod contra animum tuum ſit: nec tu aliquid facies, aut imperabis, etſi me mori juſſeris, quod moleſtè feram*: ſatis eſt, inquit ille; ſic in publicum eductam populo oſtendens: hæc, ait uxor mea, hæc domina veſtra, hanc colite, hanc amate, & ſi me charum habetis, hanc chariſſimam habetote. Dehinc ne quid reliquiarum fortunæ veteris, illuſtrem inferret in domum, à matronis circumſtantibus, omnibus exutam, à capite ad calcem regiis veſtibus indui juſſit, quod certatim, ſinu illam gremióque foventibus, verecundè ac celeriter peractum eſt; atque ita villicam in principem matronam ſubitò converſam (quam Metamorphoſim vix populus agnoſcebat) *Gualtherus* annulo pretioſo, quem in hunc uſum attulerat, in pago ſolenniter de-

o Griſeldis villica à Principe in uxorem petitur.

p Conditiones matrimonii.

deſpondit, niveóque equo impoſitam, ad palatium comitante & plaudente populo, deduxit, atque ad hunc modum nuptiæ celebratæ ſunt, dieſque ille lætiſſimus peractus eſt. Brevi poſt hac, inopi ſponſæ tantum divini favoris affulſerat, ut non in caula, ſed in aula educata, atque edocta videretur; atque apud omnes & morum gratia, & agendi prudentia, & verborum gravitate ac modeſtia, amori & venerationi eſſet, vixque his ipſis qui ab origine nôrant, perſuaderi poſſet, Janicolæ natam eſſe. Annus nondum devolutus erat; dum filiam, quamvis maritus filium maluiſſet, & parentis & omnium nobilium lætitia, pulcherrimam enixa eſt, qua ablactata, ut fidem charæ conjugis ſat exploratam haberet, cepit Gualtherum curioſitas ex promiſſione facta, altiùs eam tentandi, & acriùs explorandi. Solam igitur in cubile vocatam, turbida fronte ſic alloquitur: *r* Nôſti O *Griſeldis*, neque enim præteriti tui ſtatus oblitam credo; nôſti, inquam qualiter in hanc domum veneris: mihi quidem chara ſatis, ac dilecta es: at meis propinquis, ac nobilibus non ita, qui plebeiæ dominæ ſubeſſe animis ferunt iniquiſſimis, præſertim ex quo proles nata eſt, cui nec fæminæ, nec mari naſcituro ſubeſſe volunt. Mihi ergo, qui cum eis pacem cupio, neceſſe eſt de filia tua non meo, ſed alieno judicio obſequi, & id facere, quo nihil mihi poteſt eſſe moleſtius; id autem te ignara & invita nunquam fecero. Sed illud ſcire aveo, an animus tibi conſtet & fides, quam ab initio conjugii noſtri promiſiſti? his auditis nec verbo mota, nec vultu: Tu, inquit, noſter es Dominus, & ego, & hæc parva filia, tuæ ſumus; de rebus igitur tuis fac ut libet: nil placere enim tibi poteſt, quod mihi diſpliceat: nil penitus vel amittere metuo, niſi te, quod in medio cordis infixi, nunquam lapſu temporis, vel morte vellendum: omnia prius fieri poſſunt, quam hic animus mutari. Lætus ille reſponſo, ſed dolorem vultu ſimulans mœſtus abſceſſit, & uno ſuorum ſatellitum fideliſſimo accito, infantulam accipere juſſit, quam etſi manifeſtò ad necem rapi intelligeret, nec lacrymulam tamen ullam nec ſuſpirium emiſit; ſed tranquilla fronte puellulam accipiens, aliquantulum reſpexit, & ſimul exoſculans benedixit, ac ſignum Sanctæ Crucis impreſſit, porrexitque ſatelliti. *Gualtherus* tranquillum uxoris animum, & obſequentem in prole ſibi ereptâ intelligens, illam aptè capſæ, ſeu cunis impoſitam, Bononiam ad ſororem ſuam Comiti Panicio junctam, devehi juſſit, litteris additis, eam traderet materno ſtudio alendam, probis moribus inſtruendam, ac potiſſimam curam adhibendam, ne ulli nuquam innoteſceret, cujus parentis hæc filia eſſet. *Gualtherus* interea nihil vultu conjugis, in priſtino affectu & obſequio, ne gemitu unquam, aut voce, de filiola erepta, cum ſtupore conformitatis ejus cum ſua, in re tam ardua animadverit. Hoc rerum ſtatu tranſierant Anni quatuor, dum ecce *Griſeldis* gravida, filium ele-

r Gualther. tentat uxoris obedientiam, & fidem.

elegantiſſimum peperit, & patris, & omnium nobilium plauſu, qui de anteacta filiæ Strophâ omninò ignari: jámque puer bimulus erat. Dum alterum arietem *Gualtherus* admovit, ut animum, ac voluntatem uxoris ſuæ, ſibi conformem in omnibus exploraret. Muſſitari ſe audiſſe dictitat, non velle ſubditos janicolæ, hominis bubulci nepotem, habere domini hæredem, ejúſque imperio à morte parentis ſubjacere, atque adeò turbas in ſe, & tumultus concitari; quibus ut ſe expediat, puerum tollendum; quod, inquit, indicare tibi volui, ne inopinus, & ſubitus dolor, graviùs conturbaret. Ad hæc illa, animo & vultu, ut antè pacatiſſimo: dixi, ait, & repeto, nihil poſſe me velle, aut nolle, niſi quod Dominus meus juſſerit: in ipſo enim palatii tui introitu, ut viles pannos, ſic & voluntatem, affectúſque omnes exui, tuos indui. Miratus fæminæ conſtantiam, turbato vultu abiit, ac confeſtim ſatellitem olim miſſum, ad eam remiſit, qui multum excuſata parendi neceſſitate, & triſti miniſterio, infantem popoſcit, illa eadem, qua ſemper ſerenâ fronte, filiolum in manus cepit, & aliquantum blandè intuita & ſignans eum Crucis ſigno, ut filiolæ fecerat, ſemel iterùmque exoſculatum, nullo penitus doloris ſigno edito, petenti obtulit. Quæ omnia ut cum mirabili & amabili ſtupore, *Gualtherus* inaudiit, vim animo & affectui inferens, Bononiam filium, quo filiam præmiſerat, alendum miſit. Defixis poſthac in uxorem oculis, & mentione prolis non ſemel injectâ, numquam vel gemitum vel verbum ſiniſtrum, vel vultum, aut animum turbatum exprimere potuit. Cœperat jam peſſimus rumor evulgari, quaſi ille uxoris, & connubii tam inæqualis pertæſus, utrámque prolem, quæ nuſquam comparebat violentè ſuſtuliſſet, atque adeò ipſum de repudio cogitare. Quo rumore, & fama uſus in rem ſuam, ſparſit ſe hominem Romam citatis equis deſtinâſſe, qui pro ſua ac ſuorum quiete, & turbis graviſſimis declinandis, apud Summum Pontificem agat, ut rejecto primo matrimonio, alias nuptias inire queat. Ea fama vagatur, licentiam obtentam. Quo animo hî *Griſeldem* fuiſſe exiſtimatis? pacato, & imperturbato, ut antè, expectans quid ſibi Dominus ſuus Marchio imperitaret. Hic illam in publicum eductam, coram viris Principibus, quo non acerbius tormenti & tentamenti genus excogitari poterat, ſic allocutus eſt: ſ *Suaviſſimâ te conjuge delector, mores tuos non origine, ſed obſequio in me tuos agnoſco; cogunt tamen me mei, & Papa conſentit, ut alteram fortunæ meæ parem uxorem ducam, jámque in via eſt, propediem adfutura. Eſto igitur forti animo, & alteri locum cede, & dotem tuam referens, priſtinos lares reviſe: nulla homini perpetua ſors eſt.* Ad hæc illa: ego, inquit, Domine, ſemper ſcivi inter celſitudinem tuam, & humilitatem meam, nullam eſſe proportionem, méque numquam tuo conjugio, ſed ſervitio dignam duxi, atque in hac illuſtri domo, in qua tu me dominam ſe-

ſ Griſeldem repudiat.

feciſti, Deum teſtor, animo ſemper ancilla manſi ; pro eo itaque tempore, quo tecum multo in honore, longe ſupra omne meritum meum verſata ſum, Deo & tibi gratias ago : de reliquo parata ſum, bono, pacatóque animo paternam domum repetere, atque ubi pueritiam egi, ſenectutem agere, & mori : felix ſemper, atque honorabilis vidua, quod viri talis uxor fuerim. Novæ conjugi libens cedo, quæ utinam tibi felix adveniat. At quod jubes ut dotem meam mecum auferam, facilè video, & fateor, dum me centonibus exutam, regiis veſtibus induiſti, non aliam mihi dotem fuiſſe, quam fidem, & nuditatem. Mox veſtes ſuas exuens, ac annulo porrecto, nuda, inquit, domo patris egreſſa ſum, nuda revertar illuc ; Unum dumtaxat rogo, ut tegendo utero, qui liberos tuos genuit camiſiam ſeu interulam mihi relinquas. Inaudita hac *Griſeldis*, uxoris ſuæ conſtantia, temperare ſibi *Gualterus* à lacrymis non potuit, & vultu averſo, interulam ſibi aſſervaret, edixit, atque ita abiit ipſe, & ipſa nudo capite, ac nudis pedibus, cunctis inſpectantibus, & ſortem miſerantibus ac complorantibus, ad propria remeavit. Bonus ſenex qui has filiæ nuptias ſemper ſuſpectas habuerat, atque hoc ſemper, poſt primos amores, eventurum cogitarat, vilem ejus lacernam, quam nuptura exuerat, in angulo abjectam aſſervârat. Audito ergo non tam filiæ tacitè redeuntis quàm occurrentium hominum ſtrepitu, occurrit in limine, & ſeminudam, antiqua veſte cooperuit. Manſit illa cum patre paucos dies, æquanimitate, & humilitate mirabili, ita ut nullum in ea ſignum animi triſtioris, nullum veſtigium altioris fortunæ, ex qua dejecta fuerat, exſtaret. Jam Bononia Comes Panicius propinquabat, & de nova nupta brevi adfutura, fama undique increbuerat, & dies nuptialis, omniſque apparatus indictus erat. Dum pridie adventus, *Gualtherus* ad ſe *Griſeldem* evocat, *t* ac promptè accurrenti, curam demandavit, ut domum totam nuptiis poſtridie futuri, emundaret, atque omnia hoſpitibus locandis neceſſaria appararet : non gravatè, inquit illa, ſed cupidè, ac perlibenter, quæ tibi placita, præſtabo, & dum ſpiritus hos reget artus, numquam in ſervitio tuo defatigabor : arreptiſque illico ſcopis domum everrere, menſas inſtruere, lectos ſternere, atque alia ſervilia miniſteria aggredi cœpit. Poſtera die ſub horam tertiam Comes cum ſponſa, & cognato, aliiſque nobilibus advenerat : dum Aula tota feſtis clamoribus perſonat, bene ſponſæ bene ſponſo de tam tenera, gratioſa, ſpecioſa conjuge gratulantur ; quos inter & *Griſeldis* veſte obſoletâ, ancillæ in morem, flexo poplite, & demiſſo vultu, dominam ſuam reverenter, ac humiliter veneratur. *Gualtherus* eo ipſo tempore in ipſo ſplendidiſſimi convivii apparatu, quo menſæ accumbendum erat, *Griſeldem* ultro citròque, Marthæ inſtar curſitantem, hac voce compellat: Quid tibi videtur, inquit, *Griſeldi* de hac mea ſponſa ? ſatis ne pulchra, atque honeſta eſt ? planè ait illa, nec pulchrior ulla, nec

t Griſeldem advocat ut in novis nuptiis ancillam agat.

hone

honeſtior inveniri poteſt; cum qua tibi omnia ex voto proſpera, & tranquilla, ex animo precor, & voveo; ſed uti tenerior eſt, confido fore non eo loco, quo altera, habendam eſſe. Non ultra animum, & affectum ſuum *Gualtherus* cohibere potuit; ſed mulieris per tam ardua experimenta comprobatæ conſtantiam miratus, ac miſeratus, ſtropham omnem detexit: Satis, inquit, mea *Griſeldis* tentata, & ſpectata mihi fides, & obſequendi promptitudo tua eſt, nec ullam ſub cœlo eſſe puto, quæ tanta conjugalis amoris experimenta ſubierit, ac documenta dederit; ſimul hæc effatus, *Griſeldem* charam conjugem læto ſtupore perfuſam, & velut è turbido ſomno experrectam cupidis ulnis amplectitur: v *Et tu, inquit, ſola mea uxor es, aliam nec habui, nec habebo; iſta autem, quam tu ſponſam meam reris, filia tua eſt: hic, qui cognatus credebatur, tuus eſt filius*, quæ diviſim perdita videbantur, ſimul omnia recepiſti. Nôrint qui ſiniſtrè de me cenſuere, non barbaro animo conjugem damnâſſe, ſed pio zelo probaſſe: occultâſſe liberos, non mactâſſe. Hæc illa audiens penè gaudio exanimis, & pietate ſtupens, jucundiſſimis cum lacrymis in ſuorum pignorum amplexus, & oſcula ruit; ac confeſtim matronæ circumfuſæ alacres; ac applaudentes vilibus exutam, ſolitis veſtibus induunt, atque incredibili gaudio & plauſu dies hic celeberrimus fuit, multóque celebrior, quàm dies fuerat nuptiarum. Exinde per plures annos ingenti pace, & concordia vixêre: *Gualtherus* verò inopem ſenem janicolam quem hactenus neglexiſſe viſus erat, ſuum in palatium tranſtulit, atque in amore & honore habuit: filiam ſuam ex Griſelde magnificis, & honeſtis nuptiis collocavit, filiúmque ſui dominii ſucceſſorem reliquit. Hanc Hiſtoriam, quæ viro Patavino altiſſimi ingenii legenti lacrymas excuſſit, non eò attuli, ut ejuſmodi experimenta viri de conjugibus ſuis ſumant; ſed ut conjuges hoc inaudito obedientiæ, & conſtantiæ exemplo, longè minora, ac mitiora virorum ſuorum imperia promptè exequantur, ac voluntati libenter obtemperent: quodque potiſſimum, ſupremi numinis mandato, ac voluntati, quidquid in moribus mariti, in jactura bonorum, filiorum obvenerit, ſeſe conforment, memores illius non ſolùm doctrinæ Pauli, ſed & Petri idem inculcantis: x *Mulieres viris ſubditæ ſint*, & ſubdit: *Sicut Sara obediebat Abrahæ*, Dominum eum vocans, ut habetur Gen. 18. in omnibus virum, tanquam Dominum conſulendo, & interpellando: *Domine, quid me vis facere?* idem Pauli uſurpandum parvulis, ut promptè parentibus, ac moderatoribus ſuis obtemperent. y Illuſtri exemplo eſſe poteſt Iſaac, qui parentis ſui mandato, maximè arduo, alacriter obedivit. Quod extollens Chryſoſtomus, exclamat: z *Utrum admirer, & obſtupeſcam juſtiùs? fortémne ſpiritum Patriarchæ, an pueri obedientiam? quòd nec reluctatus eſt, nec factum ægrè tulit; ſed ceſſit, & ob-*

v Griſeldem per omnia probatam rurſus in conjugem admittit.

x 1. Petri 3. y Obedientia prompta liberorum erga parentes. z Chryſoſt. in Gen. c. 22.

tempe-

temperavit. Quanto perditi, ac pervicaces filii, obedientia veſtra ab hac Iſaaci intervallo diſſita? quàm leniora ac leviora multum, parentum veſtrorum præcepta, illo Abrahami eſſe conſueverunt? commodiùs profectò manus, & pedes ad negotia parenti conficienda, quam eos cum Iſaaco ad necem vinculis conſtringendos, paratos habere. Tutius ſub veſperam intra paternas ædes molli ſtrato deliteſcere, neque noctu vagari; quàm intempeſta nocte iter arduum auſpicari. Lenius eſt verbum patris, & juſtam reprehenſionem tolerare, quàm cervicem ſtricto ferro ſubdere. Hoc vobis interim perfectiſſimum obedientiæ exemplar in monte monſtratum eſt, ut non ſegniter, ſed alacriter, & velociter obediatis. *a* Gallicum jubebant in conſpectu multitudinis omnes pueros armatos in publicum prodire, qui ex iis noviſſimus venerat in conſpectu multitudinis, gravibus affectus cruciatibus necabatur. Sic etiam ignominioſum, & ſævo digniſſimum ſupplicio erit, ultimum ad obedientiam venire, & reluctanter in re etiam ardua obedire. Jacob jubetur è paterna domo excedere, deſerere parentes, propinquos, patriam: *b Vade*, inquit pater, *& proficiſcere in Meſopotamiam*, in regionem longinquam; ille illico benedictione acceptâ ſe in viam dedit, non moras traxit, non difficultates, & excuſationes mille objecit; ſed promptè obedivit: cúmque per 20. annos ſocero ſuo Laban exactiſſimam, difficillimámque exhibuiſſet obedientiam, reduci: *c Ecce fuerunt ei obviam Angeli*. Rupertus hic Angelicam obedientiam in cœlum offert, dicens: *d Jacob poſtquam patris præceptum peregit, revertenti obviam fuerunt Angeli Dei, ut ſciamus, quia poſt obedientiæ laborem, ſupereſt cœleſtium Spirituum crebrâ viſitatione etiam in hac vita remunerari*. Habent, & amant hanc ſibi, ut ita dicam, quarto modo propriam virtutem Angeli, lubentes ſe eis ſocios, ac comites præbent, qui ad omnem legitimè imperantis nutum, velut alis inſtructi, alacriter evolant. Si te, ô fili, ô filia, parentes patrio ſolo excedere, in urbes exteras, ad linguas, negotia, aliáve artificia addiſcenda deſtinent, Angelos in via comites, & duces nanciſcemini, ſi prompti, & alati, iis ſimiles exſtiteritis. Inter omnes prærogativas prorſus ſingulares, quibus cœleſtes illæ mentes præditæ ſunt, hoc ſolo & unico præ ceteris gloriantur, quòd ſupremo omnium parenti Deo promptiſſimè obediant, ejuſque nutus aviſſimè præſtolentur. Quod verè, & eloquenter Lactantius lib. 2. cap. 17. *e Quarum*, inquit, *unum, ſolúmque officium eſt, ſervire nutibus Dei: nec omninò quidquam, niſi ejus juſſa facere*; quæ ea animi alacritate, & pernicitate exequuntur, ut temporis puncto propriè ſumpto, ab Oriente in Occidentem ferantur. Qui veroſimilius opinantur, ut S. Thomas, *f* aliique, negantes, momento id poſſe facere, non inficiantur id præſtare breviſſimâ morulâ, qualis eſt ictus oculorum

a Nierenberg. doct. Aſcetic. l. 5. doct. 8. c. 60. b Gen. 28. c Gen. 28. d Rupert. l. 8. in Gen. c. 3. e Lactant. l. 2. c. 17. f S. Thom. 1. part. q. 27. art. 23. 2.

rum. Hinc aptè, non tam Poëtarum, aut pictorum licentiâ, quam Sacræ Scripturæ auctoritate, & vetuſtiſſima traditione, alati pinguntur *g*: *Propter celerem in cuncta diſcurſum*, ut loquitur Hieronymus. Quam picturam Sanctus Paulinus retulit ad velociſſimum famulatum & ad ſubitam mandatorum Dei obedientiam. Scire vultis, filii, qua arte alas vobis conquirere, quo remigio volare poſſitis? verbo tradam unico: ſi ad omnia parentum præcepta, hoc quiſque veſtrum reſponderit: *Volo*, ſi quid ſcribendum, ſi quò currendum, ſi quid agendum: *Volo*, hæc volendo, quæ ipſi volunt, jam volat: jam Angelis non modò ſimillimus, ſed ipſe Angelus effectus eſt, ut alibi *h* fuſiùs expoſuimus. Quæ obediendi promptitudo ut, non liberis dumtaxat veſtris, ſed & vobis omnibus commendetur, ſequenti Paragrapho proſequemur.

§. IV.

Obedientiam velocem ad vocem, actutum ad nutum commendat Paulus his verbis: DOMINE, QUID ME VIS FACERE? *Actor.* 9.

UTinam de omnibus, qui ſub Chriſti vexillis faciunt ſtipendium, dici poſſet, quod de ſuis militibus Scipio Africanus: is cùm in Africa bellum gereret, oſtendit viros cunctos, quos ſecum habebat, & in turrim præcelſam medio mari eminentem, digito extento ait: *Nullus horum omnium eſt, qui non conſcenſa turri, ſemet in mare præcipitaturus ſit, ſi ego juſſero.* O ſi omnes, qui in Eccleſia militanti prælia Domini præliantur, tam forent ad parendum expediti, eſſent &, cui parent, Domini præſidio invicti. Talis Paulus, *i* qui non in mare, ſed & in rogos, in rotas, in mortem quamtumvis truculentam paratum hiſce verbis ſeſe obtulit: *Domine, quid me vis facere?* ubi divo Bernardo interprete ac judice, in ipſo primo converſionis lumine *k perfectæ obedientiæ formæ exſtitit*, ex qua omnis illi ſanctioris vitæ, & excelſioris Sanctimoniæ exordia fluxêre; quod in Sacro ſuo Claravallenſi ſeceſſu Sanctus Abbas expendens, admirabundus exclamat: *l O verbum breve; ſed plenum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptione! quàm pauci inveniuntur in hac perfecta obedientiæ forma, qui ſuam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipſum quidem cor proprium habeant: ut non quod ipſi, ſed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione: Domine, quid me vis facere? & illud Samuelis: Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Cœleſti luce circumdatus, & quaſi fulgure percuſſus, atque proſtratus fuit *m* *Saulus*, audiit deinde & illud: *Surge*, ſurrexit illico: *Ingredere civitatem*, promptè ingreſſus eſt, nec ſecum diſputavit, aut tergiverſatus eſt, nec ullam

g S. Hieron. in c. 6. Iſaiæ. h Vide Lux Euang. part. 2.

i Exemplo Pauli, obedientia prompta, ac velox omnibus commendatur. k Bernard. Serm. 1. in converſione S. Pauli. l Ibid. m 1. Reg. 3. v. 10.

aliunde moram ac remoram injecit; quis inde fructus? *n Hæc, fratres, perfectæ converſionis eſt forma, paratum cor meum, Domine, quid me vis facere?* Auguſtinus *o*: *Jam parat ſe ad obediendum, qui prius ſæviebat ad perſequendum.* Inſtar materiæ primæ, ut Philoſophi loquuntur, ad omnem formam paratæ, erat animus Pauli, ad quamlibet formam à Deo recipiendam paratus. Nec abſimile illi eſt, quod in imagine præfixa intueri licet; pannum exhibet in quamlibet formam, & modum, ut Domino placuerit findendum & fingendum:

p Formáſque aptè fingetur in omnes,
Et quod erit juſſus (jubeas licet omnia) fiet.

Pſaltes regius vir ſecundùm cor Dei, hoc ſplendidiſſimo elogio à Domino decoratur: *q Qui facit omnes voluntates meas*, cujus vox: *r Paratum cor meum Deus*, omnium Patrum encomiis prædicatur. Doctor mellifluus ſic ſuaviſſimè diſcurrit: *ſ Audi hominem, quem ſecundum cor ſuum invenerat Deus: Paratum cor meum: paratum ad adverſa, paratum ad proſpera: Paratum ad humilia, paratum ad ſublimia: Paratum ad univerſa, quæ præceperis. Vis paſtorem ovium facere? vis conſtituere Regem populorum? paratum cor meum Deus, paratum cor meum* Qui hoc ſi non omni hora, ſaltem omni die, omni hebdomada ex corde clament ad Dominum: *Paratum cor meum Deus*, adimplere omnes voluntates tuas in proſperis & adverſis, *t quàm pauci ſunt qui in hac perfecta obedientiæ forma inveniuntur?* quis eſt hic, qui ſic cum Propheta ſentiat: ſi me felici prole fæcundare, divitiis abundare, ad excelſa ſublimare volueris, conteſtor, quòd non aliter tuo beneficio fruar, quàm ut mandatis tuis in omnibus obſequar, & potius mori expetam, quam ut donis tuis abutar? ſi è contra liberis, uxore, fortunis privare, de ſtatu, & gradu præcipitare ſtatueris, *paratum cor meum Deus: Domine, quid me vis facere?* ſed unum hîc ſolerter inquirendum, ut quid à Sacro Pſalmographo eadem verba iterentur: *v Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Hugo Cardinalis ſic diſſerit: *x Moraliter debet dicere quilibet, paratum cor meum Deus, & bis dicere debet: Cor meum paratum ad præcepta, paratum eſt ad conſilia*; paratum non ſolùm ſervare ea, quæ ſub gravi peccato, ſed etiam ſub minimo vetantur. Appoſitè Bernardus eaſdem voces non ſine myſterio bis repeti expendit: *y Porrò invenire eſt*, inquit, *hominem ſemel quidem paratum; non quidem ſecundò*; paratum ſemel obedire, ſed non ſecundò: paratum ſemel in facilioribus obſequi, ſed non in arduis, & difficilioribus. In exemplum inducit Abrahamum. *z Si dixerit ei Deus, ejice anc llam, & filium ejus; dico autem opera carnis, non cunctatur. Si dixerit: immola mihi filium tuum quem diligis Iſaac*, hoc planè jam patienter audire non potes tu, qui unicum habes, Deo per lethalem morbum, aut voto religio-

n Bernard. cit. o Auguſtin. Serm. 14. de SS. p Ovid. lib. 14 metam. q Actor. 13. v. 22. r Pſalm. 56. v. 8. ſ Bernard. Serm. 2. in Quad. t Bernard. cit.

v Pſalm. 56. v. 8. x Hugo Cardin. hic. y Bernard. in parvis ſermonib. Serm. 43. z Obedientia Abrahæ.

ligionis immolandum. Abrahamus nec in uno, nec in altero, maximè arduo hæret, aut tergiverſatur; cujus promptiſſimam obedientiam numquam ſatis laudandam, mecum paucis conſiderate. Si Abrahamus alium ante ſe Abrahamum, ſimile quid audentem, vel in pictura unquam vidiſſet, exemplo animoſior hoc aggredi potuiſſet; non uno vulnere paternum pectus imperio tam rigido ſauciari poterat. Accerſit ad ſe Deus Abraham amicum fidum, dicens: offer mihi Sacrificium; placet Domine: habeo ibi mille oves, agnos, boves, tauros, pecora plurima, omnia volens, libens tibi offeram in holocauſtum. At Dominus: Sacrificium, inquit, non de animalibus, ſed de homine poſtulo; ſi ita Domine: Eſt ibi tanta turba ex Chananæis, Pherezæis, Hethæis, &c. Qui infeſti nominis tui hoſtes, quotquot ex iis immolari placuit, ediſſere; quid vires brachii mei poſſint, divino tuo ſi roborentur ſubſidio, comprobabo. Non hos volo, ſed de familia tua quempiam. Fiat & hoc Domine, ſatis enim copioſa eſt: trecentos habeo vernaculos, juvenes expeditos, & ad nutum promptos. Non de illis mihi volo ſacrificium; ſed aliquem ex te natum cupio immolari: *a Tolle filium tuum.* Eſto Domine, duos filios habeo, quos mihi dediſti, unum de ancilla Agar Iſmaelem; alterum ex conjuge chariſſima Sara, hoc eſt, Iſaacum, illum tam deſideratum, expetitum, exſpectatum, & ſingulari tuâ gratiâ datum, afflictæ familię noſtræ ſolamen unicum, & riſum, & gaudium noſtrum. Certum mihi videtur quod hunc non velis, cùm illum mihi conceſſeris, ſimúlque addixeris longævum fore, ejuſque ſemen multiplicandum, ſicut ſtellas cœli. Hunc, inquit, Dominus offerri deſidero: *b Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac.* Quæ lancea, inquit Nyſſenus, *c* cor unquam hominis tam profundo confixit vulnere, ut verba hæc cor Abrahæ confixerunt? vos parentes judicate, qui nôſtis quantus ſit, & quàm potens in unicum dilectiſſimum filium amor. Si ita tibi libitum eſt, ut ſervus obſequentiſſimus me tibi ſubmitto; cui vis ſacerdoti eum tradam, qui illum alicubi tibi ſacrificet, ubi mei oculi non videant hanc innocentem victimam immolari, & cremari. Nequaquam ait Dominus; ſed tu ipſe ſacerdos eris, & illum tuis manibus immolabis: *Vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum, ſuper unum montium, quem monſtravero tibi.* Non eſt verbum, quod non filii ſolum, ſed & patris jugulum petit, quod cor ejus non lancinet; ſic etenim Orator aureus: *d Unumquodque verbum ſufficiebat ad ſauciandam animam juſti.* Emphaſim cujuſque perpendamus. *Tolle* Abraham, volo ut tu tuis ipſe manibus tollas. *Filium tuum*, non agnum, non ovem, non ſervum, ſed filium tuum, eúmque *unigenitum* ex Sara, *quem diligis Iſaac*, & præ omnibus bonis, in amoribus, & deliciis habes. Quid ad hæc Abraham? promptiſſimè, ac velociſſimè obſecutus eſt: de nocte *conſurgens, ſtravit aſinum ſuum, & conſcidit ipſe ligna,*

a Gen. 22. v. 2.

b Gen. 22. c Greg. Nyſſen. orat. de obitu Pulcherię. d Chryſ hom. 47. in Gen.

&illico clam omnibus egreſſus eſt; non gemuit, inquit Seleucienſis Antiſtes, non illachrimavit, non naturæ vi fractus eſt, non in varias partes conſilia partitus eſt. Non in has voces prorupit: quid me prole beatum feciſti, ut majori luctu cruciares, & riſum in fletum converteres? pro quo filio impetrando toties ſupplices cœlo manus extendi, illius ſanguine dexteram inquinabo? *Nihil horum forti, & ad omnia prompto Abrahami animo incidit, aut ori excidit; ſed cui divina juſſa curæ erant*, quaſi veræ ovis alicujus Sacrum exacturus, ad jugulationem comparabatur. Tum ut velocem ſuam obedientiam comprobaret, omnem remoram præcindendam ſtatuit: *f Facinus tam audax Saram celat. Illa quidem amans Dei eſt; ſed ingenium vereor: Dei amans eſt mulier, ſed mater eſt.* Confirmat Chryſoſtomus *g*: *Nemini prorſus hoc ſignificavit*; & ſanctus Ephrem Syrus eleganter probat, quod Abraham ſatis præſciret Saram lacrymis, ac ejulatibus repugnaturam, viréſque omnes exerturam, quibus necem averteret: Quare *ne uxori quidem*, inquit, *de hac re quidpiam dixit; neque enim tutum putavit fœminam in conſilium adhibere. Quibus enim lamentis fœmina non fuiſſet uſa, vel erga filium ipſum, vel erga patrem? quomodo non arctè complexa ad ſe retraxiſſet?* Quid hic non impedimenti, remoræ, dilationis, & fortè, ut potentes mulierum preces, ac lacrymæ potiſſimum nocturnæ ſunt, prævaricationis periculum incurriſſet, niſi promptè Deo imperanti obſecutus fuiſſet?

e Baſil. hom. de Abraham. f Baſil. cit. g Chryſoſt. cit.

huc Sacri, & profani ad hoc ſpectaculum, ſeu potius miraculum obedientiæ oculos, & animos advertite, quicumque vel Dominis, vel parentibus, aut majoribus obedientiam debetis. In omnium ædibus, cubilibus, abacis, hęc Abrahami ex pręcepto Domini promptè obſequentis pictura, quam numquam Gregorius Nyſſenus, ut de ſeipſo ſcriptum reliquit, ſine lacrymis contueri potuit, palàm exponenda eſt in exemplum, quod omnibus in monte monſtratum eſt; ut ſi Deus naturali morte liberos vobis eripiat, aut civili, ut è ſæculo ſibi in clauſtro victimę charitatis, & caſtitatis immolentur; in hanc tabulam oculis conjectis, voluntatem veſtram divinæ conformando, non moras, tergiverſationes, nectere velitis, geminum edocebit vos Abrahami, & *h* Jephte Sacrificium, atq; utriuſque exitus planè diſſimilis. Abraham promptè juſſa Dei exequitur, & illuſtri religionis exemplo, partes implet Sacerdotis: *i Extenditque manus, & arripuit gladium, ut immolaret Filium.* Cúmque jam Iſaac cervicem ſub ictum haberet: *Ecce Angelus de cœlo clamavit, dicens: Abraham: Abraham: ne extendas manum tuam ſuper puerum.* Cur Jſaac immolandus, juſſu Dei eripitur morti, & patri ſervatur? Econtra Jephte unicam filiam Virginem interemit, voti reus; cur non pepercit Deus tenellæ virgunculæ, ſicut pepercerat Iſaac? Tantæ differentię unica ratio, prompta obedientia, ſi Chryſoſtomo, & Ambro-

h Obedientia Iephtæ minus prompta.
i Gen. 22. v. 10.

ſio

ſio credere velimus. Chryſoſtomus ſic ait: *k Quia videbat juſtum jam accinctum, & paratum ad immolationem, & volentem implere mandatum Domini, idcirco vocat eum de cœlo*; nimirum quia promptus ad operandum, idcirco cœleſti voce compellatur, ne feriat. *l* Non ſic Jephte, qui horrore perculſus, non modo veſtimenta ſcidit, verum etiam commiſeratione Filiæ immolandæ commotus, diſtulit, quod ſine numinis injuria non poterat; adeòque petenti duorum inducias menſium indulſit, doloris impetu penè proſtratus. Abraham verò conſurgit nocte intempeſtâ, omnia ipſe apparat, nullaque interpoſita mora, aptabilius duxit mori filium, quam morari. Unde Ambroſius: quia non una forma meritorum. *m Pater* (ſcilicet Jephte) *doluit, flevit; non doluit Abraham, nec conſuluit parentis affectum. Vbi audivit divinitatis oraculum, non diſtulit Sacrificium, ſed maturavit obſequium. Iſaac non flevit cum ligaretur, non dilationem popoſcit, cum offerretur; & ideo miſericordia largior.* Quid felicius quam à mortis faucibus, Deo ipſo vindice eripi? donum id promptæ obedientiæ agnoſce, & tantæ virtutis privilegia venerare. Moritur Jephtæ filia, cui Sacrificium videtur laniena; imò præmoritur, cùm ipſo florentis vere ætatis, immaturos præproperæ mortis fructus carpere compellitur. Te quoque, ſi neſcis, ô tenera virguncula, quemadmodum & olim Iſaac, feciſſet obedientia felicem, niſi moras traxiſſes. Illud Bernardi de Abrahamo veriſſimè prædicatur: *n fidelis* OBEDIENS *neſcit moras, fugit craſtinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos viſui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes: totum ſe colligit, ut imperantis colligat voluntatem.* tum ſubdit: *oſtendunt plerumque voluntatem animi ſigna exteriora, & difficile eſt, ut vultum non mutent qui mutant voluntatem.* verus obediens facilè promptitudinem ſuam, omnibus membris, & ſignis exterioribus declarat, ad nutum volat, non expectat Imperium, ſed *præripit præcipientem*; quò fit, ut adhuc in terris, beatis illis mentibus in cœlo, ad nutus omnes Dei, toto animo & voluntate intentis, adæquari poſſimus, qui adeò prompti ſunt ad miniſterium, ut citiùs imperium exequantur, quàm jubentis vocem audiant. Illud, ut cœli arcanum, hominibus vulgò ignotum, ad tantæ hujus virtutis commendationem David celebravit: *Angeli ejus potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus*; prius inquit, verbum faciunt, quàm vocem imperantis accipiant, quod promptiſſimæ obedientiæ argumentum eſt. Hanc promptitudinem æmulati ſunt, quicumque ſanctimonia eximii exſtitêre. Moyſes quàm velox ad vocẽ Domini accurrit? *p eſto paratus mane*, inquit ad eum Deus. Quid verò ille? num in multam lucem ſtertit? *de nocte ſurgens, aſcendit in montem Sinai, ſicut præceperat ei Dominus.* Aſcendere manè jubebatur; at iſte de nocte, & antelucanus ſurrexit,

k Chryſoſt. hom. 47. in Gen. l Paradoxa Pelegrini in Matth. m Ambr. l. 3. de Virgin.

n Bern. ſer. de obedientia. Et lib. de præcept. & diſpenſ. o Pſal. 102. v. 20. p Exodi, 34.

ut imperium obſequio præveniret. Petrus, & Andreas ad vocem Domini: *q* CONTINUO *relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Emphaſim habet illud *continuò*, id eſt ſtatim, protinus, è veſtigio, ne puncto temporis interjecto; quam promptitudinem collaudans Chryſoſtomus, ait: *r perpende* OBEDIENTIAM *vocatorum; ſiquidem in medio piſcationis conſtituti, cum Dominum audiſſent jubentem, nihil diſtulerunt, nihil omnino cunctati ſunt.* Inde ad moralem doctrinam, & cujuſq; documentum ſubjungit: *Talem quoq; à nobis obedientiam Chriſtus efflagitat, ut neque punctum temporis differamus; etiamſi nos aliquid neceſſarium urgere videatur.* Semper ferè Deo vocanti, & imperanti, neceſſarium aliquid prætexitur quod remoram injicit: Negotia priùs domeſtica componenda, mors parentis expectanda, juſta peragenda, ut ille Matth. 8. *ſ Domine, permitte me priùs ire, & ſepelire patrem meum.* Non ſic diſcipuli Chriſti, ad quorum promptam, ac velocem obedientiam hortatur & vos Doctor Mellifluus, ſerm. 2. de S. Andrea: *t In ipſo converſionis ſuæ initio magnum nobis perfectæ obedientiæ præſtat exemplum, quod Chriſtianis omnibus* (non ſolum religioſis) *eſt neceſſarium*; ille etenim *continuò* cum Petro *relictis retibus* ſecutus eſt Dominum. Vos viri nobiles, ac potentes à ſæculo, qui in hoc mari magno & ſpatioſo officia, titulos; dignitates, retibus, & hamis aureis piſcamini, *continuò* his relictis ſequimini Dominum: *u Nam retia diaboli, divitiæ ſunt*; ab eo commendat Severum S. Paulin. epiſt. 1 *Cæleſtem Patrem anteverteras terreno parenti, exemplo Apoſtolorum, patre in navicula fluctuante, ſcilicet in hujus vitæ incerto* CUM RETIBUS RERUM SUARUM, *& implicatione patrimonii relicto.* Vos Adoleſcentes *continuò* retia relinquite, id eſt verborum lenocinia, quibus puellarum animas irretitis; ſic etenim Hugo Cardinalis, in illud Jeremiæ: *x Expandit rete pedibus meis*, ait illud eſſe *ſermonis compoſiti: prov. 29. homo qui blandis, fictiſque ſermonibus loquitur*, RETE *expandit greſſibus ejus.* vos Adoleſcentulæ retia capillorum relinquite, quos expanditis ad capiendas animas. Omnes deniq; qui à Chriſto, ad ſe ſequendum vocati, *continuò*, ſine mora, relictis omnibus ſequantur eum, ut duo hi, de quibus Bernardus: *y At illi* CONTINUO, *nihil judicantes, nihil hæſitantes: non ſoliciti unde viverent, nihil interrogantes: ſine morâ relictis retibus, & navi, ſecuti ſunt eum.* Addit Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis, non modò navim & retia reliquiſſe, ſed ne domum quidem profectos, ut uxoribus, ac domeſticis valedicerent. Hanc ipſam in obediendo celeritatem viri religioſi plurimi fecerunt, & expreſſerunt: Joannes Scotus *z*, qui propter ingenii perſpicuitatem, & doctrinæ excellentiam, *doctoris ſubtilis* nomen acquiſivit, declaravit, aliquando ſe eò adniti ſtuduiſſe; deambulanti enim animi cauſa, & ſpeculanti in

q Matt. 4. r Chr. hom. 14 in Matt. ſ Matt. 8. v. 21. t Ber. ſer. 2. de S. And. u Hugo Carenſis in prol. 90, S. Pau. ep. 1.

x Hugo in c. 1. thr. y Bern. ſer. 2. de S. Andrea. Abulenſis in Matt. c. 4. 111. z Statut. Min. part. 4. in recollect. de obedient. declaratio amplior. fol. 89. nigro. regula 15. comm. n. 10.

agro ſuburbano extra mœnia Lutetiæ, miniſtri generalis litteræ oblatæ fuerunt, quibus præcipiebat, ut aliò ſe conferret. Is lectis litteris, non urbem intrans, non ad cœnobium regrediens, ſuas ſarcinulas collecturus, inde pedes iter arripuit, eò quò proficiſci jubebatur. Divus Benedictus *a* Aſcetarum inſignium Patriarcha, de ſuorum obedientia loquens; *mox*, inquit, *ut aliquid imperatum à majore fuerit, ac ſi divinitus imperetur, moram pati neſcit in faciendo.* D. Hieronymus agens de genio Monachorum in vaſta Ægypti ſolitudine, hæc de illis: *b Subditi antea conabantur juſſa implere, quàm forent emiſſa: Et quibuſdam quodammodo indiciis nitebantur prophetare de voluntate mandantis.* Sic antequam hæc in actum, in imperium abiiſſent, jam parebat ſubditus, & non tam ſibi impoſita, quam imponenda complebat, cui non expreſſum voce præceptum, ſed tacitum, & nutus ipſe pro imperio erat. Quam perfectionem extollens Doctor Angelicus ait: *c Obedientiæ objectum eſt, præceptum tacitum, vel expreſſum: voluntas enim Superioris, quocumque modo innoteſcat, eſt quoddam tacitum præceptum obedientia promptior, quantò expreſſum præceptum obediendo prævenit.* Cujus rei clarum exemplum proſtat in Beato Epiphanio, Ticinenſi Epiſcopo, de quo adhuc Diacono, cum Præſuli Criſpino inſerviret, loquens Ennodius, ita prædicat: *d Pes illius erat, oculus, dextera, cujus miniſterio quidquid optaſſet fieri, ante juſſionem ſuam videbat impletum. Præſentiunt enim bonæ mentes eorum deſideria, quibus cum integritate famulantur.* Hujus tam celeris, ac promptæ obedientiæ Emblema, ſunt facta de cœlo fulmina, de quibus illud Jobi: *g Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent: adſumus?* Ita nimirum, priuſquam jubeantur fulgura, eunt, revertuntur, & dicunt; *adſumus.* Tam prompta, & expedita obtemperandi contentio: quæ, ut apparet, & micat in fulgure, ſic & viſitur in obediente. *f* In hoc ſibi Deus tam mirabiliter complacet, ut cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, ubi dilectos, ac dilectas ſuas, etiam præſentiæ ſuæ ſuaviſſimam dulcedinem obedientiæ poſtponere agnovit, miris favoribus, & gratiis ſibi acceptum profiteatur. Cujus illuſtre exemplum habes in D. Bernardo. Dum altior emineret in ipſo orationis æſtu, à ſeipſo abiit, & in illo mentis exceſſu, JESUM vidit, ejuſque aſpectu, ac colloquiis mirè recreatus eſt: ſed ecce dum his fruitur, importunis ad aures appellit campanæ domeſticæ ſonitus, atque ad everrendam domum evocat. Quid hîc Bernardus? Abire à ſuaviſſimo Jeſu, à ſuis amoribus, ac delitiis enim verò grave, ac durum; non abire, evocante campana, ſeu ſuperioris lingua, etiam nefas: Abit illico Bernardus; ſed non abit JESUS; ubi enim mundata Scopis domo, ad cellam ſuam rediit, JESUM reperit eodem adhuc hærentem veſtigio, audiitque illud à Chriſto: *niſi abiiſſes Bernarde, ego abiiſſem.* Ita nimirum inobedientes deſerit ſerva-

a S. Bened. in reg. c. 5. b Hieron. in reg. Monach. c. 10. c S. Tho. 22. q. 104. art. 2.

d Ennodius in vita Epiph. e Iob. 38. v. 35. f Etiam pietatis opera obedientię poſtponenda.

tor optimus, & obedientibus conſtanter adhæret. Ita adhæſit S. Ludgardi *g*: Hæc enim cùm Chriſti colloquiis, & ſæpius & familiariùs uteretur; ſi quando obedientia aliò evocaſſet, candidè ſolita dicere: *Expecta me hic Domine Jeſu, ubi me expedivero, celeriter ad te revertar*; Et verò expectabat, adeò amans erat, & patiens obedientiæ. Sic preces etiam, aliáque pietatis opera promptè relinquenda, dum alio obedientia evocat, aut mandantis imperium mittit. Rem narrat mirabilem ex Thaulero Ludovicus Bloſius *h* de virgine Moniali; quæ divino amore flagrans, optabat videre dilectum ſuum, ſpecioſum præ filiis hominum; cum ſtatim adſtitit formâ venuſtiſſimi pumilionis; has inter delicias, & ſuaviſſima colloquia, & baſia, tota colliqueſcens, fortè ad opus manuale cum ceteris ſanctimonialibus ex obedientia evocatur, cum illa extemplo, puerulo Jeſu familiariſſimè ait: *En dulciſſime Domine, mi Jeſu, pro explenda obedientia abeo: Tu interim me hic expecta, obſecro, ſi tibi placet, donec ad te redire liceat.* His dictis è cella exiit, & quod facere juſſa erat, anima voluntario, hilaríque vultu explevit. Deinde magna cum celeritate ad cellam reverſa eſt: quam cum aperiret, mira quædam, & radiantiſſima lux oculis ejus ſe ingeſſit, adeò ut vix eam ſuſtinere poſſet: quódq; eam ſacro quodam ſtupore confixit, vidit amantiſſimum ſuum Dominum ex parvulo, in ætatem perfectam juvenis 24 annorum adſtantem excreviſſe. Qui interrogatus ab ea, cur ex puſillo tam grandis factus eſſet? Reſpondit: *Filia chariſſima, profunda velocis, atque impigræ obedientiæ tuæ humilitas, me tam brevi tempore tam grandem effecit*, támque ingens in animo tuo, gratiæ incrementum accrevit. Quis non malit cum Deo, quàm cum hominibus converſari? quàm multi perfectius ducunt, contemplationi quam operi manuum; exercitio virtutum, quam rebus frivolis, & ex ſe indifferentibus vacare? Parûm gnari, ſolam obedientiam, qua voluntas propria Deo immolatur, omnibus præſtare; de qua S. Thomas: *Sunt tria genera bonorum humanorum, quæ homo poteſt contemnere propter Deum; quorum infimum ſunt exteriora bona; medium autem ſunt bona corporis; ſupremum autem ſunt bona animæ: inter quæ quodammodo præcipuum eſt voluntas, in quantum ſcilicet per voluntatem homo omnibus aliis bonis utitur. Et ideo per ſe loquendo, laudabilior eſt obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quam aliæ virtutes morales; unde Gregorius dicit, quod obedientia victimis jure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Unde etiam quæcumque alia virtutum opera, ex hoc meritoria ſunt apud Deum, quòd fiunt, ut obediatur voluntati divinæ. Nam ſi quis martyrium ſuſtineret, vel omnia ſua pauperibus erogaret, niſi hæc ordinaret ad impletionem divinæ voluntatis, quod rectè ad obedientiam pertinet, meritoria eſſe non poſſent*; multò minus contemplari, orare,

g Lilia Ciſterc. to. 1. h Lud. Bloſius apolog. pro Thaulero. c. 6.

i S. Thom. 22. q. 104. art. 3.

com-

communicare, aliáque pietatis opera contra voluntatem Dei, quæ per ſuperiorem innoteſcit, exercere. Idem ſenſus fuit in Seraphico Minorum ordine: nam B. Ægidius Sancti Franciſci ſocius, hoc aureum apophthegma quondam protulit. k *Si quis eſſet in tanta gratia, ut cum Angelis loqueretur, ſi vocaretur ab homine, cui promiſit obedientiam, deberet colloquium Angelorum dimittere, & homini, cui propter Deum promiſit obedientiam, obedire.* Experimentum hujus pronuntiati ſumere placuit D. Gregorio Papæ IX, quo præſente, ac purpuratorum Patrum ſenatu cùm Frater Ægidius derepente in ecſtaſim rapereretur: *præcipio*, inquit, *tibi Frater Ægidi, in virtute obedientiæ, ut ad te revertaris*; Et ille illico, cœlo & ſuperis relictis, ad ſe rediit, & ad pedes Pontificis ſe proſtravit. Quis hujus virtutis excellentiam, aut pro dignitate in cœlum laudibus extollat, aut humano, imò vel Angelico ingenio comprehendi poſſe arbitratur; quo etiam jam divorum conſortio, ipſiúſque divini numinis gloria perfruentes, è cœlo in terras delapſi ſunt. Quod Annales Ciſtercienſes l de viro Religioſo referunt, cui jam in extremis conſtituto, cùm D. Giſilbertus Abbas ad Capitulum generale abiturus dixiſſet: *Frater Mengore* (ſic vocabatur) *non debes mori, ſed exſpectabis me.* Reſpondente illo, *ſi in me fuerit, faciam.* Subjunxit Abbas: *Ego præcipio tibi*; ivit ergo ad generalia Ordinis comitia, quæ cùm diutius protraherentur, Mengorus è vita diſceſſit. Prælatus autem reverſus, iterato mortuum compellat: *Frater Mengore*; ſed cùm nec ſermo, neque loquela: *Ego*, inquit, *tibi præceperam ne morereris donec venirem. Ego tibi iterum præcipio, ut reſpondeas mihi.* Ad quæ ille ſe erigens, deſerta in cœleſti gloria ſede ſua, ad Imperium illius ſe adeſſe dixit: atque obtenta à ſuperiore venia, eò unde delapſus fuerat Spiritus remeavit. Quod nemini inſolens, aut paradoxum videri debet, cùm nemo non cœlitum, ad nutum Dei ſe non modò in terras, ſed ad ipſos inferos eveſtigio præcipitem daret. Ex his conficitur Deum, propter Deum, id eſt, ſuperiorem per quem loquitur, juxta illud: *Qui vos audit, me audit*, relinquendum. Atq; adeò neminem juſtam cauſam queritandi, aut murmurandi habere, ſi conſuetas preces, afflictationes corporis, ipſas epulas Euchariſticas, ex præſcripto obedientiæ relinquere jubeatur: ſic etenim Doctor mellifluus: m *Spirituali jucunditate æquanimiter fraudari, quando aut obedientia cogit, aut fraternæ charitatis ratio poſtulat, hoc planè magnum, & Deo gratum offerre holocauſtum.* Cui ſaluberrimæ, ac ſanctiſſimæ doctrinæ, ut Sanctimoniales, filiæ Deo devotæ, ancillæ vitæ ſpirituali deditæ ſeſe conforment; concludo hic amabili eventu, quem Euſebius Nierenbergius in Aſceticis ſuis adducit. n Quadam die ſolenni, moniales cujuſdam

k Piſanus. conformit. l. 1. fructu S. Annal. Minor. de dictis B. Aegidii. §. obedientia Ann. M. tom. 1. anno 1237. n. 17.

l Annal. Ciſter. ad An. 1184. c. 2. nu. 2. Cæſarius lib. 11. dial. cap. 11.

m S. Bern. Serm. 43. in parvis ſerm.

n Euſeb. Nier. doctr. Aſcet. l. 5. doct. 8. c. 55. p. 405. ex Rusbrochio.

cœnobii ſacra Synaxi reficiendæ erant, è quibus Abbatiſſa unam jam optimè diſpoſitam ad cœleſte hoc epulum, evocat, & ad culinæ miniſteria peragenda amandat; illa mox ut juſſa erat, ſine murmuratione, imò magna cum devotione ad exequendum injunctum ſibi obedientiæ munus abſceſſit: cúmque ceteræ communicaſſent, palàm audita eſt: virginem quæ culinæ miniſteria peregiſſet, ſacramenti fructum, ob ſuam obedientiam, uberiùs & veriùs eſſe conſecutam. Idem eſt de aliis pietatis operibus, & auſteritatibus, quibus omnibus obedientia antecellit, ut rectè Gregorius. o *Longè altioris eſt apud Deum meriti, propriam voluntatem alienæ ſemper voluntati ſubjicere, quàm magnis jejuniis corpus atterere, aut per compunctionem ſe in ſecretiori Sacrificio mactare: quia qui perfectè præceptoris ſui voluntatem implere didicit, in cœleſti regno abſtinentibus, & flentibus excellit.* Hæc prompta obedientia *p*, quò illuſtrior eſſet, & in luce publica poneretur, ejus teſtificandæ argumentum viri Aſcetici certiſſimum in eo poſuerunt, ut opere quovis imperfecto, ad perfectæ obedientiæ regulam, & vocem imperantis advolet; quam Doctor Seraphicus paucis, ſed nervoſis verbis inculcat: & collaudat: q *Perfecta obedientia, imperfecta relinquit.* Hic ſupremus promptæ obedientiæ gradus eſt, ad quem viri ſanctiſſimi conſcenderunt. Apoſtoli ad vocem Domini relicta piſcatione imperfecta, retibus, ac cymbâ, continuò ſecuti ſunt Dominum; de quibus Chryſoſtomus agens, ſubdit exemplum Heliſæi: r *Quod Heliſæus quoque ſub Helia legitur implêſſe*; de illo etenim 3. Reg. c. 19. v. 20. refertur, quod inchoatum orandi opus interruperit, & boves in campo deſeruerit, ſecutus Heliam non tam vocantem, quàm ſigno, ſeu nutu indicantem: *Miſit Helias pallium ſuum ſuper illum, qui ſtatim relictis bobus, cucurrit poſt Heliam.* Habitabant in hoc ſublimis obedientiæ faſtigio monachi illi, quorum vitam, & diſciplinam deſcribit Caſſianus, cujus verba referre operæ pretium: ſ *Cum ſonitum pulſantis oſtium audierint ad orationem, ſeu ad opus aliquod eos evocantis, certatim è cubiculis ſuis unuſquiſque prorumpit, ita ut is, qui opus ſcriptionis exercet, quam repertus eſt inchoaſſe litteram, finire non audeat; ſed in eodem puncto, quo ad aures ejus ſonitus pulſantis adveniret, ſumma velocitate proſilierit, ne tantum quidem moræ interponat, quantum cœpti apicis conſummet effigiem; ſed imperfectas litteras lineæ relinquens, non tam operis compendia, lucráve ſectetur, quàm obedientiæ* t *virtutem exequi, toto ſtudio feſtinet.* Libet hic attexere memorabile factum Marci, cum admiratione à poſteris omnibus laudati, qui cum præ aliis à Silvano Abbate plus diligeretur, idque, ut ſolet, condiſcipulos pungeret, vicini ſenes venerunt ad Silvanum exploraturi cauſam hujus peculiaris dilectionis: *v* quos aſſumens ſecum Ab-

o S. Greg. c. 3. parad. p Obedientia perfecta, imperfecta relinquit. q S. Bonavent. in ſpecul. part. 1. c. 4.

r Chryſoſt. hom. 14. in Matth. c. 4. ſ Caſſian. lib. 4. c. 12 Vitæ Patrum part. 3. c. 22. t Obedientia littera imperfecta relicta. v Vitæ Patrum, part. 2. lib. de obed. §. 2.

bas

bas Silvanus, cœpit ſingulorum callas pulſare, dicens: veni Frater, quia opus te habeo, & unus ex iis non eſt mox ſecutus. Venit autem ad cellam Marci, & pulſavit, dicens: Marce; ille autem audita voce, ſtatim exivit foras, & miſit eum ad quoddam miniſterium. Abbas ergo Silvanus dixit Senibus: ubi ſunt ceteri Fratres? & ingreſſus eſt cellam Marci, & invenit quaternionem, quem eadem hora inchoaverat, in quo litteram O faciebat, & audita voce Senis, non fixit, nec gyravit calamum ultra, ut impleret litteram. Et dixerunt Senes: verè Abba, quem tu diligis, nos diligimus, quoniam & Deus diligit eum. Exclamat ad hoc factum Trithemius: x *O filium perfectæ obedientiæ! qui maluit dimittere opus, quamvis bonum, quam ad momentum moram facere in obediendo.* Quidam obedientia aliquò evocati, perficere volunt inchoata, ſic humana ratione dictante, qui ad apicem hujus virtutis non pertingunt, quò S. Benedictus ſuos omni ſtudio conniti voluit: *y Mox ex occupatis manibus, & quod agebant, imperfectum relinquentes*; ſed ego iterum exclamo, epiphonemate aureo, quod extulit Gloſſa, z mirata celeritatem Apoſtolorum, quod alii à Bonaventura, alii ab Hieronymo pronuntiatum volunt, ſtylo adamantino omnium mentibus inſculpendum: *Perfecta obedientia, ſua imperfecta relinquit.* Tot magiſtrorum imbutus doctrinâ Patriarcha noſter Ignatius, hac ſola virtute præ ceteris ſuos excellere voluit, & pręſcripſit: *a Ad ſuperioris vocem perinde ac ſi à Chriſto Domino egrederetur, quàm promptiſſimi ſint, re quavis, etiam littera à nobis inchoata, necdum perfecta, relicta.* Cui regulæ, veterum imitatione, putarim paruiſſe Thomam Sanchez noſtrum, cujus in ſchedis repertum eſt inter alia, ſibi hoc quoque præſcripſiſſe: *b In obedientia accuratiſſimus ero, etiam littera inchoata relicta.* Stimulo vobis eſſe poterit, celeritas in obediendo militaris, quæ præſtatur etiam cum præſentiſſimo vitæ periculo, idque vel brevis mercedis, vel levis gloriæ causâ, ſeu ut Apoſtolus loquitur: ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Quod præter hiſtoricos, & eos qui de re militari ſcripſerunt, quotidiana docet experientia. Celerrimæ, ac promptiſſimæ proferam exemplum, propoſito huic accommodatiſſimum, quod mirabile reperi apud Xenophontem, & Plutarchum, prodentes à Cyro laudari Chryſanthum militem, quod hoſtem ſublato jam gladio interfecturus, ut receptui cani audivit, cæde ſibi interdictum putans, hominem intactum dimiſit. De quo Arrianus: *d Præſtantius, inquit, ei viſum eſt Imperatoris dicto audientem eſſe, quàm animum implere.* O aureum effatum, propylæo Apollinis digniſſimum! decertant quandoque inter ſe, & acriùs contendunt, vicini, propinqui, fratres, & ſorores, aliique domeſtici dum pater-

x Trithem. in c. 5. reg S. Benedicti. y S. Benedict. reg. 5. z Gloſſa in c. 4. Matth.

a Vide regul. 15. Epiſt. 8. Ignatii, de obedient. b Crombecius lib. 2. de ſtudio perfect, c. qu. 12. c Obedientia militaris. Xenophon lib. 4. Cyroped. Plutarch. in quæſt. Rom. §. 39. d Arrianus lib. 2, de doct, Epictet. c, 6.

familias, aut ſuperior voce ſua, vice Dei canit receptui, cum Chryſantho illico obtemperandum, & *præſtantius ducatur Imperatoris cœleſtis dicto, audientem eſſe, quàm animum explere.* Ex eadem diſciplina eſt oratio C. Cæſaris, convocatâ concione cupitatem militum arguentis, e *quod neque ſigno recipiendi dato conſtitiſſent:* revocatur huc celeritas nautica, quæ tanta eſt, ut propè incredibilis videatur: etenim triremibus pertenui argenteæ fiſtulæ ſibilo celeuſtæ, vix ſummis auribus accepto, tum nautæ, tum remiges impellunt, attollunt, inhibent remos: rudentes explicant, vel ſcandunt: vela pandunt, dimittúntve: jactant anchoras, vel attrahunt, tantâ feſtinatione, ut juſſiſſe, feciſſe ſir. Verberum metus, & fuſtigationis incitat captivos; nos amor, & ſtudium virtutis, ut ad imperantis nutum quodque opus aggrediamur, atque ab eo, etiam imperfectè relicto deſiſtamus. Placet hæc æterno numini obedientiæ alacritas, & promptitudo, miraculo non ſemel comprobata. f Sancta Adelheidis virgo fortè vinum promebat è cupa, cùm ecce evocatur ſubitò à cellaria: illa, utpote quæ in obedientia neſciret moras, non obfirmato epiſtomio (*quod agebat imperfectum relinquens*) imò vertibulo ſecum aſportato abit, & ſe cellariæ ſiſtit; tum etiam matri. Ac deinde ſibi quodammodo reddita, memor non obturati epiſtomii, abjicit ſe in genua, culpam agnoſcit, veniámque precatur. Cui religioſa mater: ne turberis ſoror, ſi quod eſt damnum, reparare poteſt, qui dives in omnes Deus: eamus interim in cellam vinariam. Eunt unâ, & ecce comperiunt ne guttam unam è vaſſe effluxiſſa, Deo confirmante celerem illam virginis obediéntiam etiam miraculo; ut intelligas ex eo, ſi tibi curæ ſit obedientia, cetera ipſi Deo curæ fore. g Ita curæ fuit S. Columbani diſcipulo, & religioſo in paucis obedientiæ dedito. Promebat & hic vinum è vaſe, cùm derepente à ſuo Præſule accitus, occurrit aperto etiam epiſtomio; nec memor, niſi diutiſſimè poſt, non obfirmati vaſis, ad cellam redit, ratus effluxiſſe, quidquid erat in vaſe. Et certè effluxerat; ſed quod mirêre, in aëre ita pendulum, ut ne gutta unica in terram decideret, ne gutta periret; non vinum dixiſſes, ſed quaſi nubem in aëre pendulam. Adeò ferox miraculorum prompta obedientia. h Simile quid narratur de Berchario Monaſterii Luxovienſis Abbate, qui antequam præeſſe cœpiſſet, vinum de cado in urnam hauriens, ab Abbate vocatus, urnâ relictâ feſtinus accurrit, vinum verò ſicut fluebat, repleta urna non eſt effuſum: ſed ſtetit, ac ſi gelu concretum eſſet, donec ille reverſus, cadi foramen obturavit. Unum hic famulis, œconomis, promis obſervandum occurrit, quod prudenter Turrecremata notavit ad hæc verba S. Benedicti: *i Relictis omnibus, quæ fuerint in manibus. Quæ*, inquit, *ſine periculo, aut*

e C. Cæſar lib. 7. de bello Gallico.
f Lobbet. Tract. Aſcet. p. 207. Bolland. om. 1. Febr. die 5.

g Ioannes Abbas in vita S. Columbani, cap. 16. Surius 21. Nov. h Marulus lib. 4. Exempl. c. 3. Nigron. reg. 15. comm. n. 19. i Turrecremata Tract. 108. in cap. 43. reg. S. Benedict.

damno relinqui poſſunt. Si enim ſerviret quis infirmis, aut hoſpiti, aut præpararet cibum, aut extraheret vinum ex dolio, & hujuſmodi, non valeret illa ſine diſpendio immediate dimittere. Quæ diſtinctio manifeſtè declarat, ſi damnum ſecuturum eſt cœnobii, aut familiæ, aut gravius incommodum, vel periculum oriturum, non ſtatim deſerenda eſſe, quæ in manibus ſunt. v. g. *k* Lucernam ardentem in cubiculo, vel ſtrui lignorum affixam relinquere, dolium apertum in cella vinaria, ſordes à verrente in medio atrii, quis non videt rationi diſſonum, ac periculoſæ plenum opus aleæ? ſic periculoſè ægro, ſi pręſentia tua neceſſaria ſit, charitatem violas, ſi deſeris. Quare cum ejuſmodi incommodo, & periculo, Deo diſplicet iſta celeritas; quæ ubi abſunt, maximè placet. Contrà verò, ſi celeritas non niſi tuis commodis, tuæ voluntati, ac voluptati adverſatur, adhibenda eſt ſumma, ut diximus, quia Deo gratiſſima. Miracula autem ſuperius allata, divino inſtinctu patrata, magis admirationi, quàm imitationi ſerviunt. Interim his etiam docemur tam raris prodigiis, Deum obedientiam promptam ac celerem comprobaſſe. At ne hæc ad ſolos Monachos, & priſcos Anachoretas ſpectare exiſtimetis, ruborem nobis incutiunt, qui terreno, ac mortali Domino promptiſſimè obediunt, quorum oculi ſunt in manibus Dominorum ſuorum, eorúmque nutus adeò ſagaciter obſervant, ut vel levi ſibilo advolent, lances menſæ inferant, auferant, vina fundant, &c. Si vos adeò promptè ſupremo Domino obtemperare contingeret, quali, & quanto apud eum in cœleſti Aula loco eſſetis! ac vos *l ipſi qui de ſervis veſtris tam promptum exigitis ſervitium, non agnoſcitis Dominum Deum veſtrum, cùm ſic exerceatis dominatum.*

k Monitum morale ad famulos, & œconomos.

§. V.

Obedientia cæca ex illo Pauli commendatur: APERTIS OCULIS NIHIL VIDEBAT. *Act.* 7. v. 8.

CÆcitatem hanc expendens D. Bonaventura, ait, *m* quod duplex fuit viſio in Paulo: una exterior, quæ conſiſtit in oculo corporali: altera interior, quæ conſiſtit in oculo intellectuali. Et quantum ad viſionem corporalem, ad Chriſtum converſus, factus eſt cœcus; *n unde apertis oculis nihil videbat*; ſed quantum ad ſpiritualem, maximè fuit illuminatus: & vidit virum, Ananiam nomine, introeuntem. Conſtat quod de viſione intellectuali hæc dicit, quia in illis tribus diebus, viſum corporalem non habuit: *Erat*, inquit *tribus diebus* NON VIDENS, *& non manducans, neque bibens.* Sed quàm paucos, quàm raros eſt invenire hodierna luce ejuſmodi cœcos, qui *apertis oculis* corporis, *nihil videant*, nihil ſervi in Dominis ſuis, nihil filii in parentibus ſuis, nihil ſubditi in Supe-

l Cyprian. lib. 4. Epiſt. 9. m Bonavent. Serm. 1. de Converſione S. Pauli n Obedientia cœca.

rioribus ſuis, nihil ſæculares in Eccleſiaſticis, apertis oculis humani videant, non infirmitates, non incapacitatem, non ætatis, ſcientiæ, experientiæ, defectum attendant; verùm & Ananiam à Deo miſſum, ac ſibi præſtitutum *viſione intellectuali* quemque agnoſcant. Unde erat mirabile, inquit: quia dum viſum amiſit exteriùs, ipſum accepit interiùs: & quamdiu habuit viſum ad mundum, totus cæcus erat ad Chriſtum. Viſus enim corporalis, eſt impeditio ſpiritualis: quia anima ad exteriora eſt quaſi nulla. Unde narrat Hieronymus *p*, quòd plures Philoſophi, ut poſſent rebus interioribus melius eſſe intenti, ſibi corporales oculos eruerant: nam & cæcos videmus eſſe mirabilis intellectus, & admirabilis ingenii, & valde tenacis memoriæ: quia anima ab externis abſtracta, ad interiora tota collecta capit facilè omnia.

Nolim vos hîc cum Philoſophis, corporales oculos vobis eruere, ſed morales, ut apertis oculis non videatis, quæ terrena, quæ fluxa, & caduca ſunt, aut quæ politico & cenſorio oculo in aliis cernuntur; ſed interioribus oculis qui tunc maximè illuminantur, cœleſtia & æterna, atque infallibilem omnis perfectionis, regulam ſpeculemini: Sic *q* *Paulus in illo triduo videbat, & non videbat: videbat ſcilicet ſpiritualiter, ſed cæcus erat corporaliter: apertisque oculis nihil videbat. Nihil, inquam, terrenum; ſed videbat interioribus oculis Chriſtum. Unde & ſtatim vidit, & ſtatim agnovit, ſtatimque clamavit: Domine, quid me vis facere?* Ad hanc Sanctam & ſalubrem cæcitatem ſpiritualem, hortatur nos Orator aureus exemplo Pauli, ſerm. 4. de ejus laudibus: *r* *Pauli* CÆCITAS, *totius orbis illuminatio effecta eſt: quoniam enim videbat malè, eum* EXCÆCAVIT *Deus, ut utiliter jam videret in reliquum.* Saulus inter Damaſcenos maximè oculatus, perſpiciens qua ratione in Chriſtianos diriùs ſæviret, ſalubriter excæcatur. Bernardus: *ſ* *Fœlix* CÆCITAS, *qua malè quondam illuminati in prævaricatione, tandem in converſione, oculi ſalubriter* EXCÆCANTUR; quia licet divina imperia agnoſceret, quò tamen illa ſpectarent, non diſquirit; ſed ubi audivit: *t* *Ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere*, cæcè obedivit. Talis fuit obedientia Samuelis, *v* qui ſine ullo humanæ ſapientiæ diſcurſu, non expendens, eſſetne illa vocatio, an deceptio, cæco impetu currebat ad ſenem, & recipiebat ſe rurſus ad quietem. Ita & tu, inquit, Bonaventura, *ut melius valeas eſſe* OBEDIENS, *cogita ſemper, quando vox præcipientis ſonat in auribus tuis, quod vocem iſtam non tanquam ab homine audias, ſed tanquam ab ipſo Deo.* Hinc magno teſte Auguſtino, rectè inter ſe fides, & obedientia *y* comparantur: quia *z* *ſola eſt, quæ fidei meritum poſſidet, obedientia.* Nam ſicut fides cæca eſt,

o Bonavent. cit. p Hieron. Epiſt. 32. q Bonavent. ib.

r Chryſoſt. hom. 4. de laudibus Pauli. ſ Bern. ſer. 1. in converſione S. Pauli. t Act. 9. v 1 Reg. 3. v. 5. x Bonavent. lib. 3. collat. c. 3. y Obedientia cæca cum fide comparatur. z Auguſt. in Pſal. 70.

nec

nec rationes manifeſtas intuetur: quia *fides eſt credere , quod non vides* ; ac conſequenter, ut ſubdit Gregorius, *a nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum* ; ita de cæca, & minimè oculata obedientia ſentiendum eſt: nam ſi oculata ſit, nequit eſſe obedientia ſupernaturalis; ſed fiet prudentia temporalis, ne dicam impudentia carnalis,quæ ſæpiſſimè impingit, & corruit. Unde Chriſtus ad Petrum neſcientem rationes tantæ humilitatis, & charitatis, qua diſcipulorum pedes lavabat, & ſuos lavari recuſantem, dixit: *b Quod ego facio, tu neſcis modò; ſcies autem poſtea* ; non aperit arcanum mentis ſuæ conſilium, ut Petrus cæcus obediat: ne ſi prius intellectus obedientiæ rationibus obtemperaret, ipſum obedientiæ meritum evacuaret, ut doctè Cardinalis Toletus *c*. Ancillæ, famuli, cæcorum more obediant Domino: jubet extra conſueta tempora, domum expurgari,lectos ſterni, exquiſitiora fercula opſonari, ancilla ſimpliciter, nihil interrogando obediat,ſciet autem poſtea hoſpites venturos. Dominus mandat famulo rhedam,vel navim conduci,aut equos ſterni, ſuppellectilem,aliáque vaſa utenſilia in ſuburbanum devehi, nihil interrogando, pareat: *ſciet autem poſtea.* Filii, & filiæ parentibus cæco more obtemperent, ſi iſtis,aut illis ſtudiis,functionibus applicentur, in exteras urbes ablegentur, revocentur,&c. cauſam non diſquirant: *ſcient autem poſtea.* Philippus ille Diaconus ad quē Angelus: *d ſurge & vade contra meridianum:* Cúmque Angelus neque terminum neque cauſam itineris explicaret, tamen ut habet textus *ſurgens abiit* ; & quod laudabilius, inquit Carthuſianus, *e* PROMPTE OBEDIENS, *nec cauſam juſſionis inquirens. Quo informamur, ut ſubditi Superioribus ſine ſuperflua inquiſitione ſtatim obediant.* O quam magna & diſcreta prudentia, ſimplicium eſt obedientia, nihil diſcernens! quantum beneficium, inter caligines,quas effundunt paſſiones, & errores,in quos abripiunt cupiditates; & ignorantias in quas prava hominum converſatio, ac mundi leges, & mores impellunt, erit ſapere, & gubernari prudentiſſimè abſque ullo errore, perinde ac ſi ſapientiam cœleſtem, & prudentiam divinam haberemus? hoc facit inventum ſanctæ obedientiæ, quæ vicaria eſt ſapientiæ divinæ. Quid ſapientius quàm non poſſe errare, quæcumque fiant; virtutes alias debet præcedere prudentia, quæ difficillimè ab hominibus habetur; ſed facillima prudentia eſt ſimplex ac cæca obedientia; obedire tutiſſimum eſt: ideò clauſis mentis oculis cæcè, & celeriter debemus obtemperare, ſupplendo,& addendo voluntate & affectu erga præcepta, quod intellectus noſter conſiderare non tenetur.Tam gratum & locuples bonum eſt obedientiæ, ut ratiocinatione non egeat ad obtemperandum: *f Obedientia eſt patentiſſima inſpiratio Dei, & tutiſſima revelatio,in qua nequit dubitari,*

a S.Greg.hom.26.in Euang.
b Ioan.13.v.7. c Toletus in Ioan.cit.

d Act. 8.v.26. e Carth. in Act. cit. f Nierenb.de adorat. in ſpiritu.& ver.l.2,c.12.

an ſit à Deo. Si Angelum videres ad te venire,& nuntiaret Dei voluntatem eſſe, ut aliquid faceres; nequaquam torperes, etiam ad maximè arduum præceptum; celeriùs debes exequi quod ſuperior præcipit: quia ſecurius,& certius eſt, Dei voluntatem eſſe, ut facias, quod tibi præcipit homo, quàm quod Angelus videretur mandare. Ideo poſt mandatum Superioris non debes conſiderare plura, nec morari, ſed exequi; at poſt locutionem Angelicam, debes conſiderare, quis tecum fuerit locutus. An Dæmon, an Dei Spiritus? an bonum, vel melius eſſet quod præcepiſſet. Novit Sanctus Genebaldus,qui monenti Angelo reſpondit. g *Etiamſi Chriſtus veniret,nom facerem hoc,niſi diceret ſuperior meus Remigius: Quippe cum obedientiæ ſuperioris meritum non deeſſet; in apparitione verò Chriſti error, aut fraus poterat ſubeſſe.* Quantus favor eſſet, ſi ad ſingula opera moneretur quis ab uno è ſublimibus Seraphim, qui Dei nomine, hoc vel illud agendum præciperet? certius, ac ſecurius eſt obedire Deo in ſuperiore, qui eſt oraculum domeſticum. Eò ſpectant, quæ S. Pater Ignatius his verbis ſuis præſcripſit: h *Ut ad credenda, quæ Catholica fides proponit, toto conatu, aſſenſúque veſtro ſtatim incumbitis; ſic ad ea facienda, quæcumque ſuperior dixerit*, COECO QUODAM IMPETU VOLUNTATIS PARENDI CUPIDAE, *ſine ulla prorſus diſquiſitione feramini.* Eximius ille obedientiæ magiſter Abraham, pugnantia inter ſe oracula accipiens, unum de propagatione ſeminis. Gen. 17. Alterum de immolatione Filii ſui. Gen. 22. difficultatem non diſcutit; ſed utrumque ſine ullo diſcurſu, cæca quadam obedientia complectens, *contra ſpem, in ſpem credidit.* Ubi rectè ſubditur: *confortatus eſt fide, dans gloriam Deo.* Ubi ſolerter quærit Chryſoſtomus, quam Deo laudem dederit Abraham, cùm nullam ibi hoſtiam immolâſſe, nullas preces in gratiarum actionem fudiſſe, referatur. Et reſpondet: *Hoc ipſum non curiosè indagare, eſt Deum glorificare! ſicut curiosè indagare, eſt peccare.* Tum hujus ſanctiſſimi Patriarchæ exemplo ſuos, nóſque omnes nervoſa oratione compellat, ut præceptis divinis citra ullam dubitationem, aut diſcuſſionem obtemperemus: k *Quid enim quæſo abſurdius*, inquit, *quàm parentem jugulare unigenitum ſuum Filium? juſtus tamen id facere juſſus non curiosè de mandato ſciſcitatus eſt; ſed jubentis dignitate perpenſa,mandatum dumtaxat admiſit.* Hæc tu Paterfamilias admirare non ſolùm, ſed & imitare: Dum Deus filium,aut filiam in excelſo Religioſæ perfectionis monte, vult immolari, aut naturali morte, chariorem è liberis, amicis, propinquis, uxorem ipſam eripere decernit; ne rationes varias, & vanas adducendo, voluntati divinæ te opponas: non tua hîc tam ratio, & natura, quàm Abrahæ obedientia tibi propononda, qui ſuis manibus mortem filio inferre, ſolam Dei voluntatem pro regula ſumendo, non dubitavit. l *Enimverò*, inquit Origenes, non *deliberat, non detrectat, non communicat*

g Nierenb. doctrinæ aſceticæ. pag. 403.
h S. Ignatius in epiſt. obedient. §. 18.

i Rom. ho. 8. k Chryſoſt. hom. 2. ad Rom. l Orig. in c. 22. Gen.

cum ullo homine conſilium ; ſed ſtatim occupat iter : nam cæca, atque ideò perfecta obedientia, nihil præter Domini præceptum videt ; oculis verò caret, ut quæ obſtare, vel conſequi poſſunt, diſpiciat. O admirabilem obedientiam! *Abiit ad locum*, non reſtitit, non excuſationem obtendit, non in contrarium argumentatus eſt, non orando, plorando detrectavit, aut ſaltem diſtulit obedientiam. Jubet Deus? En abeo. *m Ad exhibitionem quippe obſequii*, ait Tertull. *prior eſt majeſtas divinæ poteſtatis, prior eſt auctoritas imperantis, quam utilitas ſervientis*. Ipſi duces militares, quamtumvis barbari, conſilia ſua, & imperia diſquiri nolunt, aut examinari, & ſubditorum judicio immutari. Exemplo ſit Publius Craſſus Mucianus, *n* quem Romanæ hiſtoriæ ſcriptores tradunt quinque habuiſſe rerum præcipuarum maxima: Quòd eſſet ditiſſimus, quòd nobiliſſimus, quòd eloquentiſſimus, quòd juriſconſultiſſimus, quòd Pontifex Maximus: Hic cùm in conſulatu Aſiam Provinciam obtineret, & urbem Leucæ pararet oppugnare, opúſque eſſet firma, & procerâ trabe ad fabricandum arietem, quo urbis muri quaterentur, ad Meleatenſium Architectum ſcripſit, ut è duabus arboribus, quas apud eos vidiſſet, grandiorem mitteret. At Architectus ultra cæcam obedientiam ſapiens, ubi comperit, cui uſui trabem peteret, non majorem, ut juſſus erat, ſed minorem miſit, quàm faciendo arieti & aptiorem, & portatu faciliorem exiſtimabat. Craſſus eum mox acciri juſſit, accitúmque interrogavit, cur non, quam juſſerat, miſiſſet? Architectus prudenter à ſe factum cenſere, cauſas, & rationes adferre, & multa pro ſe dicere, jámque etiam ſui facti commendationem ſperare. At Craſſus viro veſtimenta detrahi, & acriter cædi virgis imperavit. Et ne hoc ulli videretur ſævum: omne imperantis officium, ajebat, corrumpitur, atque diſſolvitur, ſi quis ad id, quod facere jubetur, non obſequio debito; ſed conſilio, & prudentia propria reſpondeat. Si homines gentiles, & Barbari, adeò cæcam à ſuis obedientiam, & tam ſeverè exigant, quid Chriſtianis, & viris religioſis facere par eſt? grave fuit imperium, quo Noe juſſus ſecum in arcam inducere omne genus, quamtumvis ferocium belluarum; quis porrò hîc non præſentiſſimum periculum conſiderat? Unde ſi monachus ille, de quo Sanctus Ignatius in Epiſtola, illuſtri exemplo à cæca obedientia commendatur, qui ſuperiore mandante leænam cepit, & adduxit. Longè illuſtriſſimum Noe edidit, qui tot feras in navigium ſuum adduxit, cúmque iis vectari ſuſtinuit: *o Fecit Noe omnia, quæ præcepit illi Deus*. In quem locum Chryſoſtomus: *Ego virtutem juſti admiror, quando conſidero, quomodo potuerit verſari in medio beſtiarum, leonum, pardorum, & immitium ferarum*; Has tamen inter libens commoratur, ne obedientiam violet. Quemadmodum nihil impoſſibile credenti, ita verus obediens nihil impoſſibile ducit. Matth. 14. Petrus

m Tertull. lib. de pœnit. c, 4. n Gellius noct. attic. l. 1. c, 13.

o Geneſ. 6. 22. Mendoza. tom. 2. lib. 2. reg. c, 3. n, 10. annot.

trus per medios fluctus, & tempeſtates ire parat,modò jubeatur: p *Domine ſi tu es*, IUBE *me venire ad te.* Attende quid poſtulet: *jube*: Cur non potius: fluctuantium undarum compeſce tumorem, timorem menti diſcute, & te præſente noctis, & animi diſſipentur tenebræ? Nihil horum; ſed *jube*. Videlicet ſingularis eſt imperantis Domini prærogativa, ut quæ aliàs eſſent impervia, Domino imperante facilia redreddantur. *Iube*; quaſi diceret Petrus: tempeſtatis minas, ventorum turbines, Oceani vortices nihil duco, nihil pertimeſco, dummodo tu jubeas. Perappoſitè Auguſtinus hîc: q IUBEAT *Deus*; *ut poſſit homo, quod non poteſt homo.* Audiant, qui ſi quid ardui, aut honori aut valetudini, aut naturæ repugnans imponatur, dicunt *non poſſum*; id eſt, non volo. Sic ſentit Romanus Philoſophus: r *Toties mihi occurrunt iſti, qui non putant fieri poſſe, quidquid facere non poſſunt, & ajunt nos loqui majora, quàm quæ natura humana ſuſtineat. At quantò ego de illis meliora exiſtimo. Ipſi quoque hæc poſſunt facere: ſed nolunt: non quia difficilia ſunt, non audemus; ſed quia non audemus, difficilia ſunt.* Et alibi: ſ *non poſſe prætenditur, ſed nolle in cauſa eſt.* Celebris eſt hiſtoria, & encomium cæcæ obedientiæ longè illuſtriſſimum, quod de S.P. Ignatio commemorat Ribadineira t. Cùm eſſet, inquit, præpoſitus Generalis, dixit: Si Summus Pontifex imperaret ut ad oſtia Tiberina Scapham, vel navim primo obviam, clavo, malo, velis, remis

p Matth. 14. q Aug. ſerm. 13. in Matt.
r Seneca epiſt. 104 ſ Idem. ep. 5.
t Ribadin. in vita lib. 5. c. 4.

deſtitutam conſcenderem, itáque ſine commeatu mare trajicerem, facerem id animo non ſolum æquo, ſed & libenti. Cúmque Prælatus quidam admirans reponeret: *Quæ iſthæc eſſet imprudentia*? Reſpondit Ignatius: *Prudentia, Domine, non tam eſt parentis, quam imperantis.* Præclarè hoc de argumento Abbas Claravallenſis: v *Imperfectæ, & infirmæ prorſus voluntatis indicium eſt: ſtatuta ſeniorum ſtudioſiùs diſcutere; hærere ad ſingula, quæ injunguntur: Exigere de quibuſque rationem, & malè ſuſpicari de omni præcepto, cujus cauſa latuerit: nec unquam libenter obedire, niſi cum audire contigerit, quod fortè libuerit: vel expedire monſtravit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata ſatis, imò nimis moleſta eſt, hujuſmodi obedientia. Diſputare profectò eſt in actu cordis, non in auditu auris obedire.* Diſputare, altercari, controvertere, murmurare contra mandantis imperium, in nulla republica, in nulla ſeculari, aut religioſa familia locum haberet, ſi æquè ad obediendum, quàm ad credendum cæci eſſemus. Audi, inquit Auguſtinus x, *ipſum Dominum noſtrum, hoc idem dicentem Ioan. 9: ego veni, ut, qui non vident, videant, & qui vident* CÆCI *fiant.* Quæ cæcitas quàm feliciter ceſſerit, attendite. De Columbano id certè fertur memorabile: y cùm in Luxovienſi cœnobio, quod ipſe fundaverat, omnes ferè ægrotarent, eò acceſſit, nec alio uſus eſt medicamento, quàm verbo obedientiæ, quo omnes ad aream vocavit, ad fruges in ſolis æſtu

v Bern. tr. de præcept. & diſpenſat.
x Aug. in pſal. 65. y Platus l. 2. de ſtatu relig. c. 5.

triturandas. Res dura, præſertim tam graviter decumbentibus, qui ne conſiſtere quidem poſſent. Itaque nonnulli prudentiores, videlicet, & oculatiores, lectulo ſeſe detinuerunt; alii cææ obedientiæ ſtudio ad opus ſtatim accurrerunt. Atque hi quidē omnes ita ſtatim omni morbo liberati ſunt, ut ne reliquiæ quidem, aut veſtigium ullum permaneret; alii verò longas tarditatis, differentiæ, ac inobedientiæ pœnas dederunt, toto Anno cum febribus conflictati, ut eos coarguens apertè prædixerat Sanctus Columbanus. Qui non cavilli, calumniæ, detractiones, murmurationes in urbis Præſides, Prætores, Patresfamilias, Superiores, quod iniqua, cruda, crudelia, ab omni ratione, & humanitate aliena, ſubditis onera, & præcepta imponant? unde hæc? niſi quod in Superiore non Deum, ſed hominem infirmitatibus obnoxium attendant. Serviet illis ſuaviſſimum mellei Abbatis monitum: z *Sive Deus*, inquit, *ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt curâ, pari reverentia deferendum.* Atque ita (nos & vos compellat S. P. N.) ſi non hominem externis oculis, ſed Deum inſpexeritis internis; haud ſanè grave fuerit vobis voluntates veſtras, atque judicia conformare, ad eam regulam actionum veſtrarum, quam ipſi elegiſtis. Doctor Seraphicus Tractatu de interiori homine, cap. 4. tradit ſanctiſſimum Patriarcham Franciſcum dixiſſe: *a Ita diligenter Novitio unius horæ obedirem, ſi mihi Guardianus daretur, ſicut antiquiſſimo, ac diſcretiſſimo.* Non alio principio, quàm quod omnibus tradit, dum ſubdit: *Subditus Prælatum ſuum non hominem conſiderare debet, ſed illum, pro cujus amore ſubjectus eſt: quantò enim contemptibilior, tantò magis humilitas obedientis placet.* Hoc ſi religioſæ, & ſanctiores animæ expenderent, non iniquè, aut imprudenter ſecum agi in animum inducerent, dum ea, quæ rationi, & humanæ prudentiæ, ſeu proprio judicio repugnare autumant, imperantur. Recentoria, ſed quæ antiquis non inferiora, ad manum ſunt. b Venerabilis illa Mater Anna de Bartholomæo, intima divæ Thereſiæ, & chariſſima animula, ſeriò excipiens verba Confeſſarii jubentis, digitum in ardentes prunas immittere, illico paruit, immerſúmque in ignem digitum detinuit; quem tamen illæſum ſervavit. c Juſſa quoque, dum ex morbo decumberet, aliis Sanctimonialibus ægrotantibus inſervire, nihil hæſitavit; & Chriſtus ſummus è cœlo Medicus illi apparens, ſubitò ſanitatem reſtituit, aliíſque ipſa quovis languore detentis. Hæc ſi vobis morbo dejectis, Confeſſarius, aut mater imperitaret, quàm imprudentes, quàm rigidi, quàm irrationabiles ejuſmodi à vobis cenſerentur? quæ tamen juxta Dei placitum imperata, & adimpleta, cœleſti prodigio confirmata ſunt.

z Bernard. Tract. de præcepto & diſpenſat. ſub initium. Ignatius Epiſt. obedient. §. 16.

a Bonavent. Tract. de interiori homine, c. 4. b Nierenberg. doct. Aſceticæ lib. 5. doct. 8. c. 52.

c Caeca: obedientia Annæ de ſancto Bartholomæo.

Sic

Sic Ancilla Dei, *d* Levina Stalens, Sanctimonialis D. Bernardi, Patris ſui ſpiritu imbuta, juſſa ſiccam arborem rigare (ut antiqua omittamus) quamvis deriſa à ſuis, quotidie illam bis aut ter per totum omnino ſeptennium rigavit: cujus ſimplicem, & cæcam obedientiam Deus ſtupendo miraculo, arboris inſolito tempore refloreſcentis, & uberes fructus proferentis comprobavit. Non incongruè mihi videntur cæcè obtemperantes; *e* & mare navigantes, inter ſe comparari: ſicut porrò navigantes ſine labore etiam quieſcentes, & dormientes iter ſuum conficiunt, ita & obedientes in via perfectionis, citra moleſtiam, progrediuntur. Ideo à ſancto Joanne Climaco definitur obedientia his verbis: *f Eſt perfecta abnegatio animæ & corporis, mors voluntaria, vita ſine ſolicitudine*, TUTA NAVIGATIO *confectum dormiendo iter.* Magnum & mirum obedientis privilegium, ut etiamſi quieſcat currat: etiamſi ſiſtat, volet: & inter medios hujus mundi fluctus, navi obedientiæ, & divinâ navarchi directione tutus vehatur, unde ab eodem Climaco appellatur *ſecurum periculum.* Omnia tuta obedienti ſunt, imò ipſa in lucrum vertuntur pericula, & detrimenta; nam, ut inquit divus Auguſtinus: *g Iubendo Deus utile facit; quidquid jubendo voluerit. De quo metuendum non eſt, ne non profutura præcipiatur: nec fieri poteſt, ut voluntas propria non gravi ruinæ pondere ſuper hominem cadat, ſi eam voluntati ſuperioris extollendo præponat.* Quiſquis navim conſcendit, & mare navigat, navarcho, aut Archithalaſſo obtemperare debet: ſi ad unam partem navis, aut alteram, in hæc vel illa tranſtra deflectere: ſi à prora ad puppim recedere: ſi ad inferiora ſe recipere jubeatur, obſecundandum eſt, ni periculum, & ruinam ſibi arceſſere velit. Idipſum in navi Eccleſiæ, cujuſvis religioſæ, & ſæcularis familiæ uſuvenit, ubi Præſes, aut Paterfamilias, navarchi vices gerit: cui dum obtemperatur, omnes feliciter navigant, *vaeren al wel.* Quod ut & vobis contingat, ſupremo illi maris Domino, ac navis veſtræ Gubernatori fortunam, ac ſalutem veſtram committite; quemadmodum cum Daniele tres illi in Aula Nabuchodonoſoris Ephebi, qui ſumma tempeſtate jactati: in has voces, teſte Theodoreto, prorupêre: *h Ne ab his malis* (quæ minaris, ô Rex) *temere liberari petimus; ſed ipſi omnem noſtri gubernationem, & providentiam permittimus, & ejus, quod futurum ignari*, GUBERNATORI NOSTRO, *quodcumque illi libuerit*, NAVIM DIRIGENDAM COMMITIMUS. Ac ſi dicerent: ad illum ſpectat gubernare, jubere, omniâque pro libitu diſponere; noſtrum eſt, ipſius juſſis, imperio, & nutibus obtemperare. Quod ſi etiam contingat ipſam navim peſſum ire, obediens ſuperioris fultus auxilio, *i* natatoris inſtar, in portum ſalutis incolumis

d. Nierenberg. cit. e Similitudo navigantis, & obtemperantis. f Climacus gradu 4. g Auguſtin. ſentent. 286. apud Proſperum.

h Theodoret. in Daniel. c. 3. verſ. 15. e Similitudo natantis cum obedire.

emerge[t]

emerget,& *k ſub aliorum ulnas ne mergatur, natabit.* Alexander in medio victoriarum curſu retardatus,cum Niſæ urbis expugnationem aggredi meditaretur,prælabentis interpoſitu fluminis detentus, exclamavit: *l O me omnium miſerrimum! cur non artem natandi didici?* conſimili ratione omnis qui ſe à ſuperioris ductu ſubducit, exclamare poteſt: *O me miſerrimum! cur non artem obtemperandi didici? ubi ſub ſuperioris ulnas, ne mergar, natarem!* dum enim natans alterius ulnis ſuſtentatur, ut caput ſuper undas habeat, facilè in portum enatat. *m* Altera non minus elegans ſimilitudo ab iis, qui in tonſtrina ſunt, mutuatur. Quiſquis ſub tonſoris manu, & novacula eſt, nobilis ſit, aut juriſperitus, aut quamtumvis opulentus, ad nutum ejus dextrorſum, ſiniſtrorſum,ſurſum,deorſum, caput flectat, & obvertat, neceſſe eſt, ſi benè, commodè,& concinnè tonderi velit. Aliàs, ſi obluctetur, nec promptè pareat,à læſione,& vulnere immunis non abſcedet. Sic in domo veſtra, & in omni cœnobio, ſi ſubditi ſub manu ſuperioris, concinnè eos quaſi tondentis, nutui repugnent,grave ſibi incommodum, & malum accerſent; ubi ècontra ſimpliciter obedientes, benè, & concinnè tonſi ſunt,id eſt, ut vernaculâ parœmiâ dicitur: valde contenti ſunt: *Syn al wel geſchoren.* Tandem, ut eò,unde exorſi ſumus, revertamur; divus Paulus in Divinis præceptis non magis rationes, quàm ſi rationis expers, inquirebat: nam ad Romanos ſcribens: *n Sæpe,* inquit, *propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc*; quod expendens Joan. Chryſoſtomus (de quo Iſidorus *o*: Si voluiſſet Paulus in ſuam ad Romanos Epiſtolam ſcribere commentarium, non fuiſſet aliter interpretaturus,quàm fecerit Joannes) ſic ait: *p Vide ſervilis obedientiæ modum,quòd fuerit prohibitus,dicit; quam ob rem autem non item: neque enim examinat Domini mandatum; ſed paret tantum.* Et quidem non deerant dubitandi, & admirandi cauſæ, cur Romam venire prohiberetur, ad illam totius orbis arcem expugnandam, quâ ſemel ſubactâ, facilis ad univerſum mundum, Chriſti imperio ſubdendum, via panderetur; ſed tamen addit Chryſoſtomus: *Nihil horum Paulus curioſè indagat; quin potius incomprehenſibili providentiæ cedit; nos omnes erudiens, à Deo numquam exigendam eſſe eorum, quæ facit rationem; etiamſi ea multorum animos turbare videantur: Domini enim ſolius eſt jubere, famulorum parere.* De incomprehenſibili Sanctiſſimæ Triados myſteria,de maternitate Mariæ, cum virginitatis honore,de mortuorum ſupra omnem captum humanum reſurrectione, nemo fidelium dubitat, diſceptat, aut rationes diſquirit: Arcanum Euchariſtiæ Sacramentum, *q quod non capis, quod non vides,animoſa firmat fides.* Hanc ſanctiſſimus Archimandrita à junioribus, & tironibus in

k Climacus cit. l Peregrini paradox. Tom. 2. pag. 412. m Altera ſimilitudo a tonſoribus petita.

n Ad Rom. 1. cap. 13. o Iſidorus Peluſiota, lib. 5. epiſt. 32. p Chryſoſt. in Epiſt. ad Rom. 1. c. 13. hom. 2. q S. Thom. in hymno.

obedien-

obediendo, jure ſuo exigit, & ſeniores docet: r *Perfecta obedientia eſt maximè in incipiente indiſcreta, Animal diſcretum, novitium prudentem: incipientem ſapientem in cella diu poſſe conſiſtere, in congregatione durare, impoſſibile eſt; ſtultus fias, ut ſis ſapiens: & hæc omnis ſit ejus diſcretio, hæc omnis ſapientia ſit, ut in ſua parte nulla ei ſit.* Quod ut junioribus inculcandum, non minùs tamen ſenioribus, qui hoc ab ipſo tirocinio haurire debuere, neceſſarium eſt. Hanc porrò prærogativam habet inferior ſupra ſuperiorem, quod non poterit in ſuo munere errare. Superior quandoque errare poteſt, & peccare; ſed inferior non poteſt: ſuperior imprudenter jubere; ſed ſubditus nequit imprudenter obedire, niſi dum manifeſtum jubetur peccatum: ſ *Ipſum quem pro Deo habemus*, inquit Bernardus, *tanquam Deum in his, quæ apertè non ſunt contra Deum, audire debemus* Citra hoc poteſt deficere Prælatus præcipiendo; ſed non obediens: quia nequit non facere voluntatem Dei parendo. Eſt undique tuta, & munita obedienti ſecuritas voluntatis divinæ *t*: etſi dum præcipitur, fiat contra voluntatem Dei, nolentis ita præcipi; qui paret tamen, juxta voluntatem Dei operabitur, & interdum cum majori merito. Malus ſuperior poteſt eſſe, & malè jubere; at quia bene obedire ſemper poſſumus, dum non præcipiantur mala, amandus eſt omnis ſuperior, & inſuper tolerandus malus, ubi duplex eſt meritum, charitatis & patientiæ. Aliquando poterit ſubditus putare meliora, aut utiliora animæ ſuæ, quàm quod Prælatus jubet; non tamen ideo debet relinquere juſſa: nam nihil exequetur utilius, quàm ex obedientia abnegare voluntatem, & captivare intellectum, & judicium proprium *in omnibus rebus*, inquit divinus Magiſter, & ſpiritualis Pater Ignatius: *Ubi peccatum non cerneretur, propoſita voluntate, ac judicio ſuperioris pro regula ſuæ voluntatis, & judicii, quo exactius conformentur primæ ac ſummæ regulæ omnis bonitatis & judicii, quæ eſt æterna bonitas, & ſapientia.* Nec hoc peculiare S. P. noſtro judicium, aut Societati præceptum. Suarez de religione, Tom. 4. agens de laudabili ſancti Dominici inſtituto, ſic ait: obedientiæ votum ſatis arduum eſt in hoc Sacro Prædicatorum ordine, de quo declaratur, cap. 15. lit. h. *Declaramus quod Religioſus non teneatur obedire Prælato, quæ ſunt contra præcepta Dei, & Eccleſiæ, &c. in dubiis tenentur omnes obedire.* Unde extenditur ad omne, quod manifeſtam culpam non involvit; ut eſt obedire medico etiam contraria præcipienti. In quo ſuis præivit ſanctus Ignatius, ut alibi *x* diximus: tum quoque in obedientia maximè ardua, qua vita Dei cauſa profundenda; exemplo filii DEI, qui obediens fuit uſque ad mortem, ut ſuaviſſimus Bernardus meditatur: *y Ne obedientiam perderet, perdidit vitam.* Chriſti ſe-

r S. Bernardus ad fratres de monte Dei. ſ Bernard. de precept. & diſpenſ. cap. 12. Nieberg. de adoratione in ſpiritu, lib. 2. c. 12.

v S Ignatius reg. 41. part. 3. conſtit. c. 1. §. 23. x Vide Pantheon. feſto S. Ignatii. y Bernard. ad milites templi. c. 13.

ctatores

ctatores in Societate noſtra habemus illuſtres, qui uſque ad mortem obediunt; quos inter Pater Gonzalus Cardoſus z, cùm in pagum quemdam mitteretur, Franciſco Lupio comite, ut Sacramenta adminiſtraret, noverat per revelationem, ſi illuc iret, ſe occidendum. At nihilominus ſuperiori mittenti dixit: læto, atque hilari animo hoc iter ſuſcipio quoniam obedientia, quæ mihi vita eſt charior, ſuſcipiendum præcipit. Scias tamen, neque me illuc perventurum, neque ad te reverſurum. Ita accidit, in medio itineris ſervus Dei Cardoſus, ſocium monet, inſtare tempus moriendi. Ipſe ſibi ad communem utilitatem fugâ conſulat Hæc vix effatus erat, cùm latrones è ſaltu aggrediuntur illos, & Cardoſum trucidant: *a Et ne perderet obedientiam, perdidit vitam.* Plura ejuſmodi vide apud Nierenbergium citatum. In omnibus ergo quæ nobis imperantur, Paulinum illud uſurpemus: *Domine, quid me vis facere?* has voces quiſquis ex corde uſurpârit, nôrit ſibi dictum illud magni Hipponenſium Præſulis: *Optimus miniſter tuus eſt* (Domine) *qui non magis nititur hoc à te audire, quod ipſe voluerit; ſed potius hoc velle, quod à te audierit.* Atq; ita ceſſabit amariſſima illa melliflui Doctoris querela, dum potius perverſam noſtram voluntatem, quàm divinam ſequi, & cum cæco illo à nativitate, Dei voluntatem ad noſtram detorquere volumus: ut ipſe Dominus percunctari debeat, *quid tibi vis faciam?* unde exclamat: *b Heu! plures habemus Euangelici illius* CÆCI, *quam novi Apoſtoli imitatores! Quid vis, ait Dominus ad cæcum illum, ut faciam tibi? abſit hoc Domine: tu magis dic, quid me facere velis: ſic enim decet, ſic omnino dignum eſt, non meam à te; ſed à me tuam quæri, & fieri voluntatem, &c. Sic profectò, ſic multorum uſque hodie puſillanimitas, & perverſitas exigit, ut ab eis quæri oporteat: Quid vis, ut faciam tibi? non ipſi quærant: Domine, quid me vis facere?* quod quàm deteſtandum, ac execrandum ſit, pro rei indignitate exaggerat idem Doctor *c*, quem ſanctus Ignatius loquentem inducit: diligenter cavendum eſt, ne ſuperioris ullo unquam tempore voluntatem (quam ducere pro divina debetis) ad veſtram detorquere nitamini: id enim eſſet non veſtram divinæ conformare, ſed divinam veſtræ voluntatis normâ regere velle, ejuſdem divinæ ſapientiæ ordinem invertentes. Sanè quàm magnus eſt eror, & quidem eorum, quos amor ſui obcæcavit, obedientes exiſtimare ſeſe, cùm ſuperiorem ad id, quod ipſimet volunt, aliqua ratione pertraxerint. Sanctum Bernardum in hac re præclarè exercitatum audite: *d Quiſquis*, inquit, *vel apertè, vel occultè ſatagit, vel quod habet in voluntate, hoc ei ſpiritualis Pater injungat; ipſe ſe ſeducit, ſi fortè ſibi quaſi de obedientia blandiatur: neque enim in ea re ipſe Prælato, ſed magis ei Prælatus obedit.* Hanc enormem deordinationem, &

z Nierenb. doct. Aſceticæ. lib. 5. doct. 8. c. 58. a Bern. cit. b Auguſt. l. 10. Confeſſ. c. 16.

c Bernard Serm. 1. de converſione S. Pauli. d Epiſt. obediens §. 8.
e Bernard. Serm. de trib. ordin. Eccl. ad Patres in capitulo.

de-

deteſtabilem errorem, ut quiſquis veſtrum execretur, & mandatis Dei, eorúmque quos ſuo loco eſſe voluit, prompta, & cæca obedientia obſequatur, illa beata Seraphim Iſaias in verum & vivum obedientiæ ſymbolum proponit; quæ tametſi exhibeantur ſtantia, nihilominus duabus aliis dicuntur ſe velaſſe, & velut obcæcaſſe, dum alas ad volandum expanderent. Hæc ſi velitis, æmulari, & obvelatis oculis, obedientiæ pennis in cœlum evolare, aut etiam ne volando defatigemini, albis quadrigis evehi poteſtis. Adeſt ſuo ſuffragio Auguſtiſſimus litterarum Pater Auguſtinus, cujus ut intelligamus ſententiam, recolere debemus quæ de Elia ſcribuntur, qui igneo ſublatus curru evolavit in cœlum. Mox ſubjicio quæ breviſſimè quidem, ſed ſapientiſſimè protulit his verbis: e *O ſancta obedientia! tu quadriga, qua Elias vectus eſt in Paradiſum.* Quibus indicat obedientem Dei ſervum, ſine ulla viarum moleſtia, aut corporis, animíque defatigatione, veluti amica, & regia Dei rheda, non ſine commodi levaminis, & honoris adminiculo, in cœlum devehi. Quæ dum dixi, omnia dixi.

e Auguſt. Serm. 7. ad fratres in Eremo.

FESTUM

FESTUM. PURIFICATÆ VIRGINIS MARIÆ.

LUMEN *ad revelationem Gentium*. Luc. 2.



Accendit, & ardet, Ovid. lib. 3. Metam.

ARGUMENTUM.

HOdierna luce Solem juſtitiæ Virgo Mater in templum intulit, qui longa errorum caligine & denſis Gentilium tenebris diſcuſſis, mundo luxit in univerſo. Nec immeritò diem hunc illuſtriorem luminibus, quam cœlum ſtellis

celebrat Eccleſia, quo *a* LUMEN *ad revelationem gentium*, cerei inſtar, in carne mortali *b* ILLUMINAT *omnem hominem venientem in hunc mundum* : nam ut inquit Guarricus Abbas: VERBUM *in carne*, *quaſi* LUMEN *in cera* : quia in uſus noſtros Deus totus conſumi,&colliqueſcere viſus eſt. Accedit ut dum omnes manibus cereos præfertis,vitam veſtram his conſimilem memineritis: ut enim cereus hoc ipſo momento quo ardere, hoc conſumi incipit, ita inquit Auguſtinus: *c Vita quantò magis creſcit, tantò magis decreſcit: quantò magis procedit, tantò magis ad mortem accedit.* Altera proprietas eſt, ut minimo vento cereus accenſus extinguitur, niſi cautè cuſtodiatur; ita majori cautela invigilandum, ne lumen gratiæ,& Spiritus extinguatur, ac moribundi fœtidam animam exhalemus: Sed *VIta hVMana Vt CanDeLa*, candida ſit. &c. Tandem vos adhortabor, ut ritu Eccleſiæ, cereos non diabolo, ſed Deo, Deiparæ, ac ſanctis accendatis,

§. I. *Vita mortalis, cerei inſtar conſumitur, & extinguitur, juxta illud Pſaltis*: SICUT CERA, QUÆ FLUIT, AUFERENTUR. *Pſ.* 57.

§.II. *Chriſtum*, LUMEN AD REVELATIONEM GENTIUM *ſcitè per cereum ſignificari.*

§.III. *Origo cultus, Deo, Deiparæ, ac cœlitibus cereos offerendi, contra Vigilantium, alióſque Hæreticos, lucis oſores.*

b Ioan. I. Guarric. ſerm. de purif. c Aug. ſoliloq. c, 2, d Luc. 2.

FE-

FESTUM

PURIFICATÆ VIRGINIS MARIÆ.

LUMEN *ad revelationem gentium.* LUC. 2.

QUàm ſit omnibus optata lucis uſura, quàm jucundus Solis aſpectus, quàm acceptum tempus eluceſcentis diei, teſtatiſſimum nobis præbet argumentm gens Borealis, de qua hæc recenſent veterum annalium monumenta: hæc gens ſub frigido cœli climate conſtituta, per ſemeſtre degit in Solis deliquio, atque adeò per ſex ſolidos menſes, omnes & Solis aſpectu privati, & divinæ lucis deſtituti beneficio, in teterrima cæcæ noctis caligine, atro tenebrarum horrore circumfuſi, veluti in cavernoſo ſpecu, ac ſpelæo, vitam ſummo cum tædio, luctúque traducunt. Proh quanta triſtitia, imò & mærore confici illos oportet, quibus nunquam per tot dierum curricula, vel cœlum albeſcit, vel aurora fugatis tenebris rubeſcit, vel diluculum dubia luce rutilat, vel Sol exoritur! Solis tam lentas moras, non ſine intemperanti quadam animi ægritudine, ſuſtinent hi populi, & lucis aſpiciendæ impensè cupidi, tanto Solem præſentem expetunt deſiderio, quanto abſentem pertulerunt faſtidio. Illi igitur, cùm jam poſt diuturnam ſex menſium noctem, imminere intelligunt tempus, tanto ambitu expetitum, quantâ patientiâ expectatum, quo Princeps ille luminum benigno ſuo ſidere, ac ſideris optatiſſimo fulgore, iis eſt oriturus; omnes incredibili cum lætitiæ aparatu, Soli occurrere ſatagunt. Conſcendunt enim altiſſima montium juga, alii excelſiſſima turrium faſtigia, alii ſumma ædium tecta, alii ſublimes in edito loco ſpeculas, omnium oculi in magnum illum mundi oculum Solem, ſunt converſi, ac ſi non expectarent oriturum; ſed jam ſpectarent exortum. Aſt illi è ſpeculis, ut primùm albeſcere lucem aſpiciunt, quando ſenſim diſcuſſa caligine, cœlum modicè diluceſcit tunc ſubitò è montibus exoriri clamor, è ſummis cacuminibus exaudiri plauſus; læto omnia reſonare tumultu, acclamare omnes; adeſſe lucem, rubere auroram, oriri diem, redire Solem. Tum demum omnes pulſo cum tenebris mærore, exultare gaudio, geſtare lætitia, choreas agitare, inflare undique tubas, & lituos, pulſare tympana, effundere ſe in omne genus hilaritatis, Soli orienti occurrere, & triumphali clangentium buccinarum ſono, Solem non tanquam ex altero cli-

climate reducem, ſed ab ipſo veluti funere accipere redivivum. Tantus amor lucis. O quàm tetra, quam fœda, quam acerba, quam luctuoſa toti mundo olim incumbebat nox! fuit tunc mortalibus omnibus quædam ſcelerum effuſa caligo; ut, quoniam honeſtæ vitæ fundamentum, quod eſt in perſpicua, miniméque fallaci Divinarum rerum cognitione poſitum, illis deerat, in vitiorum teterrima colluvie, fœditatúmque omnium pelago eſſet immorandum. Inde tot diſſidentium Philoſophorum ſententiæ, tot ſacrorum partim nefariæ, partim ridiculæ ceremoniæ, tot placandorum numinum auguria, tot rerum gerendarum auſpicia, tot gentium, támque varia jura, tot hominum Divinitatem ſibi affectantium millia, tot ſcelerum monſtra, tot libidinum portenta, tot bellorum clades, tot cæſorum ſtrages, tot Regnorum excidia, tot urbium everſiones, tot denique, tàmque inaudita virorum, ac mulierum flagitia, & ſupplicia emanârunt. Sed inter hæc tot, tanta, tam pudenda flagitia, quorum vel ipſam propè pudebat impudentiam, principatum obtinebat Idololatria: Proh quale protentum! quod ex omnium errorum ac ſordium colluvione conflatum excitavit ambitio, concepit impietas, ſuperbia genuit, educavit luxuria, auxit libertas ſcelerum, confirmavit impunitatis ſpes, crudelitas pavit, ac perfidia, dominandi libido florere fecit, in legum contemptum, Religionum violationem, pacis, ac ſalutis omnium excidium. O ultimum inferorum portentum! cujus meminimus, ut execremur, de quo loquimur ut deteſtemur. Sed date hoc mihi ut luctuoſiſſima illius calamitoſi temporis facie, liceat oculos, cogitationémque avertere, & ad Solis orientis tam lucidum, quam beneficum ſidus, convertere. In illa tam diuturna 40 ſæculorum nocte, qua totus hic orbis fuerat circumfuſus, in illa horrida caligine, quæ umbra magna omnes involvebat, tot ſanctimonia conſpicui Patriarchæ, tot Divino Spiritu afflati Vates, tot Corona inclyti Reges, tot virtutibus illuſtres matronæ, velut è ſpeculis excubitores, velut è montibus vigiles, Solem oriturum præſtolabantur, Chriſtum naſciturum exſpectabant. Interim toties ille luminum moderator Sol, eclipticam ſuam metiebatur, & remetiebatur; & nuſquam lumen: toties cœlum per annuas orbitas volvebatur, & nuſquam lumen; toties luna nocturni temporis gubernatrix irrequietis curſibus menſtruos orbes confecerat, & nuſquam lumen; clamant omnes, vociferantur ſinguli, interrogant univerſi, quod illi apud Iſaiam *a Cuſtos quid de nocte, cuſtos quid de nocte?* oritur tandem ſexta mundi ætas, & cum illa omnis felicitas. Reſpondet interrogantibus Iſaias *b. Surge, illuminare Jeruſalem quia venit lumen tuum*, evaneſcant tenebræ, diſſipentur umbræ, proſcribatur nox, fugetur caligo. *Venit lumen.* Conferant ſeſe ad ſua luſtra feræ, ad ſpelæa hydræ, ad cubilia leones, *c venit lumen, Nox præceſſit, dies autem appropinquavit:*

a Iſa.21.11. b Iſa.60.1. c Rom. 13.12.

quavit: quódque olim Iſaias vacinatus eſt, adimpletum eſt: *Quia populus qui ſedebat in tenebris* (*Idola & dæmones colebat*, interprete Chryſoſtomo) *vidit lucem magnam*: *& ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Quæ non ſolum in ortu ſuo totum orbem illuminavit, & ſcelerum noctem profligavit; ſed hodie templum, & domum Domini, Templi Dominus, mirabiliter illuminans, omnes profanos ritus, diabolicas ceremonias, & idololatriæ præſtigias, ſua luce expiavit. Unde venerandus ille legis novæ Vates, in ſumma æde, in edita ara, quaſi ex alta ſpecula, hunc lucis auctorem contemplatus, exclamavit: *e Lumen ad revelationem gentium*, *& gloriam plebis tuæ Iſrael.* De quo magis nobis exultandum, & in omnia lætitiæ ſigna prorumpendum, quam populo Judæorum, dum à nefaria Amani Tyrannide, in libertatem & incolumitatem reſtituto, *f nova lux oriri viſa eſt*: gaudium, honor, & tripudium apud omnes populos & urbes, atque Provincias: mira *g exultatio, epulæ, atque convivia, & feſtus dies*; hoc autem *lumen indeficiens*, quod hodie Simeon manibus geſtavit, illa *lux mundi*, & *Sol juſtitiæ* increatus, cùm mortalibus oculis, & caliganti acie humana conſpici nequeat, *hodierna die in noſtræ carnis ſubſtantia*, *in templo præſentatus*, ſimilitudinem quandam Cœleſtis cerei & ſacratiſſimæ candelæ, ut ſanctorum Patrum evincit auctoritas, expreſſiſſe videtur. Quod antequam probare aggredior, movent me, quos manibus geſtatis cerei, ut prius cujuſque hominis vitam corporis, quàm animæ candelæ ſimillimam oſtendam. Ut ſi cujus lumen gratiæ, & Spiritus exſtinctus; ad hoc lumen indeficiens accendatur.

d Matth. 4. v. 16. Chryſoſt. in Matth. hom. 6. e Luc 2. f Eſter. c. 8. g Eccl. 24. Malach. 4.

§. I.

h Vita mortalium Cerei *inſtar conſumitur & extinguitur, juxta illud Pſaltis: ſicut cera quæ fluit, auferentur.* Pſal. 57.

Ex omnibus typis, & ſymbolis, quibus ſapientes vitam mortalium adumbrârunt, præclariſſimam mihi ſimilitudinem excogitâſſe videntur, qui per cereum ſeu candelam, illam emblematicè expreſſerunt. *i* Primò quidem vitam naturalem & mortalem, quia inſtar cerei, corpore & cera, ſenſim colliqueſcente: Lychno id eſt anima, flammula, id eſt, calore vitali, conſtat. Et quemadmodum candela, primo, quo accenſa eſt, momento, paulatim ceram depaſcitur, & conſumit; haud aliter homo, quo vivere cœpit, mori incipit, ut more ſuo ſolerter Seneca *k*: *Quotidie morimur: quotidie enim demitur aliqua pars vitæ; & tunc quoque cùm creſcimus, vita decreſcit*: Sed magnam ſubtiliſſimus Doctor Auguſtinus ſuo dignam

h Vita corporis cum cereo comparatur. i Prima conditio Cerei, quod eo ipſo, quo accenditur, conſumit, & extingui incipit. k Epiſt. 24.

ingenio hîc quæſtionem, difficulter ſolvendam, movet lib. 13. de civit. c. 9. 10. 11. quodnam ſit tempus, in quo propriè, & verè homo mori dicitur? Quodnam illud tempus, quod aſſignat ſapiens *l*: *tempus moriendi?* quod ſi exactè perpendas, difficulter invenies. Nam aut homo vivit, aut non vivit, inter quæ non eſt medium. Tempore quo vivit non moritur, quia vivere & mori contraria ſunt; Tempore autem quo non vivit, non moritur, ſed mortuus eſt. Simul autem vivere & mori, non minùs impoſſibile videtur, quam ſimul dormire, & vigilare: videre, & cæcum eſſe. Auguſtinum audite *m*: *abſurdum eſt*, inquit, *ut hominem, antequam ad mortem perveniat, jam eſſe dicamus in morte, quia nimis eſt inſolens, ut ſimul & vivens eſſe dicatur, & moriens; cum vigilans & dormiens, ſimul eſſe non poſſit. Quærendum eſt ergo, quando erit moriens? etenim antequam mors veniat, non eſt moriens, ſed vivens; cùm verò mors venerit, mortuus erit, non moriens. Quando itaque ſit moriens, difficilè definitur*: Quando mori incipiat, non facilè explicatur. Quod multis vanum & inſanum videbitur quærere, cum nemo adeò rudis, & ignarus ſit, qui non videat, quando homo incipiat mori, cùm ſigna & indicia, & judicia medicorum manifeſta ſunt. Dum lethali morbo, maligna febri correptus, vel ſenio confectus, calore naturali & ſpiritibus vitalibus conſumptis, depoſitus à medicis, arteria non amplius micat, manus non operantur, pedes frigent, oculi fracti, extremus ſpiritus hæret in labris, & cereus vitæ jam propè conſumptus eſt. (*als die keerſe inde pyp brant*) tunc rectè, & verè de illo dici poſſe, quod Regulus de filio depoſito: *incipiebat enim mori*; atque in eo mortis articulo, veſtro omnium judicio, is rectè nuncupari poteſt, moriens. Qui ſic ſentiunt, ſe illo dumtaxat tempore incipere mori, quo jam vel morbo dejecti, vel ſenio confecti, vel à medicis depoſiti, animam agunt; ii graviſſimè hallucinantur, & falluntur, dum dicunt: *n* *Moriens* ille teſtatus eſt & illis atque illis illud atque *illud moriens dereliquit* cum nec teſtari, nec legare, nec dare, niſi vivens poſſit: ſic enim ſubdit: *Quamvis hoc quiſquam niſi vivens, omnino facere non poſſet. Sed hoc eſt, quod dixi, explicari aliqua locutione non poſſe.* Scire ergo vultis, quando homo incipiat mori, ſic concludit Hipponenſis Antiſtes *o*: *Ex quo quiſque in iſto corpore morituro eſſe cœperit, numquam in eo non agitur, ut mors veniat: nemo eſt qui non ei poſt annum ſit propinquior, quàm ante Annum fuit: & cras quàm hodie: & hodie, quàm heri: & paulò poſt, quàm nunc: & nunc, quam paulò antè; quoniam quidquid temporis vivitur, de ſpatio vivendi demitur, & quotidie fit minus, minúſque, quod reſtat.* Similitudinem inducit Huſſæus Vates *p* à veſtimento; dum dicit ſe & nos conſumi, *quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea*; hoc enim non, dum omnino corroſum, ſed cum primo rodi incipit conſumitur. Uti & veſtis, qua in-

l Eccl. 3. v. 2. m Aug. l. 13. de civit. c. 11.

n Aug. cit. o Aug. l. 13. de civi c. 10. p Iob. 13. v. 28.

due

dueris, non dicenda, tum ſolum conſumi, dum omnino attrita, & fiſſuris ſcatet; ſed primo die, quo eam indutus es, & cap. 7. q *Dies mei velocius tranſierunt, quàm à texente tela ſucciditur; & conſumpti ſunt, abſque ulla ſpe.* Expende: *conſumpti ſunt.* Fila, ex quibus vita contexitur, ſunt dies, & horæ, quas tempus currens velociùs ducit, quam lanceola texentis ducit filum; hac tamen differentia, quod cum tela contexitur, manent fila; ſed cùm vita noſtra contexitur, non manent dies nec horæ, ex quibus illa coaleſcit: *conſumpti ſunt*, inquit, *ſine ulla ſpe.* Non poteſt homo nocte retexere, quod die contextum eſt, ſicut Penelope faciebat. Sed *conſumpti ſunt*, à primo inſtanti, quo quis vitam auſpicatus eſt. Hinc errant, qui dicunt de viro quinquagenario, ſexagenario: ille quinquaginta annos habet, iſte ſexaginta habet: quia non habet, ſed *conſumpti ſunt*; ſicut qui è nonaginta nummis, conſumpſit 50, non poteſt dici habere illos quinquaginta nummos, quia conſumpti ſunt. Alteram ſimilitudinem perappoſitam adfert Seneca r: *Quemadmodum clepſydram non extremum ſtillicidium exhaurit; ſed quidquid ante defluxit; ſic ultima hora, qua eſſe deſinimus, non ſola mortem facit, ſed ſola conſummat. Tunc ad illam pervenimus, ſed diu venimus.* Agit de clepſydra veteri, quæ per ſtillicidia tempus metiebatur. Sit unius horæ; quæro quando illa hora ad finem vergere incipit? eo ipſo, quo primò gutta defluit; idem in arenaria, eo ipſo quo prima arenula decidit. Quæ proprietates omnes cùm præclariùs reluceant in cereo, aliáſq; vitæ humanæ vivaces ſimilitudines complectatur, & omnium oculis objiciatur, in verum, ac vivum ſymbolum propoſui. Primò, ut diximus, quia homo vivendo moritur, ſicut cereus ardendo conſumitur, & ſicut primo inſtanti, quo candela ardere incipit, extingui incipit; ſic vita humido radicali, velut cera, ſenſim deficiente conſumitur. Ut ſcitè tali cereo ſubſcribi poſſit: ſ *Vita quæ quantò magis creſcit, tantò magis decreſcit; quantò magis procedit, tantò magis ad mortem accedit.* Et quibuſdam ex hic ſtantibus, jam propè conſumpta eſt. Quam per illuſtrem mortis indies appropinquantis memoriam, utinam ſtudioſi, ac viri litterati ad candelam lucubrantes: mercatores in multam noctem vigilantes: Religioſi nocturnas laudes Deo cantantes, vóſque omni veſpere in cubilibus ad candelam garrientes, ludentes, edentes, bibentes, attenta mentis cogitatione expenderetis: t *Quantum à funere abſint, qui ad cereos vivunt.* Quàm honeſtè etiam in nocte, quaſi in die ambularetis (quàm omnia opera veſtra non tenebrarum, ſed lucis plena eſſent.) Hanc ergo hodierna luce, à cereo, quem manibus geſtatis, lucem mutuate, vitam hominis cereo ſimillimam eſſe. Nam, ut inquit Theophilus Raynaudus gravis Theologus, & omni ſcientiarum genere expolitus: apud Pſaltem Spiritus Sanctus hominem diſertè cum cereo collocatum voluit,

q Iob. 7. r Epiſt. 24.

ſ Auguſt. ſoliloq. c. 2. t Seneca Epiſt. 122.

verbis illis: *v Sicut cera, quæ fluit, auferentur:* cera enim quæ fluit, idem eſt, quod cereus; nam cera in cereum non conformata, etiam ſi fluit à facie ignis, non tam perit, & abſumitur, atque adeò propriè non *auferetur*? ſed ea tantum, quæ igni in pabulum cedit, quia illita eſt, & oppoſita myxo. Dilucidè ad rem noſtram apis Claravallenſis, Doctor melleus *x: Accenditur cereus, non purum lumen eſt; ſed lucerna* (id eſt candela) *ſiquidem ignis ipſe propria fomenta conſumit, nec niſi ipſa conſumptione fovetur: porrò deficiente materia, etiam ipſe deficiet: & ubi illam videris prorſus exuſtam, hunc quoque nihilominus extinctum eſſe reperies.* Itaque inſtar cerei *y quotidie morimur: quotidie enim demitur aliqua pars vitæ & tunc quoque, cùm creſcimus, vita decreſcit,* & dies qui præterierunt, *conſumpti ſunt abſque ulla ſpe.* Et tamen invenire eſt, qui ubi gravi periculo, è tempeſtate erepti, jactent ſe novam vitam auſpicari; ubi quis è lethali morbo aſſurrexit, clamat ſe incipere jam primùm vivere: ubi alter opulentam uxorem duxit, divitem hæreditatem adivit, pingue beneficium adeptus: jam, inquit, vivere incipio; & non computat dies & annos qui conſumpti ſunt; non attendit candelam vitæ ſuæ jam propè ad dimidium, ad extremum perveniſſe. Ejuſmodi aptè mihi inſtruendi videntur documento, quod tradit Eccleſiaſtes Italus Gabriel de Inchino, qui vitam hominis dolio vini ingenioſè conferre non dubitavit: venit famulus, aut promus condus, & dicit hero dolium exhauſtum, non amplius fluere: miratur is, & impoſſibile aſſerit, adhuc dimidium ſupereſſe; opus tantum eſſe, ut vas ſublevetur: fit, & ubertim fluit, æque ac cùm primò depromptum eſſet. At ſtultum eſſet dicere, illud de novo incipere fluere, & exiſtimare vas plenum eſſe, ut antè, nec quidquam ex eo conſumptum. Ita longè ſtolidiores ſunt, qui poſt 20, 30, 50, annos conſumptos, ſe novam vitam auſpicari dictitant, & autumant. Multò craſſiùs errant, & gravius falluntur, qui hic vivunt, quaſi ſemper victuri, quam opinionem deteſtans Hieronymus ait: *z Quotidie morimur, quotidie immutatur,* (& conſumimur inſtar cerei) *& æternos nos eſſe credimus. Sentiſne, obſecro te, quando infans, quando puer, quando juvenis, quando robuſtæ ætatis, quando ſenex factus ſis? hoc ipſum quod dicto, quod ſcribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur* (ſicut de cereo, ad quem ſtudeo) *quot puncta notavi, tot meorum damna ſunt temporum. Scribimus, atque reſcribimus, tranſeunt maria epiſtolæ, & ſcindente ſulcum carina, per ſingulos fluctus, ætatis noſtræ momenta minuuntur.* In hoc differimus à candelis, quę vel naturali artificio, vel dæmonis præſtigio, vel divino miraculo, ſupra mille Annos arſerunt, inextinguibiles & inconſumptibiles perſtiterunt. Elucet hic præ ceteris lucerna Tulliolæ, Marci Tullii Ciceronis filiæ, *a* quæ notiſſima fuit, & Patrum noſtrorum ætate, Romæ in via Appia, è regione con-

v Pſ. 57. Raynaud. Chriſtus, Deus homo lib. 3. ſect. 3. c. 5. nu. 343. x Bernard. Serm. 1. de diverſis. y Seneca Epiſt. 24. Iob. 7.

z Hieron. Epiſt. 3. ad Heliodor. a Licetus de antiq. lucernis, lib. 1. c. 2. Pancirolus lib. memoral, c. de oleo incombuſtibili.

conditorii M. Tullii Ciceronis, Paulo Tertio Pontifice Maximo reperta, ab ingrediente novo aëre, ultra mille quingentos annos ardens, extincta eſt. Quod tum ex litteris lapidi inſculptis: *Tulliolæ filiæ meæ*, tum etiam plenè innotuit ex cadavere ſervato adhuc integro, cum capillis ad ea uſque tempora implicitis, irretitíſque aureo retinaculo; cujus rei fidem, ut varii eluere conati ſint, & pro fabula venditare, ſolidè probat, oculare viri præclari teſtimonium: fuit is eques Beltramus, qui Patavii diem obiit initio ſæculi noſtri. *b* Dicebat ille, cùm eſſet Ephebus Cardinalis Eſtenſis ſenioris, Romæ ſedente Paulo III. ſe interfuiſſe, dum quodam die venerunt aliqui ad Cardinalem, referentes nocte ſequenti, ne frequentia populi turbaret, per operarios, apertum iri ſepulchrum, è regione Conditorii Ciceronis, in via Appia recens detectum, quod exiſtimaretur eſſe Tulliolæ, ipſius filiæ, non vanis conjecturis: ſi luberet ſuæ Dominationi Illuſtriſſimæ intereſſe, adventum ejus exſpectatum iri: Cardinalis accepta conditione, ſub horam noctis tertiam, aſſumpto nobili cubiculario, & ſe puero Ephebo, facem ceream accenſam præferente, pervenit ad locum, ubi dum aperiretur ſepulchrum, vidit extingui lucernam ardentem; quam extingui pariter ſe vidiſſe teſtabatur frequentiſſime eques Patavinus, dum ſe offerret occaſio loquendi de rebus conſimilibus. Fuit & alius de viſu teſtis Joannes Baptiſta Caſalius Romanus, hæc ad verba referens: non præſcribo hic aliquid recenſere de aliquibus lucernis perpetuò repertis accenſis, non ſolùm ſæculis præteritis, verùm etiam temporibus noſtris in Catacumbis, ſeu Cryptis Sanctorum in urbe, ac etiam in aliis prophanis locis, ut de ſimili reperta in fano Veneris, D. Auguſtinus *c* refert, dicens: *Id potuiſſe ſuccedere vel arte dæmoniaca, vel quòd in lucerna illa Mechanicum aliquod ex lapide asbeſto, ſeu carbaſio, ars humana molita ſit*: & huic poſtremæ opinioni ſubſcribit Albertus Magnus de mineralibus, cum aliis. Asbeſtum incombuſtibile & inconſumptile eſſe, teſtantur mappæ, quæ in ignem conjectæ, velut lixivio expurgatæ nitidiſſimæ prodeunt, ut variis hiſtoriis Licetus probat; & ipſe vidi (& noſtri uſi ſunt pro myxo lampadis, ſeu candelæ) conſtanter arſiſſe, nec in minimo conſumptum fuiſſe. Joannes Ludovicus vives *d* in ſuis commentariis ad libros D. Auguſtini de civitate Dei, aſſeveravit, non ſolum ſe unâ cum Petro Garſia Laloo, Pariſiis vidiſſe permulta ellychnia ex lino vivo, cui *Asbeſton* Græci nomen indidere, quod incombuſtibile ſit; verum etiam erutum eſſe ſepulchrum memoria Patrum, in quo ardebat lucerna condita ibi, ut ex inſcriptione apparebat, ſupra milleſimum & quinquageſimum annum, eáque tota extemplo, ut contrectari cœpta eſt, inter admotas manus friata, in tenuiſſimum abiit pulverem. Hæc vir inſignis, cui ſubſcripſere Majolus Epiſcopus,

b Licetus lib. 5. c. 4. pag. 544.

c Auguſtin. lib. 21. de civit. c. 6.
d Ioan. Vives comment. in lib. 21. c. 6. de civit. Dei. e Majol. colloq. 22.

Joannes Langius in ſuis epiſtolis Medicinalibus, aſſerens non deeſſe admiranda exempla, quibus perpetuitas ignis ſtabiliri queat. At perpetuitas, ſeu immortalitas vitæ humanæ, nulla artis naturalis induſtriâ, aut necromantiæ verſutiâ acquiri poteſt; ſed omnes mortales naſcimur, & inſtar cerei conſumimur,& extinguimur; fallaces itaque ſpes eorum, qui hîc glandes ſerunt, & mauſolea moliuntur, quaſi ſæcula, & mille luſtra victuri, nec expendunt illud Hieronymi *f*: *Quotidie morimur, quotidie immutamur, & æternos nos eſſe credimus.* Hactenus de naturali morte, quæ hominem ſenio confectum, vitali calore, & corpore velut cera conſumpto, candelæ inſtar extinguit. Sed quotuſquiſque tam diu vivit, & ſic moritur? ne ex millibus unus. *g* Altera itaque cerei, cum vita noſtra proprietas, eſt, quod quandoque vix accenſus, alîus vix ad dimidium conſumptus, minimo oris flatu, aut immiſſo per rimam vento, aut etiam violenta manu emuncta, extinguitur; ſic & vitam compluribus, peſtifer aëris afflatus, noxius halitus, crudior aura, ventus aſperior extinxit. Quot parvuli vix in lucem editi, levi vento, repente extincti, *h de utero tranſlati ad tumulum?* Quot juvenes, ne adultam ætatem adepti, ſubito extincti ſunt? fumus aut vapor candelæ recens extinctæ, fæminis prægnantibus, non ſemel, & ipſi fœtui vitam abſtulit. Sic Jovinianus Imperator ſub ipſum imperii Orientis auſpicium in cubili, recenti calce obducto, pruinis fortè ad exſiccandum adhibitis, noxio utriuſque vapore, teſte Hieronymo *i*, extinctus eſt. Sic vapor, ſic levis aura nocet, & necat. Innumeri inſtar candelæ, minimo vento, catarrhum, pleuritidem, colicam, aliúdve malum contrahentes, exſtincti ſunt. Et quorum veſtrum candela, quam manu geſtatis, primum exſtinguenda ſit, quis aſſerat? idem de vita cogitate. Alii dum litibus, debitis, extorſionibus, jacturis famæ, filiorum, fortunarum, velut violenta manu emuncti ſunt, ſimul extincti ſunt. *k* Verum enimverò contra hoc quod diximus, vitam inſtar candelæ, levi vento extingui, munire ſe nituntur puellæ teneriores, domicellæ, ac delicatulæ matronæ, quæ intra cubilis penetralia feneſtris, ac rimis probè occluſis, & cortinis obductis ſeſe abdentes, crudiori auræ, aſperiori vento ſe exponere reformidant, ne vita extinguatur; ſed iis accidit, quod candelæ etiam in clauſo cubili, ut myxi aliquis nodus (furem vocant) inflammatus, brevi totum cereum depaſcatur & conſumat. Intus ſæpe malum latet; pravus humor, cancer, vehemens apprehenſio, melancholia, zelotypia, effrenis paſſio hominem depaſcitur, & mors *l ſicut fur in nocte*, candelam extinguit. Diſcite mortales, quàm vita veſtra evanida ſit, & à cereo, quem indies præ oculis habetis, lucem hanc ſalutiferam accipite, quàm brevi & facili negotio extinguendi ſitis: ac quemadmodum & quoties candelam, ſic vitam hominis extingui recordamini.

f Hieron. Epiſt. 3. ad Heliodor.
g 2. Conditio candelæ. h Iob. c. 10. v. 19.
i Hieron. Epiſt. ad Heliodor.
k 3. Conditio. l 1. Theſſ. 5. v. 2.

Quod

Quod divino prodigio confirmatum reperio, Anno 1612. die 27. Septemb. quo Cracoviæ exinctus eſt Pater Petrus Scharga Societatis Jesu. *m* Hic à ſacris concionibus erat Stephano Regi Poloniæ: & Virgini Matri addictiſſimus. Paulò ante obitum, *cereum* ex virgine cera manibus ſuis confecerat; quem ad Deiparam Ceſcovienſem, ibi celeberrimam dono miſit, ut ante ejus ſacram Imaginem arderet. Mirum dictu, obſervatum eſt, eodem tempore deſiiſſe lucere, quo Pater Scharga extinctus eſt: qui nobilium humeris, cum inſigni ſanctitatis opinione elatus eſt. *n* Quid hic cereus lucere deſinens, dum Pater vivere, aliud denotat, quàm vitam mortalium inſtar cerei extingui? altera vita ſpiritualis, animæ vita gratiæ, vita cœleſtis, vita planè divina, cujus lux & flammula in ſacramento Baptiſmi, in animis cujuſque accenſa fuit; quod deſignat cereus accenſus, qui eximio teſte Bellarmino, *o* datur Baptizato in ſignum fidei, & gratiæ acceptæ, & quod ſit tranſlatus, à poteſtate tenebrarum, ad lumen & ſortem Sanctorum. Candela igitur parvuli manui inſeritur, in ſignum, quòd novam vitam auſpicetur, & gratiæ lumen in anima accendatur. Ita ut, ſi quis 10, 20, 30, annis gentilis idololatra, hæreticus exſtiterit, ut Auguſtinus, aliíque plurimi, non prius ſpiritualiter vivat, & inſtar cerei, luce gratiæ accendatur, quàm ipſo momento, quo baptiſmi fonte luſtratus, & cereo in manus inſerto, lumen fidei ſuſcepit. Meminit hujus ceremoniæ Gregorius Nazianzenus in ſanct. Lavac. Aureè Chryſoſtomus *p* in illud Pauli: *Spiritum nolite extinguere*, ſic ait: *fuimus aliquando tenebræ; ſed dedit nobis Deus præclaram lampadem, ut qui Spiritus Sancti gratiam, in noſtris animis accenderit. Hanc verò lucem, alii quidam acceptam ſplendidiorem fecerunt, ut Petrus, ut Paulus, ut omnes Sancti*; qui per bona opera, & merita velut ceram addiderunt, quo velut pabulo, flamma gratię augebatur. *Alii autem eam extinxerunt, ut quinq; virgines* (fatuæ) *ut qui circa fidem naufragaverunt, ut qui Corinthi eſt ſcortatus, ut Galatæ averſi. Propterea dicit Paulus: Spiritum nolite extinguere, hoc eſt, gratiam*, per quam anima verè ſpirat, & vivit. Hinc omni curâ, cautelâ, & ſolicitudine, lumen in Baptiſmo acceptum, uſq;ad mortem conſervare debemus, ut cum illo, venienti Sponſo occurramus. Sed dolendum, & amariſſimis lacrymis deflendum, hoc lumen cœleſtis gratiæ, in quibuſdam ſub primum rationis uſum, anno ætatis 9, 10, 12. fœdo inter corruptos pueros, aut etiam provectos nebulones flagitio, non rarò exſtingui; *q gratiam enim extinguit vita immunda*. In aliis jam adoleſcentibus, in viris, in ſenibus exſtinctum eſt. Quia, ut ait idem aureus Orator, *omnis mala actio extinguit hanc lucem*. Quoties in ſacramento pœnitentiæ rurſus accenſum, denuo reſtinctum eſt? in hos cadunt graviſſimæ illæ

m P. Balinghem. Calendarium Marianum 27. Sept. num. 6. n Altera, vita animæ cum cereo comparatur. o Bellarm. in controverſ. Tomo lib. 1. de Bapt. c. 27.

p Chryſ. in 1. ad Theſſ. c. 5. hom. 11. q Chryſoſt. cit.

minæ: r *Quia charitatem primam reliquiſti, movebo candelabrum de loco ſuo*; id eſt, ut Andreas Cretenſis exponit: *Nudabo te gratia.* Cereum, ſeu candelam nemo facilè aperto aëre, Aquilone acriùs ſpirante, ardentem manu circumferat, quin extinguatur; quin vel minimus per rimulam ventus immiſſus, flammam rapiat. Et eheu! quoties Aquilo adverſitatis, turbo paupertatis, ventus urens ardentioris, ac diuturnioris febris, per impatientiam, diffidentiam, murmurationem, deſperationem, blaſphemiam, in vobis lumen gratiæ extinxit? quoties inter concives, vicinos, propinquos, inter famulos & ancillas, inter virum & uxorem, maledicæ linguæ flatu, aut turbine litigii exorto, ſpiritus charitatis, & vita gratiæ extinguitur? vidiſti quandoque in atrio, aut cubili, ventorum turbine per januas, aut per feneſtras irruente, candelam totam liquari, & extingui; quid remedii; alteram è feneſtris, aut januam claude. Quâ ſimilitudine uſus Præſul Antiochenus ſ, ait: *Te quis contumelia affecit, maledicto appetivit, os claude: nam ſi aperueris, ventum excitas, & ventilas. Non vides in ædibus, quando ex adverſo ſteterint duæ januæ* (ſeu feneſtræ) *ſitque ventus vehemens, ſi alteram clauſeris, nihil valet efficere flatus. Ita & hic duæ ſunt januæ: os tuum, & os illius, qui te contumeliis, & conviciis, & calumniis proſcindit* (viri vel uxoris) *ſi tuum occluſeris, omnem illum flatum extingues, & lumen* charitatis, ac gratiæ conſervabis, nec ſpiritum extingues. O quoties animæ vagæ, per plateas & compita liberius diſcurrentes ad ſpectacula, ad convivia, ad tripudia, ad licentiora Juvenum, ac virorum conſortia expatiantes, lumen illud gratiæ diviniſſimum, in ſe reſtinctum agnoverunt! Heu quoties levis flatus ex obſcœno proſtituti proci ore, per aures, quaſi per rimam immiſſus, hanc vitam extinxit? Quoties per oculos, ceu rimas, aut apertas feneſtras, nudæ tabulæ, amatorii libri, & litteræ, objecta turpia, lumen & ſplendorem omnem rapuere? Quare vos moneo prudentes virgines, ne multum diſcurratis; ſed domi probè occluſis ſenſuum feneſtris vos contineatis, ne ulla per aures, os, oculoſque rima pateſcat. Quod ſi in publicum prodeundum ſit, cereus ille; Cœleſti gratiæ lumine flagrans, t *lucerna contra Boream* concludatur, quæ eſt timor Domini. Perappoſitè Chryſoſtomus v ait: *Eſt autem quædam rima in nobis, oculus, & auris: ne ſinas, ut in eos irruat ſpiritus nequitiæ, quoniam candelam extinguet; ſed obtura timore Dei, & obſervantia mandatorum ejus: quia mandatum lucerna eſt, & lex lux.* In eundem ſenſum Hugo Cardinalis: x *mandatum lucerna id eſt lumen in teſta*, quod idem eſt, ac gratia timore Domini munita. Auctores referunt, antiquitus celebriores lucernas, ſeu candelas (ea enim inquit Licetus y, anonyma ſunt) exſtitiſſe, quæ nec flatibus, nec pluviis extinguibiles; eas conficiendi hoc tradit artificium Cardanus l. 18. de rerum ſubtilitate: z *multa*, inquit, *ſunt mirabilia; quæ tamen, cum cauſam noveris, ceſſat omnis admiratio*:

r Apoc. 2. v. 12. ſ Chryſoſt. in 1. ad Theſſal. c. 5. hom. 11.

t Num. 8. v. 2. v Chryſ. cit. x Prov. 6. v. 23. Hugo in prov. cit. y Licetus. l. 6. c. 46. z Cardan. li. 18. de ſubtil.

tio: veluti Sulphur cum cera æqualiter diſſolutum, eam reddit inextinguibilem; oportet autem Sulphur valde purum eſſe; Quod ipſum ſolidiori ſubtilis Doctoris juvat comprobare teſtimonio: refert Auguſtinus *a, fuiſſe, vel eſſe quoddam Veneris fanum, atque ibi candelabrum, & in eo lucernam ſub dio ſic ardentem, ut eam nulla tempeſtas, nullus imber extingueret. Unde ſicut ille lapis, ita iſta, λύχνος ἄσβεστος, id eſt lucerna inextinguibilis nominata eſt.* At nemo ſibi præfidat, lumen gratiæ, qua vita animæ inſtar cerei exardeſcit, inter ventos tentationum, & turbines inſidiantium occaſionum inextinguibile permanſurum. Quod ſolidè, & ſolicitè inculcat Bernardus *b* dicens: *Jam verò ſic ardens, & lucens, nondum in domo ſe eſſe confidat, ubi ſine omni timore ventorum, accenſum lumen ſoleat deportari; ſed meminerit ſe eſſe ſub dio, & utraq; manu, ſtudeat operire quod portat: nec credat aëri, etiamſi videat eſſe tranquillum: repentè enim, & hora, qua non putaverit, mutabitur; & ſi vel ad modicum, manum remiſerit, extinguetur.* Ita, ut proſequitur, anima noſtra luce gratiæ accenſa, in manibus noſtris ſemper eſſe debet, ne extinguatur. Ita filius, ita filia in manibus parentis, ne extinguatur; idq; vult tanta conſtantia ſervari, ut manum potius adurat, damnum famæ & fortunarum, & valetudinis incurrat, quàm gratiæ lumen extinguatur: optet potius *c ardere quàm cedere*, ſic enim ſubdit: *etſi ardor portantis manus* (ut quandóq; fieri ſolet) *aduſſerit, eligat potius pati, quàm retrahere manus ſuas: quia in momento, in ictu oculi poterit exſufflari.* Tum probat nos validiſſimis ventis expoſitos, quæ ex illo, & appoſitè ad ſuos quiſq; facilè deducere poterit. Suffecerit mihi ad terriculamentum, & documentum omnium, inducere eventum maximè tragicum Adoleſcentis, qui dum ſe liberiori aëri expoſuit, lenocinantis fęminæ flatibus, ac dein accedente tentationum turbine, lumen gratiæ exſufflatum, vitam corporis & animę extinctam, in ęternum miſerè arſurus, ſerò deploravit. Rem certiſſimam, & ſatis recentem, quæ anno Chriſti 1633 contigit, is retulit, inquit Stengelius *d*, qui à prologo uſq; ad Epilogum totam tragœdiam coram ſpectavit, & ipſe dramatis pars magna fuit, ſcriptóq; rem comprehendit, ex quo ego bona fide, inquit, omnia recenſebo. Herbipoli in Franconia, inter Principis Joannis Adolphi ab Eruberg ſtipatores, Ephebus ſanguine nobilis, & familiæ ſuæ unicus, & poſtremus heres fuit. Ætate admodum adoleſcens, Ingenio adeò vivido, ut primam in ſtudiis palmam ferret: ſpecie eleganti, & forma Angelica: quam inſuper ingenui mores, & ardens pietas, cœleſtiſque gratia, velut flammula in virgine cera relucens, omnibus amabilem & admirabilem reddebant; litteris totus intentus, aut ſacris in ædibus abditus, nulli ſe occaſionis vento exponebat; ut paſſim Erneſtus (ſic enim vocabatur) omnibus in exemplar modeſtiæ, pietatis, & ferventiſſimæ devotionis, unde ſibi ſocii lumen mutuarent, proponeretur.

a Aug. l. 21. de civ. c. 6. b Bern. ſer. 3. in vigil. nativ. c Bern. cit.

d Stengelius de divinis judiciis. tom. 4. c. 61. n. 2.

Sed

Sed ut nihil faciliùs quàm can-
dela extinguitur , quæ ſub dio
portatur,& vento exponitur : ita
huic adoleſcenti , ab urenti , &
peſtilenti ſalacis mulieris flatu,
ſpiritus extinctus eſt. Erat tunc
Herbipoli nobilis matrona , illi
ſanguine juncta. Hæc quodam
cognationis jure , eum pro re na-
ta,ſæpius ad domum ſuam (quam
meritò Æoliam vocitaveris)
pellexit : ubi primum ſuaviter
favonii gratiarum , cupediarum,
illecebrarum ſpirare , & urens li-
bidinis ventus per aures,os, ocu-
lóſque , atque ex ipſo Acheronte
tartarei ſpiritus immiſſi , vehe-
mentius ſufflare cœperunt. Quid
multa ? ut cerea eſt ætas , cereus
hic diffluere , omnis ingenuitas,
pudor,verecundia , pietas liquari
cœpit ; ac tandem Cœleſtis vitæ
flammula , ac lumen gratiæ pro-
tinus extinctum eſt. Et ſicut Ly-
chnus , qui pridem extinctus ad-
huc calet , & fumat ; ita hic ali-
quamdiu adhuc ſtuduit , oravit,
virtutis ſpeciem prætulit : ſed
ſpiritu extincto tandem in om-
nem licentiam diffluere , inno-
cuas puellas corrumpere, matro-
næ iſti cognatæ ſuæ per noctes
conſueſcere , dæmoni , quem illa
ſuo loco ſubſtituerat , ſe devovê-
re , & nocturnis veneficarum
congreſſibus intereſſe , homici-
dia perpetrare , jámque cum-
plurimos in ejuſmodi nefanda
flagitia pertrahete , certis & plu-
ribus indiciis deprehenſum , &
ad judices delatum eſt. Quis cre-
dat ? qui acceptam in Baptiſmo
lucem gratiæ , *utraque manu* ha-
ctenus non modò in ſe ardens,
ſed & cæteris prælucens ſervârat,
ſpiritu extincto , tam exitialem
fumum , & abominabilem me-
phitim à ſe emiſiſſe : Judices A-
doleſcentis tenebras , & mentis
caliginem miſerati , Principi
rem indicârunt,ab eo intellectu-
ri , unde ætatulæ , & tot ceris
majorum & poſterorum , qui eo
extincto ſplendorem omnem a-
mitterent , occurri , & lucis ali-
quid afferi poteſt. Eccleſiaſticus
Princeps , Epiſcopus , & paſtor
animarum , ut ea audiit , ex imo
corde ingemuit , nec à lacrymis
temperavit. Mox igitur cœpit de
remedio , non de ſupplicio cogi-
tare , ut eum priſtino ſplendori
reſtitueret , quod ſpondebat ar-
dens Religioſorum zelus , ignitæ
plurium preces , divina bonitas,
& amor Cœleſtis , qui *ignis ar-
dens eſt*,ut eum accenderet. Fa-
ctu optimum videbatur, ut juve-
nis , ſi extra carcerem & vincu-
la interrogatus , in qua ſcelerum
nocte verſaretur , ipſe fateretur,
viris Religioſis traderetur. Itum
eſt ad illum,indicatum non levia
dumtaxat indicia , aut frivola te-
ſtimonia ; ſed certa argumenta ;
Principem verò non velle li-
gnum fumigans extinguere, ſed
ut luceret in domo Dei , in aula,
& præfulgeret omnibus familiæ
ſuæ. Hîc juveni lux ſuboriri vi-
ſa eſt , (ſed candela non accen-
ditur, remota à lumine illo æter-
no, ubi peccata mediant, & divi-
dunt) conſcientia ictus erubuit,
neque multum tergiverſatus, in-
genuè detexit , quo , & quibus
modis ſpiritum extinxerit , quot
& quam enormia in illa ſcele-
rum nocte , flagitia perpetrârit ;
ceterùm id unum ſe ſpectare , ut
à ſervitute Principis tenebrarum,
cui ſe in manus tradiderat, eximi
poſſet. Indicatus eſt ille modus,
& Principis juſſu , Patribus ſo-
cietatis

cietatis noſtræ commiſſus eſt, qui id unicè agere jubebantur, ut hunc adhuc fumantem cereum, divini Solis radiis, & Cœleſtis gratiæ igne reaccenderent. Patres noſtri omnem ſuam operam, ut par erat, pollicentur. Adoleſcentem domum ſuam ducunt, noctu diúque Collegii incolam Divinis rebus, prout ætas ferebat, aſſiduè exercent, & ſacris amuletis, agno Dei cereo. SS. Reliquiis, aquâ benedictâ, & aliis hujuſmodi, contra diabolicas inſpirationes, & afflatus muniunt. Quin & lateri ejus ſemper è noſtris unus nocte, diéque adhærebat: cum illo orabat, cum illo cœnabat: eum ad templum ducebat, & reducebat. Illum de divina miſericordia, de cœli præmiis, de inferorum pœnis, & de technis, ac fraudibus dæmonis cavendis inſtruebat. Audiit omnia benignè, & placidè Adoleſcens; ſed ſi quis ſemel candelam dæmoni per magiam accendit, & in manus tradidit, quis eripiet? itaque cùm malus genius revenit (quod noctu plerumque factum) perſuaſit ei, ut ſacra, quibus bene munitus erat, tantiſper ſeponeret; quo facto, eum è lecto raptum, ad nefandos iterum Veneficorum conventus, & diabolica tripudia duxit, manè ante horam quartam, qua noſtri ſurgere ſolent, eodem loco reponens; non ita tamen cautè ac tacitè, quin ſæpe vacuus lectus, & inconcinnus ſtrepitus à noſtro adverteretur. Is ergo reducem puerum, manè ſciſcitatus, ubi ea nocte fuiſſet, mirabilia intellexit. Puer enim rem, ut erat, cum lacrymis, & dolore, candidè narravit, promiſítque ſemper meliora: & verò etiam fecit; ſed non diu. Rurſus enim à ſtygio tenebriore invitatus, ceſſit rurſus. Id toties factum, ut nullus veræ emendationis radius affulgeret. Coacti ſunt itaque noſtri ſpem omnem quidquam proficiendi ſeponere. Unde factum, ut & Patres Franciſcani in eodem vires ſuas experiri vellent quibus is traditus eſt; ſed eodem eventu. Eapropter Principi ſignificatum eſt, viros Religioſos, & eruditos exiſtimare, in Adoleſcente hoc, oleum & operam perdi. Inhorruit Princeps, & inter ſuſpiria, in omnem ſe partem verſavit. Cùm verò nihil amplius, quo juvari poſſet, occurreret, Judicibus traditur, & feralis ſententia lata, ut Adoleſcens altero die capite plecteretur. Quod ut ritè fieret, ad noſtros miſit Princeps, qui Adoleſcentem circa octavam matutinam in arcem deducendum, ad ſupremum ictum diſponerent: præſtare, ut ſemel reſipiſcens, ac pœnitens moriatur, quàm ut toties reincidat: aut ſi obſtinatus, ut plures ſeducat. Ubi igitur altro die diluxit, circa ſeptimam, noſtri (inter quos fuit ejus Adoleſcentis Præceptor, qui hæc ſcriptis mandavit.) Ad juvenem iverunt, & quidem in plumis adhuc, ſine omni cura, & metu ſtertentem. Fauſtum ergo diem apprecati, *qui vivis*, inquiunt *Erneſte*? *Bene* reſpondit, & quia coram ſuo Præceptore, illum puduit in lecto hærere, veſtes popoſcit: iiſque raptim indutus, ad noſtros, *bene*, inquit, *vivo PP. numquid vultis? qui tam manè adeſtis?* cui illi illachrimabili voce: *Nihil aliud Erneſte, niſi ut meliùs vivas.*

Quam

Quam vivis vitam, miſera eſt: ad meliorem animum erige. Deſerenda illa eſt, & beata illa æternum fruenda: deteſtare priorem, & ad alieram te para, ad quam jam migrabis. Age, nobiſcum arcem pete: præſtat ſponte ire, quàm duci: parere, quàm cogi. Servorum hoc eſt, illud gereroſorum. Erneſtus ad hoc nihil turbari, ſed ac ſi nova ex India accepiſſet, blandè ſubridens: *Bonus*, ait, *DEUS eſt, & benignus Dominus: vos bono animo eſtote.* Et cum dicto pallium ſumens, intrepidus cum illis ad arcem properat. Eò ubi perventum eſt, læto vultu, locos omnes circumſpexit: hîc luſi, inquiens, ibi potavi, illic ſaltavi. Ibi ſeduxi duos, ibi illud factum eſt. Erat in aula arcis conclave quoddam, in quo mortis Theatrum exſtructum, & nigro undique panno obductum. Illuc introductus Adoleſcens, poſtquam funeſtum pegma vidit, & ſeveros circumſedentes Rhadamantos, repente mutatus, & totus animo dejectus, cœpit ſubſiſtere, totis oſſibus contremiſcere, expalleſcere, frigidúſque per omnes artus ſudor currere: multóque magis vidit rem ſeriò agi, poſtquam acceſſit carnifex, fatalem manum injecturus. Supremo hoc in diſcrimine adoleſcenti vox rediit, qua recuperata, diſcurrere, fugere, clamitare miſerum in modum cœpit: *Hanc ego, qui vix cepi vitam, illam amiſſurus ſum? itáne in tam ferrea fata ſim natus, ut nullus clementiæ ſit locus. Parcite ætatis flori, parcite nobiliſſimæ, & de vobis ipſis tam bene meritæ familiæ, cujus ego unicus ſuperſum ſurculus;* & movit ea peroratio ad unum omnes, ut nemo ſiccis oculis adeſſe ſuſtineret, Judicéſque ipſi conſternati, Principem adirent, & pro Rei vitâ oratores fierent. Interim Adoleſcens ad ſua reducitur. Princeps re expenſâ, mittit virum ætate gravem, prudentia pollentem, qui Adoleſcenti perſuadeat, ut ſibi, ſuæque ſaluti conſulat, ut flagitiis, ac dæmoni nuntium remittat, fore ut apud Deum, & homines, ipſúmque Principem gratiam inveniat. Interea ſtygius tenebrio ſuas partes agere non deſtitit; ſed omnis generis illecebris puerum penitus dementavit. Legato igitur ad ſe miſſo: *Obſtupeſco referre, mi Domine*, dixit: *Si tu vidiſſes, quæ ego vidi, idem fieres, quæ ego ſum: & ſi talis non eſſem, jam fierem*; nimirum ut hujuſmodi homines etiam alii ſæpe faſſi ſunt, poſtquam in manum Magiſtratus pervenerunt, *e tunc diabolus nihil aliud ſatagit*, ait Grillandus, *nec laborat in alio, niſi in perſuadendo, ut perſiſtant in ſententia, & uſque in vitæ finem perſeverent.* Ad hoc nonnunquam illis fictum quoddam cœlum oſtendit: exultorum animas, ut beatas repræſentat. Promittit ſe illos manibus juſtitiæ, & ſupplicio erepturum, Phantaſma ſuppoſiturum, vel effecturum ut pœnas non ſentiant; tum migraturos ad quandam mirabilem futuræ vitæ beatitudinem, & illuc translatos, potentiâ, viribus, ſcientiâ, opibus, voluptatibus (quibus egregiis ſanè dæmones pollent) donandos. Videns igitur Legatus ſe actum agere, Principi retulit rem eſſe deſperatam, juvenem obſtinâſſe. Princeps

e Grilland. de ſortileg. 49. n. c.

ergo

ergo miſericordiâ in iram verſâ, omni ſpe depoſitâ, mandavit, ut irent ad juſtitiæ amuſſim, negotiumque peragerent. Inſtruitur rurſus eadem, eodem in loco, lugubris ſcena: reducitur reus, qui inter duos è noſtris, ferale denuò Theatrum alacer aſcendit: monetur, ut pœnitentiam agat: nihil ſibi pœnitentiâ opus eſſe ait. Noſtri ingerunt æternitatem, inſtant per Chriſti merita, qui venit, ut illuminet omnem hominem, & peccatores ſalvos faciat. Sed ſurdo omnia canebantur. Jubent igitur Judices, ut carnifex obſervet opportunitatem, quâ visâ, tragœdiæ finem decretorio ferro, quo poſſit modo optimo imponat. Factum: nam puer ſui inops, inter clamores, & diſcurſationes, tandem ſub ictum venit, ferrum accepit, & ſine ullo doloris ſigno, vel alio pietatis argumento, infami morte, relicto putido infandorum ſcelerum fœtore extinctus eſt: f *Et flammæ illius noviſſima, fumus occupat*, ac caligo ſempiterna: qua in Tragœdia illud notandum eſt, lumen gratiæ in Baptiſmo accenſum, ubi in hoc adoleſcente ſemel extinctum fuit, per pravam mulierculæ conſuetudinem, & aſſidua quibus inhærebat flagitia, numquam accendi potuiſſe: uti candelam quis fruſtra, altero ardenti cereo accendere nititur, niſi illi immediate adjuncta fuerit. Quam ſimilitudinẽ Doctor melliſſuus ſuppeditavit, dicens g: *Ideo unigenitus Dei, ſol juſtitiæ, tanquam immenſi & præclari luminis* CEREUS, *in hujus mundi carcerem, illuminatus eſt, & accenſus, ut omnes, qui illuminari voluerint, ad illum accedant, illique jungantur, ut nihil medium inter illos ſit, & ipſum peccata enim noſtra ſeparant inter nos & Deum.* Eſt qui auri, argentíve maſſam injuſtè poſſideat, hæc dum mediat, accendi non poteſt: alter alterius conjugi inhiat, ancillæ conſueſcit, hæc dum mediat, *à præclari luminis cereo* accendi non poteſt: ſic ſi ferrea lamina inter cereum extinctum, & accenſum media ſit, numquam eum accenderit; ita pertinax in ſcelere, & *ferrea*, ut loquitur Auguſtinus, *voluntas ſeperat inter nos, & Deum.* Sed impedimentis illis ſublatis, h *vero lumini illuminandi, & quaſi concorporandi conconnectimur in idipſum: ſicut lumen extinctum, lumini lucenti, & ardenti ſine aliquo medio conjungitur, ut illuminetur.* Alterum eſt, ut ex uno, juvenes diſcant omnes, non præſidere ſibi, quaſi inſtar lucernæ Veneris inextinguibiles eſſent, occaſionum ventis, & tentationum flatibus ſeſe temere exponere. Audiant hi, & adoleſcentulæ, quoque ſeverum illud, ſed nimis quàm verum Bernardi monitum: i *Tribus maligniſſimis, & validiſſimis ventis expoſiti ſumus, carni, diabolo, & mundo, qui conſcientiam illuminatam moliuntur extinguere, inſufflantes in cordibus noſtris deſideria mala, motus illicitos. Ideo utriſque manibus & cordis, & corporis, anima eſt tegenda, ne fortè quæ jam illuminata fuerat, extinguatur.* Aliàs cum hoc adoleſcente, relicto gravi fætore, in tenebras exteriores ejicientur. Præclarè Sanctus Auguſtinus: k *Omnes homines lucernæ, quia & accendi poſſunt, & extingui. Et lucernæ quidem, cùm ſapiunt, lucent, &*

f Bernard. Serm. 1. de diverſis. g Bernard. Serm. 5. in vigil. Nativitat. Domini.

h Bern. cit. i Bern. cit. k Auguſtin. Tract. 23. in Ioan.

ſpiritu fervent; at ſi extinctæ ſunt, putent & fætent intolerabilem in modum. Optandum ſanè ne & lucernæ poſitæ in ſublimi loco, ſupra candelabrum Eccleſiæ, lumen ſuum extingui patiantur, ne tenebras in Eccleſiam inducant, odorémque non bonum, *ſed extinctæ puteant*, eóque latius putorem, ac fætorem ſuum diffundant, quo celſiori loco poſitæ ſunt. Sed viri Religioſi clauſtris perpetuò concluſi, Sanctimoniales clatris ferreis conſtrictæ, nullis ventis expoſitæ, hæc minime ad ſe ſpectare dictitabunt; ſed meminerint & hi, & hæ, per rimas, tentationum, & occaſionum ventos ſufflare, *l & conſcientiam illuminatam extingui*; demus tamen, ut fit, in concluſo, & contra omnem ventum munito conclavi, candelam flatu extingui non poſſe; intus quandoque hoſtis eſt; è myxo nodus accenſus, quem furem paſſim vocitari diximus, cereum depaſcitur. Tales fures, & latrunculi ſunt, evagatio in oratione, ſenſualitas, libertas in modo agendi, garriendi, laxitas in regulis, paupertatis caſtitatis, obedientiæ, omnia denique peccata venialia quæ omnem devotionis pinguedinem conſumunt, & ut morbus ad mortem diſponunt, ſic ſenſim ſpiritum extinguunt. Supereſt nunc, ut ſi quibus vita animæ adempta, lumen gratiæ extinctum, ad Chriſtum, qui eſt Lux mundi, illuminans omnem hominem, proximè *accedamus*, ut accendamur, quem hodierna luce inſtar Diviniſſimi Cerei ardentis & lucentis vobis omnibus proponam.

l Bern. cit.

§. II.

Chriſtum, m LUMEN AD REVELATIONEM GENTIUM *ſcitè per cereum ſignificari.*

DIem hunc illuſtriorem luminibus, quàm cœlum ſtellis, non incongruè per parabolam Luc. 15. adumbrari poſſe cenſeo, ubi dicitur: Quæ mulier habens drachmas decem; ſi perdiderit drachmam unam, *n accendit lucernam*, &c. Gregorius etenim per drachmam, genus humanum, per mulierem, divinam ſapientiam, per *lucernam* verò, Chriſtum intelligit; ac tandem ſubdit: *o Quia imago exprimitur in drachma, mulier drachmam perdidit, quando homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando à ſimilitudine ſui conditoris receſſit; ſed accendit mulier* LUCERNAM, *quia Dei ſapientia apparuit in humanitate*: LUCERNA QUIPPE LUMEN EST IN TESTA; LUMEN VERO IN TESTA, *eſt divinitas in carne.* Quod ut dilucidè magis explicemus, tria in cereo, ſeu candelâ conſideranda ſunt: cera, lychnus, & lumen, ſeu flammâ. Hæc in Chriſto eminenti ratione eluxiſſe, ſancti Patres eleganter ad mores exponunt. *p* Ac primùm quidem non futilem, aut inutilem ritum eſſe, cereos manu geſtandi, prælucet nobis S. Anſelmus *q*, dum ait: *Pulcher Eccleſiæ mos inolevit, ut fideles in hac celebritate,* CEREOS SIVE CANDELAS *offerant: nam quia Chriſtus in templo hodie eſt oblatus, ipſi myſtica*

m Luc. 2. n Luc. 15. v. 10.
o S. Gregor. hom. 34. in Euang.
p 1. Proprietas Chriſti incarnati cum cereo. q S. Anſelm. hom. in c. 2. Luc.

oblatione ſua, hoc ipſum repræſentant, dum ſingulis recurrentibus annis, ad domum Dei CEREOS *in hac die portant*: CEREUS *enim, vel* CANDELA, CHRISTUM *ſignificat. Et quia unusquiſque devotus, ad hanc ſolennitatem veniens,* CHRISTUM LUMEN VERUM *affert in pectore, ideo convenienter* CEREUM *præſentat in oblatione*: *in* CEREO *quippe tria offeruntur*: *cera, lychnus, & flamma*: *cera quam Virgo apis confecit, ſignificat Chriſti carnem, quam Virgo* MARIA *genuit*: *Interior autem lychnus, animam*; *flamma verò ſuperior, Divinitatem. Nec inveniri aliquid in creatura poteſt, quo congruentius ſignificaretur Chriſtus.* Spectaculum profectò illuſtriſſimum, dignum Deo, Angelis, & hominibus, quódq; omnes cœlites in ſui rapit contemplationem, & admirationem, tot, quot hîc præſentes cernimus, CHRISTUM, LUMEN *verum afferre in pectore.* Quod ut viva fide, & ardenti charitate, ſpiritu ferventes, mentibus veſtris altiùs infigatis, libet meminiſſe illius præclariſſimæ lucis, qua ſenex Simeon, CHRISTUM VERUM LUMEN manibus geſtans, totus in ardentiſſimas Divini amoris flammas exardeſcens, & colliqueſcens, clamavit: LUMEN *ad revelationem gentium*, &c. Quæ Igniacenſis Abbas in receſſu ſuo contemplatus, in has voces prorupit: *r Tractemus ſi placet, quid hæc pulcherrima Eccleſiæ conſuetudo* LUMINARIUM *hodie geſtandorum, aut factum repræſentet, aut faciendum demonſtret. Quamquam ne id quidem puto vobis incognitum, etiamſi nunquam ſit auditum. Quis enim hodie* CEREUM ARDENTEM *geſtans in manibus, non ſtatim illius ſenis recordetur, qui hodie* JESUM *accipiens in ulnas ſuas, verbum in carne, tanquam* LUMEN IN CERA, *ipſum eſſe* LUMEN *ad illuminationem gentium perhibebat*? Ut & nos ſimili igne, eadem face accenderet, *ſ* voluit Redemptor noſter inſtar cerei, in uſus noſtros totus liquefieri, & conſumi. Cereus, qui in conclavi ardet, fax qua Ephebus Domino prælucet, in alterius uſus conſumitur. Unde Folietta Genuenſium hiſtoricus eximius, indicaturus quod ſe conſumeret, ac valetudini officeret, aliorum utilitati ſtudendo, *t* candelam ceream ardentem in ſymbolum ſuum heroicum aſſumpſit, ingenioſo hoc lemmate ſubjecto: *Officio, mihi officio.* Vel ut alius: *Veſtros conſumor in uſus.* Amabo vos, quis unquam mortalium, obſequium aut officium præſtando, ita ſibi obfuit, & offecit, ita in alterius uſus conſumptus eſt, ut benigniſſimus JESUS? de quo Doctor mellifluus ſic lacteo ſuo flumine diſcurrit: *Totus mihi datus, & totus in meos uſus expenſus* & conſumptus eſt. Ipſam quanta, quanta fuit, humanitatem noſtros in uſus, noſtrum in commodum, & ſalutem expendit: corpus univerſum, membra omnia pro nobis expendit, & conſumpſit: anima dolore, & amore, ceræ inſtar, tota liquefacta eſt: cœleſtis Sponſa ad ſolam vocem dilecti, tota liquefacta eſt, ut dicitur Cant. 5. *x Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt,* & illico inſtar ceræ liquarunt è digitis annuli, è manibus chirothecæ, ex collo monilia, è pectore fa-

r Guarricus Serm. 1. de Purificat.

ſ 2. Proprietas inſtar cerei conſumptus in paſſione. t Licetus de antiq. lucern. lib. 6. c. 126. v S. Bernardus Serm. 3. in Circumciſ. x Cant. 5.

faſciæ, ex pedibus ſandalia. Si ita ad vocem Sponſi liquefacta eſt Sponſa, quomodo tu anima vaga, & vana, ad conſpectum dilecti tui, qui totus *in uſus tuos expenſus*, & conſumptus eſt, non tota liqueſcis? & ut cum Doctore Seraphico loquar: *y Si liquefacta es, ad affatum ejus, quomodo non es abſorpta cùm intras per vulnera, & per venas ad cor ejus.* Quomodo non cum eodem exclamas: *Liqueſcit cor meum, imò de cetero totus accendar, & totaliter liqueſiam, ut in te totaliter ſim effuſus?* Quomodo tu avare non totaliter liqueſies, ut in pauperes ſis effuſus? quomodo tu injuſte mercator non liqueſies ut in juſtos debitores tuos ſis effuſus? & quomodo *non liqueſcit cor tuum*, ut in Deum *totaliter ſit effuſum*, qui totus in uſus tuos liquefactus, & conſumptus eſt? Hoc ardentiſſimo motivo, D. Auguſtinus in exoticas illas flammas exarſit, *z* ut optârit omnem carnis ſubſtantiam, in ceram; oſſa & medullam in ellychnium; animam in flammam converti, ut inſtar cerei, in uſum amantiſſimi ſui JESU conſumi, & liqueſcere poſſet. Idem fuit votum S. Gertrudis. *a* Nec immeritò, cùm Deus tam prodigialiter ſit prodigus. In hos ferventiſſimos affectus D. Guarricus ſeſe jure effundit: *O Deum ſi fas eſt dicere, prodigum ſui, præ deſiderio hominis! an non prodigum, qui non ſolum ſua, ſed & ſeipſum impendit, ut hominem recuperaret, non tam ſibi, quàm ipſi homini?* cerei inſtar, aut facis, quæ nullo niſi ſuo interitu, in uſus humanos conſumitur: *c Ita verbum in carne, quaſi* LUMEN *in cera,* Deus noſter totus conſumi, & colliqueſcere viſus eſt. Deus, amor noſter, ſemper ardens, conſumptus eſt in uſus veſtros, vos conſumpti in uſum diaboli: conſumit unus cum prodigo omnem ſubſtantiam vivendo luxuriosè: alius ebrietate, & crapulâ conſumit omnem ſanitatem, & vires corporis: alius fraudibus, perjuriis, dolis, & iniquis contractibus, conſumit nomen, & famam ſuam, ac ſuorum. Alii livore ac iracundia conſumuntur, de quibus Eccl. 5. *Conſumpti ſunt in impetu iracundiæ.* Alii otio, & inertia conſumunt optimos vitæ dies, è quibus non unum, aut unam hic compellare poſſem: *d Tu homo ſtulto labore conſumeris.* Tu adoleſcens, tot horas ludendo, fritillos, & aleas volvendo, *ſtulto labore conſumeris.* Tu filia, tot horas criſpando, comando, ſpeculando, *ſtulto labore conſumeris.* Quos omnes optem hodierna die, *e Deus noſter, qui ignis conſumens eſt,* totos in ſe convertat, & quidquid in illis vanum, profanum, mundanum eſt, conſumat, & ardore ſuo totos colliqueſcere faciat. Sed parum eſt amori, parum eſt ardori, Chriſtum inſtar cerei liquatum, & conſummatum fuiſſe, adinvenit ut ſibi, nobiſque integer reſtitutus, inconſumptus in ſacris aris, & fidelium cordibus arderet uſque ad conſummationem ſæculi: *Adinventiones ejus mirabiles.* Excogitavit filius, æterna Patris ſapientia, *f* quomodo ſumptus in uſus noſtros, non conſumeretur; quod ingenioſum Divini amoris inventum, non dico

y Bonavent. ſtimuli amoris. part. 1. c. 8. z In vita S. Auguſtin. a In vita Gertrudis lib. 2. c. 22. b Guarricus Serm. de Purificat.

c Guarricus cit. d Exodi 18. e Deuter. 4. v. 24. f 3. Proprietas in V. Sacramento inconſumptus.

ulli

ulli mortalium,ſed nec ulli intelligentiæ Angelicæ unquam incidere potuiſſet. Quod tamen tam reconditum humanis ſenſibus myſterium,& perpetuum in orbe miraculum, adumbrâſſe viſus eſt Levitici 6. ut æternus ignis, in Altari ſemper luceret. Ut enim ille numquam poterat conſopiri, ita hic numquam poterit aboleri, extingui, aut conſumi: quia ut ait Eccl. cap. 24. & ſignat Anni quo hæc ſcribo Chronicon: *IesVs LVMen InDefiCIens eſt.* Quod ardet inconſumptum in ſæcula. Inter miracula perpetua,recenſet P. Petra Sancta *g*, Atrebati urbe primaria Provinciæ Arteſiæ in Belgio, celebrem eſſe cereum perennem, qui ſua initia repetit ab anno milleſimo, centeſimo quinto. Ibi eo anno graſſabatur dira lues, intus excrucians lethifero igne, foris ulcere gravi, ſeu carbunculis conſaucians lurida ægrorum corpora: quæ non in domiciliis modo,ſed in compitis,& in templi porticu paſſim jacebant; nec ullum tam acri malo remedium inveniebatur. Matris commiſeratione, civitatem ſibi apprimè addictam de cœlo reſpiciens Beatiſſima Virgo Deipara, viſa eſt adeſſe, eodem quidem tempore; ſed loco tamen diverſo, citharœdis duobus, inter quos odia, & graves ſimultates intercedebant; quod unius frater injuſtè fuiſſet ab altero peremptus. Ambobus verò mandavit, adirent Lambertum Epiſcopum Atrebatenſem, ac diem ei conſtituerent proximi Sabbati; ut eo exacta, nimirum horis nocturnis in Templum ad veniret. Nam fore dixit, ut certo veſtimentorum ſchemate in Templo ſe aſpectabilem ei præberet, *cereúmque accenſum*, in manus daret; ex quo ſi guttatim deflueret cera in pelvim aquæ ab Epiſcopo inauguratæ, edixit futurum omnino, ut convaleſceret multitudo ea languentium, aquâ vel epota, vel ulceribus & carbunculis infuſa; ſed & fore etiam adjecit, ut ſi qui eam aſpernarentur, illico perirent. Hos duos verò elegit ſuæ voluntatis interpretes, internunciòſque; non quia canerent cithara; ſed quia odiis diſcordes erant, ne oboriri ſuſpicio poſſet, ipſos datâ operâ conſonare in unius figmenti harmoniam. Certè hoc Lambertum Epiſcopum permovit, ut fidem demum dictis eorum præſtaret; poſtquam ambos inaudierat: quorum tamen de altero neuter ſcire quidquam potuerat, utpote qui neque videre invicem, neque colloqui ſine mutua cæde potuiſſent. Epiſcopus eos primum induxit, ut reconciliatis animis in gratiam redirent, ex lege Chriſtianæ charitatis. Ad hæc unà cum eis Sabbato jejunavit, & noctu in Templum venit. Cùm ecce vix occinere gallus cœpit; quando ſtatim Virgo Mater eo veſtium ornatu, quo citharœdis apparuerat, de integro viſa eſt adeſſe, *facem accenſam* manu præferens, cujus ſolis inſtar erat jubar, & Templum eâ mirifice colluſtravit. Præſto fuit urna cum latice, ergo initiatur prece, crucíſque ſigno ab Epiſcopo. Ceræ inſuper deciduæ guttulis, ab ipſa Deipara quaſi virtute diviniore, ac ſecretiore impertitur: ægris offer-

g Petra Sancta Thaumaſiæ, Tom. 3. cap. 8.

offertur, & propinatur; neque ſalus facilius promittitur, quàm hauritur. Enimverò ſtatim ardor morbi remiſit, ſensítque vitale refrigerium; deterſa eſt ſanies ex ulceribus, & perſanati ſunt, quotquot ibi recumbebant, facilè ad centum quinquaginta. Unus temere admodum, remedium ſprevit, & cum irriſione ac ſarcaſmo: *Vinum*, inquit, *mallem, non aquam iſtam ceratam*, meæ inutilem curationi; ſed luit illico acerbiſſimis doloribus, quibus paulò pòſt etiam extinctus eſt. Admirationem parit, & ex longinquis regionibus non paucos excivit cerei hujus non modò mira in ægros perſanandos virtus, ſed perpetuum, quod inconſumptus ardeat, miraculum: Nam præterquam quod ex eo jam ſupra quingentos Annos de fluente cera, varii cerei conflati ſint, & maſſa bene magna Atrebati aſſervetur, ſuæ molis, & magnitudinis inconſumpta ardet ut primo die, nec minor nunquam evadit eo argenteo cylindro, intra quem cuſtoditur. Cujus miraculi hiſtoriam, ut alios Auctores mittam, Sixtus IV. & Clemens VIII. re maturè admodum diſcuſsâ approbarunt. Non longiùs vobis excurrendum ad perpetuum cerei ardentis, & inconſumpti miraculum; cùm nobis præſens in propoſitum ſit *h miraculum ab ipſo factorum maximum*, nempe *lumen indeficiens*, cereus *ardens incombuſtus*. Cui & illud, quod cereo proprium eſt, ut nulla ſui flammæ imminutione, innumeros accendat, nulla ſui imminutione:

Nec habet inde minus.

h S. Thom. opuſc. 57.

Ad quam ſimilitudinem alludens Iſidorus Peluſiota *i* : *Unus ignis*, inquit, *mille lampades accendit, nec minuitur; & alias iterum totidem, imò plures valet accendere*. Quod natura, idipſum multò efficacius præſtat gratia, & operatur in animis *lumen indeficiens*. Sic etenim S. Thomas *k*, qui ab hac face omnem ſibi lucem in pectus derivavit: *Habemus ſimile exemplum* DE CANDELA: *quia ab una* CANDELA ACCENSA; *infinitæ* CANDELÆ *infinities poſſunt accendi, nec primæ candelæ lumen imminuetur*. Quis non ad hanc inextinguibilis amoris facem propius accedens, cum Hipponenſi Præſule *l* exclamet? *O ignis qui ſemper ardes, & non extingueris! charitas Deus meus, accende me*, ut & ipſe amore tui ardeam non per horam, per diem, ſed per omnem vitam & æternitatem. Sed quid eſſe dicam, quòd ex hac flagranti face, ex hoc illuſtri cereo, qui *m ſumptus non conſumitur*, alii multum, alii parum lucis & ardoris participent? Catharina Virgo Senenſis *n* in ſuis dialogis cum *Patre luminum* habitis, ſic ait: ſi plurimi portarent *candelas* ad accendendum, & una ponderis eſſet unius unciæ; alia duarum, ſive ſex, vel unius libræ: *o* & quamvis omnibus accenſis, in qualibet parvâ, vel magnâ *candelâ* totum lumen accipias, videlicet calorem, & ipſum lumen; judicatis tamen, quod minus de lumine recipiat ille, qui *candelam parvam* accendit, quam ille qui majorem (ingentem facem) ita contingit in hoc venera-

i Iſidor. Peluſiot. in catena Græca, Luc. 3. k S. Thom. opuſc. 59. c. 8. l Auguſt. lib. 10. Conf c. 29. m S. Thom. in Hymn. n Catharin. Senenſ. dialog. c. 110. o Lancicius opuſc. ſpirit. 5. c. 7.

bili

bili Sacramento his, qui recipiunt illud, & eorum candelas afferunt, videlicet ſanctum deſiderium (inſtructum actibus virtutum) & divinæ imprimis dilectionis animum, cum quo recipiunt ipſum venerabile Sacramentum. Atque tantum accipitis ex iſto lumine, quantum de materia ſinceræ dilectionis, & amoris, & igniti deſiderii portatis. Quò fit, ut quis unica SS. Euchariſtię ſumptione, decies, centies, imò millies plus divini Luminis, & cœleſtis ardoris accipiat, quàm alii frequenti ejuſdem Sacramenti communione. Sic Deipara, ſic Simeon, & Anna, aliæque ſanctæ animæ, ſicut ingentes faces, tantum de hoc lumine participabant, ut radios lucis, & caloris in omnes diffunderent, nec ullo vento extingui poſſent. Cùm noſter exiguus cereus, & tenuiſſima candelula, ubi vix pedem templo extulimus, minimo vento extinguatur. Doctiſſimus Salmeron p *Mater Meſſiæ, virgo prudens*, LAMPADEM *geſtans accenſam, & Simeon, & Anna geſtabant* LUMINARIA *accenſa fidei, de Chriſto qui ignis &* LUMEN. *Hoc ergo igne accendendæ ſunt* CANDELÆ NOSTRÆ, *non igne alieno, id eſt, concupiſcentiâ mundi, quo igne thurificantes filii Aaron perierunt.* Sed flamma ex hac face divina piis deſideriis & ignitis affectibus, virtutùmque materia, q candelam magnam *è Virgine cera*, id eſt, caſtis manibus, caſta lingua, virgineis oculis, auribus, puro corpore, & mente præſtantem, accendamus. Sic & virgineis manibus in funere veſtro, merito candelæ è Virgine cerâ lucebunt; cum aliis dumtaxat ex cera flava candela ſit facta, & minus nobili. r Alterum eſt, ut *cereus noſter*, quem accendere, & ante aram lucere volumus, *ſit rectus*; quia in cereo potiſſimum rectitudo ſpectatur. Nil ſic oculos oblectat, rem exornat, & animum paſcit, ut inſignes & artificioſæ, ex rectis columnis ſuo ordine perſpectivę, magis ſi vivæ, ut ſunt ſeries rectarum arborum, in nobilium prædiis, & Principum viridariis; quod ſi vel una hinc inde curva promineat, aut exorbitet, omnem ordinem, & ornatum tollit. At longè præclariſſimum ſpectaculum eſt, longa ſerie ſpectare cereos omnes ad amuſſim rectos collucentes. Tale aliquando conſpexit Roma, dum Pharus ille major Adriani I. Pontificis luxit in Baſilica Principis Apoſtolorum ſ; qui utique magnæ crucis ſimilitudine conformatus, continebat cereos mille, trecentos, & ſeptuaginta, raro & recto ordine collucentes, ipſáſque cœli faces propè numero ſuperantes; dignum hominibus, Deo, & Angelis ſpectaculum; cui omnis ſplendor, omnis decor defeciſſet, ſi cerei curvi, & inflexi exſtitiſſent. Rectitudine ſupremus artifex delectari eàmque ſpectare viſus eſt, in molitione hominis, de quo Eccl. 7. *Fecit Deus hominem rectum*, cùm cetera animantia, ut volucres roſtra, pecudes capita in terram curvata habeant, ut ille cecinit:

> t *Pronáque cùm ſpectent animalia cetera terras,*
> *Os homini ſublime dedit.*

Regii Pſaltis vaticinio creator noſter, *rectus* dicitur Pſalm 91.

p Salmeron Tom. 3. Tract. 41. pag. 381. de Purif. B. Virg. q Candela ſit è cera candida.

r Candela ſit recta. ſ Baron. An. Chriſti 795. t Ovid. lib. 1. Metam.

REC-

Rectus *Dominus Deus noſter.* Ad quæ verba Bernardus *v*: Rectus *itaque Deus*, rectum *fecit hominem*; rectitudo porrò ad formam, & decentiam humanam confert plurimum; nec levis morbus, & miſeria eſt, virum, aut fæminam contracto, & incurvo corpore debere incedere, uti illa, de qua S. Lucas *x*: *Ecce mulier quæ habebat ſpiritum infirmitatis annos decem & octo, & erat* inclinata: *nec omninò poterat ſurſum reſpicere.* Quod malum ne prava conſuetudine honeſtiores filiæ incurrant, apud magiſtras morum collocantur, à quibus edocentur *rectè inſtar candelæ* incedere. Ad hoc omnis cura, induſtria, & machinæ adhibentur. Verùm non ea eſt, de qua hic agimus, aut Deus requirit rectitudo: *y Nec enim arbitror* (ut cum Bernardo loquar) *ſentire quempiam rectæ intelligentiæ, ſecundum corpus rectos dici, de quibus ait* Sapiens: *z* Recti *diligunt te.* Vult Deus opera recta, ſtudia recta, affectus rectos, animum rectum. Propterea demonſtranda *a nobis eſt ſpiritualis, id eſt, animi, cordíſve* rectitudo. Unde ſubdit idem Doctor, fortaſſe hominem corpore rectum à Deo conditum, ut ex hac ſui ſpecie, rectum ſervare meminiſſet animum: *Corporis*, inquit, *ſtaturam dedit homini Deus* rectam, *forſitan ut illa corporea exterioris, vilioríſq;* rectitudo *figmenti, hominem interiorem illum, qui ad imaginem Dei factus eſt,* spiritualis *ſuæ ſervandæ* rectitudinis *admoneret. b* Miſeret vos *mulieris inclinatæ*, quæ per annos *decem & octo non poterat ſurſum reſpicere*, & non miſeret vos viros, & mulieres, ac puellas, inclinatum in terram, in cænum, non decem & octo, ſed & viginti octo annos, & amplius, habere animum? *Quid enim indecentius*, exclamat Abbas Claravallenſis, *c quàm curvum recto corpore gerere animum!* hujus miſeriæ, ac deformitatis, mulier illa typum geſſit, ut rectè Hugo Cardin. Erat, inquit; *inclinata ad terram. Hanc inclinationem procurat diabolus, quantum poteſt.* Iſaiæ 51. *dixerunt animæ tuæ* incurvare. Tum pergit: *Nec poterat ſurſum reſpicere; ſed ſemper in terram, ad modum pecudis: quia quodammodo typum pecudis geſtat, qui ſemper terrenis inhiat.* Officinas luſtrate, omnes opifices capite pronos in terram, reperietis, Curias, muſæa adite, omnes cauſidicos, legiſperitos curvo capite, & corpore, terrenis inhiantes ſpectabitis. Studia omnium mortalium, ad terrena animum inclinatum nobis oſtentant. Unde ſubdit: *e Moraliter per hanc mulierem, ſignificatur mens avara, quæ à* rectitudine sua *incurvata, ad terrena per amorem nimium inclinatur.* Hinc invenire eſt curvas manus, curvam linguam, curvos pedes & curvas in terras animas, ſuorum ſcelerum pondere incurvatas. Quod de ſe amariſſimè queritur Pſaltes pœnitens: *f Miſer factus ſum, &* curvatus *uſque in finem*, in cęno luxuriæ volutatus, ut non poſſe cœlum aſpicere. Si quæ huic viro incurvato ſimiles, aut mulieri inclinatæ hactenus curvæ in terra animæ exſtitere, hodie cum illo clament: *Spiritum* rectum *innova in viſceribus meis*; & aliæ audire

v Bernard. in Cant. Serm. 24. x Luc. 13. v. 11. y Bern. cit. z Cant. 1. a Bern. cit. b Luc. 13.

c Bern. cit. d Hugo Cardin. in Luc. c. 13. v. 11. e Hugo cit. f Pſalm. 37. v. 37.

me

mereantur: *g Mulier dimiſſa es ab infirmitate tua*; *& confeſtim* ERECTA *eſt*. Ut ſic & corpore, & animo, & membris omnibus recti, nos ipſos inſtar recti cerei, *Patri luminum* offerre, ab eóque incendi, eíque lucere, & toti conſumi valeamus. Concludo hunc Paragraphum *h*, ubi unum ex ritu hodierno cereorum monuero, ut animis jam gratia inflammatis, externo cultu cereos manibus geſtantes, & facibus prælucentes, in Templis, in ſupplicationibus publicis, teſtari velitis, vos illic LUMEN *illud de* LUMINE; LUMEN *indeficiens*; LUMEN *ad revelationem gentium*, LUMEN *in cera, id eſt, Chriſtum in carne* adorare, & venerari. Illuſtriſſima Auſtriacorum Principum familia ab hac Religione omnem lucem, ac ſplendorem ſumpſit. Ut in Rudolpho patuit, qui hoc venerationis officio, ut inquit Spondanus *i*: *Totum imperium ſibi, poſteríſque ad hunc uſque diem acquiſivit, ac pietatem propagavit.* Ut Maximilianos, Carolos, Ferdinandos ſileam, unum Philippum II. tacitus præterire non poſſum: inſtructum ad ſacram hoſtiam per compita deferendam, *k* feſtum agmen, ne quid celebritati deeſſet, comitabatur Philippus, & quâ tantum Regem decebat pietate, nudo apertóque capite facem manu præferens. Æſtus eo die erat ſummus, & per obnoxia torrentis deſuper ſolis radiis loca, pompa ducebatur. Ergo monent Aulicorum gratioſiſſimi, ut ſi non operto cabite incedere vellet, ſumbellâ ſaltem ſibi ſolem, æſtúmq; defendi pateretur. At ille, ne fruſtra *Catholici* cognomen uſurpare intelligerent, dignâ Hiſpano Rege ſententiâ, hoc tantum reſpondiſſe fertur: *Innocens hodiernus ſol eſt*, nudóque vertice ire perrexit. Et verò quî nocere poterat ſol, qui à ſummo Sole incomparabilem diſceret humanitatem? qua pietate & Chriſtianiſſimi Reges excelluere *l*. Deberetis optare & vos, auguſtiſſima ſolennitate ſanctiſſimi Corporis Domini, & quoties in ſupplicatione ad venerationem, aut ad ægros in viaticum defertur, ut centimani eſſe poſſetis, ut centum manibus poſſetis geſtare centum faces. Chriſtus eſt, qui vocavit *vos in* ADMIRABILE LUMEN fidei, relictis tot aliis in tenebris, & umbra mortis: pro tanto illo beneficio, quantum non poteſt explicari, quid aptius potes rependere, quàm lumen pro lumine? ideo etiam in Euchariſtica ſupplicatione innumeræ tædæ, ac cerei geſtantur, ut palàm teſtemur, Chriſtum qui in ſupplicatione circumfertur, eſſe *lumen de lumine*, increato, lucémque mundi, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: tum ut noſtræ in eum pietatis ardorem præferamus: tum ut ſtudium noſtrum oſtendamus, omnium mentes Euchariſticæ fidei lumine illuſtrandi. Quis eſt in toto orbe Chriſtianus Princeps, ſi in ejus venis ſaliat vel guttula Chriſtiani ſanguinis, qui non illo die dexteram ſuam conſecret obſequio Chriſti, geſtando facem? certè ſereniſſimus Archidux Leo-

g Luc. 13. h Cerei SS. Sacramento accendi, & præferendi. Guarric. cit. i Spondan. annal. An. 1251. k P. Ioan. Rho. variæ virtut. hiſt. lib. 3. cap. 1. n. 4.

l Franciſc. Gonzaga de orig. ſac. ædi. p. 3

Leopoldus P. M. quotannis vel è caſtris, & mediis bellorum fragoribus, Bruxellas recurrit, ut ſupplicationem cohoneſtaret geſtando facem; ratus quod reipſa, uſúque didicit, bellatrices manus pia tædæ geſtatione corroborari, atque religioſo iſto itinere pedes expediri ad victorias. Quo in genere, ne ab Auſtriacis recedamus, eminuit Ferdinandus II. nulli in Eccleſiaſtica pietate ſecundus. Forte Lincii, quæ urbs eſt ad Danubii ripam ſita, circumferebatur ſacra Euchariſtia per compita urbis, & fora in nobiliſſimorum Provinciæ virorum honorificentiſſimo comitatu, atque adeò, quod auguſtiſſimum erat, ipſius Ferdinandi, ceteris prælucentis. Redierat vix in ædem ſacram ſolennis pompa, cùm ipſe videns in illa civitate, in qua paulò antè tam fœda hæreticorum colluvies, Chriſtum lumen mundi ita honorari, colluſtrari, eum illicò cœperunt illi ubertim per genas ſuaviſſimæ manare lachrymæ, advocatóque confeſſario: enimverò, inquit, mi Pater, retinere lachrymas diutiùs hoc loco non poſſum, ubi res noſtræ Religionis, à præcipuis illius hoſtibus proſtratæ, peſſundatæque ſunt; hiſce oculis video à ſelectiſſimis nobilis Provinciæ Magnatibus, Euchariſtiæ tantum nunc honorem, venerationémq; deferri. O quàm multis Chriſti verè amantibus, illo die, aliíſq; quibus Chriſti corpus circumfertur, dum videntindignantibus & ſubſannantibus hæreticis, fremantibus & frendentibus Judæis, ringentibus & ululantibus dæmonibus, Chriſtum ab immenſa hominum turba per totum Orbem circumfuſa, tanto cultu celebrari, ſubmiſſa totius & corporis, & animi reverentiâ coli, & adorari. Quot ex ſuperna illa gente Angelorum Ephebos, quot honorarios aſſeclas, Chriſto tunc adſtare, & comitari putatis? quotquot ſunt, qui propè ſunt innumeri, optarent illo die incarnari, ut poſſent in humani Corporis figura conſpicui, lumen præferre, omnémque, quem poſſent, honorem exhibere. Utinam in vobis ferveat zelus ille, qui in Joanne III. Luſitaniæ Rege emicuit. *m* In Principis filii ejus ludis hæreticus quidam auſu ſacrilego, auguſtiſſimam hoſtiam, dum à ſacerdote ritè poſt conſecrationem attollitur, manu arripuit, ſpectante ipſo Rege. Hunc adeò gravis dolor intimè affecit, ut multos dies tenebricoſo in angulo ſolitarius lucem non viderit, neminémque ad colloquium admiſerit; ſed perpetuò illud tantum flagitium intemperanti dolore deplorârit. Pulla deinde veſte indutus, ac lacrymis madens, prodiit in publicum: & ſupplicatione per Ulyſſiponem inſtituta, ad reſarciendam Chriſti injuriam, ipſe nudis pedibus, demiſsíſque, ac rorantibus oculis, omnibus præluxit. O quantam vos Chriſto injuriam intuliſtis impiâ veſtrâ immodeſtiâ, & ſacrilega irreverentia? quoties Herodis ritu, eum indutum albâ veſte, hoc eſt, in albi panis ſpeciebus occultum, ſpreviſtis & illuſiſtis? has ergo Chriſto illatas injurias, ut reſarciatis, & ablatum honorem reſtituatis, publicum teſtimonium Religionis

m Hautin. de V. Sacramento, 535.

ac

ac Reverentiæ exhibere, cereum SS. Sacramento, ac Patri luminum præferendo. Facilè vobis illatas injurias ignoſcet ſol iſtæ juſtitiæ, qui numquam ſolet radios miſericordiæ ſuæ, quàm hoc officio delinitus, ſolenni Triumphi ſui die benignius evibrare. Hoc illuſtre Divinæ Religionis officium, V. Sacramento exhibitum, non ſemel Divina Bonitas, quàm ſit acceptum, miro prodigio comprobavit. Refert enim Franciſus Gonzaga, vir illuſtriſſimus, & Religioſiſſimus, in anniverſaria ſupplicatione SS. Corporis Chriſti *n*, aliquando faces omnes circumferri ſolitas, abſque detrimento ceræ arſiſſe. Idque accidit in Caſtellonii oppido, dum ſacra ea pompa duceretur? à Religioſis ordinis Seraphici. Unde non eſt quod quis hic de ſumptu, & cereo, qui ad veri luminis honorem ardet, ſolicitus ſit; è quo ſi quid conſumatur, alio inſigniori beneficio benignus Dominus compenſabit. Cujus rei teſtes ſunt Annales Societatis noſtræ *o*, qui memorant rarum illud & præclarum, venerationis hujus auguſtiſſimo Sacramento exhibitæ, beneficium. Anno milleſimo quingenteſimo, in Braſilia, noſtrorum operâ pluribus ad fidem adductis, inter Neophytos inſtituta Sodalitas miſericordiæ præcipuè eſt ad mortuos humandos, eorúmque animas precibus adjuvandas. Hiſque Sodalibus id datum quoque honoris, accenſos ut ſuſtinerent cereos, dum Corpus Domini in ſacrificio elevatur: *Fuit inter illos vir antè ferox, & inquietus, qui totus in virum alterum converſus*, non per ferventiorem Divini Eccleſiaſtæ dictionem, non per aſſumptas ſponte corporis afflictationes, & jejunia, non per inſolita, quæ ſcelerati conſcientiam exagitare ſolent, ſpectra; *Sed ex eo dumtaxat, quod jam ipſe, ut ajebat, ſub ſacrificium, dum Corpus Domini elevaretur*, CANDELAM *ſoleret manibus ſuſtinere*. Innumera exſtant ejuſmodi in temporalibus, ſpiritualibus Divinæ munificentiæ argumenta, ut proximè videbimus, ubi de cereis Deiparæ ac Sanctorum cultui accendendis, agemus. Et etiamnum (quod maximè deteſtandum, & execrandum ſacrilegium) invenire eſt, qui teterrimo tenebrioni, Principi tenebrarum cereum, ſeu candelam accendunt *p*, ſimiles Magis, qui ut Delrio *q* ait, diabolo in ſpecie fædiſſimi, ac nigerrimi hirci conplicatis genibus ſupplices, *candelas piceas accenſas* offerunt. Talis ille, de quo D. Athanaſius in Epiſtola ad omnes Orthodoxos ſcribit, inter alia ſacrilegia, Aaronicum unum fuiſſe, qui cereos Eccleſiæ, idolis adoleret. Ad hæc nemo non fidelium perhorreſcit; at ſi inter vos non paucos reperiri comprobem, qui diabolo candelam accendant. Legiſſe me memini, quod nonnulli feſtivum, ego omnino infeſtum duco, hominem repertum, qui quot hebdomadis Divo Antonio cereum accendebat *r*; ſed & alterum porco, ſeu dæmoni appicto offerebat. Cauſam à viro Religioſo rogatus, reſpon-

n Petra Sancta Thaumaſiæ, Thom. 2. c. 9. o Hiſt. Societ. part. 4. An. 1573. 186.

p Qui cereum diabolo accendant.
q Delrio diſq. Mag. lib. 5. ſect. 16.
r Een kerſken aen den Duyvel onſteken

dit: ſe Divo Antonio id cultus, & venerationis deferre, ut proſit ſibi, & opituletur; dæmoni verò ne obſit, & adverſetur. Quaſi verò Divis ac Deo poteſtas non ſit, hunc canem compeſcere, & alligare, atque omne auxilium ad confugientibus liberaliter per ſe elargiri. Illum nihilominus plures hodierna die ſectantur, qui dæmoni cereum accendunt, dum eos quos averſantur, mille injuriis abſentes laceſſunt & dæmone pejus execrantur; quia tamen ſibi aut ſuis, in officio vel beneficio impetrando obeſſe poſſe animadvertunt, omni humanitate accedunt, & munuſcula deferunt. Sic vir gravis in convivio, in cœtu multorum, quemdam oris procacis audit, viro Religioſo, perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica, aut ſæculari conſtitutæ, inſtinctu diaboli non levem calumniam inurere, plurimum ſplendori, ac exiſtimationi detrahere, ſilet. Rogatus ut quid ſermonem non diverterit, ſilentium non indixerit? reſpondet ſe quidem iis, quibus detrahitur obſtrictum, amicum eſſe, eorumque integritatem ſibi perſpectam; ſed noluiſſe alterum habere inimicum, ejúſque offenſam incurrere, ne in ſe, ſuóſque inſurgat: hoc eſt dæmoni cereum accendere. Idem faciunt Leviculi, qui templum ingreſſi, & ſe Chriſtianos profeſſi, unum genu vero Deo flectunt alterum mundo, & diabolo inflexum tenent: qui una manu Roſarium volvunt, altera mentum & barbam mulcent: unum oculum in aram, alterum in puellam defigunt. Conſimiles his ſunt, qui cùm Chriſti imitatione & exemplo, in cereos conformati, vero Deo ardere & lucere deberent, perverſo modo, in Satanæ cereos aptantur, ardentes & lucentes, privatim in ſuum, vel communiter in ſuum & aliorum exitium. Ea fere ratione, qua, ut Tacitus *ſ* refert, Nero perfectum feritatis exemplar, primos Chriſtianorum atroci letho conſumpturus, eos conformari juſſit in cereos, ad uſum nocturni luminis; horreſco referens, *adacto per medium hominem, qui per os emergeret ſtipite*, ut Seneca *t* loquitur, infelicem cruciarium cera plurima, picéque, ac bitumine oblini mandabat, ut arderet velut cereus. juxa illud Juvenalis:

v Tæda lucebis in illa,
Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Ejuſmodi profectò carnificina apud inferos ęternùm excruciandi, qui hic velut piceæ & tartareæ tædæ, concupiſcentiis arſerunt, innumeros eadem flamma incenderunt, & ad omne malum præluxerunt. Sed hæc ſatis de cereis Divino numini accendendis; nunc eundem cultum Deiparæ, ceteríſque Divis utiliter, & laudabiliter deferri, oſtendemus.

§. III.

Origo cultus, Deo, Deiparæ, ac Cœlitibus cereos offerendi, contra Vigilantium, alioſque hæreticos lucis oſores.

ROmani olim hanc feſtam lucem, diem luminarium indigitabant, atque ipſi Plutoni, tenebrarum Principi ſolennem ducebant; idque ob raptam Proſerpinam, quam Ceres mater in-

ſ Tacitus lib. 17. t Seneca Epiſt. 14.
v Iuvenal. Sat. 1.

genti

genti comitatu, accenſis pluribus facibus ac luminaribus, per devia, & avia, per luſtra, & teſqua, anxiè, & ſolicitè quæritabat. Nunc compello vos, à fabulis ad veritatem auditum convertite: Rex ille Tartarorum, & infamis prædo diabolus, Proſerpinam, Principem nobiliſſimam, humanam naturam ſacrilego raptu abduxerat; ſed non deſtituit filiam ſuam Ceres, id eſt, Providentia Divina, quæ orbi providit de frumento Electorum: x ſed accenſâ per Incarnationem face, Chriſto videlicet (quia, ut diximus, *Verbum in carne, quaſi* LUMEN *in cera*) eam per aſpera, & prærupta quæſivit. Unde apud Iſaiam clamat: *y Uſquequo deliciis diſſolveris filia vaga*; ingenti luce, & illuſtri face invenienda es; ideo ſubdit: *z Dedi te* (Chriſte) *in lucem gentium, ut deduceres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentem in tenebris*, in profundo inferni. Hoc lumine, hac face cujuſque anima, undique & undique quæſita, & inventa eſt. Præſens itaque Luminarium ſolennitas inſtituta eſt, ad Infames Lupercalium ritus abolendos, & ſacras Ceremonias Myſteriis pleniſſimas inducendas. Quam cauſam Innocentius III. ex Petri Cathedra allegavit, dum ait: *a Quid eſt autem, quod in hoc feſto* CEREOS *portamus accenſos? hoc ex libro Sapientiæ poteſt conjici, ubi leguntur idololatriæ obſcura ſacrificia facientes: gentiles enim Februarium menſem inferis dedicarunt, eo quod ſicut ipſi putabant, ſed errabant, in principio ejus menſis, Proſerpina rapta fuerat à Plutone: quam quia mater ejus Ceres* FACIBUS ACCENSIS *in Æthna, totæ nocte per Siciliam quæſiſſe credebatur, & ipſi ad commemorationem ipſius*, FACIBUS ACCENSIS *in principio menſis urbem de nocte luſtrabant. Unde feſtum illud appellabatur Amburbale. Cùm autem Sancti Patres conſuetudinem illam non poſſent penitus extirpare, conſtituerunt ut in honorem B. Virginis* MARIÆ, CEREOS PORTARENT ACCENSOS *Et ſic quod priùs fiebat in honorem Cereris, modò fit ad honorem Virginis: & quòd priùs fiebat ad honorem Proſerpinæ, modò fit ad laudem* MARIÆ. Alteram deinde rationem ſubnectit, dicens: ob hoc quoque in Purificatione Virginis *b* CEREOS ACCENSOS *portamus, ut purificati per gratiam, cum* ACCENSIS LAMPADIBUS, *quaſi prudente Virgines, ad nuptias ingredi mereamur*. Quod ſi gentiles olim etiam lætitiæ, ac Religionis cauſa eundem luminum uſum pleno die uſurpare conſuêrint: ſi Judæi quoque lætitiæ aut feſtivitatis cauſa lucernas accenderint, ut docet Perſius *c* de natali Herodis; quin & Religionis ergò factitare ſolitos (ut prætermittamus de candelabro aureo ſeptem infuſoria habente, re omnibus notiſſima) locuples eſt teſtis Joſephus. *d* Quid in eo abſurdi eſt, ſi quæ olim in cultum idolorum fierent, eadem poſtea (argumentatur adverſus vigilantium Hieronymus) in honorem Martyrum converſa fuerint: *e* vel quę in natalitiis, aliiſq; Principū celebritatibus factitari ſolerent; eadem ad natalitia, ac celebritates Martyrū

x Guarric. Serm. 1. de Purificat. B. Virg. y Iſai. 31. z Iſai. 42. a D. Innocent. Serm. in feſto Purificat. B. Virg.

b Baron. in Epitome Spondani An. Chriſt. 58. n. 25. c Perſius Sat. 5. Ioſeph. 18. antiq. c. 6. e Spondan. cit. n. 28.

fuerint tranſlata? ſi quæ diebus Sabbatinis lucernæ accenderentur in Templis, non quòd, inquit Seneca *f*, dii egerent lumine, ſed pietatis ergò, eædem in Dei Genitricis honorem ſint commutatæ? ſi qui in Saturnalibus *g*, cerei erogabantur, in ſolennitatem occurſus Domini, & ſanctiſſimæ ejus Genitricis fuerint converſi *h*; ſi vetus Ægyptiorū anniverſaria ſolennitas, dicta accenſio lucernarum, qua noctu circa domos ſuas frequentes accendere conſueverant lucernas, eadem in feſtivitatem Aſcenſionis Dominicę permutata fuerit? imò ut conſultò & neceſſariò, ita & piè effectum, ut luminum ſacer uſus, à ſuperſtitione Gentilium vindicatus, veri Dei cultui, ac Sanctorum fuerit conſecratus. Nunc verò quid ſub hoc ſacro cultu cereorum myſterii, quantum Religionis, ac venerationis lateat, accepta per eos cœlitus beneficia, ac ſtupenda per orbem edita miracula, ſatis ſupérque, ut videbimus, teſtatum faciunt. Ac primum quidem Dionyſius Carthuſianus *i*, diſquirens, quid hac feſta luce, feſtivus candelarum uſus denotet, ex ipſis cereis, ſpirituale nobis lumen ſuppeditat: *Conſuetudo* inquit, *Eccleſiæ, multas ex rebus geſtis retinet ſimilitudines, quibus & rerum geſtarum repræſentat veritatem, & ſimplicium corda excitat ad pietatem: ut per ea quæ foris repræſentantur, ad interiorem amorem* (& Divinum latens myſterium) *rapiantur*; ideò namque candelas deferimus, ut profiteamur quòd Deipara Purificatione non indigebat, quæ ſola inſtar

· f Seneca Epiſt. 66. g Macrob. 1. Sat. 7. h Herodot. in Euterpe. i Dion. Carth. Serm. de Purific. B. Virg.

fulgentiſſimæ facis, ſine ullo fumo, aut fuligine rutilabat: ipſa enim, teſte Methodio *k*: *Eſt fax omnium ſæculorum*, totum illuminans mundum. Ipſa, ut loquitur Bonaventura *l*, *Illuminatrix generis humani.* Hanc Gregorius Thaumaturgus *m* his verbis ſalutat: *Ave gratia plena, fons lucis, qui cunctos in ſe ſperantes illuminat.* Et D. Epiphanio: *Lampas* vocitatur: *geſtans lucem inextinguibilem, ſole ſplendidiorem.* Significantur autem per cereum, ſeu candelam, quatuor proprietates, & prærogativæ Virginis Matris, quæ in ipſa mirificè fulſerunt: *Primò* virginitas in carne, quæ per ceram ſignatur, induſtria apum factam: ut enim cera, ab apibus: ex cœli rore, & puriſſimo ſucco florum conficitur; ita caro Chriſti, opera Spiritus-Sancti, in utero Virginis, quaſi in alveari, ex puriſſimo Deiparæ ſanguine, omni virtutum ſucco refertæ, confecta eſt. Atque ut apes, nullo libidinis fomite, aut congreſſu, omni prorſus dolore expertes, filiorum examen emittunt, ut virgineus Poëta cecinit:

> *n* · *Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes*
> *In Venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt.*

Ita candidis hiſce è Virgine cera candelis, dilucidè declaratur ex Virgine MARIA, Salvatorem noſtrum, uteri integritate ſervata ſine ullo dolore genitum. *Secundò*: quemadmodum præclara illa ac nitentia lumina, quæ in hac ſolenni pompa à nobis geſtantur, è pulchris, & odoriferis flo-

k Meth. orat. de Hypap. l Bonaven. in ſper. m Greg. Thaum. Ser. in Annunc. Epiph. orat. de laudib. Virg. n Virg. l. 4. Georg.

ribu

ribus illis illibatis & incontaminatis decerpta, fructus ſunt apis, virgineæ animalculæ; ita Chriſti caro, è carne MARIÆ virtutum omnium ſuaviſſimo odore referta, Matris integritate illibata, proceſſit. *Tertiò* ſignificatur puritas in mente, quæ intelligitur per lychnum, juxta illud Pſalmi 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus. Quartò* denique, ſanctificatio in utroque, per benedictionem candelæ, eodem vate atteſtante: *o ſanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus.* Divus verò Antonius *p* Florentinus Antiſtes, alterum hinc fructum colligit: *In feſto Purificationis*, inquit, CANDELAS ACCENSAS *geſtamus in manibus*, LUMEN *ardentiſſimæ Charitatis Virginis deſignantes, & eam vivam in noſtris operibus habere proteſtantes.* Quid, quod hoc ritu, qui perpetuò per orbem terrarum in Eccleſia viguit, nos veri Dei adoratores, & Cœlitum cultores, atque ab Idololatris, & hæreticis alienos, palàm profiteamur; *q* quod illuſtri prodigio S. Severinus Noricorum Apoſtolus declaravit: hic aliquando apud Rugos in Caſtello, ubi accolæ, partim Chriſtiani orthodoxi erant, partim ſe alii adhuc Idololatria inquinabant, in Templo adeſſe promiſcuè omnes juſſit, & cereum ſingulos ferre. Cùm verò tridui jejunium Clero antea indixiſſet, poſt hymnos, & ſolemnes preces, quoniam inſtaret jam hora ſacrificii, Deum rogavit: dignaretur lumen ſuæ cognitionis oſtendere, ad ſacrilegos diſcernendos. Et ecce ſtatim pars ea cereorum, quos attulerant Chriſtiani, divinitus eſt accenſa; manſerúntque ſine luce, cerei aliorum, qui erant Idololatræ. Ergo ii manifeſto eo indicio ſunt inducti, ut impietatem ejurârent: quandoquidem ignis de Cœlo declaraverat, utri eorum filii lucis, an filii tenebrarum eſſent. Si hodierna die divinitus illud prodigii contingeret, an non ex hîc ſtantibus quorundam ex Manichæorum ſecta, qui ILLUMINATORES audiebant, & ſuos vocabant ILLUMINATOS, ut Auguſtinus *r* teſtatur: aut è Vigilantii ſchola, aut Lutheri, & Calvini harâ, lumeri filii tenebrarum, lumine ſuo extincto, ſe filios lucis profiteri, & ſacras Eccleſiæ ceremonias venerari inciperent? Quas ipſi ſannis, & ludribrio proſequuntur. Quaſi verò Deus *Pater ſ* LUMINUM, *qui lucem habitat inacceſſibilem*, & omnes Cœlites qui *amicti* LUMINE *ſicut veſtimento*, in tenebris, & atra nocte, ſine luce coli deberent, quemadmodum tenebriones illi ſpurca ſua, & obſcæna ſacrificia in hypogæis & locis ſubterraneis, extinctis luminibus peragere conſuêrunt, uti Spondanus *t de ſecta Impurorum, de Lobardis*, aliíſque commemorat. Unde egregiè D. Hieronymus dromonem illum, Vigilantium, inſultantem quod pleno die ante ſacras aras, & icones, cerei accendantur, ſic exemplo Judæ, per-

o Pſ. 45. v. 5. p Antonin 4. part. hiſt. tit. 55. c. 24. q Baron. an. Chri. 473. P. Petra ſancta Thaumaſiæ. Tom. 1. cap. 53.

r Aug. lib. contra epiſt. fundamenti. c. 25. ſ 1. Timoth. 6. v. 16. t Spondanus in annalib. Eccleſ. a. 1315. & An. 1340.

ſtringit; *v Cauſabantur quondam Apoſtoli, quod periret unguentum: ſed Domini voce correpti ſunt: neque enim Chriſtus indigebat unguento* (nec Deus, nec Deipara) *nec martyres* LUMINE CEREORUM *& tamen illa mulier in honorem Chriſti hoc fecit, devotióque mentis ejus recipitur. Et quicumque accendunt* CEREOS, *ſecundum fidem ſuam, habent mercedem.* exſtant etiamnum non pauci impudentiſſimi, quos nominari pudet, novatores, qui cum Juda clamant: *Ut quid perditio hæc?* dum ipſi in conviviis, in choreis, in atriis ad luxum 20, 30, 100, cereis, in pendulis coronis relucentibus, diem, & ceram, & cereos comburunt. Nolite vos Catholici filii lucis cogitare, quod ex hac oblatione cereorum, quidquam ſitis perdituri. Rem multis inauditam, & certa licet fide comprobatam, heterodoxis ſannionibus incredibilem narraturus ſum. Vidit Roma non ſemel, ſed quotannis in Anniverſaria celebritate Virginis in Cœlum aſſumptæ, hoc perpetuum miraculum. Conferebant Romani Cives eo die cereos ſinguli, ad aram Liberianæ Baſilicæ in exquiliis, in qua icon ejuſdem Virginis, à ſancto Luca expicta, & prototypo ſimillima: quia Diva gratiam addebat pictori, ut exprimeret eam felicius, quemadmodum affirmavit S. Dionyſius. Sed cereos Romani priùs in ſtatera librabant, ut de pondo eorum conſtaret, & cum arſiſſent pridie in veſperis, ac etiam poſtridie antemeridianis ac pomeridianis horis, uſque ad Solis occaſum quo ſinguli à propriis Dominis, ab Eccleſia domum reportantur: Lanci imponuntur, & alteri pondus heſternum, & ecce mirabile dictu, poſt tam prolixam cerei ſui exuſtionem, ſolicitus ille appenſor ac ſpectator, nihil de pondere imminutum invenit; ſed totum quod Deo, ejuſque Virgini Matri devotus incenderat, ſe accepiſſe miratur. *x Hoc tam nobile, & ante nuſquam auditum miraculum*, inquit Petrus Cluniacenſis, *ad commendandam mortalibus gloriam Matris Domini, non in quolibet ignoto, vel humili loco: non in qualibet, vel quantalibet Civitate; ſed in ipſa Urbe orbis capite, non ſemel tantùm, ut vidi, ſed aſſiduè, recurſu annuo Divina pietas, & potentia operatur.* Quod ſi cerei veſtri, ea inconſumptibili virtute non polleant, ſcitote longè excellentiori beneficio jacturam illam (ſi ita appellanda ſit) compenſari. Quia, ut inquit Hieronymus *y*, *quicumque accendunt* CEREOS *ſecundum fidem ſuam, habent mercedem.* Alii incrementum gratiæ, alii tranquillitatem Spiritus, plerique Incolumitatem corporis, & animæ De quo: ne prolixitate quibuſdam faſtidio ſim, unum ſolummodo in exemplum propoſuero. *z* Vir militaris, vitæ proſtitutæ, uxorem habebat Virgini Matri impensè deditam, quæ diu, multúmque pro mariti converſione ſupplicârat, dum ecce nocte quadam intempeſta, maritus à Spiritu rapitur ad Dei Tribunal, ubi de flagitiis ſuis convictus, extremam in ſe damnationis ſen-

v Hieron. adverſus Vigilantium.

x Petrus Cluniacenſis l. 2. de mirac. c. 3. Petra Sancta Thaumaſiæ. To. 3. c. 8. y Hieron. adv. Vigilant. z Diſcipulus in promptuario, De miraculis B. V. exemplo 50.

ſententiam ferendam, anxius deprecabatur: cúmque omnes Cœlites rogarentur, num aliquem eorum unquam honorâſſet? reſpondit Maria, illum ſemel ſibi ingentem cereum obtuliſſe, atque ob hanc gratiam, cereus illi in manu datus eſt, quo omnes cacodæmones, ad invadendum paratos fugavit. Ad ſe reverſus, totius rei ſeriem narravit, ac domo in hoſpitale converſa, mirâ ſanctitate vixit, & ad lucem æternam evolavit. Quare qui tale, aut ſimile beneficium expectant, quot diebus ad aram Virginis Matris, aut ſingulis Sabbatis, ante iconem ejus, vel reliquias Sanctorum, ut Auguſtinus *a* monet: *qui poſſunt, aut* CEREOS, *aut oleum offerant* illámque, & cœlites, per tenebroſam, & caliginoſam illam æternitatis ſemitam, ſibi prælucentes nanciſcentur.

Qua de re cùm mentio inciderit, non poſſum quin *Epilogi loco, de ritu b* CEREI MORTUALIS pauca agam. Sacrarum litterarum interpres celeberrimus Cornelius à Lapide *c*, ad illa verba: LUCERNÆ *ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles exſpectantibus Dominum ſuum*, hac feſtivitate, ſic diſſerit: ut cum illo cereo tanquam famuli, Chriſto venienti occurratis. Ex hac porrò Chriſti ſententia, inquit, ortus eſt mos fidelibus, in agone dandi in manus CEREOS BENEDICTOS ACCENSOS, ut teſtentur ſe fide, & charitate ardenti, occurrere Chriſto. Iſtud moribundi teſtamur, vel ipſis adſtantium oculis, dum comprehenſo ardente cereo, adventum Domini operimur, & vitæ lampadem, velut alteri tradimus. Cùm ſuis vivus & ſuperſtes exequiis Carolus V. adſtaret, ſacrificanti propior factus, eíque tradens, quam geſtabat, accenſam facem, ſublatis in cœlum oculis: *d Ego te, inquit, vitæ, ac mortis arbiter, oro, quæſóque, ut quemadmodum oblatum hunc à me* CEREUM *ſacerdos capit, ſic commendatam in manus tuas hanc animam tu, quandocumque libuerit tibi, in ſinum, complexúſque tuos benignè ſuſcipias.* Hujus piiſſimi monarchæ exemplo, dum Sacerdos cereum mortualem in manus tradet, dicens: *accipe* LAMPADEM *ardentem, ut cum Dominus ad judicandum venerit, poſſis occurrere ei, cum omnibus ſanctis*, vitam, & animam noſtram in manus benigniſſimi Redemptoris commendemus. Quod tranquilliori animo, & voce amæniori fit ab homine mundo mortuo, & viro verè religioſo, quàm carni, ſanguini, divitiis, & vitiis immerſo; cui acerbiſſimum, officio, beneficio renuntiare, & alteri lampadem tradere. Audi Eccleſiaſtem diſertiſſimum coram Duce Bavariæ perorantem Jeremiam Drexelium *e*: virum Religioſum, inquit, fuiſſe commemini, tam pacatæ, ac ſerenæ conſcientiæ, ut ei etiam in morte ridere ſit conceſſum: cùm enim *moribundo* FATALIS CEREUS *in manus traderetur*, ille obverſis in ſuum præſidem oculis: tot, inquit, circumſtant hic robuſti viri, cur obſecro, mi Pater, ego tam

a Aug. ſerm. 215. de temp. b De cereo mortuali. c Cornel. in Luc. c. 2. lumen ad revel.

d Strada de bello Belg. an. 1556.
e Drexel. prodrom. c. 3. §. 46.

exhauſtis viribus cereum tenere cogor? Quàm læta mors, quam ille in via æternitatis, ubi alii caligant, lucem proſpectabat? Quid vetat talem ridendo mori, qui lucerna charitatis ardente, ſponſo occurſabat? Ambroſius *f* ſolerter, & ſolicitè nos admonet, ut Gratiæ cereus nobis in hac *denſa nocte præluceat; ne ſicut in tenebris ambulantes, incertis titubemus veſtigiis, & veram viam invenire nequeamus*, à qua aberrâſſe, æternum periiſſe eſt. Quot reperire eſt meticuloſos, qui ſero veſpere, aut nocte concubia ſine candela, ſoli ſolarium aſcendere, aut in caveam deſcendere reformidant, neſcio, quid horroris in tenebris, quid lemurum, aut ſpectri metuentes; at longè formidoloſius eſt, & verè horribiliſſimum, iter æternitatis, regionem umbræ mortis, abſque lumine gratiæ ingredi; ſic porrò Chryſoſtomus *g*: *Si iter, quod fert de una regione in alteram, noctu conficere difficile, ac periculoſum ſit, quomodo tutum erit ingredi viam, quæ à terra ducit in cælum? neſcitis, quam multi dæmones in hoc intervallo: quàm multæ feræ: quàm multa ſpiritualia nequitiæ? At ſi illam quidem* LUCEM *habeamus, nihil poteſt nos lædere; ſin autem extinxerimus, nos citò interficiunt, & citò omnia noſtra auferunt: latrones quippe* EXTINCTA LUCERNA *latrocinantur*. Altera lucerna pedibus noſtris, ſunt opera bona, & merita, ac heroicarum virtutum actus, qui præceſſerunt; ut accidiſſe legimus *h* Religioſiſſimo viro Gonſalvo Mederio: hic ea virtute pollebat, ut in ſeveriſſimo vitæ inſtituto æquabilis, perpetuáque illius conſtantia emineret: quippe annis compluribus præter aliorum ſacerdotum penſum, ſex quotidie horas precationi, meditationíque impendit. Atque hanc precandi conſuetudinem, ne in itinere quidem omiſit: Magna quin etiam ex parte retinuit ſupremis vitæ diebus, cùm peſſime affectum corpus, pænè ſpiritus defeciſſet; Paulò ante exceſſum, aliquot ſociorum accitis, *ſacrum cereum juſſit accendi*: Tum ſymbolo Apoſtolorum prolato: in hac, inquit, fide inſtitutus ſum, in hac vixi, in hac morior: teſtórque, ſi quid fortè in extremo agone excidat mihi, jam nunc indictum, & irritum velle: ac protinus brachio porrecto, *cereóque* manu prehenſo: *ut lumen*, inquit, oculos illuminat corporis, ſic ego credo Dominum *Jeſum* illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, quia ipſe lumen verum, & æternum eſt. Quæ magno ſenſu cùm protuliſſet, continuas inde ſancta cum Deo colloqia, piόſque affectus, & actus virtutum, Eccleſiæ myſteriis omnibus præmunitus, hoc cereo, tótque bonorum operum, ac virtutum lucernâ prælucente, iter felicis æternitatis intrepidus ingreſſus eſt. Quotidiana experientia eſt, optimam candelam eſſe, quæ præluceat, & recepta parœmia: plus prodeſſe unam candelam antè, quàm centum faces à tergo; quod cùm nemini non perſpectum ſit, ſedulo curandum, ut ante mortem, & dum ſani, ac incolumes ſumus de ſimili lucerna, ac cereis, qui præluceant, proſpiciamus

f Amb. in pſal. 118. v. 105. g Chryſoſt. in 1. ad Theſſal. c. 5. hom. 11.
h Drexelii. prodrom. cit.

ciamus. Etenim una miſſa audita attentè, & piè in vita, plus meriti & gratiæ, & fructus confert, quam ſi mille dicantur poſt mortem. Idem de Eleemoſyna, aliiſque pietatis, ac miſericordiæ operibus. Una candela ad aram Dei Matris, ardenti cordis affectu accenſa, plus tibi proderit, quàm mille faces poſt mortem, ad inanem pompam funus ſubſequentes. Multi prudenter teſtamento mandant, ut quamprimum ab obitu pia legata, & expiatoriæ miſſæ perſolvantur; ſed melius ſibi proſpexerint, ſi dimidiato ſaltem eorum numero, in ipſo morbo aut extremo vitæ mortiſque confinio, ea fieri curent. Quod ſapienter ſanxit, eruditione, & pietate celebris Cancellarius Pariſienſis Gerſon, *i* qui ante mortem mille pauperibus lautam Eleemoſynam elargiri mandavit, ut hac precatione prælucerent: *Miſerere Domine Deus, Gerſonis ſervi tui.* Ridet Romanus Philoſophus, & jure merito, inconſiderantiam mortalium, qui in morte, in ſuos munifici ſunt, cum ab iis nihil amplius obſequii, vel gratitudinis ſperare, aut expectare poſſint: *k Quid eſt*, inquit, *quare grati velimus eſſe cùm morimur. Quare ſingulorum perpendamus officia? In illo cardine poſiti, abire è rebus humanis quàm gratiſſimi volumus.* Tum amicis, famulis, ancillis ampla legata ſcribimus, quibus dum viximus, ſi quid donaſſemus, obſequio auxilio, ſervitio, favore, benevolentia obſtrictos nobis habuiſſemus. Sic & Deus, & ſuperi in vita, non in morte, dum omnia deſerenda ſunt, bonis noſtris obſtringendi ſunt. Id pius Antiſtes docuit matrem ſuam prorſus avaram (quæ ſe exuere nolebat, antequam cubitum iret, id eſt ante mortem) hanc ad cænam invitatam, deduxit per longam porticum in tenebris, ad extimam quandam aulam; ipſam verò lumen inclamantem, hoc ſalutari monito ſuaviter erudiit: ſic longo itinere æternitatis, ad aulam Cœleſtem properanti, magis lumine quod præluceat opus eſſe. Hoc & vobis dictum attendite, & illud quod Lucilium monet Seneca *l*, *ſubinde conſiderate, quàm pulchra res ſit, conſummare vitam ante mortem* (bonis operibus quæ præluceant) *deinde expectare ſecuram reliquam temporis partem*, ut, quod Hieron. *m* ad Marcellam, *accenſo lumine ſponſi expectetur adventus*, cúmque eo intrare ad nuptias, & in æternum in templo Domini ardere, & lucere valeamus.

i In vita ante opera. k Seneca de benef. lib. 4. c. 22.

l Seneca ep. 32. m Hieron. ad Marcellam, ep. 41.

FESTUM

Trium BB. Martyrum Japonenſium.

PAULI MICHI, JOHANNIS GOTO, JACOBI GHISAI,

Societatis JESU.

Hæc fecerunt TRES ROBUSTISSIMI. *Lib. 2. Reg. c. 23.*



Tres unus conficit Amor.

ARGUMENTUM.

TRes viri Robuſtiſſimi, ſanguinis, & vitæ impendio, caſtra Philiſtinorum perruperunt, ut ſitim Regis

Regis ſui, aqua de ciſterna Bethlehem reſtinguerent. Ardentior Chriſti, Regis noſtri, ac Redemptoris ſitis eſt; qua non fontium, aut fluminum; ſed ut Patriarcha Venetus loquitur: a SITIT *ſalutem populi: quia aquæ multæ, populi multi*; ſitit ſalutem tot millium Bungiorum, Meacenſium, Japonum, omniumque Gentilium: ad quam reſtinguendam tres illi invictiſſimi pugiles, per caſtra infernalium Philiſtinorum, per tartareas Barbarorum phalanges, per omnia idolorum fana, & vitiorum monſtra irruperunt. Hæc *gloriosè pro Deo feCerVnt tres VIrI fortIßIMI.* dum transfixa lanceis, uno *trIa CorDa VVLnerantVr aMore.* Quorum invictum animi robur, ac Chriſtianam vel in ipſis Japonum parvulis, fortitudinem, omnes vires humanas & Romanam illam gentilium fortitudinem, infinitis paraſangis antecellere; tum qua ratione & nos horum exemplo, fortiter patiendo, & religioſi Chriſto in cruce confixi, martyres eſſe poſſint declarabo.

§ I. *Quæ ſit vera, & chriſtiana virtus fortitudinis?*

§ II. *Fortitudinem Romanam Gentilium, longe ſuperat Chriſtiana, vel Japonenſium.*

§. III. *Quâ ratione, & nos fortiter patiendo, martyres eſſe poſſimus?*

§. IV. *Religioſi,* b QUIBUS MUNDUS CRUCIFIXUS EST, ET IPSI MUNDO, *quomodo Martyres cenſeantur?*

a Laur. Iuſtinian. de Chri. agone c. 19. b Ad Galat. 6.

FE-

FESTUM

Trium BB. Martyrum Japonenſium.

PAULI MICHI, JOHANNIS GOTO, JACOBI GHISAI.

Societatis JESU.

Hæc fecerunt TRES ROBUSTISSIMI. *Lib. 2. Reg. c. 23.*

Sitiverat olim David aquam de ciſterna Bethlehem; ſed oblatam à tribus fortiſſimis ducibus, qui per media Philiſtinorum caſtra irruentes, eam hauſerant, libavit Domino. Sic etenim Sacri regum Annales memorant: c *David erat in præſidio. Porrò ſtatio Philiſtinorum tunc erat in Bethlehem: deſideravit ergo David, & ait: ô ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem circa portam! Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat juxta portam, & attulerunt ad David, at ille noluit bibere, ſed libavit eam Domino.* Ac tandem illud Emphaticum ſubjungitur: *Hæc fecerunt* TRES ROBUSTISSIMI. Quæ, obſecro, fuit hæc tam præpropera, & impotens Davidis appetentia, ut nemine in toto exercitu de ſiti conquerente, ſolus Rex ſitim ſuam palàm indicaret: Et quod plus mirêre, nulla alia aqua, quam quæ hauriretur de ciſterna Beth-lemitica, ſatiandam? Innumera ſunt, quæ ad hanc difficultatem enodandam, reſponſiones congeruntur. E multis paucas decerpam. Seraphici Ordinis Doctor egregius Nicolaus Lyranus, tanta divinarum Scripturarum verâ, purâ, ac germanâ intelligentiâ præditus, d *ut in eis exponendis nullum eruditiſſimorum Theologorum ſui temporis habuerit parem*, ſic ſentit: *David*, inquit, *exemplum præbuit militibus ſuis fortitudinis, & conſtantiæ. Vicit naturam, ut ſitiens non biberet: Ut ſuo exemplo omnis exercitus tolerare ſitim diſceret.* D. Ambroſius, nobilem hîc paſſionum victoriam in Davide commendat: f *Repreſſa victor cupiditate profudit aquam, ut oſtenderet, quod concupiſcentiam ſuam reſtingueret. Poteſt igitur mens ſobriâ impreſſiones refrænare, ac reprimere, quamvis graviorem paſſionem, & fervorem omnem cupiditatis flagrantiſſimæ refrigerare, & rectæ rationis tractatione deſpuere paſſiones.* Non abſimi-

c Lib. 2. reg. c. 23. v. 14.

d Liran. Hugo Card. in 2. reg. 23. v. 14.
e Sixtus Senen. l. 4. 31. de ſcript. Ec-
f Amb. lib. 1. de Iacob. & vita beata c. 1.

lem

lem ad mores, ex hoc illuſti Regis Iſraelitici facto, inſtructionem elicit Magnus Gregorius: g *Cogitandum eſt*, inquit, *ut qui illicita commiſit, à quibuſdam etiam licitis abſtineat, ut per hoc conditori ſuo ſatisfaciat; ut qui commiſit prohibita, abſcidat ſibi etiam conceſſa, & ſe reprehendat in minimis, quem meminit peccaſſe in maximis. David ergo qui concupiſcere alienam conjugem non timuit, pòſt etiam, quia aquam concupiſſet, expavit.* Eſtque illud multis documento: nam ut ille verè cecinit:

> h *Eſt virtus placidis abſtinuiſſe bonis.*

Ad rem noſtram accommodatiùs Mediolanenſis Antiſtes, dicens: i *Si altius velis ſpectare, & introſpicere myſterium, ſitiebat David non aquam de lacu, qui eſt in Bethlehem; ſed oriundum ex virgine Chriſtum in Spiritu prævidebat. Volebat ergo bibere non aquam fluminis, ſed potum aquæ ſpiritalis; hoc eſt, non aquarum ſitiebat Elementum, ſed ſanguinem Chriſti. Denique non bibit oblatam aquam; ſed Domino profudit, ſignificans ſitire ſe Chriſti ſacrificium, non naturæ fluentum, illum ſitire ſe fontem æternum*, qui aliquando in Bethlehem ſcaturiret. Sophronius Archiepiſcopus Jeroſolymitanus vult hoc loco ſignificari perfidiam Judæorum, fontem aquæ vivæ, Chriſtum faſtidientium: k *cur*, inquit, *noluit bibere? quia Prophetiæ lumine illuſtratus, fore prævidebat, ut Iudæi aquæ illi viventi, omnidque vivificanti, ſecundum carnem è Bethlehem exorituræ, & è lacu virgineo naſcituræ, & in lucem prodituræ; hoc eſt Chriſto, fidem denegaturi eſſent. Ut Vates ergo ſanctiſſimus, Iudæorum in Chriſtum perfidiam facto adumbrabat.* ob id, inquam, divinus ille vir aquam ad ſe delatam haurire noluit: quia inſanos, ſceleratóſque Judæos Chriſti prædicationi in ſuum ipſorum interitum, *& perditionem nequaquam credituros præſagiebat, certòque prævidebat.* Sitis hæc divinis plena myſteriis, ſitientem Jeſum adumbravit, cujus David (ut inquit Auguſtinus *l*) typum expreſſit. Inter omnia quamtumvis acerba, & atrocia tormenta, Redemptor noſter nunquam niſi de intoleranda ſiti conqueſtus eſt, voce magna è cruce clamans: *Sitio*. Ille qui è cœlo ſuaviſſimos in terram imbres depluit, limpidiſſimos fontes ſcaturire fecit, ſitibundis filiis Iſrael aquam ſuper mel dulcem propinavit, clamat; *m Sitio*. Quid ſitis, Domine Ieſu? An fortè *mulſum malorum punicorum, poculum ex vino condito*? num cum *Davide aquam de ciſterna Bethlehem*? Alia illi, & longè ardentior ſitis eſt: *ſitit*, inquit Chryſologus *n*, *lacrymas peccatorum*; dedit mundo lacrymas mixtas ſanguine, vinum illud nobiliſſimum, *lacrymam Chriſti* propinavit, ſitit ille *o lacrymas pœnitentum, vinum Angelorum.* Sitit lacrymas peccatorum, ac barbarorum: ſitis illi inextinguibilis eſt, quam aquæ multæ, nec flumina ſaturare poſſunt: Quid ſitis, Domine Jesu? Reſpondet Africanus Antiſtes *p*: *Quod ſitire* ſe-

g S. Greg. apud Lyran. l. 2. reg. c. 23. v. 15. h Ovid. Ep. i Ambr. Apologia David c. 7 Lyran l. 2. reg. c. 23. k Sophron. orat. de Chriſti Natalitiis tom. 2. Bibliot. 2. edit.

l Aug. in pſ. 54. & 56. m Cant. 8. v. 2. 2. reg. 23. n Chryſolog. ſerm. 93. o Bernardus. p Aug. dom. in ramis Palmarum ſerm. 41. in appendice pſ. 29. v. 10.

ſe in cruce poſitus dicit; fidem incredulæ gentis concupiſcit. *Sitit* ſalutem non fidelium duntaxat, ſed millium Indorum, ac Japonum, de quibus amariſſimè queritur apud Prophetam: *Quæ utilitas in ſanguine meo?* unde perappoſitè Laurentius Juſtinianus q: *Sitit ſalutem populi, quia aquæ multæ, populi multi.* Quanta in flagrantiſſimo Jesu corde pro ſalute omnium ſitis exarſerit, argumento eſt vel unica animula, quã fons vitæ, ſedens ſuper fontem, ardentiſſimè ſitiit, ut ſolerter obſervat Auguſtinus, dum ait: r *Sicut & illi mulieri Samaritanæ dixit, Sitio. Quid eſt Sitio? deſidero fidem tuam.* Sitit & deſiderat fidem omnium infidelium, omniũ populorum. O ſi quis daret illi aquam illam, ad ſitim reſtinguendam, *aquæ multæ, populi multi*, tot millium Bungiorum, Meacenſium, Molucenſium Ozacenſium. *Irrupuerunt ergo tres robuſtiſſimi* inclyti tres Heroes, *Paulus, Joannes, Jacobus*, inviƈtiſſimi pugiles per caſtra infernalium Philiſtinorum, per tartareas barbarorum Phalanges, per omnia idolorum fana, & vitiorum monſtra perrumpentes. *Hæc fecerunt tres robuſtiſſimi*, ut ſitim Regis ſui ſolarentur, & chriſtianam inviƈti peƈtoris fortitudinem, atque animi robur duci ſuo comprobarent; hanc porrò cauſam adducit doƈtiſſimus Lyranus ſ, quod Jeſſæus Rex ſe ſitire diƈtitârit: *Dixit David hoc non propter concupiſcentiam aquæ, ſed quia volebat audaciam ſuorum experiri. Unde ſubditur: at ille non bibit. Per hoc oſtendens* (& quaſi vaticinans) *quod exponens ſe periculis contra infideles, facit ſacrificiũ Domino acceptiſſimum*; Quale hodie tres illi robuſtiſſimi æterno numini obtulerunt. t *Mearum teſtis & arbiter ſententiarum* Hieronymus, quem Doƈtorem maximum indigitavit Eccleſia: v *David*, inquit, *non deſiderio aquæ hoc fecit; ſed ad probandum, utrum tam fortes inveniri potuiſſent, qui hoc attentarent. Sacrificavit eam Domino, gratias agens quia tam fortes viros in Iſrael dederat.* Agamus & nos hodierna feſtivitate grates Domino, quod tam *fortes viros* in Eccleſia dederit. Trinitati laudem dicant *hi tres robuſtiſſimi* verè Triarii, in quos ceteris haƈtenus in eo campo deſideratis, Barbarorum furor deſæviit. Hæc maxima divinæ naturæ majeſtas, ut pro tribus ſit, tribus ſatis ſit, tribus ſatis ampla perſonis; adeò eſt Trinitas, honos, & nobilitas divinitatis. Unus Deus noſter, triplex perſona eſt, tantũ pro tribus eſt, ſed pro millibus diis. Hanc excellentiam æmulantur deifici viri, ut unus pro tribus ſit, unus pro multis, quiſq; vicarius triũ & plurium, uno tres divini amoris telo confixi ſunt, quo longè excellentior illis gloria acceſſit, quam laudatiſſimus ille heros Godefridus Boullionius, dum uno telo in arcem Davidicam Hieroſolymis emiſſo tres aves transfixit retulerit, quod regii faſtigii præſagium fuit. Quî unus ipſe adæquabo laudes trium triplicatorum, hoc eſt divinorum virorum? Sanƈtiſſimæ Triadi unus amor eſt, pro multis & innumeris. Tres hi uno amoris telo ſaucii, plures animas, plura cum Briaræo corpora optabant, ut pro multis ſinguli diligerent, ut pro multis cruciarentur. Non ſatis ſapientiæ, & fortitudini, tã magnis ani-

q Laur. Iuſtin. de Chriſti Agone c. 12. r Aug. cit. ſ Lyran. in l. 2. reg. c. 24. v. 14. t Horat. v Hieron. quæſt. Hebraic. in Paralypom.

animis unum corpus. Nolim, & lætor, non poſſe me obnubere laciniosâ eloquentiâ frontem ſinceræ virtutis, nec exaggerantis imagine, minuere laudes. *x* Honorem propria opera impetrant, non aliena dicta: nemo honeſtior eſt, quod alius dixerit bene; ſed quod ipſe fecerit. Quare maximè laudatus eſt, cujus facta neſciunt minora eſſe dictis; quorum honori ſatis eſt ſciri: nec amplius conſtent auditu, quam obtutu. Quędam injuria maximorum virorum, affectata hiſtoria, cum argumentum minoris virtutis videatur, procuratis magnificari verbis. Nullum debet virtus magna laborem faceſſere oratoribus; ab illo quem exhibuit operanti, laudantem redimit, cum negligentia ſermonis, per ſe extollitur. Si Orator videri velim, vereor injuriam feciſſe ampliſſimæ virtuti: hanc potius eſt fas narrare, quàm æſtimare: nec tam mihi animus exquiſito commendare ſermone omnes virtutes, quam unam chriſtianæ fortitudinis commemorare: Nam ſatis

Laus eſt ardua, dura ſuſtinere:
Ignavis, timidis, & improbatis
Multum fingitur otioſa virtus.

§. I.

Quæ ſit vera, & chriſtiana virtus fortitudinis.

SOlet vulgus, ac muliebre ingenium cum ſtupore, & vociferatione admirari portenta quædam humanæ fortitudinis, quæ à validis lacertis, à nervorum robore, à membrorum, totiúſque corporis viribus commendatur. Vultis unum, alterúmve illuſtre, hoc in genere prodigium? *y* Polydamas ferocientis tauri calcem non prius dimiſit, quam ungulam exutam in manu relinqueret: *z* Quadrigas tota vi concitatas, injecta manu ſiſtebat. Fortius an audacius illud Lyſimachi *a*: hic Agathoclis Filius, leoni famelico, Alexandri juſſu objectis, manum amiculo involutam in os leonis intulit, arreptâque linguâ, feram exanimavit. Quod ſi recentiora quæratis: *b* Blaſius Magærus ſic luſit viribus, ut ſublatum dentibus armatum hominem, militares inter choreas armatus etiam ipſe circumferens, ſaltaret. *c* Hubertus de cruce Mediolanenſis, jumentum frumento onuſtum portabat, & ſtans pede in uno, à nemine de ſtatione dimoveri poterat: ſed omnem vincit admirationem, *d* quod de Milone Crotoniate referunt hiſtorici. Hic in Olympico certamine, preſſo anhelitu bovem portavit per ſtadium, quem pugno mactavit, totúmque eodem die devoravit. Nemo malum manu prehendentem extorquere poterat. *e* Omnia hæc portenta & prodigia humanæ fortitudinis, nihil habent admiratione aut veneratione dignum, non magis quam urſi, leones, alíæve ferociſſimæ belluæ, præterquam quod hæc robuſta corpora, non raro infirmo & effeminato animo comperiantur: quod in Milone, de quo egimus, videre fuit, cui nemo adverſariorum malum, quod manu tenebat, eripere pote-

x Paradin. in Symb. Heroic. p. 3.
y Rhodigin. l. 7. c. 57.
z Ionſthon. Thaumatographia Plin. l. 8. c. 16. a Pauſanias in atticis. b Nieremberg. hiſt. naturæ l. 3. c. 9. pag. 37. c Leand. in Mediolan. d Plin. l. 7. 20.
e Exempla raræ fortitudinis corporalis.

rat: atque amaſia ejus nullo negotio eximebat; *f* veluti liqueſcens ille erat animo & corpore ad puellæ contactum. Et ne profana ſectemur, Samſon miraculum fortitudinis, ut ſacræ paginæ teſtantur, mulierculæ ſuccubuit:

Lenam non potuit, potuit ſuperare leænam
Quem fera non potuit vincere, vicit hera.

Quid, quod fortiſſimi quíque, imbelles animo, non ſolum habent, quod turpiter ament, ſed quod muliebriter metuant, ne quid contra exiſtimationem accidat: ne quid famæ, fortunis, valetudini, vitæ adverſetur; non alia de cauſa, quàm quod verâ fortitudine, quæ firmitas animi, deſtituantur. Hoc ſolerter, ut aſſolet, Seneca obſervavit *g*: *Quod alieno metu magnum eſt, à ſuo non vacat. Leoni quàm pavida ſunt ad leviſſimos ſtrepitus pectora? acerrimas feras umbra, vox, & odor inſolitus exagitat. Quidquid terret, trepidat. Curriculi motus, rotarúmque verſata facies, leones redigit in caveam. Elephantos porcina vox terret*; vel muſculus: viros viribus & corpore fortiſſimos, ſic minima terrent, & exanimant. Ita nobilis Anglus ad conſpectum felis obriguiſſe: alius Princeps ad præſentiam muris concidiſſe legitur, de quo illud exſtat:

h Men ſeght ons van een Prins
Die noyt gewelt ontſagh,
En van een kleyne Muys
Als Doot ter Aerden lagh.

Alii viri fortes, ac robuſti linquuntur animo, ſi vel venam aperiri conſpiciant: *i Fortitudo*, de qua agimus, *contemptrix timidorum eſt. terribilia ſub jugum libertatem mittentia, deſpicit.* Quam ſuis coloribus, & aptam Chriſtianis moribus ſic depingit Doctor Angelicus *k*: *Fortitudo* ut eſt virtus, non robor corporis, *importat firmitatem animi, in ſuſtinendis & repellendis his, in quibus maximè difficile eſt firmitatem habere, ſcilicet in aliquibus periculis gravibus. Unde Tullius dicit, l quod fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio. Hæc fortitudo eſt ſpecialis virtus; quia ad eam ſpectat firmiter contra quæcumque impugnantia ſtare.* Sic ut nullum adeò arduum, damnificum, terrificum valeat objectari, quod animum à bono deflectat. Hinc ſubdit: *m Ad virtutem fortitudinis pertinet, ut voluntatem hominis tueatur, ne retrahatur à bono rationis, propter timorem mali corporalis; oportet autem bonum rationis firmiter tenere contra quodcumque malum: quia nullum bonum corporale, æquivalet bono rationis*, & æterno ac ſummo bono; nec ullum malum debet ab eo avocare, juxta illud: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Accedit huc diviniſſimi viri ſententia dicentis, ac docentis, quod *n fortitudo eſt animæ affectio*, qua homo *omnia* hujus vitæ *incommoda, & damna rerum*, quamtumvis gravia, *contemnit: nec ullas adverſitates, mortémve formidat.* Hac animi firmitate, hoc mentis robore, præditi fuere generoſiſſimi noſtri milites, ſed priuſquam tormentorum tempeſtas, & nubes illa

f Elianus l. 2. c. 24. g Seneca l. 2. de ira c. 12. h Schat der geſontheydt pag. 232.

i Seneca Epiſt. 88. k S. Thom. 22. q. 123. art. 2. l Cicero lib. 2. de inventione. m S. Th. cit. art. 4. n Auguſt. l. 1. de lib. arb. c. 13. l. 6. de muſi. c. 15.

ſan-

ſanguinea truculentę perſecutionis in caput illorum detonuit, paucis Japoniæ ſtatum, quod Geographi ſolent, quaſi in mappa, oculis ſubjiciam. *o* Sub tempus, quo hi tres Heroes in Japonia laborârunt circa annum milleſimum quingenteſimum, octogeſimum primum, vivente Nobunanga, circiter centum & quinquaginta millia Chriſtianorum in universa Japone cenſebantur. E noſtris verò operarii in vinea illa erant ad centum triginta quinque, in viginti duo domicilia diſtributi, quibus ducentarum fere Eccleſiarum onus incumbebat. Tantâ autem frequentiâ ad templa noſtra, tanta aviditate ad conciones confluebant, ut quater ſubinde dicere de rebus divinis, die uno oporteret. Ad hæc nullis noſtri, ut viros fortes decet, fatigari laboribus, frangi moleſtiis, deficere ærumnis, terreri periculis, dum è laboribus, ſudoribus ſuis tam ferax animarum meſſis, mox ſanguine riganda, pullularet. Imò hoc in ſtatu Chriſtiana res erat, ut ſi paulò placabilior Taicoſama fieret, ſpes foret, gentem univerſam ad noſtra caſtra tranſituram. Ab Octobri certè Anni 1589, ad Octobrem Anni inſequentis, viginti millia, quingenti, ſeptuaginta Chriſto nomina dederunt, maturæ omnes ætatis (non annumeratis infantibus) ínque iis Dynaſtæ, ac præcipui quique. Ut Petrus Martinius, qui deinde Japonię Epiſcopus fuit, Goâ in Europā ſcripſit. Annis elapſi ſæculi 91. & 92. ſupra duodecim millia ſacris aquis luſtrati ſunt. His ita proſperè ſuccedentibus, adverſa procella incubuit; Bungiorum gens, progenies viperarum, ut viderunt ſua fana deſtitui, delubra contemni, idola rideri; perniciem Regni, exitium Regi à Chriſtianis præſens imminere, Taicoſamæ homini feroci, & Chriſtianorum ſacris infeſto, facilè perſuaſêre. *p* Edicto itaque edito, quo omnes noſtros ſub pœna capitis tota Japone excedere juſſit, viſum eſt Vice-Provinciali, ceteríſque Patribus, minimè id temporis deſerendos eſſe Catholicos, vineámque adeò florentem, atque oves lupo committere, proinde nulli Regno excedendum. Nec erat, quod quis pedem referret, cùm unus omnibus ardor eſſet, ſanguinem pro Chriſto fundendi: nec enim illis difficilius, aut atrocius videbatur ſemel jugulum præbere carnifici, & per exquiſita tormenta fortiter occumbere, quàm quotidie mori inter tot pericula, & ærumnas, quas pro ſervando, vel augendo Chriſtianorum numero conſtanter ſuſtinebant; huic autem animi firmitati is fructus reſpondit, ut decennio à ſententia in ſe mortis decreta, tanta ad fidelium numerum acceſſio facta ſit, ut plura quàm ſexaginta quinque hominum millia ſacris Baptiſmi aquis ſint abluta: excluſis infantibus, qui parentibus jam Chriſtianis orti fuerunt. Tanti eſt campum non deſerere, pectus habere Chriſtiana fortitudine obarmatum, *q qua omnia hujus vitæ incommoda, & damna rerum contemnunt, nec ullas adverſitates, mortémve formidant.* Quanta congratulantium acclamatione, quam effuſa vocum conten-

o Bolland. 5. Febr. p. 728.

p Bolland. cit. pag. 743. *q* Auguſtin. cit.

tione, quo ſpectantium plauſu exceptum fuit illud commemorabile, & propter raritatem prodigio ſimillimum, quod in nobiliſſimo hominum conſeſſu, edidit facinus, Conſtantinus Cæſar; quo ſolo non unius diei congratulationem, ſed æternitatem, immortalitatémque adeptus eſt; utpote quod jam ſparſum eſt, ac diſſeminatum in orbis terrarum memoriam ſempiternam. *r* Cùm olim in amphitheatrali arena nonnulli cum leonibus decertarent, aderant, qui ex orcheſtra certamen illud deſpiciebant, gemini Imperatores Galerius, & Conſtantinus, gladiatorii hujus muneris editores. Horum alter Conſtantinus indignatus imbellem eorum, qui cum belluis congrediebantur, ignaviam; mox tacitis quibuſdam facibus generoſum pectus accendi, Imperatorius ille ſanguis inclytis venis effervеſcere, pulchra in Regio animo audacia gliſcere, & honeſtè ambitioſus ardere in victoriam. Quid exſpectatis? quidquid exſpectari vel ab audaciſſimo poſſit, vel à fortiſſimo ſoleat, vel à generoſiſſimo debeat. Quid? an vinci à feris paratos, ut vincere vellent, verbis accendit? imò ut vincere poſſent, exemplo docuit. Parum, id eſt, vicit. Tanta majeſtas in ſanguinariam arenam deſcendit, ſuo ingreſſu cruentum circum omni curia nobiliorem reddens: intrat caveam, aut victus amiſſurus vitam, aut victor relaturus gloriam: Stat certare certus vel perdere, vel perire. Res, neſcio, an ad famam temeritatis, an gloriæ inſignior, quæ meritò apud poſteros caritura fide, niſi alia complura id generis facinora, hoc etiam ipſum omni ſuſpicione apud æquos rerum æſtimatores, eximerent. Stabat hinc leo fortiſſimus beſtiarum, inde Heros digniſſimus terrarum; leo quaſi hoc unum timeret ſe non timeri, totum colligit robur, horrendóque rugitu, quem timent belluæ, etiam quæ timentur, quaſi ſigno dato, fulvam Cæſariem, ut Cæſari metum injiceret, per jubata colla luxuriantem ventilans, nervoſámque cervicem quatiens, ſcintillantibus oculis, hiantibus faucibus, explicatis ungulis Imperatorem aggreditur. Qui aderant ſpectatores, trepidabant alieno periculo, cùm ipſe eſſet ſecurus ſuo. Conſtantinus enim ſibi conſtans in tam lubricâ arenâ, incredibili fortitudine, valentiſſimis lacertorum toris, ferocem belluam complexus, lenocinante quaſi ad audendum gloria, leonis fauces diſrupit, & nobilis triumphator interemit. O ſpectaculum, quod non potuit videri ſine invidia! tum enimverò omnium pollices premi, audiri toto podio theatralis applauſus, mœniana fauſta acclamatione ac congratulatione reſonare. At longè nobilius & excellentius ſpectaculum, cœleſtium quiritium oculis jucundius, videre in hujus vitæ Theatro hominem, ad quemcumque adverſarum rerum incurſum, inconcuſſum ſtare: ad ardentes rogos, aculeatas rotas, candentes laminas, ſtridentes catenas, ferreas ungulas, nec ad latum unguem à conſtantiæ gradu diſcedere: ad turbam ferarum, quæ in viſcera innituntur, ad

r Cauſſin. Court. Sainƈte. Conſtancia.

ad horrificam illam crudelitatis pompam, & feralem tormentorum apparatum, coram quo ipſa trepidaret fortitudo, expalleſceret magnanimitas, fugeret conſtantia; ad illa, inquam, quæcumque iratis, aut furentibus excogitare licet, non mutare colorem, non emittere gemitum, non referre pedem; ſed impavido animo contraire, & inter illa hoc qui faciat, non eum dico perſonam ſuſtinere viri fortis in Theatro, ſed ipſum aſſero eſſe fortitudinis Theatrum, ac ſpectaculum, dignum in quod oculos convertat totum cœli amphithearum. Chriſtianum illud gentilis Philoſophi effatum: *ſ Nobis interdum voluptati eſt, ſi adoleſcens conſtantis animi irruentem feram venabulo excipit, ſi leonis incurſum interritus pertulit: tantòque ſpectaculum eſt gratius, quantò id honeſtior facit. Non ſunt iſta, quæ poſſunt in ſe Deorum vultum convertere; ſed puerilia & humanæ oblectamenta levitatis. Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus: ecce par Deo dignum; vir fortis cum mala fortuna compoſitus. Vir fortis* cum ſumma pauperie, injuria, calculo, podagra, cum muliere zelotypa, rixoſa, aliíſque malis compoſitus: mulier fortis cum marito temulento, turbulento, prodigo, adultero: cum liberis contumacibus, ac rebellibus compoſita. Ad hanc animi fortitudinem altiori & ſanctiori ſtylo exſtimulat Paulus, dicens: *t Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus*; ſive interprete Hieronymo, *Theatrum facti ſumus.* Quod ſi ita eſt, ſi velut in arce, ex omni parte patenti, & aperta, ubi nec ſoli in receſſu, nec abditi in latebris, nec obſcuri in umbra deliteſcere poſſumus, ſimus collocati, quis ambiget, quin & illuſtrius ſit ad laudem illius, qui ſpectatur, & jucundius ad voluptatem illius qui ſpectat, in hoc mundo velut in Theatro, palæſtra, campo, cum ærumnis, injuriis, morbis conflictari, rerum adverſarum vires infringere, inſultare miſeriis, & exprobrare ignaviam, fortunæ ſævientis impetus retundere, non muliebriter ad ejus occurſum ejulando, ſed fortiter contraeundo, atque ita generoſam animi excelſitatem prodere, aggrediendo ardua, ſuſtinendo terribilia. Aut etiam efferatos iræ impetus frenare, gulam temperare, libidinem domare, ceteráſque effrenes animi belluas ſubjugare, quàm cum tauris decertare, elephantis pugnare, leones dilacerare? quod etiamnum venales animæ, & viliſſima olim mancipia, lanienæ deſtinata, ad ſpectaculum crudelitatis præſtitêre. Hæc fortitudo, vel ipſo teſte ex eorum ſecta Philoſopho, pertinacia aut viliſſimorum homuncionum temeritas nuncupanda: *v Fortitudo*, inquit, *eſt virtus pericula juſta contemnens, aut ſcientia periculorum repellendorum, excipiendorum, provocandorum. Dicimus tamen & gladiatorem, fortem virum, & ſervum nequam, quem in contemptum mortis temeritas impulit*: Fortitudo lacertorum, vires nervorum, robur corporum, in quercu, in marmore, in ferro ſpectari poteſt: hæc fortitudo urſorum, & leonum, furiarum, & phre-

ſ Seneca lib. de provident. c. 2.
t 1. Cor. 4. v. 9.
v Seneca lib. 2. de benef. c. 34.

phreneticorum eſt. Sunt & alii fortes ſæculi, fortes in malitia, fortes in avaritia, fortes in luxuria, fortes in omni nequitia. Sic etenim teſtimonio primæ veritatis fortis diabolus, ut Hipponenſis Doctor tradit: x *Si intelligamus*, inquit, *qui ſunt fortes, primò ipſum diabolum Dominus fortem dixit: nemo, inquit, poteſt intrare domum fortis, & vaſa ejus diripere, niſi prius alligaverit fortem. Alligavit ergo fortem vinculis dominationis ſuæ, & vaſa ejus abripuit, ac vaſa ſua fecit: erant enim omnes iniqua vaſa diaboli, qui credentes facti ſunt vaſa Chriſti.* Audite virum divinum, & Doctorem irrefragibilem de hujuſmodi fortibus differentem: *Sunt in hominibus quidam fortes reprehenſibili, & damnabili fortitudine:* quam ex peſſima paſſionum radice pullulare, ac venenato proprii affectus fonte ſcaturire ſcitè, & eruditè tradit D. Thomas: y *Agit*, inquit, *aliquis actum fortitudinis ſine virtute, propter impulſum paſſionis, ſive triſtitiæ, quam vult repellere: ſive etiam iræ. Vel propter electionem, non quidem finis debiti; ſed alicujus temporalis commodi acquirendi, puta honoris, voluptatis, vel lucri. Vel alicujus incommodi vitandi, puta vituperii, afflictionis, vel damni.* De hac falſa, ſpuriâ, diabolica fortitudine temere gloritantes, perſtringit idem Auguſtinus, exponens illud Pſaltis Regii: *Irruerunt ſuper me fortes.* Ubi ſic argutè, & acutè: z *Non utcumque tranſeundum eſt, ab his fortibus diligenter inſinuandum eſt, qui ſint fortes inſurgentes. Fortes ſuper quos, niſi ſuper infirmos, ſuper invalidos, ſuper non fortes?* ejuſmodi complures reperire eſt, qui fortes ſe præbent, ut innocentes opprimant, fortes, ut rectos & ſimplices traducant, fortes, ut viduas & pupillos deglubant, *fortes in non fortes*, ubi non habeant, qui malitiæ, injuſtitiæ, audaciæ reſiſtat. Eſt & alia claſſis fortium, de quibus Sapiens: a *Fortes in potentia*, in rerum omnium affluentia: *Non vobis videtur*, inquit Auguſtinus, *fuiſſe fortis dives ille, quoniam ſucceſſit ei Regio in opulentia fructuum? & horreis completis, anima ſua dicebat: habes multa bona, anima, epulare, jucundare, ſatiare. Qualem fortem vides? ecce homo qui non poſuit DEUM adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum. Vide quàm fortis ſit, & prævaluit, inquit, in vanitate ſua.* Sunt & alii, quos Iſaias vates execratur: b *Viri fortes ad miſcendam ebrietatem*: meri helluones, qui optant, ut Eridanus intret in os ſuum; capacitatem potandi, fortitudinem ducunt, potentes ad bibendum athletas dicunt, *& qui plus hauſerit meri*, inquit Baſilius, *is præ ceteris laudatur, is victoriam refert.* Ecquæ laus fortitudinis? qua à balenis, ab ipſo dolio vincuntur, ut rectè Seneca notavit, dicens: d *Quæ gloria eſt capere multum, cùm omnes viceris, vinceris à dolio.* Quid, quod eo nequior inquit Auguſtinus e, quò in bibendo fortior. Nam *ſi quis ſe vino ingurgitet, ſi bibat menſuras ſine menſura, viri fortis accipit nomen tantò nequior, quantò ſub poculo invictior.* Sunt & alii fortes ira, fortes vindicta, qualis forti-

x Auguſt. in Pſalm. 58. y S. Thom. 22. q. 123. art. 1. z Auguſt. in Pſalm. 58.

a Eccl. 15. v. 19. b Iſai 5. v. 22. c Baſil. hom. de ebriet. d Seneca Epiſt. 83. e Auguſt. Serm. 4. de verbis Apoſt.

tudo

tudo etiam phreneticorum ac phanaticorum eſt: *Sed illi viderint*, inquit idem Doctor *f*, *quàm fortes ſint immanitate febris*, *non firmitate ſanitatis*. Sic *fortis immanitate febris* iracundiæ Paterfamilias, qui *ut leo in domo ſua*, *evertens domeſticos ſuos:* ſic fortis, qui præeſt fronte ferrea, cervice ænea, quæ nulla flecti ratione, aut oratione, vel humanitate ſuorum valet. De quibus Doctor Angelicus: *g agit aliquis actum fortitudinis ſine virtute, propter impulſum paſſionis iræ*, aut alterius. Sic fortis mulier nequam, inſtar Medeæ, aut Megæræ, rabie furens; de quà illud exſtat ſapientiſſimi Regis pronuntiatum: *h Non eſt caput nequius, ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequã.* Hæc fortitudo belluarum, fortitudo furiarum eſt. Audi divinum Platonem: *i In iracundiam, impetúſque præcipites ut plurimum raptantur, quemadmodum ſine retinaculis naves: & Furiæ potius, quam fortes exiſtunt.* Hæc fortitudo quàm imbellis ſit, docet Seneca *k*: *atqui*, inquit, *iracundiſſimi infantes, ſenéſque, & ægri, & invalidum omne, natura querulum eſt.* Alii denique fortes, ut libidines ſuas expleant, & conſectentur, in quas fortius, ac vehemẽtius quàm equi, & muli feruntur. Qui omnes ut ſcitè concludit Hipponenſis Antiſtes, *l Fortes ſunt reprehenſibili, & damnabili Fortitudine.* Unum nunc hac fortiſſimorum Heroum feſtivitate mihi votum eſt, ut vaticinium Iſaiæ in illis compleatur; ad Chriſtianos loquor, ad eos de quibus prima veritas vaticinata eſt: *m qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Quod perappoſitè ad rem noſtram exponit Magnus Gregorius, ſummum in terris oraculum: *n mutant*, inquit, *fortitudinem, quia fortes eſſe ſtudent in ſpirituali opere, qui dudum fortes fuerant in carne*, fortes fuerant in vitiis, in nequitiis, in flagitiis ſuis. Quare qui hactenus fortes irruerant, ut innocentes opprimerent; ſi quis fortis, ut ſanguinem viduarum, & pupillorum eliceret; rectum & ſimplicem peſſumdaret, ſi quis, ut ille ait, *o fortis in pueri necem*; nunc *mutet fortitudinem*, & eorum ſe fortiter patronum præbeat, eorum cauſas etiam gratis tueatur, contra judices iniquos potenter defendat, atque ita, ut 2. Mach. 6. *p exemplum virtutis & fortitudinis* exiſtat. Qui *fortes in potentia*, in rerum omnium affluentia, *mutent fortitudinem*, & fortes ſe in pauperes beneficentiâ, in egenos munificentia, fortes ſe contra tenacis mulierculæ obloquia, contra propinquorum vulturum, pingui hæreditati inſidiantium obſtacula, præbeant; contra quos, *q eſtote filii fortitudinis* 2. Reg. 2. & fortitudo veſtra ſit Dominus, qui nihil nunquam deeſſe patietur. Qui *r fortes ad miſcendam ebrietatem*, fortes ad bibendum, nunc fortes ut omni temulentia, quamtumvis amicorum precibus, aut minis, ariete quovis admoto, abſtineant: fortes ut ſe, ſuóſque domeſticos impellant, ad calicem Domini

f Auguſt. in Pſalm. 85. g S. Thom. 22. q. 123. art. 2. ad. 3. h Eccl. 25. v. 22. i Plato de Thearete. k Seneca l. 1. de ira c. 14. l Aug. in pſal. 58.

m Iſai. 40. v. 31. n S. Greg. lib. 19 mor. c. 16. o Seneca. p 2. Mach. 6. v. 31. Eccl. 15. q 2. Reg. 2. V. 7. r Iſa 5.

quot

quot menſibus bibendum: quod vinum robur, & vires, animóſque addit ad generosè contra omnia vitia, & tartareos hoſtes certandum. Chryſoſtomus ad Neophytos hanc armaturam fidelibus commendat, qua inſtructi fidenter, ac ſecuri victoriæ, in hoſtem irruant: ſ *Cum enim te egredientem poſt convivium Dominicum viderit inimicus, poſt cœleſtes epulas, tanquam ignem leonis ore flammantem fugit, & deſerit, omni vento velocior, nec approximare contendit: & cum cruentam linguā tuam de longè ille crudelis perſpexerit, mihi crede, non ſtabit.* Hoc divinum ſanguinis Christi poculum omnes tyrannorum minas, omnes tormentorum carnificinas invicta mentis conſtantia exſuperare fecit. Unde Cyprianus fortitudinem martyrum, in ſuſtinentia cruciatuum, ab hoc fonte Euchariſtico derivat: t *nam quomodo,* inquit, *docemus, aut provocamus eos in confeſſione nominis, ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis, Chriſti ſanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini, jure communicationis admittimus?* ex quo innumeri *fortes facti ſunt in Bello.* comprobarunt iſta exemplo ſuo fortiſſimi Martyres, Laurentius, atque Vincentius, judice Auguſtino. Nam de Laurentio ſic ſcribit: v *diu vivere permiſſus eſt, imò non diu vivere permiſſus eſt, ſed tardè mori compulſus eſt. In illa ergo longa morte, in illis tormentis, quia bene manducaverat, & bene biberat, tanqam illa eſca ſaginatus, & illo calice ebrius, tormenta non ſenſit.* Eodem refert S. Vincentii de tormentis victoriam: x *ejuſmodi enim hauſtu feliciter mente inebriatus, rabidi hoſtis, atque in Chriſtum ſævientis, inſaniam, interritus adiit, modeſtus ſuſtinuit, ſecurus irriſit; Quia cujus amore ſpiritualibus armis præmunitus reſiſtebat, ejus adjutorio, quidquid pœnarum in illum ferocientis ira excogitabat, inſuperabilis fortiter patiendo vincebat.* Nôrant hoc noſtri, de quibus agimus præclari Athletæ, qui jam vinculis adſtricti, ſummo deſiderio flagrabant, ut ante certamen hoc pane fortium, & vino Euchariſtico roborari poſſent; qua de re *Paulus Michi* ad P. vice Provincialem ſcripſit his verbis: *Nullum aliud in hac vita deſiderium habemus quàm aliquo die confitendi, & communicandi, antequam perveniamus Nangaſachum; magno autem ſolatio noſtro id munus obire poſſet P. Franciſcus Paſius.* Hæc eorum vota, qui ſuo ſanguine ad extremam luctam ungendi; ubi veſtra, qui in deliciis enutriti? ut fortes ſitis adverſus ſpiritualia nequitiæ, & tela ignea inimici. Qui fortes ad vindictam, & effundendum alienum ſanguinem *mutabunt fortitudinem* ut fortes ſint ad ignoſcendum, ad ſuum etiam pro inimico ſanguinem fundendum, ad ſeipſos vincendos. In hanc rem narrabo antiquam apud Japones hiſtoriam: Duæ in illo imperio præclaræ familiæ erant, quæ in ſe factione Regni traxerant, capitali odio æmulæ, jugi ferro & igni diſſidentes: hæc ſunt, clades, cruor, Bella, peſſimæ radicis, æmulationis germina. Semel accidit periit

ſ Chryſoſt. ad Neophit. t Cyprian. Epiſt. 54. v S. Auguſt. tract. 27. in Ioan.

x Aug. ſerm. 13. de Sanctis. y Boland. 5. Febr. pag. 757. z Nierenb. de ap. volunt. pag. 186.

ſe omnes alterius familiæ, nullo niſi infante ſuperſtite, cui hoſtilis furor indulſit; ſed adultus inſtauravit ipſe ſolus odia, tótque comparavit vires, tot copias coegit, ut ſuorum ſine miſericordia, cædem vindicaret, trucidatis omnibus contrariæ familiæ & factionis æmulis, ſuperſtite nemine, ſive adultorum, ſive infantium, ſive virorum, ſive fæminarum: Doctus miſericordia ſui, immiſericors fuit. Noverat multorum mortuorum vindictæ, ſufficere unum vivum. Fortem ſe ad ulciſcendum, & hoſtes omnes ſtirpitus delendum præbens. Hæc Japon barbarus; contra tu chriſtiane, qui hactenus forti, & conſtanti odio, cum vicino, affine, propinquo diſſides, eíque conjunctos, amicos, uxorem, filias, & *natos natorum, & qui naſcuntur ab illis* totámque familiam laceſſere, impetere, inſectari non deſtitiſti; ſed opprimere, perimere, ac funditus perdere ſtatuiſti, nunc exemplo invictiſſimi martyris B. Pauli *muta fortitudinem*, atque inimicum tuum, omnéſque propinquos & domeſticos ejus, depoſito ex animo omni rancore, fortitudine chriſtiana, omni amore, benevolentia, favore, proſequere. Nondum uſque ad mutilationem aurium, nondum ad percuſſionem laterum, nondum uſque ad ſanguinem te perſecutus eſt, ut Japones hunc glorioſum Chriſti Athletam, *Paulum Michi*, qui è cruce quaſi è ſuggeſtu honoratiſſimo, hæc ad circumſtantes verba habuit: a *Declaro vobis, nullam eſſe ad ſalutem viam, niſi quam tenent Chriſtiani; quæ cùm doceat me ignoſcere inimicis, & omnibus qui me offenderunt. Ego libenter regi, omnibúſque meæ mortis auctoribus, ignoſco, eóſque rogo, ut chriſtiano baptiſmo initiari velint.* Feret pro nobis hac in re, ut diſertiſſimum, ita ſapientiſſimum ſuffragium Seneca: b *Iraſcetur aliquis, tu contra beneficiis provoca; cadit ſtatim ſimultas ab altera parte deſerta: niſi par non pugnat. Si utrimque certabitur ira, concurritur: ille eſt melior qui prior pedem retulit, victus eſt, qui vicit.* Denique ut Gregorius loquitur, c *qui fuerant fortes in carne*, fortes in concupiſcentiis ſuis, fortes in dilectione creaturarum, nunc *fortes eſſe ſtudeant* in amore increatæ pulchritudinis, & qui in fluxas ac fædas pulchritudines fortiter irruerunt; majori impetu in ſectando ſummo, & unico, & omni bono *fortis ſit ut mors dilectio*. Quò ſpectat illa ſanctiſſimi Præſulis adhortatio: d *Nihil eſt tam durum, atque ferreum, quod non amoris igne vincatur: quo cum ſe anima rapit in Deum, ſuper omnem carnificinam libera, & admirabunda volitabit pennis pulcherrimis, & integerrimis: quibus ad Dei complexum amor caſtus innititur. Niſi verò amatores auri, amatores laudis, amatores fæminarum, amatoribus ſuis Deus ſinat eſſe fortiores; cùm ille non amor, ſed congruentius cupiditas, & libido nominetur; in quo tamen apparet, quantus ſit impetus animi, ad ea quæ diliguntur: argumentóque nobis eſt, quàm ſint omnia perferenda; ne deſeramus Deum, ſi tanta illi, ut deſerant, perferunt.*

a Bolland. 5. Feb. p. 761.

b Seneca l. 2 de irac. 34. c Greg. cit. d Auguſt. lib. de morib. Eccl. c. 22.

K §. II.

§. II.

Fortitudinem Romanam gentilium, longè ſuperat chriſtiana vel Japonenſium.

TRes fortiſſimos Romanorum duces, qui Hannibalem cum toto exercitu fregêre, celebrat inſigni encomio Romanæ ſcriptor hiſtoriæ. Ut humanæ virtutis, inquit, acta exequamur: cùm Annibal Capuam, in qua Romanus exercitus erat, obſideret, *e Vibius Accius* Pelignæ cohortis Præfectus, vexillum trans Pœnicum vallum projecit, ſeipſum ſuóſque commilitiones (ſi eo hoſtes potiti eſſent) execratus & ad id petendum ſubſequente cohorte, primus impetum fecit. Quod ut *f Valerius Flaccus* tribunus tertiæ legionis aſpexit, converſus ad ſuos: Spectatores, inquit, ut video, alienæ virtutis huc venimus; ſed abſit hoc dedecus à ſanguine noſtro, ut Romani gloria cedere Latinis velimus. Ego certè, aut ſpecioſam optavi mortem, aut felicem audaciæ exitum; vel ſolus igitur præcurrere paratus ſum. His auditis *Pedanius* centurio, convulſum ſignum dextera retinens: Jam hoc inquit, intra hoſtile vallum mecum erit: proinde ſequantur, qui id capi nolunt, & cum eo in caſtra Pœnorum irrupit, totàmque ſecum traxit legionem. Quibus enarratis, illuſtre Epiphonema ſubjungit hiſtoricus, dicens: *ita trium virorum fortis temeritas, Annibalem paulò ante ſpe ſua Capuæ potitorem, ne caſtrorum quidem ſuorum potentem eſſe paſſa eſt.* Quorum virtuti nihil cedit *Horatius Cocles*, *C. Atilius*, atque ut exteros etiam commemorem. *Cynegirus* miles Athenienſis. Horum primus *Horatius* Etruſcis in urbem ponte ſublicio irrumpentibus, extremam ejus partem occupavit: totúmque hoſtium agmen, donec poſt tergum ſuum, pons abrumperetur, infatigabili pugna ſuſtinuit; atque ut patriam, periculo imminenti liberatam vidit, armatus ſe in Tiberim miſit: cujus fortitudinem dii immortales mirati, incolumitatem ſinceram ei præſtiterunt. Denique unus urbi noſtræ tantum ſcuto ſuo, quantum Tiberis alveo munimenti attulit: quapropter diſcedentes Etruſci dicere potuerunt: Romanos vicimus, ab *Horatio* victi ſumus. Alter verò *h C. Atilius*, cum pro Cæſaris partibus maritimâ pugnâ præliaretur, abſciſſa dextera, quam Maſſilienſium navi injecerat, læva puppim apprehendit; nec antè dimicare deſtitit, quàm captam profundo mergeret. Horum animos, & robur pectoris vicit *Cynegiri*, militis Athenienſis gloria, quæ magnis ſcriptorum laudibus celebrata eſt. Hic poſt prælii innumeras cædes, cum fugientes hoſtes ad naves egiſſet, onuſtam navim dextrâ manu tenuit, nec prius dimiſit, quàm manum amitteret: Tum quoque amputata dextera, navim ſiniſtra comprehendit, quam & ipſam cum amiſiſſet, ad poſtremum morſu navem detinuit. Tantam in eo virtutem fuiſſe admiratur poſteritas, ut non tot cædibus fatigatus: non dua-

e Livius a. v. 12. f Valerius Max. l. 3. c. 2. n. 20.

g Idem n. 1. h Ibid. i Iuſtinus lib. 2.

duabus manibus amiſſis victus; truncus ad poſtremum, & veluti rabida fera dentibus dimicaverit. Hæc vitiorum mancipia, ut demonſtrabimus, ad futilis & evanidæ gloriolæ auram aucupandam, & nominis, ut ſibi fingebant, inter mortales immortalitatem acquirendam, ad civicam, muralem, navalem, marceſſibilem Coronam obtinendam, fortiter aggreſſi, & perpeſſi ſunt; At longè alia invicti Eccleſiæ pugiles, pro divini numinis gloria, pro immortali bravio, pro corona laurea, corona aurea, corona ex lapide pretioſo, immarceſſibili exantlârunt, cum cœlum intenſiſſima ſpe, velut mordicus apprehendiſſent, certóque ſibi perſuaderent, mortem præſentem, velut æternæ vitæ principia, eſſe rapiendam. Oculatum teſtem adducam Euſebium, qui ſuiſmet oculis vidit patiendi alacritatem, & robur, ut carnifices antè inferendis, quàm martyres perferendis doloribus fatigarentur: defecerunt, ait, *k carnificum manus, & ſibi invicem ſuccedentes fatigati ſunt: hebetata eſt acies gladii. Videbam feſſos reſidêre tortores, reſumere vires, animos reparare, mutare gladios, diem quoque ipſum non ſufficere ad pœnam; nemo tamen omnium, ne puer quidem infans, à morte deterreri potuit; ſed hoc unuſquiſque metuebat, ne dum celerem Sol urgens clauderet diem, avulſus à conſortio Martyrum remaneret: ſic confidentia fidei conſtanter, & fortiter cum lætitia, & exaltatione, mortem præſentem, velut æternæ vitæ principia rapiebant.*

k Euſeb. lib. 8. hiſt. Eccl.

l Paſſi ſunt generoſiſſimè, non ſolum dexteram ſibi, aut lævam, aut armum amputari; ſed fruſtatim, ac minutim concidi: ſtylis ferreis, ignitis clavis configi, ungulis totum corpus laniari; deglubi: lento igne ſcapulas, pectus, femora, renes, coxendices, ſe vivos aſſari, & per mille mortes excarnificari. Talis exſtitit S. Gregorius Armeniæ Martyr, qui totos quatuordecim annos in perferendis tormentis perſeveravit. S. Clemens Præſul Ancyranus, ipſos octo ſupra viginti annos in martyrio duravit, quia tyranni operam dabant, ne citò Martyres occumberent; ſed novis ſemper, iíſque exquiſitis ſupereſſent tormentis; tùm quia ii ſæpè, miraculo ſanabantur, quod in votis erat, ut cum Apoſtolo quotidiè, & ſæpius amore Jesu ſui mori poſſent. Complures ejuſmodi Chriſti athletas in arenam producere poſſem, quibus jure cedit omnis humana conſtantia, quia deeſt, quæ Martyres roborat, cœleſtis gratia. Hanc ad confuſionem gentilium, ex multis illuſtribus fæminis, & pueris, ne diutius vos detineam, in una & uno duntaxat oſtendo. Miraculum eſt fortis & conſtans, quia varium & mutabile, fæmina. Exſtincto grandævo Eleazaro, mater ſeptem Machabæorum, anus intrepida, ante Antiochum ſiſtitur. Hoc deerat ad Hebræam gloriam, ut colus numeraretur inter trophæa. Contra legiones, filiorum manipulum ducit, una die ſpectaculorum hebdomadem præbens: ite, inquit, ô meum agmen, quo vultu fæ-

l Metaph. Surius 23 Ian. Franc Arias in theſauro inexhauſto pag. 77.

minam videtis. Hac voce, hoc vultu, eorum animi erecti, de ſupplicio rixantur, nec mors timetur, ſed mora. At ne perturbatè peccet Antiochus, ordinem tenet in ſcelere: à grandiori crudelitatem auſpicatur, ut iiſdem gradibus orba fieret, quibus fuerat mater. Puero ab Eleazaro ſene cibos averſatos recuſanti, linguam præcidi jubet. Quid agis Antioche? ex lingua calamum facis, fortiora ſcribet, quàm loquatur; poſt linguam, manus poſtulatus, citius porrigit quàm jubetur. Et hoc tyrannicum, manus formidare poſt linguas. Cecidit ſub ſecuri ſecura dextera, mortua illa palma palmam rapuit, & ſecta manus cœleſte iter fratribus indicavit: parum fuit indicâſſe, niſi veſtigia ſignarent. Ergo etiam pedes amputanti porrigit, ſine his citiùs perventurus, quô tendit. O vera Hermetis effigies, recti terminos ſignatura! tandem totus, & ſenſim obverſa cute deglubitur; mortuos non amat tyrannus, ſed morientes. Stupet purpuratus ephebus, ſe extra ſe exiviſſe, non alio ſenſu, quàm ſi dormiturus ſindonem poneret. Dicturus ſi poſſet: non eſt in cute mea virtus, hanc nunquam curavi: tene Barbare, nil habes mei niſi vaginam; hanc etiam amittes, ad me redituram. At ne ſic quidem mollitus, bulliente in olivo figi jubet; ſi ſartaginem audis, neſcias oleúmne querulum gemat, an in ipſo oleo tripudiet Martyr. Nemo certè inter unguenta, majore luxu diffluxit. O dolorem voluptatum pleniſſimum! quid enim martyrium, niſi beneficium malo animo factum? ſic oleum & operam in primo tyrannus amiſit. Succedunt ordine reliqui, & exemplum capiunt daturi: alterius oleum, alterius palæſtræ corona eſt: ſinguli fraterno martyrio donantur; & ſuo omnes antiquæ veritati linguas immolant: omnes in fidei ſpecimen, Deo dexteras donant: omnes ad olympiacam palmam, ſine pedibus currunt: omnes ſartaginis oleo ad Regnum ſacrantur. Unà omnes ſeptemplicis inſtar lychni, matrem circumſtant. Quæris num fleverit mater? ſuas lacrymas alienis in oculis ridet; ſpectat ſuos heroas ſpectata herois, ſeipſam in ſingulis miratur, & ſingulos tuetur, dum intuetur. Sic uno die ſepties mater & martyr, poſt ſeptena filiorum funera exarſit, & planetarum numero addidit firmamentum. Quid ad hæc in ſpeciem matronæ Romanæ Clœliæ, Camillæ, Porciæ? aut apud Græcos, Amazones, temeritatis & vanitatis, ad Chriſtianas viragines, pupulæ? una *felicitas* omnes antecellit, in qua una omnem ſpartam Roma extinxit. Stat ecce ad tribunal plena animis, &, qui matrem coronat, globum filiorum in tyrannum agit *m*: ite, inquit, filii mei, & oſtendite etiam ſuos Romanis Machabæos eſſe, implete nominis mei omen, ut ſim, quæ dicor, *Felicitas* Septem eſtis, ſi pueri, certè numero tyranno Superiores. Sed & mater adero, pugnabo in ſingulis, in omnibus triumphabo. Votum pugnæ hoc eſt, ut noſtrûm ex hac acie, vivus nemo diſcedat. Talia mater filiis; at matri tyrannus colaphos ingerebat. Mox Januarius

m Surius 10. Iulii.

rius virgis cæſus, ridet puerile tormentum. Ceteri quoque & tyranni minas, & orci pœnas exploſêre. Itaque plumbatis, fuſtuario, præcipitio, ferróque omnis fraterna acies cadit. Et potuit in ſeptem germanis trecentos Fabios mirari Roma. *Felicitas* certè ſpectavit; quæ, ut de illa Gregorius *n*, *ſic poſt ſe timuit vivos in carne relinquere, ſicut carnales parentes ſolent metuere, ne mortuos præmittant. O virilem animam in corpore muliebri*, clamat Nazianzenus *o*. Spectaſtis fortitudinem Chriſtianam in ſexu fragili, in inermi fæmina, vultis in tenero infantulo? *p* Chriſtophorus octennis puſio, talia propè, qualia Chriſtus à Judæis, perpeſſus eſt: mitto ſannas, ſputa, alapas; inter flagellorum acerbiſſimos cruciatus, nullam doloris vocem edidit; ſed ſicut ovis coram tondente obmutuit, niſi ſub quinque ultimis ictibus, quod eo numero ſuæ plagę Chriſti verbera excederent. Porrò haſtâ fodientem ſibi latus dexterum, ad ſiniſtrum tranſire juſſit, impavidúmque cor ipſe ferienti monſtravit. Unde ille:

Ecce tibi gemino cùm vulnere corda notantur,
Hoc diſcrimen habes ne videare DEUS.

Nec minus illuſtria in Japonenſibus dabimus exempla; ubi robur non tantum corporis, de quo hactenus, ſed etiam animi, quod in Catone, Socrate, Diogene, tribus fortiſſimis gentilium, Romanus extulit Philoſophus, enarravero. Catonis fortitudo in ſtatu alieno fuit. Qualis conſtantia, quæ conſtantem non ſuſtentavit? qualis imbellium, qui ſibi manus intulerunt? victa eſt rebus non dico labantibus; ſed labentibus; non caducis modò, ſed cadentibus excisiſque. Fateor dignum virum fortem, cum mala fortuna compoſitum: ſed non video pulchrum, nec magnopere egregium, quod non in molliſſimo Sardanapalo inveniam. Si ſpectemus Catonem, poſt ruinas publicas, ubi ſtat vel privatus paries, cecidit ille nullo impellente; ſi vir fuit, ſi fortis, quid decubuit? velut ad magni ſtrepitum caſus, fæminæ intactæ corruunt. Quid, inquies, licet omnia in unius ditionem conceſſerint, cuſtodiantur legionibus terræ, claſſibus maria, Cæſarianus miles portas obſideat, Cato qua exeat, habuit. Honeſta vox, adulatio eſt: non niſi quà fugiat, dico. Non potuit pedibus, fugit manibus. Timor ſolers inventor fugæ, in illo ſagaciſſimus, quia major conſternatio, inſperato effugio violentam viam reperit: at cujuſnam timidus rei, homo ille fortunæ toties bajulus? eandem fortunam timuit. Quînam? eam nónne diu tulit? ſed cùm pertinacem novit, & ſemel feriam, formidavit ſupremum ictum, & blandiùs ſibi conſulens, ſua manu compoſuit vulnus ad guſtum. Non eſt magna patientia, quæ ut vult patitur: potuit iras ſuſtinere fortunæ, non odium. Levis fortitudo, brevis conſtantia, quæ ſolum ad impetum eſt: brevi tempore etiam non fortis, magnū ſuſtentabit onus: diu ſuſtinere & perpetuò, hoc eſt, robuſtiſſimi. Imbellis itaque & abjectus pugil Cato fuit: à ſtadio fugit, & impa-

n Gregor. hom. 3. in Euang. o Gregor. Nazian. orat. 20 de Machab. p Barthol. Riccius, 24. Mart. Stengelii exempla cap. 42.

impatiens reliquit in arena fortunam non victam, ſed adhuc non defeſſam, & gloriantem integro lacerto. Quæ major inconſtantia, quam ejus qui inconſtantior fuit verſatili fortuna? quis minus fortis, quàm qui fugit, currit prius, citiúſque quam ipſa? injuſtè fortis, injuſtè conſtantis, injuſtè ſapientis, imò viri nomen Cato poſſedit, qui tam malè de fortitudine, de ſapientia eſt meritus, ut caſum aliquem, aut cauſam putârit dignam fortis, & ſapientis morte. Utinam prælegiſſet concluſionem Theodori, aut diſſertationem Socraticam. Nullam ſatis magnam cauſam veriſſimè affirmavit Theodorus Cytheræus, viro ſapienti eſſe ad vitam finiendam. Utinam ipſum Cato attendiſſet Socratem, damnantem αὐτοχειρίαν, & prohibentem præſcriptâ ſtatione egredi, non jubente ſummo vitę Duce. Quid igitur Seneca exaggerat fortem Ducem Catonem? quid Poëta decantat; omnia ſubacta,

> q *Præter invictum animum Catonis?*

Qui abjectiſſimus miles fuit, reliquit ſtationem, abſceſſit loco ſuo, non paruit vitæ duci. Quid ni, inquies? adhuc etiam ſtudia ultimâ nocte tractabat. Opportuniora debuiſſet, & neſcio, cur ſatis immortalitatem non didicerit; mortaliſſimæ enim fortitudinis fructus, cur tam citò voluit experiri? anne periret æternitas, ſi ipſe non periret? quam exſpectare poterat, ut exſpectavit fortunam, quam uſque ad mortem mortalem æſtimavit. Debebat proludere, & periculum fortis conſtantiæ prius facere, quàm æternitatis. Quæ igitur patientiæ & fortitudinis laus fuit? non fecit magis quam molliſſimi, Hæmon, & Sardanapalus. O magnum Catonis facinus! patrare tantum, quantum is, qui fuſos tractavit. Quàm fæminæ, Evadne, Jocaſta, Autolia! quam meretrices Sappho, Phædra! quàm puellæ, Thisbe, Byblis, Phyllis! quàm pueri, Iphis, Damocles! quàm ſenes, Agæus, Seſoſtris, Timanthes! quàm infirmi, Ariſtarchus, Eratoſthenes! quàm furentes, Empedocles, Timagoras, Lucretius! egregia laus fortis & ſapientis viri, feciſſe quod amentes, quod pueri, quod puellæ, quod ſenes, quod languentes; quos animi imbecillitas, aut furor fecit impatientes, & impotentes. Quin & hac miſera bellorum tempeſtate, videre eſt præ viris complures mulierculas, ac puellas imbelles, puſillanimes, impotentes, injuriâ graviori laceſſitas, pauperie oppreſſas, calamitate obrutas, intolerabile viri jugum exoſas, ad laqueum convolâſſe, aquis ſe præfocâſſe, manus intuliſſe, non alia de cauſa, quàm quod ſatis roboris ac fortitudinis illis non eſſet, ut adverſa tolerarent, virili pectore obſiſterent, Chriſtiana fortitudine perſtarent, ſed victæ, infami ac imbelli morte, malorum exitum quærerent. Quæſtionem movet S. Auguſtinus lib. 1. de civit. Dei, cap. 19. Num Lucretia Romana matrona, ob illatam ſibi necem, tanquam invicta, & forti animo debeat perhiberi? Cui dubitationi poſtea cap. 22. ejuſdem libri, facit ſatis, his verbis: r *Si rationem diligentiùs conſulas, nec ipſa quidem* ani-

q Horatius.

r Auguſt. lib. 1, de civit, c. 19. & 22.

animi magnitudo rectè nominatur, ubi quiſque non valendo tolerare, vel quæque aſpera, vel aliena peccata, ſe ipſe interemerit: magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non poteſt. Sic dolore, aut dedecore victi *ſ*, Xenocrates, Brutus, Caſſius, Silius Italicus, Cornelius Gallus, innumeríq; alii, ſibi manus intulerunt: *t* mulier quædam, de qua Lipſius meminit, ne Romanis ſe dedere cogeretur, filiolos duos injectis collo laqueis, ad pedes ſuos alligavit; & ſe à trabe ſuſpendens, tres impetu uno ſtrangulavit. Tales illi, qui ad duella convolant, corpus & animam perdere non reformidant: hi omnes à diabolo in deſperationem, in mortem acti. Ita ſenſit Bernardus Serm. 66. in Cant. *v Ut ſibi manus inferrent, in multis potuiſſe diabolum, frequenter experti ſumus, qui ſeipſos aut ſubmerſerunt, aut ſuſpenderunt. Denique Judas ſuſpendit ſeipſum, diabolo ſine dubio immittente. Nihil ergo ſimile habet conſtantia Martyrum, & pertinacia* (aut deſperatio) *horum: quia mortis contemptum in illis pietas, in iſtis cordis duritia operatur.* Philoſophus Romanus in exemplum fortitudinis proponit Socratem: *x Si exemplum*, inquit, *deſideratis, accipite Socratem, perpeſſitium ſenem, per omnia aſpera jactatum, invictum fame, & paupertate, quam graviorem illi domeſtica onera faciebant: & laboribus quos militares quoque pertulit, & quibus ille domi exercitus: ſive uxorem ejus ſpectes, moribus feram, linguâ petulantem: ſive liberos indociles, & matri quàm patri ſimiliores; & poſt hæc, carcer & venenum.* Interim quàm hic minimè fortis, ſed omni robore vacuus, vera & maſcula virtute inanis exſtiterit, nemo diffitebitur, qui attenderit Socratem, ut Tertullianus *y* loquitur, inanis *gloriæ animal*, enormibus flagitiis deditum, infamem vitam duxiſſe: quippe in amoris fæcibus defixum, & impuro amore occupatum, fædæ rei honeſtam larvam prætexuiſſe, & qui reipſa eſſet ſpurciſſimus, affectâſſe externa ſpecie, animorum non corporum amatorem videri, fluxis, animum celſiorem gerere, cum corpore mulierculæ ſordibus commiſceri; ut fusè docet Raynaudus *z* in naturali Theologia. Copioſiſſimè Theodoretus lib. 12. contra Græcos, poſt præmiſſam ex Platone Socratis temperantiam, qua etiam eſcurientibus abſtinentiam indicebat: & devitationem obtutuum, aliáq; ejus monita, in ſpeciem ſanctæ, & ſolidæ virtutis ementita ſigna, hæc de Socrate ſubjicit: mera verba hæc ſunt, rebus factíſq; carentia: Socrates enim, pulchrorum adoleſcentium cauſa, frequenter gymnaſia obibat, flagitioſóque ſpectaculo paſcebat oculos. Id enim & Phædrus, & Charmides, & alii Platonis dialogi teſtantur. Quæ verò Alcibiades de eodem Socrate loquatur, Plato quidem ſcribit; ego autem ut Socrati parcam, potius obticebo; tantam ii dialogi, Socratis ineptiam ac petulantiam narrant, tantúmq; incitamentum præbent lubricis ad peccandum hominibus. Interim hunc fortem diaboli martyrem, & carnis mancipium, ita ſuſpe-

ſ Gaſpar Ens moroſophia, lib. 1. cap. 18. t Lipſius monita politica lib. 5. c. 93. v Bernard. Serm. 66. in Cant. x Seneca Epiſt. 104.

y Tertull. cap. 1. de anima. z Raynaud. Theolog. natur. diſt. 5. n. 157.

Eraſmus, ut jam more ſuo potus, & hilarior exclamaret: *a Vix mihi tempero, quin dicam: ſancte Socrates, ora pro nobis.* Tertium Diogenem inducit, de quo ait: *b Diogenes vir ingentis animi, effecit, ne quid ſibi eripi poſſet. Illi ſervus unicus Manes fugit; at ille: Turpe, inquit, Manem ſine Diogene poſſe vivere, Diogenem ſine Mane non poſſe.* Et alibi hunc rerum humanarum contemptorem in exemplum proponit, dicens: *c Convenit ut Diogenem mireris, qui cùm vidiſſet puerum cava manu bibentem aquam, fregit protinus exemptum è perula calicem, hac objurgatione ſui: quamdiu homo ſtultus ſupervacuas ſarcinas habui? qui ſe complicuit in dolio, & in eo cubitavit.* Hæc illi domus, culcitra, menſa, ſella, ſupellex omnis: *d Per medias Macedonum Gazas, nudus inceſſit: plus erat, quod hic nollet accipere, quàm quod Alexander poſſet dare*; *e* id unum rogavit, ut à ſole recederet, ne eum ſibi eriperes. Fortitudinem in arduis tolerandis, & ſuſcipiendis demonſtravit, dum aſperrima hyeme, collo tenus ſe fluvio immerſit, donec totum congelaretur. At quorſum hæc omnia? ut poſterorum memoria Philoſophus audiret, & vulgi ore deprædicaretur: populo enim auſteritatem ejus commiſeranti, salsè ſed verè dixit Plato: *Si vultis miſereri, abite*: quia ſpectari & laudari duntaxat vult. Ut autem conſtet nihil in eo veræ ac ſolidę virtutis fuiſſe; ſed mollem & effeminatum animum, fortitudinis mantello palliaſſe; à morte, in pera ejus repertæ duæ teſſeræ, cum effigie amaſiæ, ſeu ſcorti illius. Quare hiſce miſſis, vera ac Chriſtiana fortitudinis, eáq; recentia in Japonenſibus exemplaria proponenda ſunt, nō illa ſpuriæ patientiæ, & fucatę ac adulterinæ conſtantiæ, quæ cum plura tulerit, non potuit ipſum fortem.

Propria Societati Japonia eſt, ex quo primus in eam Xaverius, Chriſti intulit fidē. Tam illuſtre hæc fortitudinis chriſtianæ theatrum eſt, ut redivivam naſcentis olim Eccleſiæ faciem hîc agnoſcas. In hac arena noſtri agminis principes ſunt *tres* illi *viri robuſtiſſimi*, prima Societatis Japonicæ purpura, primæ roſæ. Quos deinde ingens turbo, quaſi torrente quodam profuſi ſanguinis, etiam poſtremis hiſce annis conſecutus. Primo itaq; die Janua. a. 1597. *f* Beatiſſimi noſtri Martyres Ozacâ, Meacum deducti ſunt, quos Chriſtiani magna auri argentiq; largitione miniſtrō Ozacenſis gubernatoris oblata, liberare conati ſunt. *B. Paulus* hæc intelligens, magnas Deo gratias egit, hunc conatū irritum fuiſſe, eóq; ardentiùs cœpit ſe comparare ad martyrium. Et poſt dies aliquot iiſdem Chriſtianis ſcripſit, dolere ſe ob labores ab eis ad ſe liberandum impenſos, idq; in hęc verba: *Hiccine amor eſt, quo me complectimini? Fieríne poteſt, vos me hoc immenſo Dei favore, de quo exultare, & collaudare infinitam Dei bonitatem debebatis, velle privare?* Et ipſe, & ſocii ejus, millies ſe immolabant affectu, qui remedium impoſſibilitatis eſt, & vicarius deſperati meriti; non eſt eximia charitas, quæ compar vitæ eſt, cui non ſuperfluant deſideria, quam poſthuma vota non

a Eraſmus lib. qui dicitur quinti Evangelii. b Seneca lib. de tranquillit. animi c. 8. c Seneca Epiſt. 90. d Idem lib. 5. de benef. c. 4. e Apopth. Lycoſt.

f Bolland. 5. feb. p. 752. 753.

protrahant, quæ legata cupiditatum non relinquat, quemadmodum his ſanctiſſimis viris ſuperſtes ſibi patiendi avaritia, ſatiata fuit. *Paulus Michi* optans reliquum vitæ tempus impendere in verbo Dei, & cum D. Paulo laborare *g pro Chriſti Euangelio uſq; ad vincula; verbum tamen Dei non eſſe alligatum*, multa in carcere ad lictores, & eos qui ob crimina captivi detinebantur, de divinis rebus verba fecit, & ut Hieronymus de Paulo *h*: *Tenetur in carcere, vinculis conſtringitur, non novit aliud, niſi de Chriſti Euangelio cogitare*, & prædicare; & polliciti ſunt quidam ejus verbis permoti, ſe, cum primum facultas daretur, Chriſtianos futuros. Audiebat & illum diſſerentem nobilis, armorum uſu clarus, qui dicentis oratione motus, palàm profeſſus ſe Chriſtianum eſſe, nullo mortis metu deterritus; ut de illo gloriari poſſit, quemadmodum D. Paulus de Oneſimo, dicens: *i quem genui in vinculis. k* Sequenti die manè, omnes manibus poſt terga revinctis, pedites deducti ſunt ad plateam quandam Meaci Superioris, ubi omnibus abſciſſa eſt particula ex aure ſiniſtra, quas trium noſtrorum, Chriſtianus quidam (cui nomen erat Victoris) à carnificibus in tertam abjectas, collegit, & ad P. Organtinum detulit, eáſq; ipſe lacrymis, oculíſq; contingens, veluti Japonicæ meſſis primitias, Chriſto conſecravit. *l* Ea damnationis nota inſignes, carris imponuntur, & per publicas Meaci, Ozacæ, ac demum Sacai vias protracti, ad ſolitum plebis probrum, & lapidum conjectus: At è contrario lachrymas, & laudes, eorum modeſtia expreſſit. Hos veluti triumphali curru vectos, vivis coloribus adumbrâſſe videtur D. Ambroſius *m*, dum tres alios Chriſti Athletas *Cantium, Cantianum, & Cantianillam*, vehiculo ad martyrium impoſitos commendat: *Semper*, inquit, *Deus quos eligit, hos victores ſubvectione ſublimi in aulam Regni cœleſtis inducit. Nam ſicut Elias curru applicito, quaſi aſcendit ad cœlum, ita & in vehiculo admoto ad Martyrium pervenerunt, & quadriga ſicut illum evexit ad requiem, ita hos portavit ad gloriam: Et quamvis illa ignea quadriga fuerit, hæc tamen inferior habenda non eſt, quia illa unum geſtavit Prophetam, hæc tres Martyres ſuſtentavit.* Haud aliter vos, generoſiſſimi pugiles, non conſanguinitate, ſed ſanguine germanos, majore cum gaudio currus duxit ad pœnas, quàm Eliam olim duxit in paradiſum. Numeroſior veſtri quàm illius honor currus, quia triumphatorum trium. Illū ignea portavit quadriga, vos fides, cujus flamma ut eſt ardentior, ita illuſtrior. Non fuit currus veſtri uſus ad fugam; ſed ut velocius raperet ad pugnam. Præceſſiſtis curſu lictores, increpuiſtis peditum moram, nihil non moderatè egiſtis in via, niſi quod moram exoſi, equis frena laxaſtis ad mortem. Qua ex geſtientium Martyrum lætitia *n obſtupefacti milites, & aurigæ, inter ſe dictitabant: unde hoc genus hominum talia agentium? ubi terrarum poſſent inveniri, qui perinde, ac iſti*

g 2. Tim. 2. v. 9. h Bolland. p. 756. i Ad Philemonem v. 10 k Bollandus p. 736. l Flores de Martyrio p. 518. P. Damian. Synopſis Societ.

m Amb. ſerm. 75. de illorum laud.
n Bollandus cit. p. 753.

exultent in probris, & contumeliis. Tandem Nangaſacum martyrii palæſtram, ubi Faramburus captivos præſtolabatur, devênere. Hic paratis cuique ſuis patibuli crucibus, collum millo ferreo, ac funibus brachia aſtringunt cruci. Primus è tribus *B. Jacobus Ghiſai*, ſexaginta quatuor annorum, Chriſtianus perantiquus, meditationi paſſionis Domini noſtri valde addictus, omnes piis ſermonibus ædificare, & quotidie paſſionem Chriſti lectitare ſolitus. Proximus huic erat *B. Paulus Michi* Japonius inter optimos divini verbi præcones quos Japonia habuit, jure recenſendus: tempus vitæ, idem illi quod Chriſto, trigeſimus tertius annus. Hic quamprimum in carcerem conjectus, auditus ſecum verba loqui: Quàm lætor quod 33. natus annos, qua ætate Dei Filius remedium noſtræ ſalutis eſt operatus, illi me immolo! Quod Ozaza diſceſſi die Circumciſionis quo idem Dominus noſter cœpit ſanguinem ſuum nobis redimendis profundere! Vinctus hodie ſum (Kalend. Januarii) feria nimirum quinta, qua & Chriſtus: craſtina die, ſexta feria circumvehar per compita Urbis Meacenſis: fuſisque præ gaudio lacrymis, Deo gratias prolixè agebat, qui ſibi hanc impertitus eſſet felicitatem, ut ipſum modo aliquo imitaretur.

o *Paulus* concionator erat, magnóque ardebat zelo juvandi proximum, velut ex eo, quod jam dicam, colligi poteſt, decem vel duodecim diebus, ante attributas Ozacæ ædibus noſtris excubias, obviam fortè factus turbæ, ex magiſtratus edicto, deducenti hominem ethnicum, ob neſcio quod ſcelus ad ſupplicium, magno animo facta via, per confertam multitudinem penetrat ad reum; concionatur homini uſque ad locum ubi capite erat mulctandus, cedentem veritati baptizat, & invocantem nomen JESU & MARIÆ in cœlum mittit. Sed nunquam tam diſertus exſtitit, quàm in cathedra crucis: in quam ſublatus eam habuit, quam breviter Froes refert, ad ſpectatores orationem, & pro inimicis, & crucifixoribus, ut ſuprà diximus, exemplo Chriſti peroravit. p Minimus ætate fuit *B. Joannes Goto*, natus annos 19. & tyro Chriſti, ſpecie amabilis; qui cùm affigendus eſſet cruci, vidit parentem ſuum, ut valedicat, appropinquare; itaque eum prior affatur: vide mi Pater, ut intelligas nihil ſaluti æternæ præhabendum: neque tibi in ea procuranda, ulla ſocordia obrepat. Rectè mones, fili, ait parens. Fac tu quoque forti, magnóque animo nunc ſis, atque alacriter perferas mortem, cùm eam pro divini numinis cultu ſubeas. Ego quoque ac mater tua, parati ſumus eàm oppetere Dei cauſa, ſi opus fuerit. Collaudat Patrem *Joannes*, eíque dat roſarium benedictum, quod habebat; matri verò, ut deferat in ſui Mnemoſynon panniculum, quo texerat caput. Antonius Franciſcus Cardim è Societate noſtra addit: genitor ipſemet dolore ſuperato, filii ſupplicio interfuit, atque illuſtrior cruore ejus aſperſus. In-

o Pag. 761.

p Pag 736.

genium illud amoris, quod *Joannes* pictum in facie exprimebat, tot odiis dignum erat. Quemadmodum affabilis ſui oris flos, & fidiſſimus interpres cordis, vultus ad ſe contrahebat optimos, ſic verberabat peſſimos. Amorem non tantū magnes ſimulat, quòd trahat; ſed quod una parte ſollicitat ferrū, altera faſtidit. Sic amor ſimiles conjungit, & diverſos arcet. Sed affabilitas *Joannis*, conſortio beneficentiæ potentiſſima, advertebat etiam averſos. Tanta aliquando majeſtas morum eſt, ut conciliet etiam iniquos. Hæc non Romana, ſed Chriſtiana Talis in Filio, & talis in utroque parente fortitudo. Nec minor ad ruborem gentilium, imò & Chriſtianorum in teneris Japonenſium infantulis eluxit. Quare ut cum Seneca q loquar *Exempla fortè magnorum virorum me tibi judicas relaturum? puerorum referam. quid ergo eſt quod perturberis, ſi mori fortiter etiam puerile eſt?* Qua nocte Nangaſachum perlatum eſt mandatum de parandis crucibus, primarius quidam vir cum uxore, hac illácque diſcurrebat, parans ſe ad martyrium. Decumbebant in eodem cubiculo, duo ipſorum filii, alter quinquennis, vel ſexennis, alter undecim annorum. Hic major, audito ſtrepitu, exiliens è lecto, curſu contendit ad Patrem, ſciſcitaturus quid rarum agitaretur: re breviter cognita, mox perconctari pergit, vobíſque, inquiens, pater mi, moriendum? cum pater ſubjiceret, omnino. O, inquit adoleſcentulus, quàm exulto gaudio! ſic enim & mihi licebit vos ſequi. Deinde digito demonſtrans fraterculum dormientem: Quid vero, inquit, illo fiet? Reſpondit parens: nobiſcum unà erit Martyr. Tum juvenculus: jam duplicatum ſentio gaudium, quandoquidem omnes ſimul ab hoc mundo immigrabimus in cœlum. A quodam alio puero quinquenni in principe domo Nangaſachenſi, quidam è patribus noſtris perconctatus eſt, quandoquidem jam venirent gentiles, ut ex regis voluntate interimant Chriſtianos, quid reſpondere cogitet, ſi rogatus fuerit; an Sacramentum baptiſmatis ſuſceperit? Reſpondebo, inquit puer, me eſſe Chriſtianum. Sed ſi, ſubjecit pater, eam ob rem te velint occidere, quid facies? reſpondit: præparabo me ad mortem. At quo modo, inquit pater! Reſpondit puer, *cum admiranda animi fortitudine*, manantibus inter verba lacrymis: uſque ad mortem implorabo Jesu miſericordiam. Hactenus Bollandus. Inclytos Seraphici Ordinis Heroes, qui cum noſtris glorioſam martyrii palmam conſecuti ſunt, cum ſuos habeant, & linguâ, & calamo, me longè præſtantiores encomiaſtes, prætereo; quia tamen de fortitudine parvulorum mentio injecta eſt, tres teneræ ætatis robuſtiſſimos, in exemplum chriſtianæ juventutis, tacitus prætergredi non poſſum. ſ Spectatoribus partim lacrymas, partim magnam admirationem attulit, videre in hoc numero tres adoleſcentulos (qui Patribus Franciſcanis in ſacrificio miſſæ inſervierant; ac maximus qui-

q Seneca ep. 77. r. Bolland. pag. 759.

ſ Pag 753.

dam erat quatuordecim circiter annorum, minimus undecim) plenos gaudio, vultu Angelico, manibus, ut diximus, à tergo colligatis, clara & hilari voce accinentes Dominicam orationem, & ſalutationem angelicam, aliáſque orationes; ac minimus quidem, nomine *Ludovicus*, cum ad eum adhuc in carcere agentem gentilis quidam primarius veniſſet, ſpopondiſſétque, ſe eum liberaturum, ſi vellet renuntiare baptiſmo, audacter reſpondit: imò tu etiam debes fieri Chriſtianus, ſiquidem aliud medium non eſt ad ſalutem conſequendam. *t* Utque jam cruci affixis, in Martyrum omnium vultibus lætitia quædam appareret; tamen in *Ludovico* ſingularis: cui cum alius quidam Chriſtianus acclamaret, brevi eum futurum in paradiſo, digitorum, totiúſque corporis geſtu, gaudii pleno, omnium in ſe ſpectantium oculos convertit. *Antonius* Adoleſcentulus item tredecim annorum, qui *Ludovici* claudebat latus, oculis cœlo infixis, poſt invocatum Sanctiſſimum nomen JESU & MARIÆ, è cruce ſua accinuit pſalmum: *Laudate pueri Dominum*, quem didicerat Nangaſachi in inſtitutione Catecheſeos: In ea enim deditâ operâ, pueris quidam pſalmi hanc in rem ediſcendi traduntur. *v* Tertius è tribus his robuſtiſſimis pueris fuit *Thomas Gozahi*, qui præciſa ſibi à gentili lictore auris particula, dixit, altiùs etiam amputaret, ſi vellet, ac ſe Chriſtiano ſanguine ſatiâret. Fuerunt autem omnes, numero 26, quaſi puncto temporis acti in crucem: Eò quod quilibet ſuum haberet attributum miniſtrum, & omnia neceſſaria ſingulis ad manum parata. Tum carnifices quatuor cœpere vaginis (quæ Japoniis uſitatæ ſunt) eximere lanceas, ad quarum horrificum conſpectum omnes fideles acclamarunt JESUS, MARIA, & comploratio ſecuta miſerabilis, ipſos feriens cœlos. Ad tantam autem carnificinæ non oſtentationem modò, ſed etiam irrogationem, ſtetêre in magna conſtantia intrepidi Martyres. Ex quo capite eorum fortitudinem juvat celebrare verbis. S. Ephrem, oratione 2. de SS. Martyribus. *x Stabant in magna conſtantia, tempore certaminis, validiſſimi pugiles Dei, pœnas quaſcumque ingenti alacritate animi, pro nomine unigeniti filii Dei, ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti perferentes. Quam autem in pugna ſtrenui, quantáque laude fortitudinis præditi illi fuerint, vel hinc conſtare unicuique poteſt, quod ſubjecta oculis expaveſcenda tormenta, adverſum ſe parata, non ſolum nihil reformidârunt, ſed & majori conſtantia decertantes, omnia perferendo fortiter ſuperârunt. Atque omnibus tormentis illi* FORTIORES, *atque alacriores effecti, majori fiducia, atque animi conſtantia Chriſtum confitebantur.* Eviſcerârunt carnifices præcordiis illos, qui viſcera miſericordiæ patentia habebant, & exhibita cunctis; lanceis eos transfigentes, quæ in utroque latere Martyrum corda, in crucis modum penetrabant. Ita glorioſi milites Chriſti in dorſo mundi, fidem obſignârunt, ſui cruoris pur-

t Pag. 761. v Pag. 738.

x S. Ephrem. orat. 2. de SS. Martyribus.

purpura, Auguſtorum ritu. O Trias Deo digna! O purpuratæ nubes! qui veſtri cruoris imbre, primi agrum Chriſti fæcundaſtis! Commune omnibus eſt, viliſſimum multis mori; at fortiter per exquiſitam lanienam mori pro Deo, prò fide, feliciſſimi, id eſt rari, id eſt magni, id eſt martyris. Hoc mirum, & neſcio an dicam injurioſum vitæ, quod tanta felicitas, opus mortis ſit: Quod alienum eſt, non proprium, cujus nec optimis aliud liceat, quàm votum. Hujus ſolius fortunæ, nemo ſibi fabrum liceat eſſe, cùm vel à peſſimis optimi quique ad hanc incudem revocandi ſint. Chriſtianè gentilis: y *Non eſt res magna vivere. Omnes ſervi tui vivunt, omnia animalia; magnum eſt honeſtè mori, prudenter, fortiter.* Sed nè noſtris dumtaxat inhærere videamur, quæ ex hiſce primitiis meſſis pullularit, aliorum quoque Japonenſium Martyrum fortitudine, etiam parvulorum, argumento erit, cui omnis Romana, ac quorumcumque Gentilium cedat, neceſſe eſt. z Gloriabatur olim Scipio Africanus, quod ſuos inter milites, trecentos haberet, quorum quilibet eo jubente de turri ſe in mare præcipitaturus eſſet; ſed quis mortalium cenſere valeat, quot ejuſmodi milites Imperator noſter ſub ſignis ſuis habeat, qui injuſſi pro Deo exquiſitis ſeſe objecere tormentis. Ex innumeris, trecentos alios ſpectemus, quos inducit Pontius Diaconus in vita glorioſi Martyris Cypriani. Narrat is clibanum calcis à Præſide accenſum, & in ore Cypriani prunas cum thure exhibitas fuiſſe, ac Præſidem dixiſſe trecentis Chriſtianis, eligite è duobus unum: aut thura hic offerre Jovi, aut in calcem demergi. Tunc trecenti viri, fide armati, animo forti, curſu rapidiſſimo, Chriſtum Dei filium confeſſi, conjecerunt ſe in ignem, & inter vapores pulvereæ calcis demerſi ſunt. Quin & Japonia habet ſuos ſtrenuos milites, primis illis martyribus non inferiores: *a* ibi enim cùm ſub annum milleſimum ſexcenteſimum decimumtertium gravis in Chriſtianos exarſiſſet Regis, & Principum ira, ac perſecutio, Chriſtiani permulti etiam primæ nobilitatis, bonis omnibus exuti, in exilium pulſi ſunt; quam mulctam non tantùm fortiter pro Chriſto protulêre, ſed etiam nomina ſua Gubernatori detulêre, Chriſtianos ſe profeſſi, & ſanguinem fundere paratos. Interea Sodalitatem martyrum inſtituêre, cujus prima lex erat: *b Si pro fide Chriſti, bona adimantur, hoc ſpolium forti, & libenti animo tolerato.* Altera: *pari conſtantiâ & animo exilium, & mortem pro Chriſtianiſmo excipito.* Id quod reipſa plurimi præſtiterunt. Arimæ Regulus, cędi Chriſtianorum tribunal erexerat, diem dixerat. Mox non trecenti, ſed viginti millia ultro ſe Arimæ ſtiterunt, promptiſſimi in purpureum ſanguinis ſui mare demergi. *c* Territus Tyrannus ceſſit, & paucorum nece, furorem ſatiavit. Ex illis, octo vivos cremari juſſit, quos inter

y Seneca Epiſt. 77. z Chriſtiana Iaponenſium fortitudo cum Romana. Plut. in apophteg.

a Nicolaus Trigaut. in triumph. Iapon. lib. 2. c. 15. b Cornel. a Lapide in Epiſt. ad Hebr. c. 10. v. 34.

pater & mater, cum filio, & filia *Magdalena* nomine; quæ virgo viginti Annorum, exultans in mediis flammis, carbones ardentes capiti impoſuit (quod apud Japones ſummæ reverentiæ ſignum) ut ſe prunis illis velut purpureis roſis, aut candentibus carbunculis coronaret. Liceat hîc mihi verbis Ambroſii exclamare: *d Mirentur viri, non deſperent parvuli, ſtupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Fuit devotio ſupra ætatem, virtus ſupra naturam.* Tum ad mores excurrens, ſic molliculas, imbelles, & tenellas puellas conſimili exemplo exſtimulat: *At illius ætatis puellæ, torvos etiam vultus parentum ferre non poſſunt, & acu diſtrictæ, ſolent puncta flere quaſi vulnera.* Quod ſi necdum ſufficit ad animos veſtros inflammandos, fraterculum hujus virginis *Jacobum* intueamur, qui ne ſorori *Magdalenæ* cedere, aut in incendiis ocioſus ſtare videretur, duodennis adhuc, & inter majores victimas agnus, ſolutis, deuſtíſque igne vinculis, prunas, quas vicerat, feſtivo pede calcans, feſtinus ad matrem pariter ardentem, & non tam ſua, quàm liberorum incendia ſentientem, gratulabundus accurrit, térque ſanctiſſima Jesu & Mariæ nomina contentiori voce inclamans, beatæ Matris gaudia cumulans, ad ejus latus, & penè in gremio extinctus concurrit: refrigerióque haud exiguo, parentum flammas temperavit. Quorum gaudia etiam hinc eximiè ſunt cumulata, quod in ſummis tormentis à tam tenera liberorum ætate inauditæ fortitudinis ſpeciem didiciſſent. Mater certè inter hæc ſpectacula: *Explere mentem nequit, ardeſcítque tuendo.* Hæc Trigautius in triumpho Japoniæ, ubi non minus illuſtria de *Martha*, & nepotulis ejus commemorat. Vides pueros, puellas, ardentes prunas ut roſas tractantes, calcantes, atque in flammis luſitantes. Hujus rei typus videtur exſtitiſſe luſus, ſeu pugna illa inter milites David, & milites Saul, dicente horum duce Abner: *e Surgant pueri, & ludant coram nobis* Sed victus, fugatúſque eſt Abner cum ſuis, à militibus David, & vocatus eſt campus ille *Robuſtorum*. Ejuſmodi luſum dedit campus Japoniæ, inter milites Chriſti, & diaboli, qui fuſus fugatúſque, jucundum dedit Deo, Angelis, & hominibus ſpectaculum. Si puerorum animos, quos imbecilles voluit eſſe natura, obarmavit fortitudo, nihil jam morti reliquum eſt, ut poſſit timeri. *f* Nos ex frequentiſſima hujus ætatis cohorte, duos dicemus, quibus Japonicum nomen inclaruit, & plures quidem cum morte ludentes, palmas ei de manu extorſerunt; ſed alter cùm ad ſupplicii locum ſublimis humeris veheretur, deponi voluit; ac reliquum quod erat itineris pedibus conficere, quod Chriſtus Dominus non equo ſublimis, non ſuccollantibus bajulis, ſed pedes, ac trabe cruciatâ onuſtus, in ſuarum pœnarum Capitolium aſcendiſſet: itaque pari paſſu cum natu majoribus vadens virili etiam fortitudine, cervices dedit. Huic *Thomæ* fuit nomen; alteri *Aloyſio*, qui cum ſubli-

c Trigaut. triumph. Iapon. lib. 2. c. 3.
d Ambroſ. lib. 1. de virg.

e 2. Reg. 2. f P. Ioan. Rho variæ virtutum hiſt. lib. 6. c. 5. §. 6.

mis in cruce pependit, Canziuge tyrannorum ſæviſſimo, inter crucis brachia illi riſus conſtitit & vultus, in quo nihil ſui juris mors agnoſceret. Si pueri in cruce rident, mortem ludunt, quid nos viri ad umbras, & vana terriculamenta earum expalleſcimus. Exercitatione ad iſta opus eſt *g* Iterum *ſurgant pueri, & ludant coram nobis*, ut ſenes fortiter pati, & mori doceant. Documento erit puer ſeptennis, qui Anno 1632. cum Japonia furore impio in Chriſtianos arderet, à parente ad perferenda martyrum cruciamenta, tempeſtiva conſuetudine exercitatus eſt. Hortamentis primum ne ulli dolori cederet: tum ut fortitudinis ac conſtantiæ animum ejus penitus exploraret, quæſtionem movit: quid acturus, ſi vivus exurendus eſſet? intrepidè reſpondit laudatiſſimus puellulus: ego, mi Pater ignis & rogos, uri, & ardere non extimeſcam. Non hoc ſatis, ſpecimen dedit; candentem porrò à Patre carbonem tenellulæ filioli manui immiſſum, non dimitteret, niſi juberetur, conſtanter tenuit, dum manus probè adureretur. Rogatus num doleret? ecquid, inquiebat, carbunculus ille ignitus in me habeat virium, cui DEUS Opt. Max. animos dedit paratos ad carnificum incendia, & ut ejus cauſa buſtum fiam. Præclarè Minutius in Octavio: *h Pueri ac mulierculæ noſtræ cruces, & tormenta, & feras, & omnia ſuppliciorum terriculamenta, inſperata patientia illudunt.* Tres hi primi purpurati martyres veriſſimum illud Tertulliani comprobarunt: *Sanguis martyrum, ſemen eſt Chriſtianorum.* Eminent tres illi Heroes, immortalibus inter mortales honoribus dignati: diceres eos in crucem actos, ut magis toti orbi conſpicui celſitudine virtutis ſuæ, alienam longè, latéque provocarent. Atque ut ſentias illum martyrum ſanguinem, & ſanctos cineres, fæcundiſſimam eſſe novorum Chriſtianorum ſementem: ab Anno milleſimo ſexcenteſimo tertio, uſque ad Annum ſæculi currentis vigeſimum ſecundum (quo toto tempore quidquid comminiſci potuit tormentorum, in Chriſtianos exercuit ingenioſa crudelitas) ad Chriſtiana ſacra interim ſuſcipienda à Societate ſunt inducta ducenta triginta novem Japonum millia, tricenta triginta novem: nec pauciores ab illo Anno uſque ad præſentem, Eccleſiæ aggregati ſunt. *i* Mitto hos inter Principes, Dynaſtas, optimates, Regéſque plurimos, Regem Supanorum, Bazani, Soloris, Sionis, Labonamæ, Manibanes, Tambæ: è quibus poſtremus, quoties in hoſtem iret, in ipſa galeæ criſta, conſpicuum geſtabat Jesu nomen. *k* Præter hos, Reges Bungi, Saxumæ, Omuræ, Toſæ, Arimæ, Gotto, Mino, à ſociis ad Chriſtum ſunt adducti. Ex his Rex Omuræ Bartholomæus, quadraginta idolorum templa demolitus eſt, ne veſtigium quidem priſcæ impietatis ſupereſſe paſſus. *l* Japoniorum Regum, veluti Magorum ab Oriente, Romam miſſa legatio per juvenes Regios, Patrémque Japonicæ Societatis viſitatorem, ſummo ſa-

g Mancinus de paſſione lib. 1. pag. 29.
h Tertull. in apolog. c. ult.

i Pag. 369. k Soliers de rebus Japonic. l Imago primi ſæculi Soc. pag. 259.

crorum

crorum Antiſtiti Gregorio, ea appellatione decimo-tertio; cúmque de agro Japonico tot Martyrum ſanguine irrigato, uberrimóque, quem referret fructu, ſermones miſceri audiret, non ſemel ipſe Maximus Pontifex lacrymas fudit, inuſitatæ lætitiæ indices, quod legationem ſpectaret, qualis poſt orbem conditum, hominéſque progenitos, nulla vel ſtudio Religionis ad Romanum Antiſtitem, vel Romani Imperii admiratione ad quempiam Cæſarum, è Regnis adeò diſſitis, per tot Oceani pericula, tótque ambages viarum, fuerit inſtituta. Annos novem tenuit peregrinatio: ut itinere ipſo inſolens ac permoleſta, ita exitu legatis ipſis beata, Societati glorioſa. Siquidem illi ipſi in patriam reduces (quaterni erant) ſeſe acceptiſſimum cœlo munus, ſacroſancta votorum ſponſione in Societate ſe Deo conſecrarunt. Atque è principibus pauperes, ex Regiis Religioſi Legati effecti, imò Angeli, hoc eſt, ad ſuorum Japonenſium æternam incolumitatem procurandam deſtinati. Sic in eo munere verſati ſunt, *m* ut nuper ex eorum numero jam ſenex venerandus P. Julianus Nacauxa, Annorum ſeptuaginta, ætatem eo in tumulo non compoſuerit, ſed violenter abruptam perdiderit: qui dolor ut tormentorum acerbiſſimus eſt (ſcrobis ſupplicium nuncupant) ita ad immortale decus glorioſiſſimus, athletam Chriſti magnanimum in feliciſſimam aſſeruit æternitatem. Hoc ille fine legationem ſuam reddidit illuſtriorem: ita canos,

m P. Alegambe in Biblioth. in fine, & alibi.

ſanguine velut ebur Indicum, oſtro puniceo magis venuſtos, pretioſóſque effecit. Sileat Romana vetuſtas *n truncam illam & retorridam manum Mutii in foculo diſtillantem*, plures & fortiores Mutio habet Heroes Japonia, glorioſiores palmas alit India. *o* Unius Spinolæ, ut ceteros taceam, conſtantia, non uno corporis articulo, ut Pompejus apud gentium Regem, non una manu, ſed toto corpore, omnibus membris lentè uſtulatur. Libet te hic iterum inducere ô magne Heros Carole, *Flos & robur Italici ſanguinis*: quando illa veri nominis, ac generoſi ſanguinis nobilitas eſt, quæ non è natalibus hauritur, ſed ex ipſis venis tam glorioſa profunditur. Da veniam, ſi minus ſplendoris ab hac voce mea, quàm à flammis tuis es conſecutus. Quadriennio pænè toto non in cavea punica, eaque permoleſta, & acerba incluſus, ſed miſerrimam in arctiſſimo ergaſtulo vitam duxerat, è quo ad feralem pyram admovetur palo, & crudeli miſericordiâ ligatur remiſſius, ad ſex cubitos flammæ corpori dimoventur, ut ſenſim torreri poſſet, manſitque ad duas horas vivus in flammis. Huic tam illuſtri ſpectaculo præter barbaros, triginta amplius Chriſtianorum millia memorant interfuiſſe. Spectavit quoque heterodoxæ fidei Hollandus, qui inde redux, ſuper menſam Principis Henrici Naſſovii, rei ſeriem narravit, & avidè hæc quibuſdam auſcultantibus hæreſeos Miniſtris, ſuam ipſis ſocordiam exprobrando, dixit ſe Jeſuitam vi-

n Seneca Epiſt. 66. o Valer. Max. lib. 3. cap. 3. Florus lib. 4. c. 2.

diſſe

diſſe ad duas hortas lento igne vivum torreri. Cui Princeps ſubjunxit: video hîc in menſa (& aderant varii Miniſtelli, & inter ceteros Andreas Rivetus, pædagogus filii Principis) quibus vel uno ſtramineo faſce admoto, ad quamvis fidem & ſectam facilè perducendi eſſent. ô magnum gentis Spinolæ ornamentum! tu, quo tempore Ambroſius Europam illuſtrabat victoriis, eòdem Japoniam, Indiàmque decoraſti triumphis. Veriſſimè Auguſtinus *p*: *Martyres, Scævolas, & Curtios, & Decios non ſibi inferendo pœnas, ſed illatas ferendo, & virtute verâ ſuperarunt.* Quid ad hæc vos ſegnes, & imbelles animæ, quæ ad levem ignis præſtricturam colliqueſcitis, minimæ febriculæ calore conciditis? molles ac teneri, urticas contrectare reformidatis, quæ à virgunculis, à pueris confricatæ, non doluerunt. Sed erunt fortè, qui ad hæc tam illuſtria virtutum exempla, in ſe deſideria accendi, animos inflammari, ora laxari, nec quidquam præter Indias, Molucas, Japonas ſperare, has ſolas ſpirare dictitent. Dum interim, quàm ea quandoque ſomniantum vota ſint, quàm ignes illi fatui, & evanidi, ex eo manifeſtum eſt, quod qui prius cruces, rotas, ſartagines ardentibus votis ſuſpirabant, ad levem ſarcaſmum, ac minimam acus puncturam concidant penitus, & exanimentur. Cujuſmodi miro zelo ſuos accenſos perſtringit Bernardus, Feſto S. Clementis: *q Quid ergo? non poſſumus & nos cum ſancto* C L E M E N T E, *Chriſti bibere calicem? ſed fortè reſpondent aliqui, poſſumus, ſi opportunitas non deeſſet; ſed perſecutionis tempus ceſſavit. At ego fateor, non ſatis crediderim ita dicentibus. Quid enim? quotidie ceditis punctioni acus unius, & mucroni vos arbitramini poſſe reſiſtere; in minimis probate conflictibus, quàm viriliter in majori certamine ſtare poſſitis.*

p Auguſtin. lib. 5. de civit. c. 14.
q Bernard. Feſto S. Clementis.

§. III.

Qua ratione & nos fortiter patiendo, Martyres eſſe poſſimus.

THeologorum Princeps, & Doctorum Coryphæus Aquinas, de quo jure dubites, an ab illibata mentis integritate, an ab ingenii perſpicacitate *Angelici* nomen acceperit: *r* hic tradit *duplicem actum fortitudinis, ſcilicet ſuſtinere, & aggredi* ardua, difficilia, periculoſa. Non levis porrò hîc controverſia, utrum alteri præſtet. Solent mortales ſuſpicere, venerari, & admirari magis belli Ducem acriter, & alacriter hoſtem invadentem, ſternentem, vincentem, quàm ferro pectus tranſactum, laceros artus trahentem, victum ac dejectum, fortunam ſuam forti & conſtanti animo ferentem; *Quid*, inquit Seneca Epiſt. 66. *tu non putas parem eſſe virtutem ejus, qui fortiter hoſtium mœnia expugnat, & ejus qui obſidionem patientiſſimè ſuſtinet?* At quantum hic *ſuſtinendo*, quàm *aggrediendo* fortior, & glorioſior ſit, dilucidis argumentis idem Doctor convincit. Ad quæſitum igitur: *ſ Utrum ſuſtinere ſit principalis actus fortitudinis,* ſic reſpondet: *dicendum quod ſuſtinere eſt difficilius, quàm ag-*

r S. Thom. 22. q. 123. art. 10. ad 3. ſ Art. 6

aggredi, triplici ratione. Primò quidem, quia ſuſtinere videtur aliquis ab aliquo fortiori invadente; qui autem aggreditur invadit per modum fortioris. Difficilius autem eſt pugnare cum fortiori, quàm cum inferiori. Secundò, quia ille qui ſuſtinet, jam ſentit pericula imminentia; ille autem qui aggreditur, habet ea ut futura. Difficilius autem eſt non moveri à præſentibus, quàm à futuris. Tertio, quia ſuſtinere importat diuturnitatem temporis; ſed aggredi poteſt aliquis ex ſubito motu; difficilius autem eſt, diu manere immobilem, quàm ſubito motu moveri ad aliquod arduum. Unde Philoſophus dicit, t *quod aliqui ſunt prævolantes ante pericula; in ipſis autem diſcedunt.* Quibus pro fundamento jactis, quemque hortari aggredior, ut adverſa quævis imminentia, fortiter ſuſtinendo, invictos Chriſtianæ militiæ Heroas, quàm proxime æmuletur. Altè & in medullas cordis demittenda vox Themanitæ illius: v *homo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum.* Intuere quid deſit volucribus, ut volent; Totæ in hoc poſitæ ſunt roſtro acuto ut ſcindant, proræ loco, aërem alarum remigibus actuoſæ, oblongioribus ſuo ordine pennulis, ex utroque inſtructæ latere, velut tranſtris: cauda clavi inſtar eſt, qua flectuntur, & gubernantur, pedibus collectitiis, digitis ſparſis, unguibus aduncis, quibus tanquam anchoris aptè hæreant ſuis portubus, ramis. Licet numquam volare vidiſſes, hoc ipſo quod volucrum cerneres ſtructuram, diceres ad volandum facta iſta aëris navigia. Non minus homo devotus labori naſcitur, & dolori. Intuere illum, nihil notabis deeſſe, ut patiatur, etſi multum deſit patientiæ. Tota hominis conditio in hoc videtur affabrè elaborata, ut laboret, ut pati poſſit; non inſtructus pennis, ut avis; ſed egenus, infirmus, nudus, inermis, adhuc ſui ſæpè deſtitutus. Undique ſua nuditate, & egeſtate patet paſſioni, & vulneri. Id intereſt, quod avibus deficere poſſint inſtrumenta volandi, non homini tolerandi. Vitæ humanæ primitiæ, fletus eſt: primi flores, lacrymæ; inde auſpicia ſumit. Non antè naſcitur homo, quàm patitur, imò de ipſo gemit ortu. Primum lucis tributum, pati eſt; inde per reliquas ætates pendenda ſua, ut Bleſenſis ait, vectigalia miſeriæ. Nunquam igitur deficiet pati. Cur, quæres, homo beatitudini unicè devotus, naſcitur ad laborem? unum iſtud animal capax felicitatis, cur capax duntaxat eſt fletus? naſcitur ad virtutem, naſcitur ad miſericordiam, ad conſtantiam, ad fortitudinem, quæ felicitatis ſemina ſunt: niſi homines eſſent miſeri, unde miſericordia? niſi egeni, unde munificentia; niſi infirmi, unde conſtantia? niſi dolentes, unde fortitudo? imò niſi mortales, unde immortalitas contempta morte? Iam fortaſsè tenes momentum collationis, cur homo comparetur avi. Natura volucris, pennis ſe attollit ſuper humum: inde humum deſpectura, in cœleſtium vicinia degit; cum ad terram ſe demittit, adhuc ſuper nos, aut in arboribus diverſatur ſublimis, aut ſuper tecta noſtra inſidet quieta, aut in præruptis habitat ſecura, eminens ſemper aliquid af-

t Ariſt. 3. Ethic. v Iob.

affectat. Homo pariter cœlo natus, illuc ſe evehit vigore mentis, animi magnitudine, atque innato Spiritus robore ac fortitudine, qua omnes injurias, miſerias, ac dolores ſupergreditur. Adverſa omnia, ſine quibus non vivitur, toleranda ſunt, ut tollantur. Quamtumvis in alicujus ſinum totam cornucopiam vacuefaciat fortuna prodiga, aliquando loborem, & inopiam ſentiet. Pompejus & Darius ſiti afflicti fuerunt, tot fluviorum Domini, nihilominus ſtillam optârunt. Torpuit aliquando Alexander frigore, qui ferè fuit Dominus Solis. Exercendus itaque, atque obarmandus eſt animus adverſus mala, quæ devitare non poſſumus. Saluſtius quidam, qui Simplicii ætate vixit, accenſum carbonem nudo imponebat femori, & flatu ipſe ignem excitabat, periculum de ſe facturus, quouſque tolerare poſſet. Credo illum ignem extinxiſſe fulmina ardentis fortunæ. Si levia fiunt, quæ prævidentur; leviora erunt quæ prægustantur. Timidus veneni Mithridates aſſidua ciborum venenatione, tam innocens ſibi omne virus effecit, ut nec volenti nocuerit: ipſo ſe damno fecit ſecurum, etiam à ſe, & in adjumentum vitæ, nocumentum convertit; ſimili ſagacitate vir fortis adverſus virulentos fortunę ictus pręſtruitur. Laboribus & doloribus aſſueſcere ſolet adverſus ipſos: efficax patiendo præparatur vitæ antidotum, patientia. Sunt in promptu Sanctorum Patrum elogia, quibus dum conantur patientiam exornare, ſatis ſupèrque ſuadent, patientem eſſe viro forti ſuperiorem. Unde illa D. Auguſtini exclamatio: x *ô patientia! tu omnia vincis adverſa non colluctando, ſed ſufferendo.* Illud conſiderandum eſt ad exemplar virtutum, quanti robur probetur ab ethnicis in Alcide, Eccleſiaſticis ſapientibus in Samſone; illi cùm egregiam nullam probitatis formam habuiſſent, propoſituri, finxere robuſtiſſimum virum incredibilibus inſtructum viribus, per omnem violentiam verſatum, per omnem eruditum tolerantiam, uſque ad cœli patientiam, quod vicario ſuſtinuit humero: námque hæc maxima virorum probatio, etiam ſuſtinere ipſum Deum. Atqui hanc vim monemus neceſſariam non in arte corporis, ſed in arte mentis; non in lacertis, ſed in virtutibus. Ut quis cœlos ſuſtineat, intemperies adverſitatis, calamitatis, morborum imbres depluentes, injuriarum, calumniarum grandinem immittentes: irarum, tentationum fulgura detonantes; huic opus eſt ingenti animi robore, & ſancta fortitudine. Hæc morum magiſter Magnus Gregorius complectitur paucis, non tam agendo, quàm patiendo, virum fortem comprobari; ſic enim diſſerit ſuper illud pſalmi 2. *Beatus vir: quaſi dicat ad hoc opus nemo aſſurgere prævalet, niſi qui ſanctæ fortitudinis vires habet. Quid enim fortius quàm omnes animi motus rationi ſubigere; omnia carnis deſideria, Spiritus virtute frænare, proprias voluntates abjicere? contemptis viſibilibus, ea quæ non videntur amare? unde Salomon ait:* y *Melior eſt patiens viro forti.* Aſpirabat arcano hallucinans inſtinctu, rudis

x Aug. ſerm. 32. y Prov, 16.

ſen-

ſenſus noſtræ miſeriæ, filium aliquem Dei videre ad patientiæ documentum, & fortitudinis ideam: non invenit; fecit ſibi, propoſuitque Alcidem, filium Jovis, continuæ patientiæ, virtutíſque formam: in cujus laboribus, & patientia, nunquam majori cum indulgentia poſſe mentiri ſibi viſa eſt antiquitas. Id cenſuit verè, laborem potius eſſe repugnantem, quàm indignam virtute, neceſſariámque, ut duplici patientiam modo juvaret, & pretio patiendi, & dignitate patientis. Vicit jam figmenta humana Veritas divina, ultra quam mortalium vota licenter optavêre, nunquam ſperarunt. Satis jam ex Filio Dei inſtructa patientia, qui patiendo exemplar ſeſe, & caput martyrum exhibuit. Cujus exemplo ut nos membra, patiendo Martyres exiſtamus, paucis comprobabo. Sola quippe & unica patientia Martyres creat, & coronat *nos*, inquit Ambroſius z, *ſine ferro & flamma Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam, in animo veraciter cuſtodiamus.* Id nemo quiſquam demirabitur, qui Sanctorum Patrum, Doctorúmque ſuffragiis, ægrotantium cum primis cruciatus martyrio adæquari animadverterit. Quod ne temere adſtruere videar, oratorem aureum induco, qui ſpiritu ferventes, ac queritantes, nunc martyrii tempus non eſſe, ſed deeſſe paſſionis materiam, ſic animat, omnibúſque patentem ad prælium arenam, in qua Job fortiter decertavit, deſignat? a *Quid ais, non adeſt martyrii tempus? nunquam profectò hoc abeſt; ſed ante noſtros ſemper eſt oculos, ſi vigilemus: non enim in ligno ſuſpendi ſolum, hoc martyrem facit; nam ſi ſic eſſet, extra tales coronatos Job poneretur: nec enim ante tribunal fuit conſtitutus, nec judicis vocem audivit, non vidit carnificem, neque ſuſpenſus in ligno, vel ſublimis poſitus, circa latera laniatus eſt; attamen multis martyribus graviora paſſus eſt.* Tum ubi acerbiſſima, quæ conſtanti & forti animo toleravit tormenta, enumeravit, infert: b *cur non itaque dignus hic ſit martyri comparari?* num Stephano, Laurentio, Vincentio *vehementiores*, inquit, *illis fuerint dolores? at hi diuturniores*, ita & tui, colicæ, calculi, podagræ, diuturniores ſunt. Verumenimverò quis in animum inducat, molliſſimum ſtratum, pro campo Martio eſſe, hominem per longas & acerbas ægritudines, vix oſſibus hærentem, teneram virgunculam lenta tabe conſumptam, tantum circum præcordia roboris, tantum maſculæ fortitudinis habere, ut cum fortiſſimis Chriſti athletis comparari queant? niſi Doctor gentium ab illis ſtaret, & ſuo exemplo edoceret, *dum infirmor, tunc potens ſum, & virtus in infirmitate perficitur*; c *hoc autem ad fortitudinem mentis pertinet*, inquit Doctor Aquinas, *quod infirmitatem carnis, fortiter ferat:* Dum non in querimonias, in impatientiam, in blaſphemas voces, ſed laudes Dei infirmus prorumpit. d *Non eſt enim pa-*

z Amb. hom. 35. in Euang. a Chryſ. hom. 25. ad pop. & hom. 1. 2. ad Corinth.

b Chryſoſt. orat. de valetud. adverſa. c S. Thom. 2. 2. q. 123. a. 1. d Chryſoſt. in pſ. 127.

tum

rum, inquit idem Chryſoſtomus, *dolore affectam refrænare animam, ad hoc ut nihil peccet; hoc eſt cum martyrio conferendum. Et tu ergo, ô dilecte, cùm te morbus, vel febres, vel dolores invadunt, cogente te cruciatu, dicere aliquid blaſphemum, ſi te retinueris, & Deum gloria, & honore affeceris, eandem mercedem accipies*, quæ martyribus debetur. *Fer ergo forti, & generoſo animo quæ accidant: hoc eſt enim martyrium.* Non ineptè olim Diogenes, homines conſpicatus conferta multitudine ad amphitheatrum concurſantes, exclamavit: ô mortalium inſaniam! concurrunt hi, ut homines cum beſtiis videant decertantes, & me prætereunt, cum naturali dolore depugnantem. Etenim non modò in campo, in circo, ſed & in lecto fortitudini locus eſt. Hæc graviſſimi Doctoris ſententia eſt, e *Multi coronati ſunt in Amphitheatro pugnantes ad beſtias, multi in lecto vincentes diabolum, coronati ſunt; ac videntur non ſe movere poſſe, & intus in corde tantas vires habent, tantam pugnam exercent; ſed ubi eſt occulta pugna; ibi occulta victoria*; in hiſce & ſimilibus à profana ſapientia petitis, non hærebo diutius, ut ejus veritatis, quam modo ſuſcipio, partes firmius tuear, cùm animadvertam ſtare pro me melleæ virum facundiæ, & ſanctitatis aureæ Antiſtem D. Ambroſium, qui in expoſitione illius, *quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*, ſic ait: f *Sine dubio, cœleſtia vincunt terrena. Quamobrem infirmum Dei, non eſt infirmum, quia infirmitas Chriſti magna victoria eſt: vicit enim cum victus videtur, ſicut ait, & vincas cùm judicâris. Victor enim exiſtit qui injuſtè occiditur, reum conſtituens à quo occiditur.* Igitur ſi dixero eum, qui adverſitatibus irrumpentibus infirmatur, patienter tolerando victoriam conſequi: ſi pronuntiavero ſubactum infirmitate, Dei amore, non infirmum, ſed tunc fortem, infirmitatis victorem ac triumphatorem eſſe; reprehendi utique non debebo, quia ſanctiſſimi viri uſurpo ſententiam, adnotatione dignum moveo judicium, quod refert D. Auguſtinus, conferens Catonem & Regulum, quod leges l. 1. de civit. c. 24. in hunc modum: g *Marco Catoni, Marcum Regulum præferamus: Cato enim ne ſubjiceretur à Cæſare, à ſeipſo elegit occidi. Regulus autem Pœnos jam vicerat, Imperioque Romano Romanus Imperator non ex civibus dolendam, ſed ex hoſtibus laudandam victoriam reportaverat; ab eis tamen poſtea victus, maluit eos ferre ſerviendo, quàm eis ſe auferre moriendo. Proinde ſervavit, & ſub Carthaginenſium dominatione patientiam, & in Romanorum dilectione conſtantiam, nec victum auferens corpus ab hoſtibus, nec invictum animum à civibus.* Et paulò poſt, his verbis decernit: *Inter omnes ſuos laudabiles, & illuſtres viros, non proferunt Romani meliorem, quem nec infelicitas fregerit.* Ubi Marcum Regulum ſtatuit ut Romanorum fortiſſimum, & miris ad cœlum laudibus extollendum, quia victus ab hoſtibus, forti patientia invictum ſe, & victoribus glorioſiorem præbuit, quem *nec infelicitas fregit.*

e Aug. tr 7. in Ioan. f Aug. in epiſt. 1. ad Cor. c. 1. n. 25.

g Aug. l. 1. de civit. c. 24.

Du-

Duram ſervitutem pati, ſub viri dominatu eſſe, ſub fero ac truculento hero mancipari, non levis martyrii genus eſt, cujus palmam vos ſervi & ancillæ, vos conjugati adipiſci poteſtis, *ſi infelicitas non fregerit*, ſi Chriſtiana fortitudine omnia ſuſtinueritis. Seleucienſis Antiſtes hanc ſub jugo viri, mulieris ſervitutem, omni morte duriorem, graphicè depingit, dicens. *h Dominum ſibi cum dote infelix mulier coëmens virum, ancilla pro libera efficitur: breviſſimáque voluptatis gratia, naturali libertate ſe privans, januam ſibi ineffabilium dolorum, perpetuíque mœroris, per hujuſmodi connubium aperit.* Quid hęc niſi jugis martyrii irrogatio eſt? Porrò ſi Martyres per tribulationes coronati ſint, eas conjugibus proprias, velut arrham, Apoſtolus pronuntiavit: *i tribulationem carnis habebunt hujuſmodi*, eámque adeò variam, & continuam, ut ad mille mortes, & martyria ſufficere poſſe, graviſſimi ſcriprores *k* aſſeverent. Cujuſmodi ſunt, inquit Chryſoſtomus ratione de S. Thecla: *l Fornicantem ſponſum tolerare, ſuſpiciones falſas ſuſtinere: procedendi ſæpe utiliter in publicum poteſtate privari: de alimentis inquirere; ornatam zelotypiæ obnoxiam eſſe: deſpicatui duci, priuſquam peperit, quaſi quæ nondum uxor facta ſit: ubi pepererit, ob pignora in crimina incurrere. Partu edita eſt quæpiam fæmina, quod natus non ſit maſculus? tetricum maritus vultum gerit. Adjectus eſt maſculus? partu editus eſt fœtus, qui formoſus non eſt. Eleganti eſt forma uterque? tanquam de pulchris acerbior cura inceſſit. Depulſi ſunt à lacte? rurſus anxietas educationis ſuccedit. Cum ſani fuerint, metus ne ægrotent; cum ægrotaverint, formido ne moriantur; cùm mortui fuerint, metus ne deinceps prole carens contemnatur: cum mortui non fuerint, ut de viventibus, gravior ſolicitudo incumbit: unde liberis ad inſtitutionem ſumptus ſupeditabuntur? unde conjugalis fæderis apparatus? unde veſtimentorum ſplendor, unde famulorum unicuique diſtributio; quænam ex bonis majori attribuet, quo pacto minoris invidiam mitigabit?* Quæ, quàm gravia, & acerba toleratu ſint, penitius perſpicies, ſi in miſeriarum officinam, ubi mille mortes tolerandę, introſpexeris, quam D. Baſilius nobis reſeravit: *m Virgo*, inquit, *earum perpetuas ærumnas miſerabitur: nempe ejus, quæ nupſit multiplices (ut ſic dixerim) mortes, quas illa indies patitur, è Regione conſiderans, ſibi ipſi, propoſitóſq; ſuo gratulabitur. Nam ſi virum bonum nacta fuerit; perpetuò ne moriatur metu viduitatis, incommoda, cruciatúſq; ſuſtinet; ſin verò contrà, duro & immiti fuerit conjuncta, tota quidem vita illi cruciatus erit. Inde ubi filios edidit, aut ad bonam frugem illi evaſerunt, & majores ex illorum abſentia jugiter dolores tolerat, quàm parturiens habuerat; aut malos evaſiſſe conſiderat, & majus ex ea procreatione liberorum, quam ſi permanſiſſet ſterilis, opprobrium ſuſtinet.* Hæc quis non graviora, & diuturniora, quàm Martyrum duxerit tormenta? *n Quantas putas eſſe conjugatas*, clamat Bernardus, *quæ ſuppliciis hoc emere vellent, quod à malorum conjugum poteſtate liberatæ, liberum Domino poſſent ſervitium exhibere?* Quæ omnia ſi forti, & conſtanti

h S. Baſil. lib. de virgin. i 1. Cor. 7.
k Raynaud. de martyrio per peſtem. p. 121
l Chryſoſt. orat. de S. Thecla.

m Baſil. lib. de virg. n Bern. de paſſione Domini c. 30.

ani-

animo tulerint, qua ratione inter Martyres cenſeantur, eruditè Raynaudus *o* noſter proſequitur. Concludo ego cum magno Hipponenſium Præſule, qui quémq; veſtrûm, Martyres æmulari, & incruento martyrio Martyres eſſe, & nuncupari poſſe, veriſſimè affirmavit: *p Nemo dicat fratres chariſſimi, quod in illis temporibus Martyrum certamina eſſe non poſſint: habet enim & pax noſtra Martyres ſuos. Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, juſtitiam cuſtodire, avaritiam contemnere, ſuperbiam humiliare, pars magna martyrii eſt.* Eadem incruenta martyria agnoſcit, celebrátq; non uno loco ſcriptor illuſtris. S. Eucherius, Chriſtianos omnes exemplo Martyrum, ad hujuſmodi ſaltem martyria inflammando: *q Hos ergo miremur*, inquit, *ut homines fuiſſe meminerimus; hos inquam ita miremur, ut eos noſtri ſimiles noverimus, & ſub eadem, qua nos ſumus, carnis fragilitate vixiſſe; ſuperaverunt illi corporum dolores, nos ſuperemus morum, & cordium paſſiones. Vicerunt illi tormenta, nos vitia. Illi ſacrificare dæmoniis horruerunt, nos malitiam, invidiam, obtrectationes, contentiones tanquam profana ſacrificia deteſtemur, ut inter hujus mundi conſlictionis vitia, perſecutores virtutis probent eſſe nos Martyres. Perſequamur in nobis peccata, & iniquitates noſtras; expugnemus ſuperbiam, debellemus iracundiam ipſi in nobis, & perſecutoris partes exequamur, & martyrium per caſtigationem vigiliarum, per contritionem jejuniorum, per hoſtiam viventem, ſanctam, placentem Deo, acquiramus nobis novum non carnis morte, ſed carnalis vitæ mortificatione martyrium.* Non minus quippe paſſiones frænando, & in pace cum hiſce animi monſtris, quàm olim Martyres cum belluis depugnando, certamen inimus; nec minus glorioſam palmam reportamus. *r Tota* itaq; *Chriſtiani hominis vita*, inquit Auguſtinus, *ſi ſecundum Euangelium vivat, crux eſt, atque martyrium*; ídque ex eo probatur, ſi Chriſtianus ita conſtitutus ſit, ut mori malit, quàm Dei præcepta violare, verus ille Chriſti teſtis, id eſt, martyr exiſtit. Tales innumeri, & quotidie inter vos martyres eſſe poſſunt, teſtante Ambroſio, cùm dixit: *ſ Quotidie teſtis es Chriſti: Tentatus es ſpiritu fornicationis; ſed veritus Chriſti futurum judicium, temerandam mentis & corporis caſtimoniam non putâſti; martyr es Chriſti. Tentatus es Spiritu avaritiæ, ut poſſeſſionem minoris invaderes, indefenſæ viduæ jura temerares; & tamen contemplatione cœleſtium præceptorum, opem magis ferendam, quàm inferendam injuriam indicaſti; teſtis es Chriſti. Tentatus es Spiritu ſuperbiæ; ſed videns inopem atq; egenum, pia mente compaſſus es; humilitatem magis quam arrogantiam dilexiſti: Teſtis es Chriſti. Ille ergo teſtis eſt Chriſti, qui adſtipulantibus factis, Domini Jeſu præcepta teſtatur. Quanti ergo quotidie in occultis Martyres Chriſti ſunt, & Jeſum Dominum confitentur!* Nunc verò quemadmodum viri religioſi, ac ſanctimoniales, non ſolùm Martyres, ut aliàs probavimus, exiſtant; ſed & glorioſos, ac religioſos noſtros tres Martyres, Chriſto in Cruce confixos, per religioſam crucem æmulari

o Raynaud. de martyrio per peſtem. part. 1. c. 6. *p* Aug. ſerm. 232. de temp. *q* S. Eucher. hom. de S. Geneſio.

r Aug. ſerm. 32. de ſanctis. *ſ* Amb. ſerm. 20. in pſal. 118.

queant,

queant, videamus, ut tanquam veri crucifixi, eorum quiſque illud Pauli uſurpare poſſit.

§. IV.

Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Ad Gal. 6.

t EX omnibus Chriſtianæ virtutis operibus, nullum præſtantius, nullum præcellentius martyrio, potiſſimũ quod in cruce peragitur. Nam & charitas, à qua illud opus procedit, maxima virtutum eſt. Et inter omnia charitatis opera, hoc maximum: Et malum, quod in eo perfertur, omnium acerbiſſimum, mors: Et bonum, quod relinquitur, quod eſt ipſa vita, omnium gratiſſimũ. Sed hæc tanta, ſi cum religioſo ſtatu conferantur, ut in quibuſdam exſuperent, in multis adæquari, & exſuperari SanctiPatres, & aſceticæ vitę magiſtri contendunt. Porrò ſi veriſſimum illud Hipponenſis Præſulis effatum: v *Tota vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundum Euangelium vivat, Crux eſt, atque martyrium* quantò potiori jure vita hominis religioſi, qui ſecundum Euangelicam perfectionem, vitam inſtituit, & tribus votorum clavis, Chriſto confixus, in quotidiano ac longo cruciatu vitam ducit, inter ejuſmodi maryres recenſendus eſt? de ejuſmodi enim præſtanter Theophylactus ait: x *Monachis Crux omnino cognata, & familiaris eſt, quorum tota vita, afflictio, & mortificatio, & luctus, & ignominia, & ſubjectio, & id genus alia, quæ crucem comitantur*, qualia in Religione exantlanda ſunt. Ea propter Seleucienſis Antiſtes y Religioſum virum alloquens, *tu*, inquit, *mortuus es, & toti mundo crucifixus*. Ut quidquid mundus honoris, divitiarum, deliciarum, voluptatis, & libertatis habet, religioſus iis *mortuus, & toti mundo crucifixus*, nullo ſenſu moveatur. Quod argumentum libet aureo Chryſoſtomi probare teſtimonio, qui de Diodoro Tarſenſi, magiſtro quondam ſuo, & vitæ religioſæ profeſſore, ſic loquitur apud Facundum: z *Sunt* itaque *Religioſi, vivi Martyres, & pro Chriſto crucifixi*; illud primæ veritatis altè animo retinentes: *qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*; quem locum Doctor maximus exponens, ait: a *Tollit crucem ſuam, qui crucifigitur.* Quos inter crucifixos, cum primis cenſer poſſent, quid divino quodam Chriſti crucifixi œſtro abrepti viva ſua membra in cruce ſuſpenderunt, ut non animo dumtaxat; ſed & corpore, Chriſto configi poſſent. b *Robertus Salentinus* ex ſacro ordine Cœleſtinorum, totus Chriſti amore ſuc cenſus, quondam ſolitudinis ergo nemus ingreſſus, in eo arborem fortuitò in crucis modum expanſam conſpicatus, eam abſcidit, atque altiſſimo noctis ſilentio conſurgens, hanc humeris ſuis ad cœnobium portavit, quod dum fit, dæmon nigerrimi canis ſpecie in eum inſiluit, horrendis latratibus terrere homi-

t Ad religioſos & ſanctimoniales, per vitam religioſam & tria vota Chriſto cruci confixos. v Aug. ſerm. 32. de Sanctis. x Theophyl. orat. de Cruce.

y Baſil. Conſtit. mon. c. 21 z Chryſoſt. orat. de Abraham l. 4. pro tribus c pitib. c. 2. a Hieron. in Matt. c. 16. b Ioannes à Boſcho Pariſienſis, in vit Lyræus Chriſt. patiens p. 211.

nem, atque ut hanc ſarcinam abjiceret, divexare conatus. Verùm Robertus fide armatus, hoſtem ſigno crucis in fugam conjecit; evanuit ſiquidem confeſtim, & victorem liberum cum arbore in cellam abire permiſit, ubi eam convenienti loco defixit, poſitis ex utraque parte chordulis, quibus brachia immitteret, dum in cruce, uti ſtatuerat, penderet. Ipſam itaque arborem quotidie inſcendens, tamdiu dejecto, & demiſſo corpore toto, in ea pendebat bracchiis intra funes immiſſis, quam decies orationem Dominicam lectitaret; idque ea mora, & traditate, ut in unaquaque oratione, decem ſimiles recitari poſſent. Unde velut centies orationis Dominicæ ſpacium decurrens, crucifixi inſtar in arbore pendebat extenſus: quantus verò ille fuerit cruciatus, maximè cùm nihil pedibus ſuppoſitum haberet, ex eo liquet, quod omnia membra tanto ſudore diffluerent, ut pavimentum largo imbre quis complutum diceret. Sed & tantis quoque cœleſtibus deliciis perfundebatur, ut divino miraculo roboratus, ægrè animam, ne corpore excederet, retinere poſſet. *c* In hac claſſe numerandus ex ordine Minimorum vir maximus, *Antonius Regius*, qui in cubiculo grandem crucem ligneam aſſervabat, ad quam ſe veluti crucifixus extendebat: jubebátque novitios, quorum curam gerebat, pedes ſuos ac manus rudi fune alligare: quo facto, trium ille, aut quatuor horarum ſpatia, in ea perſeverabat; imò aliquando per medium diem, ut deartuata membra, atque oſſa omnia luxata viderentur. Tam vegetus tamen è cruce deſcendebat, velut molli culcitrâ decubuiſſet. Quin & *inter* hos crucifixos *mares*, ſi D. Auguſtino *d* credimus, *etiam fæminæ* (ac teneræ virgunculæ) *repertæ ſunt fortiores.* Notæ ſanctitatis Heroina, *e Anna Bellovaca*, ſive de Beauvais, Urſulina, quæ inter nos mortalis eſſe deſiit Anno 1620. crucem ſibi è duobus aſſeribus fieri curârat, cui dormiens incubabat. Quid de venerabili illa *Agatha de Cruce f*, ordinis S. Dominici, lectiſſima virgine dicemus? quæ crucem ſibi fieri curârat cuſpidibus clavorum acutis exſtantibus, contra quam ipſa expanſis brachiis ſe extendens, orabat. Nec huic conceſſit mirabilis illa *Joanna, à Cruce* quoque nomen ſortita, inter celebriores S. Franciſci Aſſiſiatis filias annumerata. Hanc ſcribit vitæ Auctor, ſolitam ſe brachiis in formam crucis extenſis, muro applicare, de quo clavi majores prominebant, è quibus tenera pendebat virguncula, ut ne extremis quidem pedum digitis terram contingeret; tenebat autem hoc crucis exercitium horam integram, corpori quidem moleſtum, animo verò perjucundum. Hæc & hujuſmodi, filii, ac filiæ hujus ſæculi plus admiranda, quàm imitanda clamitant. Verum enim verò omnis hic, quem in cruce materiali hæ fortes animæ tolerarunt cruciatum, brevis fuit & levis, ſi cum ſpirituali cruce, in qua per annos plures Religioſus omni quandoque

c Annales ordinis Minimorum.

d Auguſtin. lib. de temp Barbaric. c. 5. e Petrus Villebois in vita.

f Antonius de martyrib. c. 25.

 di-

divino & humano ſolatio deſtitutus ad mortem diſtenditur, conferatur. Ad quod conferet, quæ & quanta crux ſpiritualis ſit, enucleatius pertractare. *g Crux* inquit Magnus Gregorius *à cruciatu dicitur.* Atque ita quævis corporis, aut animi afflictio, crux ſpiritualis nuncupatur. Unde Auguſtinus *h* : *Crux Domini non tantum illa dicitur; quæ paſſionis tempore, ligni affixione conſtruitur; ſed illa* (etiam) *quæ totius vitæ curriculo, cunctarum diſciplinarum virtutibus coaptatur.* Labor enim, & dolor, eſt in omni virtutum ſtudio; hinc crux, & moleſtia, maximè in tribus Religioſis votis, totáque vita Religioſa perſentitur. *i Quid eſt*, inquit Africanus Doctor, *tollat crucem ſuam? ferat quidquid moleſtum eſt, & ſic me ſequatur. Tollat crucem ſuam, hoc eſt, toleret in mundo pro Chriſto quidquid intulerit mundus* (vel caro, vel cacodæmon.) *ſolet Chriſtus paſſiones & affectiones, cruces* vocare. Quare hæc Chriſti apud Matthæum adhortatio : *k Tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, non de materiali cruce intelligenda, aut ut in ligno quis ſuſpendatur, ut aureè Chryſoſtomus *l* : *Quid vult ſibi hoc verbum,* inquit, *tollat crucem ſuam? an ut lignum unuſquiſq; noſtrûm ferat? aut cum Chriſto crucifigatur in ligno? certè non. Numquid enim omnes Martyres, qui ſecuti ſunt Dominum, crucifixi ſunt cum Domino? numquid omnes virgines, quæ juxta Apocalypſim, ſequuntur agnum Dei, crucifixæ ſunt, ut ſequantur? numquid Apoſtolus Paulus crucifixus fuerat, cùm dicebat: mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri* JESU *Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo? m hoc autem dicit, ut intelligas crucem non* (tantum) *ligni eſſe patibulum; ſed vitæ virtutíſque propoſitum.* Quidni rectè Balthaſar Alvarez *n*, Religionem appellare ſolitus erat *ſcholam, in qua ſcientia diſcitur, faciendi crucifixos. Tormenti genus*, ut dolore graviſſimum, ita & honore, ac gloria. Deo gratiſſimum fuit, quoſdam invictos Martyres in cruce per dies plures vivos traxiſſe ſpiritum. *o* S Andreas cruci ſuffixus biduo ſupervixit. Quin etiam in ſanctorum Martyrum actis, complura ejuſmodi comperiuntur Chriſtianæ fortitudinis monumenta; inter quæ inſigne ac notatu dignum illud eſt, quod Romano in Martyrologio *p* refertur de ſancto Victore, Amiternæ civitatis Epiſcopo: is enim capite ad terram verſo, in crucem actus, ad duos dies vivus hæſit. At illud majori dignum admiratione, quod in eodem Romano Martyrologio *q* proditum eſt de ſanctis Timotheo & Maura conjugibus, glorioſiſque Martyribus, qui cùm in Thebarde Ægypti ab Ariano Præfecto, poſt multa tormenta cruci affixi fuiſſent, novem integros ſupervixerunt dies; in qua pendentes, ſeipſos viciſſim cohortantes, atque in fide roborantes, glorioſam martyrii coronam adepti ſunt. At religio, crux eſt diuturna, & perpetua, in qua Religioſo non per dies paucos, aut menſes; ſed Annos plurimos, ad 60. 70. 80. per omnem vitam hæ-

g Gregor. hom. 37. in Evang. h Auguſtin. Serm. 32. de Sanctis. i Auguſtin. Serm. 47. de diverſis. k Matth. 16. l Chryſ. hom. 1. de adorat. crucis. Tom. 1. in fine.

m Auguſt. Serm. 32. de Sanctis. n In vita. o In vita. p Martyrologi. Rom 5. Septemb. q Idem 3. Maji.

ren-

rendum eſt: martyrium, inquit Bernardus r, *horrore quidem mitius*, quàm in ligno ſuſpendi, *ſed diuturnitate moleſtius.* Unde plures mitiùs ducerent ſemel in cruce, brevi ſupplicio emori, quàm per tot annos in cruce perpetua Religionis, vivos hærere, cùm, ut inquit Seneca ſ, *præſtet ſemel cadere, quàm ſemper pendere.* Quàm porrò hæc crux perpetua hominem excruciet, declarat Antiſtes Pictavienſis Hilarius, qui de S. Honorato Monacho, martyrii deſiderio incenſo, ſic ait: t *Habet & pax Martyres ſuos: Chriſti enim tu, quamdiu in corpore moratus es, teſtis fuiſti. Illud enim ſtupendum quondam adoleſcentiæ tuæ robur, perpetuo abſtinentiæ rigore tenuatum, & in illam quam vidimus (aſpectus licet decore ſervato) exilitatem redactum, crux utique quotidiana conſumpſit.* An non complures huic conſimiles viros religioſos, ac ſanctimoniales, reperire eſt, qui molliter, ac delicatè in ſeculo enutriti, corpore valido ac vegeto, per *crucem* Religionis *quotidianam*, omne robur, omnem vigorem, ad maciem & pallorem *conſumpſerunt*? interiorem hominem, qui liber omnibus affectibus ac deſideriis indulgebat, v *non ſemel, nec bis, ſed continuò per totam vitam*, ut Chryſoſtomus loquitur, *cum vitiis & concupiſcentis crucifixerunt.* Pulchrè Cęſarius, ordinis Ciſtercienſis vir religioſiſſimus, & Scriptor egregius: x *Duplex*, inquit, *eſt Religioſorum crucifixio: hominis interioris per alienam compaſſionem, & hominis exterioris per propriam carnis mortificationem: crux enim dicitur à cruciatu. Crux Monachorum, rigor Ordinis eſt, tum propter vigilias, & orationes; tum propter jejunia, & caſtigationes; tum propter ſilentium, & opera manuum; tum propter carnis continentiam, & veſtimentorum, ſtratiq; duritiem.* Tum quærit: *Qui autem ſunt Chriſti; qui cum Apoſtolo dicere poſſunt: Chriſto confixi ſumus cruci: qui carnem ſuam crucifixerunt, id eſt, cruci affixerunt cum vitiis operum, & concupiſcentiis deſideriorum pugnantes.* Qui verò ſint clavi, quibus configantur, exponit: *Tres clavi, quibus corpus monachi cruci debet eſſe affixum, tres ſunt virtutes, per quas, teſte Hieronymo, Martyres efficiuntur: ſcilicet obedientia, patientia, humilitas. Manum monachi dexteram configat obedientia ſine murmuratione: clavum obedientiæ impellat amor ſupernæ libertatis; clavum patientiæ, timor pœnæ gehennalis. Pedes illius vera humilitas configat.* Libet ſuper eodem argumento differentem audire Caſſianum y, qui ſic monachum tyronem inſtituit: noveris hodierno die te huic mundo, & actibus ejus, ac deſideriis eſſe defunctum, téque ſecundum Apoſtolum, mundo huic eſſe *crucifixum*, tibíq; hunc mundum. Conſidera ergo *conditiones crucis*, ſub cujus te deinceps ſacramento coportet in hac luce verſari, quia jam tu non vivis, ſed ille vivit in te, qui eſt *crucifixus* pro te. Eo ergo habitu, ac figura, qua pro nobis in patibulo fuit ille ſuſpenſus, nos quoque neceſſe eſt in hac vita degere, ut ſcilicet ſecundum David, affigentes timore Domini carnes noſtras, univerſas voluntates ac deſideria, non noſtræ concupiſcentiæ ſervientia,

r Bernard. Serm. 1. de omnibus Sanctis. ſ Seneca. t S. Hilarius Serm. de S. Honorato. v Chryſoſt. hom. 25. in Matt. x Cæſarius Ciſterc. lib. 8. c. 19

y Caſſian. lib. 4. inſtit. renunt. c. 34. 35.

tia, ſed mortificationi ejus (& jugi cruci) habeamus affixa. Sic enim Domini præceptum implebimus dicentis: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Quod ſi quis ſcire aveat, an verè cum Chriſto cruci confixus ſit, & quemadmodum vivens quis poſſit eſſe crucifixus, expendat, an ea quæ ſubjungit in ſe experiatur: ſicut *crucifixus* quis non pro animi ſui motu membra ſua quoquam movendi, vel convertendi habet poteſtatem; Ita & nos voluntates noſtras, ac deſideria, non ſecundum id, quod nobis ſuave eſt, ac delectat ad præſens, ſed ſecundùm legem Domini, quo nos illa conſtrinxerit, applicare debemus. Et ſicut is qui *patibulo crucis* affigitur, non jam præſentia contemplatur, nec de ſuis affectionibus cogitat, non pro die craſtino ſolicitudine, curáque diſtenditur, nullâ poſſidendi concupiſcentiâ permovetur, nullâ ſuperbia, nullâ contentione, nullâ æmulatione ſuccenditur, non de præſentibus dolet injuriis, non præteritarum jam recordatur: ſéque cùm adhuc ſpirat in corpore, cunctis elementis credit eſſe defunctum, illuc præmittens ſui cordis intuitum, quò ſe non dubitat illico tranſiturum; ita nos quoque *crucifixos*, oportet his omnibus, id eſt, non ſolum carnalibus vitiis, verùm etiam ipſis elementis mortuos eſſe, illuc habentes oculos animæ noſtræ defixos, quò nos ſperare debemus momentis ſingulis migraturos. Hæc doctrina Caſſiani, qua docet Religioſos cruci confixos eſſe, juxta illud Apoſtoli z *Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo.* Cujuſmodi ſanè vitam, Chryſoſtomus *a vitam crucifixorum* appellat, & ſanctus Baſilius *b*, juveni cuidam eandem commendans, rogat ut peccatis mortuus, cruci Chriſti configatur, ut cum Paulo gloriari poſſit: *Chriſto confixus ſum cruci*, & cum magno D. Joannis diſcipulo, Antiocheno Antiſtite, exclamare: *Amor meus crucifixus eſt: non mihi placet voluptas vitæ hujus, Chriſto concrucifixus ſum.* Tales poſt S. Franciſcum, Religioſos filios ſuos quoque optabat S.P.N. Ignatius, quod ex veteri illa Conſtitutionum Societatis noſtræ præfatione patet: *c Homines*, inquit, *mundo crucifixos, & quibus mundus ipſe ſit crucifixus, vitæ noſtræ ratio nos eſſe poſtulat.* Quod genuini omnes tanti parentis filii, diu noctúque ſibi propoſitum habere debent; cujus, ne unquam ſibi obreperet oblivio, Pater Ferdinanbus Suarez, totum cubiculum ſuum inveſtiverat crucibus, quas perpetuò amplecteretur. Gonſalvus verò Silveria continenter animo volvebat? unde in quadam ſua ad amicum Epiſtolâ, hæc verba expreſſit: *Non ſiſtam gradum, donec cum Chriſto* JESU *affigar cruci.* Nôrant hi verum Religioſum, clauſtri parietes, aut monaſticum habitum, non conſtituere; ſed ſi cum Chriſto confixus ſit cruci. Manifeſta viſione id declarat Cæſarius, *d* quam ejus verbis refero. Converſus quidam ordinis Ciſtercienſis, nomine Rudolphus, cum nocte quadam, dictis matutinis ante lucem ſub dio ſtaret, & orationes aliquas diceret, Chri-

z Ad Galat. 6.

a Chryſoſt. hom. 69. in Matth. b Baſil. Epiſt. 63. c S. Ignatius noſter Epiſt. ad Rom. d Cæſarius lib. 8. c. 18.

ſtum

ſtum in aëre cruci affixum pendere vidit, & circa eum quindecim homines, *ſingulos in ſuis crucibus:* ex quibus decem erant Monachi, & quinque converſi, omnes ei bene noti, utpote congregationis ſuæ profeſſi: ita aër fuerat illuminatus ex Chriſti præſentia, ut ſingulos plenè diſcerneret. Cúmque ſtupefactus ſtaret ob tam mirabilem viſionem, Dominus de cruce clamavit: nôſti Rudolphe, qui ſint hi, quos circa me vides *crucifixos?* reſpondente converſo: novi Domine, qui ſunt; ſed quid ſit, quod video, prorſus non intelligo. Subjunxit Dominus: *Hi ſoli ex omni congregatione mecum crucifixi ſunt*, meæ paſſioni vitam ſuam conformantes. Tum exponit, in quo ſe Chriſto crucifixo conformârint: utique in obedientia, in patientia, in humilitate, in abrenuntiatione totius proprietatis, propriæque voluntatis. Hæc, inquit, & his ſimilia, monachos Martyres faciunt, in quorum perſona per Pſalmiſtam dicitur: e *Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Ac tandem concludit: f *Ecce crux, de qua in Euangelio dicit ipſe crucifixus: qui non tollit crucem ſuam quotidie, & ſequitur me, non eſt me dignus. Non dicit ſemel ſicut Petrus; ſed quoti*[e] *ſicut Antonius*, ſicut Elias, [A]uguſtinus, Benedictus, & quos ſupponit cum ſuis quotidie crucem ſuam portâſſe, & omni vita crucifixos fuiſſe. Quare, inquit, nemo clauſtralium, viſionem hanc ignorare deberet: quia multi putant ſe eſſe monachos, ac Religioſos, & non ſunt, ore non vita dicentes cum Apoſtolo: g *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri* JESU *Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Hæc Cæſarius. Quid ſi hec viſio vobis, viri Religoſi, aut Sanctimoniales, objiceretur, quot exiſtimatis ex veſtro cœtu cum Chriſto confixos, & crucifixos exhibendos, an omnes, qui clauſtro continentur, & monaſtico habitu induti ſunt? nullo profectò alii, quam qui mortificationem JESU, id eſt, interprete Ambroſio, h *mortem, ſemper in ſuo corpore circumferentes*, tribus votorum clavis, cruci firmiter, & conſtanter adſtricti ſunt. Clavos quibus benigniſſimus Redemptor noſter ligno crucis confixus fuit, tres ajunt fuiſſe recentiores; quatuor verò antiqui tradidere Scriptores, ut apud Baronium i videre eſt. Ita ſi ſpectemus ſubſtantialia tantum, quæ conſtituunt voventem in ſtatu Religioſo; tria vota ſunt; ſi verò conſideremus quorundam zelum, & peculiarem ordini ſuo finem accommodum, quatuor inveniemus: ut ſunt minimi, quos S. Franciſcus de Paula quarto voto inediæ, ab omnibus etiam lacticiniis perpetuò adſtrinxit; & Societas Jeſu, quam Sanctus Ignatius de Lojola, quartò de Apoſtolicis miſſionibus ſuſcipiendis obligavit. Vota igitur nos perfectè cum Chriſto cruci configunt, k *quibus clavis*, ut Bernardus loquitur, *fortius & durius cruci affigimur, quam funibus.* Paupertas cumprimis manus ita adſtringit ut ad quid dandum, aut minimum acceptandum facultatem,

e Pſalm. 43. f Matth. 10. Luc. 9. g Gal. 6.

h 2. Cor. 4. v. 10. i Baron. Tom. I. annal. Anno Chriſti 34. n. 118. k Bern. ſerm. de triplici cohærentia vinculorum,

niſi ea à moderatoribus facta, non habeamus; nec etiam ad opera illicita extendere valeamus, ut olim dicebat S. Thomas à Villa Nova: *Firmiſſimus hic clavus amoris eſt, quo manus configitur, ne operetur iniqua.* Obedientia pedes & omnia membra, velut clavo trabali configit: B. Petrus Bleſenſis *l Religioſum*, ſcribit, *obedientiæ clavis confixum*, ut pedes non ad evagandum aut exſpatiandum movere poſſit; ſed nec ullum, citra obedientiæ nutum, membrum. Cruciatus, ſi bene res æſtimetur, haudquaquam levis, cùm graves Theologi haud aliter torqueri ab igne Satanam velint, quàm jugi ad eum alligatione, & prohibitione extra eum evagandi. Quæ omnia quamtumvis ardua, levia, & ſuavia reddent Chriſti, cui confixi ſumus, tormenta. Quod ſuaviſſimus Bernhardus *m* Hugoni novitio inſtillabat mellea ſua Epiſtola, cum ita ad illum ſcriberet: *Crucifigere pariter cum Chriſto, nec lædere aliquatenus poterunt clavi, qui per manus ejus ac pedes, ad tuos uſque pervenient; ſed totum tibi figent Salvatorem: Et pedes tui, pedibus ejus confixi, quocumque in lubrico, quovis in præcipitio gradientur ſecuri; manúſque ejus, tuis fixæ, te ad cœleſtem patriam ducent.* Caſtimoniæ clavus hominem crucifigit *eum vitiis & concupiſcentiis ſuis*, atque omnes carnales motus, cupiditatúmque illecebras configit, ut Leo Pontifex de viris ſanctis diſſerit: *n pia*, inquit, *Sanctorum* (maximè Religioſorum) *vita, nunquam aliena eſt à cruce Chriſti, dum continentiæ clavis, deſideria carnis configit, & corporeas cupiditates, virtute Spiritus in ſe habitantis interficit.* Quod à Davide religioſiſſimo Principe didiciſſe licuerit, cum pſalm. 118. ita exclamat: *o Confige timore tuo carnes meas.* S. Ambroſius: *p Confige te clavis, & deſtrue fomenta peccati: moriatur in te illecebra omnium delictorum: libertatem vagandi, cupiditas voluptatum non habeat cruci affixa: Eſt enim quidam clavus ſpiritualis, qui patibulo Dominicæ crucis affigat has carnes: Et fortaſſe ſunt quædam carnes animæ, ſicut & corpus eſt animæ. Carnes animæ, carnales cogitationes ſunt, configat has carnes, clavus timoris Domini, & judiciorum ejus, & ipſas redigat ſervituti. Quod ſi carnes iſtæ rejiciant clavos timoris Domini, indubiè de iſtis dicitur, non permanebit in illis Spiritus Dei; ut ergo Spiritus Dei in te permaneat, confige clavis divini timoris carnes tuas cruci.* Quo fiet ut nullis ſæculi illecebris, aut dæmonis ſuggeſtionibus à Chriſto, & cruce avellaris. Id Abbas Pinuphius tyroni religioſum inſtitutum complectenti apud Caſſianum proponebat; dicens: *Noveris hodierna die te huic mundo, & actibus ejus, ac deſideriis eſſe defunctum, téque ſecundum Apoſtolum mundo huic, tibique hunc mundum eſſe crucifixum.* Univerſam hanc Philoſophiam, Jahelis factum illuſtrabit, quæ ut libro Judicum legimus; *q* ſiniſtra manu clavum, dextera malleum complexa, caput Siſaræ, terræ affixit. Ita nos terrificum Siſaram, corpus, inferiorémque hominem, clavo timoris Domini non terræ, sed

l Pet. Bleſenſis ſerm. 9. m Bern. epiſt. 351. n S. Leo. ſerm. 8. de quadrag.

o Pſal. 118. 120. p Amb. hic q Iudic. 4. v. 21. & 5. 29.

ligno

ligno configamus, priuſquam ille nobis mortem inferat. Non infacetum Democritus ridens r, in hanc rem tradit documentum. Accidit, ut fieri aſſolet, in Aula Principis, ad delicias & facetias Morionem enutriri: cui cum unus aliquis è dynaſtis, vexandi hominem gratia, mortem intentâſſet: properè ille timens ac tremens, ad Principem accurrit, atque ut præſens, in quo ſe verſari dictitabat, diſcrimen averteret, ſupplex precabatur. Hunc Princeps placidè affatus, bono animo eſſe juſſit, addens: *ſi ille te occiderit, quantocius illum in crucem agi mandabo.* Cui ſolerter Morio reſpoſuit: *Hoc minimè volo; ſed illud tantum, ut uno die prius eum ſuſpendi jubeas, quàm me ipſe occidat.* Sic cum corpore noſtro, hoſte capitali, qui ſaluti noſtræ inſidiatur, & vitam animæ auferre nititur, agendum eſt; prius hoſtis ille in crucem agendus, quàm mortem æternam tibi inferat: nec enim quidquam proderit, ſi & caro poſtea quoque ad æterna ſupplicia rapiatur. Inimicus peſſimus iſte eſt Aman, qui vitæ & ſaluti inſidiatur. Quid agendum? *crucifigatur.* Hunc etenim inimicum peſſimum Doctor mellifluus rectè corpus noſtrum interpretatur, & his verbis inſectatur: ſ *Scio ô anima mea, quemdam, qui plures annos ad menſam tecum vixit, ad menſam tecum ſedit, cibum de manu tua ſumpſit, & in ſinu tuo dormivit; cùm voluit, tecum colloquium habuit. Hic hereditario jure ſervus tuus eſt; ſed quia delicatè nimis enutriſti eum, & virgæ peperciſti, levavit calcaneum ſuum ſuper caput tuum, & te redegit in ſervitutem, & tui crudeliter dominatur.* Tunc in ſancto ſuo ſeceſſu, & ſublimi mentis contemplatione abreptus, exclamat: *O miſer & miſerabilis homo! Quis te liberabit de vinculo improperii? Exurgat Deus, & cadat armatus, & deleatur inimicus. Inimicus, inquam, contemptor Dei, amicus mundi, cultor ſui, ſervus diaboli.* Ad hæc ſic animam compellat: *Quid tibi videtur? ſi rectè ſentis, puto, quod mecum dices: reus eſt mortis, crucifigatur. Noli ergo diſſimulare, noli differre, noli parcere: ſed feſtinanter, audacter, inſtanter crucifige hominem iſtum.* Hoc clamant è cœlo omnes, qui Chriſtum ſecuti ſunt, glorioſiſſimi pugiles. Si priſcos illos eremi incolas, & monaſticæ vitæ magiſtros percunctari libeat, qui t *mortificationem Jeſu ſemper in ſuo corpore circumtulerunt*, quid cum rebelli ac bruta carne tibi agendum ſit, una omnes voce clamabunt, *crucifigatur.* Quod ſi ſuo ſanguine purpuratos Martyres, atque inter hos, tres noſtros crucifixos, qui *per multas tribulationes intrârunt in Regnum Cœlorum* audire velis, nemo non juſtiſſimum hoc judicium feret, *crucifigatur, crucifige, crucifige eam.* Quid aliud Chryſoſtomus intonat, quàm v *corpus tuum morte affice, & crucifige, & ipſe quoque accipies, coronam martyrii.* Ipſum ſi placet, benigniſſimum JESUM pro te crucifixum interroga, illúdque reſponſi accipies: x *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt.* Et *nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Quid hi

r Democritus ridens. ſ Bern. medit. c. 17.

t 2. Cor. 4. v Chryſoſt. hom. 24. ad pop. x Chryſoſt. hom. 23. ad pop.

aliud clamant, quàm *crucifigatur, crucifige, crucifige eam.* Hoc ipſum D. Auguſtinus Epiſtola ad Lætum inculcat: *y mortalitas carnis noſtræ, quæ nos cruciat, crucifigenda eſt, ne ſolutis ac liberis membris, reluctantem ferre non poſſis.* Animos itaque, & arma, anima mea ſume, quemadmodum fortis illa mulier Jahel, de qua ſacri judicum annales. *z Benedicta tu inter mulieres Jahel, quæ ſiniſtram miſit ad clavum & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitque Siſaram.* Arripe manu clavum Jeſu crucifixi, & altera malleum mortificationis, & forti ac firmo de debellanda carne propoſito, eam *crucifige*: tótque ictibus & clavis cónfige, ut nulla vi à cruce avelli queat, nec deſcendere, ſi velit, poſſit, quamtumvis inimici crucis Chriſti, blaſphemis vocibus cum Judæis clament: *deſcendat nunc de cruce.* Hujus enim perſeverantiæ in cruce, ut docet Igniacenſis Abbas, *a Salvator de ſeipſo tibi curavit exemplum præbere, nolens conſummari niſi in cruce, aut deponi de cruce, ante veſperum, tam diei ipſius, quam vitæ ſuæ.* Quam doctrinam à ſanctiſſimo magiſtro ſuo Claravallenſi hauſerat, qui ad curiam Romanam has expoſtulatorias, de electione Eugenii Papæ III. dedit, in hæc verba: *b Parcat vobis Deus. Quid feciſtis? ſepultum hominem revocaſtis ad homines, & immiſcuiſtis curis. Crucifixus mundo, per vos revixit mundo.* Quod ſi ſapientiſſimo ac ſanctiſſimo Bernardi judicio, ille crucem deſeruiſſe dicitur, & plangitur, qui Paſtor ſummus Eccleſiæ præficitur, quantò veriùs plangendi, & ſeveriùs puniendi, qui aut patris promiſſis, aut matris lacrymis, aut propinquorum precibus, religioſam crucem deſerunt? utinam omnium animis infixum hæreat, quod Hieronymus Platus *c* commemorat. Adoleſcens Albertus nomine, illuſtri familia oriundus, Comitis Falchenbergenſis Filius, & Regi Galliæ affinitate conjunctus, Lutetiis cùm educaretur, ad cœleſtem militiam animum adjecit, eàmque in Prædicatorum Ordine adhuc pænè novo aggreſſus eſt, circiter annum Domini. 1230. Quod ubi ad patrem perlatum eſt, etſi jam natu grandis, tenere ſe non potuit, quin Lutetias cum magno ſuorum comitatu advolaret, omnéſque machinas, & omnes conatus, ad filii (erat enim illi unicus) voluntatem expugnandam intenderet; ſed fruſtrà, cùm Dei amor juvenile pectus, adverſus carnalem amorem, paternáſque blanditias obarmâſſet. Illuſtrior autem fuit ejuſdem congreſſus cum Theodorico Conſobrino, qui dolore ardens, omnia attulit ad illud conſilium labefactandum, & ad tyronem religioſum, è cruce Chriſti detrahendum machinamenta. Arietes admovit preces, lacrymas, argumenta; matris denique, baliſtam fortiſſimam, lamenta, eámque præ ægritudine jam mortuam, aut moribundam decumbere. Hos inter aſſultus conſiſtens tyro noſter, conſiderabat è regione ico-

y Aug. epiſt. 30. ad Lætum. z Iudic. 4. a Guerricus Dom. in ramis palm. ſermon. 2. b Bern. epiſt. 216. ad curiam Rom.

c Platus de bono ſtatus Rel. l. 3. cap. 34.

iconem quandam in conclavi, parieti affixam, in qua Chriſtus, ut pingi ſolet, inter matrem, & Joannem diſcipulum, in cruce pendebat. Tum Albertus, oculos ac digitum, in eam tabulam intendens: En, inquit, Dei Filius, cùm matrem & conſobrinum, utrumque ſibi tam charum, doloris gladio confoſſum videret, tamen è crucis patibulo, quod facilè poterat, deſcendere noluit; ſed in ea cum ſuo, & illorum cruciatu, uſque ad mortem permanſit. Quare nec ego quidem hanc *religioſæ vitæ crucem*, quam ſemel conſcendi, deſeram unquam, quamvis & matrem, quam narras, & conſobrinum, ad pedes meos exanimes jacere viderim. *Quin tu potius in hanc eandem crucem* mecum conſcendis, téque mundi hujus laqueis expedis, in quibus hæres cum tanto periculo. Quid plura? exemplo Chriſti, qui è cruce omnia ad ſe traxit, trahentem è cruce, ad ſe, & mundo abſtractum, ad idem inſtitutum attraxit; fixus nempe erat. Quod exemplum ut æmuleris, Auguſtinum adi, & audi, ſic monentem: *d In hac cruce per totam iſtam vitam debes pendere: non enim eſt in hac vita tempus evellendi clavos*; non blanditiæ, non minæ, non fames, non perſecutio, non inſtantia, neque futura, non ipſa mors hos clavos evellere debet: ſed ad extremum vitæ ſpiritum in ea perſiſtendum, ad quod, ut concludam, facit ſuaviſſima mellei Doctoris Parænenſis: *e Non ceſſemus*, ait, *tollere crucem noſtram, perſeverantes in ea, ſicut Chriſtus perſeveravit. Neminem audiamus deſcenſum à cruce ſuadentem. Perſiſtamus in cruce, deponamur aliorum manibus, non noſtra levitate. Caput noſtrum depoſuère viri juſti, nos dignatione ſua Angeli ſancti deponant.* Quare ſi Chriſto confixus es, cum eo in cruce ad mortem uſque conſtanter perſeverandum eſt: *f neque enim eſt in hac vita tempus evellendi clavos*; quod qui in religioſa domo auſi ſunt, næ illis infeliciter ceſſit, & deterrimo fato luendum: Teſtis unus è multis ſit, *Doctor Michael Sanchez de Ortega*, g libro quem de veſte nuptiali conſcripſit, in quo is refert Regem Sanchium, ut Filio ſuo, & morum caſtimoniam, & Dei timorem, unà cum lacte nutricis inſtillaret, hujuſmodi illi ſolitum hiſtoriam denarrare. Virgo, inquiebat, fuit nobilis, ac dives, inſigni formæ venuſtate, quæ ſæculi, ejúſque vanitatum pertæſa, ad religioſæ vitæ ſtatum, animum appulit; placuit autem in cæteris Parthenonen eligere, quam ex ſancti Benedicti norma, & regula, Deo famulari acceperat, nomine Fuencobain, larga Regum magnæ Britanniæ dote, ac vectigalibus inſtructam. Perbellè, ut aſſolet, ſeſe initia tulerunt, dilecta omnibus, Deo chara; ſed dæmon invidit, cujus aſtu, dolóque factum eſt, ut adoleſcens nobilis, ac vanus, eam fortè fortuna conſpicatus, ſtatim captus fuerit in oculis ſuis, unum id die, ac nocte ſecum pertractans, qua tandem via ac modo, cum illa colloqui, ac dulces audi-

c Aug. ſerm. 86. de diverſis vel 33. de ſanctis. e Bern. ſerm. 1. in die S. Paſchæ.

f Aug. cit. g Sanchez Ortega de veſte nuptiali.

re, & reddere voces poſſet. Et placuit denique ſe ejus patruelem dicere, cujus obtentu & aſtu, liberum ad eam acceſſum inveniret, uti & factum eſt. Amoris fomite quotidie gliſcente, ac frequentibus aſſentatiunculis, & munuſculis in incendium erumpente, adeò ſui oblita, & Chriſti, cui in cruce confixa erat, ut ſub noctis crepuſculum religioſæ domus ſepta perfringere, & quo invitabatur innocens columba, ad efferas accipitris faculas evolare percuperet. Doloſis itaque promiſſis his ineſcata, abdicato Chriſto, cui *ſacris votorum clavis confixa* erat, inceſtuoſum balatronem ſequi ſtatuit, idque veſpertinis precibus completis, oſtio quodam tranſitum, ex templo ad murum plateæ conterminum præbituro, ubi is eam ſuperato jam muro, ambabus ulnis exciperet. Adulta igitur nocte, omnibus altum dormientibus, conclavi egreditur per ædem ſacram, ad deſtinatum locum tranſitura; ſtabat hic vetus *Chriſti crucifixi* imago, unà cum matris effigie, ſacrarum virginum cultu celeberrima, quam cùm concito greſſu præteriret, audire ab hac ſibi viſa eſt ejuſmodi verba: Quò properas infelix? Cur præ dæmonio, filium meum abdicas? Ad quæ percelli miſera, & artubus totis contremiſcere; cœptis tamen nequaquam deſiſtere; ſed porrò gradum concitare: tantis nequiſſimi ignis ardoribus abripiebatur. Cum ecce *Chriſti crucifixi effigies*, manibus, pedibúsque à cruce revulſis, fugientem inſequitur, ac manu dextera ſublata, clavum, quo cruci confixa fuerat, in eam percutit, qui maxillæ cum lato vulnere impactus, carni magno cum dolore inhæſit; quo illa immanem in modum conſternata; afflictáque, ſemianimis in terram collapſa fuit. Chriſti verò effigies ad crucem ſuam reverſa, priorem ſitum obtinuit, dextra manu, ac brachio excepto, quod à cruce refixum, & clavo exemptum, in tantæ rei memoriam, in hunc uſque diem perſeverat. Aurora interim illuceſcente, cum ſigno ad matutinas dato, ſacræ virgines ad templum deſcenderent, primæ horrendo quodam ejulatu, in templo perſonante, exterritæ, conſiſtunt: ac ceteras præſtolatæ ingrediuntur, ubi diſertè has voces excipiunt: accurrite charæ ſorores, excipite veſtram monialem, & de terra levate, quam iſto vulnere ſauciavit *crucifixus*, ob peſſimam perfidiam, in illum, & matrem ejus à me commiſſam. Quibus vocibus omnes conſternatæ, ad locum deveniunt, ubi infelix illa Chriſti, & crucis deſertrix, ſuo innatans ſanguini, doloribus confecta acerrimis, tantum non animam agere videbatur. Clavum extrahunt de maxilla, ſanguinem abſtergunt, vulnus obligant, ac multis ſcelus ſuum lacrymis deplorantem, ante aram ſummam conſtituunt, choro integro, quinquageſimum pſalmum Regii Vatis, pœnitentiâ nobilem intonante. Tanti eſt clavos myſticos, quibus ſanctimonialis, aut religioſus Chriſto configitur, perfide revulſiſſe. Dic ergo cum Guarrico

Ab-

Abbate, *h moriatur anima mea morte Domini mei JESU CHRISTI, & fiant noviſſima mea illius ſimilia: ut videlicet in voluntaria cruce pœnitentiæ pendere merear, uſque ad terminum vitæ. Quanta fiducia de cruce Filii, in manus Patris Spiritum commendabis: imò quanta clementia Pater ſuſcipiet, quem Filius commendabit? Vade gratulabundus, ubi judex tuus, eſt advocatus tuus: tantummodo ſignum crucis, mortificationem* JESU, *quam circumfers in corpore tuo, ſecum deferat Spiritus tuus. Dominus autem gloriæ, qui pro vobis fratres, paſſus, in vobis eſt glorificatus, dignetur vos habere ſocios paſſionis & gloriæ.*

h Guarricus Dom. in ramis palm. ſerm. 2. in fine.

FESTUM SANCTÆ DOROTHEÆ COELESTIS FLORÆ.

Homo ſicut FLOS *egreditur, & conteritur.* Job. 17.



——— *Feſtinat decurrere velox*
FLOSCULUS. *Juvenal. Satyra* 9.

ARGUMENTUM.

QUales nunquam amœniſſima Tempe, Adonidis viridaria, aut penſiles Semiramidis horti protu-

lere,

lere, hodie fructus & a FLORES *apparuerunt in terra noſtra*, è cœleſti deliciarum Paradiſo, Divæ Dorotheæ, Florum Deæ, à virginum Sponſo ſubmiſſi. Quorum intuitu, & candor liliorum marceſcit, & purpura roſarum palleſcit, & nitor violarum defloreſcit, & fulgor calendularum evaneſcit. Tum, quod mireris, omnia amœnitatis toto orbe miracula, mera videbuntur cucumeraria, & Augiæ ſtabula, ſi cum horto animæ, quam *Cœleſtis Flora*, omnium virtutum floribus excoluit, & exornavit, conferantur. Ad hunc invitat Dilectum ſuum, ut Spiritum Sanctum, cœleſtem Favonium ſibi maritet. Quo & anthophili, ſeu Florum amaſii excitantur, ut quam terrenis hortis, & mox marcidis floribus, curam, cautelam, culturam impendere conſuevere, eam ad animarum hortos, & virtutum flores excolendos, transferant: motivo ex ipſis, quos inſanè depereunt, hortis petito, quibus geminum illud ex mente Huſſæi vatis Chronicon inſcriptum lego:

hoMo nVnC Vt fLos egeDItVr;
ſeD fLos MoX ConterrItVr.

Atque ita fiet, ut cum *Sancta Dorothea*, Florum Patrona, campis Elyſiis, ubi ver perpetuum, perfruamur.

§.I. *Veniat Dilectus meus* IN HORTUM SUUM. *Cant.5.v.1.*

§.II. *Homo brevi vivens tempore, quaſi* FLOS *egreditur, & conteritur.* Job. 17.

§.III. *Divinus Sponſus Dorotheam, in cœleſtem Paradiſum, ad immarceſſibilem Coronam invitat hiſce verbis*: VENI IN HORTUM MEUM SOROR MEA SPONSA. *Cant.5.v.1.*

a Cant. 5.

FE-

FESTUM
SANCTÆ DOROTHEÆ COELESTIS FLORÆ.

a Flores *apparuerunt in terra noſtra.* Cant. 5. v. 12.

PRinceps horti conditor, primus hortulanus, cultor, & colonus arborum, herbarum, ac florum, eorúmque amator eximius, ſupremus omnium rerum molitor, Deus ipſe exſtitit. Gen 2. *b Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis.* Ipſe ſe hortulanum præbuit, inquit Athanaſius Sinaita *c*, & culturæ, ac creaturæ ſuæ, ut tradit Scleucienſis Antiſtes *d*, omnipotentem manum admovit: *Exſtruxit manu ſua Paradiſum, delicioſam ſedem dilecto conceſſit.* Domus, Caſtella, Urbes, à mortalibus, poſt lapſum Progenitoris noſtri exædificata ſunt, ac primus omnium Cainus, ut ſe tueretur, civitatem exſtruxit. At Auctor, Inventor, Ingeniarius, Conditor, & Cultor Paradiſi, horti deliciarum, Deus ipſe infinitâ ſuâ ſapientiâ, providentiâ, & omnipotentiâ eſſe voluit. Quid miri, ſi opus omnibus numeris, & deliciis abſolutiſſimum à tali manu, & artifice prodierit? hîc ver perpetuum, arbores ſemper florentes ac frugiferæ: *e Flores non ad breve tempus fulgentes; ſed durabilem jucunditatem habentes*; quos nec pruina, nec nix, nec vermis depaſceretur: *Surrexerat*, inquit Ambroſius, *floribus immixta teneris, ſine ſpinis roſa, & pulcherrimus flos, ſine ulla fraude vernabat*; atque omnium florum varietate, cæruleis, tum purpureis, & igneis coloribus, quales in arcu cœleſti cum voluptate miramur, tellus picturata, perpetuum Cœleſtis Paradiſi veris præbebat argumentum. Nullus hîc hiemis rigor; ita vim omnem retundebant partim clementiores Solis radii, qui felicem illam plagam circumveſtiebant; partim etiam molles favoniorum animæ, quorum flabellis, & placidiſſimo murmure Regio tota circumquaq; ventilabatur. Hinc priſci illi Poëtæ campos Elyſios, & aurea ſæcula commenti ſunt.

g Ver erat æternum: placidíque tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renovatus ager gravidis canebat ariſtis.
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant:
Flavàque de viridi ſtillabant ilice mella.

a Ad amatores Florum. b Gen. 2. c Athanaſ. Sinaita in c. 2. Gen. d S. Baſil. orat. 20. e Baſil. conc. de Paradiſo.

f Ambroſ. lib. 3. hexam. c. 11. Baſil. in hexam. hom. 5. g Ovid. lib. 1. Metam.

At quidquid illi finxêre, non adæquat ea, quæ omnipotens manus illic poſuit, Salianus dicit, ſi omnia mundi miracula in unum conflentur, cucumerarium erit, ad prætorium: Adonidis, Alcinoi, aut Heſperidum horti, haræ cenſebuntur, ad Baſilicam collatæ: ſi omnes horti Regum, Principúmque cultiſſimi conferantur, nidi formicarum, aut ut cum Lipſio *h* loquar, *Nugæ & imagines muſcarum* videbuntur. Induſtria humana illuxit quandoque in exquiſito luxu, quo viridaria, periſtylia, pergulæ, horti exſtructi ſunt. Ita inter Orbis miracula horti penſiles Semiramidis decantantur, in quibus conſtruendis trecenta millia hominum deſudârunt, qui integros montes excavando, columnis ac porticibus fulciendo; ſupernè areolas floribus conſitas, in aëre penſiles! pomœria omni arborum ac frugum genere vernantia, miro artificio ſuſpenderant. Principes Italiæ, Galliæ, Europæ, quæ non ad oblectamenta ſua, viridaria condidere? qui Urbem Orbis Dominam luſtrarunt, deprædicare nôrunt hortos Cardinalium Borcheſii, Ludoviſii, Matthæi, Montalto, Olympiæ, aut etiam Ducis Florentiæ, Etruriæ, &c. Verumenimverò præ his omnibus, libet melliflui Doctoris *k* verbis exclamare: *Inveni hortum pulcherrimum, & locum amœniſſimum*, qui omnes mundi hortos, ipſúmque Paradiſum terreſtrem, omnium deliciarum locum infinitis paraſangis antecellat. Ubi roſæ Martyrii, ac lilia Virginitatis, inter quæ cœleſtis Sponſus paſcitur, feliciter germinare comperietis. Unde ſubdit Apis illa Claravallenſis *l*: *Nec verò locum reputes corporalem, Paradiſum hunc voluptatis. Non pedibus in hunc hortum, ſed affectibus introitur. Nec terrenorum tibi commendatur florum copia: ſed virtutum utique ſpiritualium jucunda, decoràque plantatio.* In hoc cœleſte viridarium, in hunc hortum *pulcherrimum*, in hunc *locum amœniſſimum* omnium deliciarum hodierna luce introducet vos Anthopilos amatores florum, Divina illa *Flora*, Patrona florum *Dorothea*, cujus annuam, ac æternam memoriam (ut hæ primitiæ florum, ac viror arborum, affectus veſtri teſſeræ teſtantur) dum gratiſſimi recolitis, indubitato mihi argumento ſint, impudoratam illam, ac defloratam apud Romanos *Floram*, cum ſuis omnis impudicitiæ *Floralibus*, longè animis veſtris proſcriptam eſſe. De qua, ſermone lacte & melle manante Lactantius *m*: FLORA, *cum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, populum Romanum ſcripſit hæredem, certámque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore, ſuus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellabant* FLORALIA. *Quod quia Senatui flagitioſum videbatur; ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, ut pudendæ rei, quædam dignitas adderetur. Deam finxerunt eſſe, quæ floribus præſit, eámque oportere placari, ut fruges, cum arboribus, aut vitibus benè, proſperéque floreſcerent. Eum colorem ſecutus in Faſtis Poëta, n non*

h Lipſius de Conſtant. lib. 2. cap. 1. i Drexel. Tom. 2. pag. 432. k Bernard. de converſione Cleric. cap. 20.

l Bern. cit. cap. 21. m Cælius Lactant. de falſa Religione lib. 1. cap. 20. n Ovid. in faſtis.

ignobilem Nympham fuiſſe narravit, quæ ſit chloris vocitata, eámque Zephyro nuptam, quaſi dotis loco id accepiſſe muneris à marito, ut haberet florum omnium poteſtatem. Honeſtè quidem iſta dicuntur; ſed inhoneſtè, turpitérq; creduntur. Ex quibus facilè conficere eſt; ſi tam ſplendido apparatu, tantóq; impendio, ut veteres Auctores referunt, quotannis *Floralia*, è quæſtu meretricio olim agitata ſint, maximè par eſſe, ut quæ è quæſtu virgineo, atque cœleſtium florum centuplo fœnore candidiſſima *Flora*, ſuo ſanguine purpurata *Dorothea*, Sponſo ſuo Chriſto, vobíſque clientibus ſuis hæreditatem tranſcripſit, caſtiſſima *Floralia* quàm ſolemniſſimè celebretis. Atque hortum pulcherrimum, ad quem vos ſuprà invitavi, hoc eſt, animum hujus *Cœleſtis Floræ* ingreſſi, non tantum oculis virtutum omnium flores germinantes attentiùs contemplari; ſed & quod fas eſt, in animos veſtros transferre, ac faſciculum ex iis collectum, Patronæ veſtræ Florum deferre, atq; ex iis corollam nectere ſatagatis; tum eâ, qua ſuum ipſa, animum veſtrum cultura excolere ſtudeatis. Patere interim, *O Florum Dea*, quo nomine prę infami Flora digniſſima es, quam vulgari ore laudare piaculum eſt; patere, inquam, in te, quod ficta in Dearum ſimulachris, vera faciat Religio, quarum ubi capita floribus redimiri non poſſunt, flores ſparguntur ad pedes, è quibus gratus odor aſcendat. Tu cum virtutum tuarum Majeſtate, omne faſtigium humanum exceſſeris; patere tibi corollas, & floſculos, ad pedes fundi, imò & corda noſtra & vota, & deſideria proſterni.

§. I.

Veniat Dilectus meus in HORTUM SUUM. *Cant.* 5. v. 1.

HOrtorum amator, ac florum cultor, qualis, quantûſq; Redemptor generis humani exſtiterit, melleo ſuo flumine eloquitur Bernardus: *Ingreditur* HORTUM FLORUM, *ſed non tempore Florum, ipſe* FLOS *humanæ naturæ, ut naturam noſtram minimè florentem, efflorescere faceret: & ut inde traheretur ad pœnam, unde primus homo fuerat tractus ad culpam.* Id ipſum manifeſtò comprobavit, dum nomen *Nazareni* ſortiri voluit, quod *Floridum* ſignificat. Sic etenim Doctor Angelicus [o]: *Nazarenus interpretatur* FLORIDUS. *Fuit autem* JESUS *totus* FLORIDUS, *quia circumdatus* ROSIS, *id eſt, guttis ſanguinis: ornatus* VIOLIS, *id eſt, livore vulneris: vallatus* LILIIS, *id eſt, ſplendoribus glorificati corporis*; atq; ipſemet flos Jeſſe, flos campi & eſſe, & nuncupari, in horto condi, & reſurgere, in ſpecie hortulani ſe exhibere dignatus eſt. Quę omnia delicias ejus innuunt, quibus in hortis paſcitur, & delectatur. Sed cùm poſt lapſum primi hominis, horti omnes maledicto ſubjecti ſint, ut ſpinas & tribulos germinent, vermibus ſcateant, pluviis, grandine, pruina, frigore, calore, velut vindice Dei manu vapulent, quid eſt quod hortos amet? in horto Redemptor noſter à Reſurrectione apparuerit, & quod amplius, hortulani ſpecie ſeſe exhibuerit? quinam illi horti ſunt, in quibus cœleſtis

[o] S. Thom. Serm. in Reſurrect. Domini.

ille

ille Sponſus deliciatur? præclarè Igniacenſis Abbas *p*: *Errabas Maria, quæ eum exiſtimabas* HORTULANUM ISTIUS HORTI *pauperis, & exigui, in quo ſepultus fuit,* HORTULANUS *eſt cœli*, HORTULANUS *eſt Eccleſiæ. Hortulanus* eſt animæ juſti, *ſitque anima illius, velut* HORTUS *irriguus, ut & Sponſus in laudem ejus dicat*: HORTUS *concluſus Soror mea Sponſa.* Unde in ſuaviſſimas has voces prorumpit: *q O Domine* JESU! *tu verus es* HORTULANUS, *idem Creator qui cultor, vel cuſtos horti tui*: *qui verbo plantas, ſpiritu rigas, virtute incrementum das.* Hunc hortum inſuper rigavit pretioſo imbre ſanguinis ſui, hunc irradiavit, & irradiat luce gratiæ ſuæ, & cœleſtis illuſtrationis: hunc ſanctiſſimo Corpore ſuo impinguavit: *r Qui enim ſunt* HORTI *ſuperni Sponſi*, quærit Gregorius, *niſi corda juſtorum*, ac ſanctarum animarum? talis hortus exſtitit Magdalena, cui ſuaviſſima amoris ſpecie, Chriſtus reſurgens ſeſe demonſtravit. Glorioſus & opimis ſpoliis triumphator, nec dilectæ memoriam deponit, nec amatoriam metamorphoſim obliviſcitur. Rex gloriæ rurſus ruſticum induit, & poſita, qua Humanitas fulgebat, Gloriæ divinitate, vili habitu ſuccinctus, ligonem manu tenens apparuit, ut exiſtimaret Maria, *ſ quia hortulanus eſſet.* Myſterium exponit Drogo Oſtienſis: *Mens tua,* HORTUS *meus eſt, bene exiſtimaſti, quia* HORTULANUS *ſum*: *ſecundus Adam ego ſum, operor, cùm cuſtodio Paradiſum meum*: *fletus tuus, pietas tua, deſiderium tuum, opus meum eſt.* Quot lacrymas Maria fuderat, tot aquæductibus hortum ſuum divinus irrigaverat hortulanus: quot virtutes exercuerat, tot floribus areolas exornarat. Talis hortus meritò nuncupari poteſt, anima Pauli, de quo Sacræ flumen Eloquentię Chryſoſtomus *t*: *Nihil prorſus erraverit qui* (pratum aut) HORTUM *inſignem quemdam virtutum, & Paradiſum ſpiritualem, Pauli animam nuncupaverit*: *tam mira gratia floruit*, tot virtutum floribus germinavit. Quod ſplendidiſſimum encomium, de amœniſſimo viridario, cœleſtium florum omni varietate conſito, quod anima Dorotheæ nobis exhibet, aptiſſimè pronuntiâro. Ubi virgineus ille Sponſus, qui *v paſcitur inter lilia*, caſtam Sponſam ſuam à ſingulis corporis membris collaudaſſet, tandem ipſam toto corpore, & animo pulchram, placuit horto concluſo ſimillimam deprædicare: *x* HORTUS CONCLUSUS *Soror mea Sponſa.* Ut quid non amœniſſimo prato, aut vernantibus paſcuis eam comparavit? cauſam ex ipſo Etymo Sanctus Iſidorus *y* aperire videtur: HORTUS, inquit, *dictus ab ortu, quod ibi ſemper aliquid oriatur*; in horto, ne momentum, quo non aliquid de novo excreſcat, nec dies, quin novus flos ſeſe pandat, ut vel ſic *creſcere in virtutibus* doceat. In pratis, in paſcuis ſemper una; in hortis ſemper alia, atque alia facies florum ſuccreſcentium ſeſe

p Guarricus Serm. de ſanctarum Scripturarum utilitate. q Ibid. r Gregor. lib. 1. Regn. cap. ult. ſ Ioan. 20. v. 15.

t Chryſoſt. hom. 1. de laudib. Pauli. v Cant. 2. v. 16. x Cant. 4. y S. Iſidor. lib. 17. etym. cap. 10.

exhi-

exhibet. Vere primo Hyacinthi candidi, lutei anemones, ranunculi, violæ: his tulipæ, frittilaria; illis roſæ, hemerocalles; tum lilia, caryophylli, calendulæ, heliotropia ſuccedunt, qui vario ſuo ſchemate, ac odoratiſſima anima, quam alii ex aliis, pro naturæ ſuæ ratione exſpirant, ſtupenda ſua varietate, quot flores oculis, tot virtutum Symbola vel taciti mentibus noſtris ingerere videntur. Ecquis enim non in violis animi demiſſionem, in hyacinthis cœleſtium contemplationem, in tulipis caritatem auream, circumdatam varietate: in liliis pudicitiæ candorem: in roſis virginalis verecundiæ ruborum, aliásque in aliis virtutes legere, & novo ſemper incremento, in animo proferre, obtutu ſolo, non commovetur? quod verè *creſcere* eſt, & juxta vatem Regium z: *Ire de virtute in virtutem.* Ejuſmodi hortum, Dorotheæ animum jure nuncupâro; quæ apud Cæſaream civitatem etiamnum *a puella, quotidianis diebus in caſtitate, & puritate Deo ſedulum exhibebat officium, & cum humilitate & manſuetudine, jejuniis & orationibus inſiſtebat. Erat autem illa prudentiſſima, ut vix eam pauci imitari poſſent viri.* Hæc in vere ætatis; ſucceſſu temporis, alios flores & fructus conſtantiæ, zeli, Chriſtianæ fortitudinis, virginitatis & Martyrii produxit, ut de ea rectè illud Theodoreti *b* deprædicari queat, ad illa verba cœleſtis Sponſi: HORTUS CONCLUSUS *Soror mea Sponſa*: HORTUM *nominat Sponſam, ut quæ non unum pietatis, virtutiſque fructum* (aut florem) *ſed multos & varios ferat.* Sicut enim una quercus non facit ſilvam, nec una malus, aut pirus pomœrium, nec una hirundo ver, ſic nec unus flos, hortus dicendus eſt. Haud aliter, ut anima fiat hortus, cœleſtis Sponſi, non una dumtaxát virtus; ſed plurimæ proferendæ ſunt. Hoc appoſitè ad inſtitutum noſtrum probat Gillibertus Abbas *c*: *Tot* HORTI *ſunt*, inquit, *quot virtutum plantationes ſimul collectæ; ubi tantum flos unus eſt, quis ibi hortum eſſe definiat? ſic nec una caſtitatis plantatio, nec una juſtitiæ, horti poteſt integritatem explere.* Dixerit olim verè & magnificè Romanus Philoſophus *d*: *Si nobis animum boni viri liceret inſpicere, ô quàm pulchram faciem, quàm ſanctam ex magnifico, placidóque fulgentem videremus?* non uno genere virtutum, ſeſe ſpectaculum; ſed vario maximè, velut hortum amœniſſimum ſeſe oculis ſubjiceret: *Hinc juſtitiâ, illinc fortitudine, hinc temperantiâ, prudentia lucentibus. Præter has, frugalitas, & continentia, & tolerantia, & libertas, comitáſque ſplendorem illi ſuum offunderent. Nemo illum amabilem, qui non ſimul venerabilem diceret.* Quæ longè verius, & magnificentiùs de tuo, ô invicta virgo & Martyr *Dorothea*, diviniſſimo animo pronuntiâro, atque ea cumprimis, quæ ſubjungit: *Si quis viderit hanc faciem altiorem, fulgentiorémque, quàm cerni inter humana conſuevit, nónne velut numinis occurſu obſtupefactus reſiſtat, & ut fas ſit vidiſſe, tacitus precetur? & diu contemplatus, demum illam Virgilii noſtri vocem verens, atque attonitus emittat:*

z Pſalm. 83. a Bolland. 6. Februar.
b Theodoret. in Cant. lib. 8. v. 12.
c Gillibertus Serm. 37. in Cant.
d Seneca Epiſt. 115.

e O quam te memorem Virgo? námque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem ſonat; at Dea certè.

Ac tandem concludit: *Nemo non amore ejus arderet, ſi illam nobis videre contingeret.*

Poëtæ doctas fabulas ſecuti, Zephyrum ſeu Favonium, amore *floræ* exarſiſſe, eíque connubio junctum, ingenioſè commenti ſunt; dum ſic illam loquentem inducunt:

f Chloris eram, quæ FLORA *vocor, corrupta Latino*
Nominis eſt noſtri, littera Græca ſono.
Ver erat; errabam; Zephyrus conſpexit; abibam:
Sed generum Matri, repperit illa Deum;

Nempe Zephyrum, de quo his verbis gloriatur:

g Eſt mihi fæcundus dotalibus HORTUS *in agris,*
Aura fovet, liquidæ fonte rigatur aquæ.
Hunc meus implevit generoſo flore maritus;
Atque ait: arbitrium tu DEA FLORIS *habe.*
Sæpe ego digeſtos volui numerare colores,
Nec potui: numero copia major erat.

h MATER ADES FLORUM, tu longè pulcherrima Virgo, quæ divinum Favonium, Sanctum Spiritum, in tui amorem traxiſti, qui caſto tibi connubio copulatus, hortum animæ ſuaviſſimè perflavit, eóſque flores progerminavit, qui JESUM Sponſum ad contemplandum invitârunt: unde inquit, *i veni*, ſeu, ut 70, introivi, *in* HORTUM MEUM. Ubi caſtitatis *lilia candidiora nive*, ubi hyacinthi,

k Non qui Terapnæo faciunt de ſanguine florem;

Sed qui per mille vulnera. Ubi roſa non è ſanguine Veneris

—— Candida facta rubra;

Sed quæ virgineo cruore,

l Niveo miſtum candore ruborem Tinxit.

m Tu quoque nomen habes cultos, Narciſſe per HORTOS:
Infelix quod non alter, & alter eras.

Sed felix *Dorothea*, quæ cum Sponſo altera & altera, ſuaviſſimum amoris Narciſſum protulit. Nôrat illa Dilectum ſuum *Nazarenum*, quem vivis coloribus ita Doctor Angelicus *n* depingit: *Nazarenus interpretatur* FLORIDUS. *Fuit autem* JESUS *totus* FLORIDUS, *quia circumdatus roſis, id eſt guttis ſanguinis: ornatus violis, id eſt, livoribus vulneris: vallatus liliis, id eſt, ſplendoribus glorificati Corporis*. Ad ſimilitudinem Sponſi ſui Dorothea, tota florida fuit, *o vallata liliis* virginitatis, quam Sapricius Provinciæ Præſes, cum eximia floreret formæ venuſtate, oblatis nuptiis, ampliſſimíſque facultatibus, fruſtra expugnare tentavit: *Ornata violis, id eſt, livoribus vulneris*, dum in equuleo corpus omne flagris, uncinı́ſque dirè laniatur, ubera faculis uſtulantur, quas nuptiales tædas ducebat, facies baculis contunditur: *Circumdata roſis, id eſt guttis ſanguinis*, quem lacteo collo *cæleſtis Flora* profudit, quod ſciret nul-

e Virgil. lib. 1. Aeneid. f Ovid. lib. 5. faſtor. g Ovid. ibid. h Ovid. ibid.

i Cant. 5. Salazar hic. k Ovid. ibid. l Ovid. 3. metam. m Ovid. lib. 5. faſt. d S. Thom. Serm. in feſto Reſurrect. o Bolland. 6. Febr.

lam

lam tam Sponſo Chriſto placere virginem, quam quæ ſua, non aliena ruberet purpura; hæc ad Tyrannum prius liberè præfata: *Chriſtus invitat nos ad Paradiſum deliciarum ſuarum, ubi nemora omni tempore pomis ornantur, omni tempore lilia albeſcunt, roſæ floreſcunt, & Sanctorum animæ in Chriſto jucundantur.* Alterum eſt in quo *Nazarenum* proximè æmulata fuit, qui dicitur *p flos campi.* Quod Hugo Cardinalis *q* exponens, ait: *Id eſt, eorum, qui per charitatem ſunt extenti ad alios, & in illis* FLORET *Sponſus fructuoſiùs, fragrat ſuaviùs & latiùs, vernat propenſiùs.* Ita ſe extendit *Dorotheæ* charitas, cujus binæ ſorores Chriſtes & Calliſtes, antea viſtæ tormentis datam Deo fidem prodiderant. His Dorothea traditur pervertenda; ſed ita decertavit, ut ambas ab impiis caſtris, ad antiquam fidei ſtationem redire compulerit, quas cùm in conſpectu ſuo vivas cremari cerneret, ſic Sapricium allocuta eſt: *r Nunquam in vita mea ſic lætata ſum ſicut hodie, de his animabus, quas diabolus per te tulerat Deo, & per me recepit Chriſtus.* Quidni Sponſus in illa FLORET *fructuoſiùs, & fragrat latiùs*, dum è bullienti oleo, veluti balſamo peruncta, ex horrido carcere ad inediam damnata, ab Angelis paſta, facibus uſtulata, corpore viribúſque integris egreſſa, ac dæmonis ſimulachro protrito, multa Etnicorum millia Chriſto adjunxit, qui deinde martyrio coronati ſunt. An non meritò exclamare poterit? *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis?* ſed quid hic primum contemplari, quid mirari incipiam? non abs re erit imitari nymphas illas apud Trinacriam flores legentes, de quibus Pelignus vates:

ſ Illa legit Calathos, huic ſunt violaria curæ:
Illa papavereas ſubſecat ungue comas:
Has hyacinthe tenes; illas amaranthe moraris,
Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amat.
Plurima lecta ROSA *eſt, ſunt & ſine nomine Flores,*
Ipſa CROCOS *tenues,* LILIAQUE *alba leges.*

Ex his virginitatem legit *Iſabella Borgia*, quæ *Sanctæ Claræ* diſciplinam dein ſecuta, *t Franciſca à* JESU nomen ſibi indidit. Inambulantem in horto, pulcherrimis vernante floribus de nuptiis, quas ſibi utriſque ampliſſimis conditionibus, jam jam apparari dicebat, interpellaverat Joannes frater: ſibi enim deſtinari Segorbiæ Ducis filiam; illam nempe Iſabellam, ejus fratri, ſummis omnium votis deſponderi, ut mutuis hymenæis principales domus non dubiam evaderent in amplitudinem.

Talia differenti Joanni, flores, quos interea in faſciculum tacita illigârat, oſtentans Iſabella: tibi verò mi frater, ex animi ſententia conſulito; *ego jam nunc eum mihi in ſponſum opto, eique meam virginitatem deſpondeo, qui flores hos pulchritudine veſtit admirabili.* Sic & vos plantati in horto Eccleſiæ, virtutum flores legite. Eſt etenim Eccleſia Cœleſtis

p Cant. 2. v. 1. q Hugo Cardin. hic. r Apud Bolland. cit.

ſ Ovid. faſtor. 4. t P. Ioan. Rho variæ virt. hiſt. l. 7. c. 1. §. 8.

leſtis Sponſi amæniſſimus hortus, omni florum varietate conſitus, ut ſolerter obſervat purpuratus pater in illa verba: v *Ego flos campi.* Ubi ſic diſſerit: *quod generaliter* FLOREM *ſe dicit, non determinando aliquem, inde eſt, quia non unico modo floret in campo Eccleſiæ; ſed ut ita dicam, rubet in martyribus, candet in virginibus, viret in confeſſoribus, pallet in pœnitentibus, rutilat in prædicatoribus, & ita de aliis.* Idem ſenſit D. Theophylus Antiochiæ ſexus poſt S. Ignatium Antiſtes, qui ſolitus dicere teſte Baronio: x *Hortus Domini eſt Eccleſia Catholica, in quo ſunt hederæ conjugum, violæ viduarum, Lilia virginum, & roſæ martyrum.* Gregorius & nomine, & re etiam ipſa magnus: y *Qui enim ſunt* HORTI *ſuperni ſponſi, niſi corda Sanctorum?* niſi corda fidelium? At ſi divinus ille Sponſus deſcendat in hortum tuum, nonne illud amariſſimè queri poterit: z *tranſivi per agrum* (ſeu hortum) *hominis pigri, & ecce totum repleverant urticæ, operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ?* Eminentiſſimus doctrina, & Sanctimonia Cardinalis a; *ager, hortus,* inquit, *ſpiritualiter idem ſunt, ſcilicet mens, vel conſcientia cujúſque hominis.* Tum exponit, quid evellendum, & extirpandum: *per urticas deſignantur prurientia deſideria terrenorum, & incentiva libidinum; per ſpinas intelliguntur punctiones ſpiritualium vitiorum.* Hauſerat id credo, à Pontifice Maximo, qui ſic verba Sapientis ad mores tradu-ducit: *per agrum* (ſeu hortum) *hominis pigri tranſire, eſt cujuslibet vitam negligenter inſpicere ejúſque opera conſiderare, quam urticæ, vel ſpinæ replent. Quia in corde negligentium, prurientia terrena deſideria, & punctiones pullulant vitiorum: quia ſcriptum eſt: in deſideriis eſt omnis otioſus.* Somnium hic vobis non vanum Advocati Fiſcalis, Magiſtri Simonis van Vee, proponam. c Hic in aula Hollandica ſomniârat (quemadmodum ipſe filiis ſuis, aliíſque domeſticis experrectus retulit) ſe verſari in horto juriſperiti Pariſienſis, apud quem juvenis commoratus fuerat, eúmque ſe incultum, vepribus, & urticis oppletum cernere, quem olim cultiſſimum, & lectiſſimis floribus ornatum viderat. Hoc ſomnium, oſtentum ratus, ad interiorem animæ ſuæ hortum retulit, eúmque prorſus incultum peccatorum ſpinis, & vepribus refertum, jámque longo temporis intervallo, nulla exhomologeſi expurgatum advertens, ſtatuit, quidquid zizaniorum, quidquid lolii ſuccreverat, quamprimum ſalutari confeſſione evellere, penitúsque eradicare. Ita oculos quiſque ſuos ad interiorem ſuum hortum reflectat, & advertat, quid veprium, aut ſpinarum eradicandum ſit: ad quemque enim veſtrûm ſpectat, lepidum ac ſapiens illud graviſſimi Doctoris monitum, ut ex horto animæ d *evellat herbas inutiles, ſcilicet cogitationes malas per contritionem: & deſtruat nocivas delectationes munda confeſſione, & diſperdat peccata competenti ſatisfactione, & diſſipet colligationem malæ conſuetudinis,*

v Hugo Card in Cant. 2 v. 1. x Pelegrini Paradoxa 3 in c 5. Matth. Greg. l. 1. reg. c. ult. z Prov 24. v. 31. a Hugo Card. hic. b S. Greg. l. 30. mor. c. 20.

c P. Aug. Tylingena Paradiſ. lib. 2. c. 24. d Hugo Card. in Ierem. c. 1.

pe

per bonam aſſuefactionem. Paucis denique: *e evellat actum peccandi, deſtruat conſuetudinem, diſſipet occaſionem.* Huic argumento ſervit, quod diſertiſſimus Pontificum Orator jure carpit, Principes viros, hortos ad delicias conſerere, in quibus ablegata procul fœcunda arbore, nihil colitur præter truncos ſylveſtres, & ſteriles. In iis nec pirus, nec ceraſus, nec educta vitis conſpicitur; videas quidem diligenti cultura, nulli parci impenſæ ut erigantur cupreſſi, porrigantur abietes, irrigentur platani, myrthi potentur. Imò quaſi ad luxus effuſionem, infœcundas arbores alere parum ſit, in Chriſtianæ manſuetudinis probrum, oblongas forcipibus in belluas ramos configurant: viridantes frondes coguntur tigres induere, leones effingere, dracones referre, fundi in Cometas, ſtringi in larvas, in Hydras centicipites dividi, ſpargi in Chymeras, & una forma figuras plures veſtire; ut præter frondium inanitatem, & ſterilitatem ramorum, accedat etiam figurata ferocia, & belluinæ ſpecies immanitatis. Faxit Deus, inquit, ut in ejuſmodi hortis, nec Hæreticorum invidia hæc monſtra deprehendat, nec Catholicorum zelus coarguat.

Tum perappoſitè ad mores divertens, magnatum domus, cœleſtis ſponſi hortos indigitat, in quibus interim nullus qui foveatur egenus: nullus qui erigatur pupillus: nullus qui artibus liberalibus excolatur, pauper ſtudioſus; ſed in iis, citharœdi, ſaltatores, ganeones, moriones foventur, rigantur, potantur. Sic & hoc maximè miſerandum, ac deplorandum, non paucos reperiri, qui omnem curam, induſtriam, opes, operam in hortos, in flores brevi marceſcentes inſumunt, & ut animum vitiis expurgent, virtutibus excolant, ne minima eos cura tangit; in quos meritò ſtilum ſtringit, calamo, & pedo verendus Seleucienſis Antiſtes *f*, dicens: *Cùm obiter in domum viri valde opulenti ingreſſus fuero, & videro illam omnigenis* FLORIBUS *illuſtratam, novi, quod hic nihil pretioſius poſſidet, quàm quæ videntur; ſed inanimata quidem magno ſtudio ornat, animam verò incultam habet.* Nihil pretioſius poſſident floribus & hortis ſuis, in quibus toti ſunt, non cœlum, non animam illis pretioſiorem ducunt. Flores uno die morituros, inſolita quadam mercatura, commutari auro videmus. Stolidi, qui vivas funeris ſui Imagines tam raro conducunt, propriæque mortis Floralia præludunt. Omnia eis nomina vocant: *g Le Paltot, S. Pierre, L'Empereur, Vice-Roy, Jeroſmius Royal, D'Aragon, le Paltot Madame, General Bolle, General Gouda, Jaſpre de Fourmentraur, Paſſe tout de Bave, Beau d'Anvers, Beau de Valenchiennes, le cames Bauters, Agathe Gheſquiere, Agathe Parmentier, Agathe Bridou, la Flagellee, la Plumachee, Loleas, &c.* Floridè & ſolidè de his Juſtum Lipſium, ocellum Belgii attendite: *h* colores duntaxat avidè inſpiciunt, & in pulvillis quieſcunt, & flores petunt ab noto, ignotóque orbe. Obſecro,

e Ioan. Paulus Oliva. tom. 1. conc. 1. n. 11.

f Baſilius conc. ad divites g Saincteteſ des vie tirée des fleurs par Alar. le Roy pag. 228. f Lipſius de conſtantia l. 2. c, 1. & 3.

cro, ut quid? ut & ſe quoque eſſe fateantur in hac ſecta, quæ exorta hodie malè curioſorum, & inſanorum hominum (qui de la Cappa, ſeu caputio ſtultorum dicti) qui rem optimam, ſimpliciſſimámque divini artificis, præclarum lineamentum vanitatis, prodigalitatis, torporis, aliorúmque vitiorum fecerunt inſtrumentum: ut ſi quis floridam hanc, purpureámque Nympham contemplatus ſit, & propius accedens, ac flores quoſdam naribus, oculíſque admovens, exclamet: *Quid hic primum voveam? oculus cum Argo fieri, an naſus cum Catullo?* hoc enim fine habent hortos: Herbulas aliquot, & flores exoticos ambitiosè conquirunt: & quæſitos ita anxiè fovent; & tuentur, ut nulla mater ſuum gnatum. Tegetes ſuas habent, quas noctu contra pruinam, & injuriam aëris inſternunt; ut nudos pauperes tegant, ne cogitant quidem. Hi ſunt, quorum litteræ in Italiam, in Galliam, in Thraciam, Græciam, Indiam, diſcurrunt; ídque ſeminis exigui, aut bulbuli cauſa. Hi quibus ægrius ſit florem aliquem novum mori, quam veterem amicum. Romanum illum Hortenſium riſerit aliquis, qui murænam piſcem ſuum luxit atratus? Iſti plantam. Jam ſi quis ex his profanæ floræ candidatis novius aliquid, aut rarius natus eſt, ut oſtentat; ut alii competiores æmulantur, invident! è quibus nemo non triſtior domum diſcedit, quàm olim in præturæ petitione victus Sulla, & Marcellus. Quid dicam? niſi meram hanc quandam inſaniam eſſe: nec abſimilem illi puerorum pallentium, & rixantium circa pupas ſuas, & conchulas. At eorundem induſtriam in hortis etiam cognoſce. Sedent, circumambulant, oſcitant, dormiunt *i* Quid, quod repertus ſit, qui adeò perditè flores, & hortum amavit, ut in araneam converti exoptârit, quò ſemper diu, noctúque hortum ſuum incolere poſſet.

k O curvæ in terras animæ, & Cœleſtium inanes!

Si Cœleſtes illi campi Elyſii, ſi flores quos Cœlum *Dorotheæ* (ut poſtea dicemus) miſit, in oculis, in animo eſſent, quàm derepente ſe totos, à perituris hortis, & fluxis floribus, & omnem ad animum curam, & culturam transferrent. Ad quod ſtimulum fortaſſe gentilis Philoſophus ſubdere poterit. *l* Habuit Iſocrates inter ſuos diſcipulum, quem advertit horti colendi ſtudioſiſſimum eſſe, ceterum in ornandis moribus languere, nec ferè quidpiam in ſtudiis proficere; ideò aggrediendum hominem ratus: *obſecro*, inquit, *ne* HORTUM *habeas cultiorem, quàm animum*. Brevis exhortatio; ſed ſeria, & chriſtianè ab ethnico dicta; quam utinam profani, & inſani illi hortorum ac florum amatores, in animum admittant, & memori mente reponant; non iis funeſtum illud fatum obtingeret, quod prædiviti illi mercatori, de quo ut aliàs memini, hic tacitus præterire non poſſum: novi, inquit P. Tollenaer, in Belgio exſtitiſſe virum quendam copioſum, qui cum hortos cultiſſimos

i Pennequin amor divinus pag. 11.
k Perſius Sat. 2. l Drexelius tom. 1. pag. 412. m Tollenaer. in Eccl. c. 2. Soc. 3 pag. 91.

tiſſimos in urbis pomœrio haberet (quos ipſe vidi & luſtravi) ſalute à medicis depoſita, nihil de animi medico, de zizaniis, & vepribus peccatorum, quæ in immenſum excreverant, ſolicitus; per hortum ſella ſe geſtatoria deferri curavit Atque ubi ille & anemonas, & tulipas, & poma ſua punica, aurea, citrea, natantibus in morte oculis contemplatus fuit, exclamavit. *Et Eheu! crudele fatum*, *quod à tanta amœnitate divellit! O Deus! nunquam à te Cœlum petii; cur mihi terram invides?* ſed fruſtra ille voces blaſphemas jactabat: neque terram impetravit, quam perditè cupiebat; an autem cœlum quod minimè cupiebat, obtinuerit, non injuria quis dubitare poteſt. A quo velim Autophilos omnes probè monitos, ut ſapere diſcant, *n ut quorum facta imitantur, exitus perhorreſcant*. His edocti, ubi proprii animi hortum excolueritis, alter hortus familię, cuíque ſuæ, ſumma cura excolendus eſt, cujus flores pulcherrimi ac pretioſiſſimi, filii, ac filiæ veſtræ ſunt, teſte Clemente Alexandrino *o*; *Matrimonii* FLORES *amborum* (nempe conjugum) *liberi ſunt*; *quos quidem carnalium pratorum* (ſeu hortorum) *divinus agricola colligit*. Omne decus, & pretium florum, à colore & odore eſt: à peregrinis ſtriis, raris flammulis, & exquiſita tinctura commendantur, quam miro ſtudio & artificio nonnulli florum amaſii inducere conantur; flores horti veſtri, filii & filiæ ſunt, quibus congruit illud Bernardi *p*: *habent & mores, colores ſuos, habent & odores*. Si candore virginitatis niteant, ſi purpuriſſo verecundię rubeant, ſi charitatis fulgore ardeant, *mores habent colores ſuos*. Ut autem habeant, & *odores*, curioſi naturalium rerum indagatores, atque ipſi hortorum cultores id experientia comprobârunt, ſi plantarum quarumdam radicibus adhuc teneris, àromata quædam applicentur, aut ipſis florum ſtirpibus Cariophylli inſerantur, gratiſſimum inde odorem, ubi excreverint, in ipſos flores, fructúſque derivari, mirámque eos delibantibus fragrantiam afflari. Habent & *mores, odores ſuos*, quos ex prima ut plurimum ætate, tanquam ex quadam vitæ radice hauriunt; quæ proinde radix, ſi ſedulò excolatur, ſi optimis diſciplinis, velut odoramentis quibuſdam imbuatur, flores omnes ac fructus, id eſt, ſermones omnes, & actiones, pietatem, honeſtatem, Sanctitatem ſpirabunt, ac tota exinde vita, incredibili virtutum omnium redolebit fragrantia. Addit Plutarchus *q* multis curæ, ac cordi eſſe flores, *quos intra cubilia contra injurias aëris recondunt*, *& in teſtis quibuſdam alunt*, *& curant*; *futilia omnia & caduca*, *& ad octo tantum, ut Plato dixit*, *dies vernantia*; Animam verò immortalem, quam velut theſaurum in vaſis fictilibus, & teſta corporis circumferimus, negligunt. Habes igitur in horto tuo, quod deſudes, quod elabores, quod excolas: nam ſi in agro Eccleſiæ zizania in medio tritici excreſcant, quantò magis inter horti veſtri delicias, ac divitias, quæ

n Cic. Philippica. 2. o Clemens Alex. lib 2. pædag. c. 8. p Bernard. ſerm. 71. in cant.

q Plutarch, de vera numinis vindicta.

Cilui-

Chriſto ſpinæ vocitantur, aſſurgent? quapropter libet quemque veſtrûm iis verbis, quibus olim Sanctus Bernardus Eugenium Pontificē, compellare: r *putáſne, & tu invenias aliquid elaborandum in agro Domini*, in horto tuo? Reſpondet, *plurimum*: *non planè totum quivere emundare Prophetæ; aliquid filiis ſuis Apoſtolis, quod agerent, reliquerunt; aliquid ipſi parentes tui tibi.* Vos igitur Parentes, putatíſne, quod *aliquid invenietis elaborandum* in viridario familiæ veſtræ? imò *plurimum*; zizania vobis evellenda, id eſt, teſte Hugone, ſ *peccata mortalia*; Evellenda, in famulis, & ancillis perfidia, pigritia, contumacitas, familiaritas nimia. Evellenda in filiis veſtris temulentia, nimia licentia, verba procacia, perjura, blaſphema, & quidquid in illis vitioſum eſt: Apoſtoli quippe expoſitionem parabolæ zizaniorum à Chriſto poſcentes, hoc reſponſum acceperunt: t *Zizania autem ſunt filii nequam.* Evellenda in filiabus veſtris laſcivia, luxus, meretricius ornatus. v *Vos parentes*, inquit S. Vincentius, *hortulani eſtis*, ſolicitè cavetis, ne quis anemonas, tulipas, Cariophyllos manu contingat; major cautela filiarum, quàm florum ſit. Referat familia veſtra hortum concluſum, quo crabrones, ſcarabæi, atque violatores, & harpagones florum arcentur. Hoc Hieronymus Lætam, matronam Romanam de inſtitutione filiæ ſuæ Paulæ commendat: x *Citò flores pereunt: citò violas, & lilium, & crocum peſtilens aura corrumpit.* Vos quoque filiæ, quæ floretis quaſi flores, illud vobis lemma, quod nobilis Italus horto inſcripſit, animis veſtris ac frontibus inſculptum præferte y *noli me tangere*; quod omnibus cordi, ac curæ eſſe voluit Servator noſter, dum ne in corpore glorioſo, ardentiſſimo divini amoris igne Magdalenam accenſam ſe tangere paſſus eſt, dicens: z *Noli me tangere*, idque inquit Ephiphanius, *ut oſtenderet manifeſtam caſtitatem & ſanctimoniam.* In eundem ſenſum Ambroſius: a *Prohibetur tangere, quia nondum evacuaverat lubricum ſæculi, carnis ambiguum. Nondum vitam vixerat Chriſti.* At inquiunt juvenes, ut puellis imponant, Chriſtus ſocrum Petri febricitantem manu tetigit, & filiæ, quam reſuſcitavit, *tenuit manum.* Callidi argumentatores, qui ſe cum Chriſto componunt, quoſque ingenioſa obſervatione & ratiocinatione confutat eruditus interpres Deaponte in hunc locum: b *Tenuit manum ejus*, ubi ſic ait: *Sanè, mea ſententia, quando mulierem tetigit, mortua erat*; quod aureo Divi Chryſologi confirmat teſtimonio: c *Tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem.* Si cui pruriant manus, nihil à contactu frigidi cadaveris, fomitis contraheret; at viventium d *tactus, moriture virginitatis principia ſunt.* Quare, quod flori, hoc tibi, filia, proprium ſymbolum ſume: *Noli me tangere.*

r S.Bern. ad Eugenium de conſiderat. l.2. ſ Hugo Card. in c. 1. Ierem. t Matth.13. v S. Vincent. ſerm. 2. in feſto Pentec. x Hieron. ep.7. ad Lætam.

y Ioan.20. z Idem a Ambroſ. in Luc. lib.13. c.24. b Matth.9. Deaponte hic. c Chryſolog. Serm.18. d Hieron. in vita S. Hilarionis.

M Talis

Talis floſculus extitit beata e *Agatha à Cruce*, Ordinis Prædicatorum, quæ teneris etiamnum annis virguncula, dum fidibus diſceret, renunciavit ſuo muſices Magiſtro, & in omne tempus amandavit, quod ſemel manum ejus arripuiſſet, hanc ſibi Sacram virginei horti teſſeram medullis cordis inſcriptam habens: *Noli me tangere.* Quæ illibata caſtitas, & intacta virginitas, quàm cœleſti Sponſo arrideat, divino prodigio declaravit in altero horti ſui floſculo. *Maria à Cruce*, quæ ex ægritudine lectulo affixa, cùm potius mori præoptaſſet, quàm chirurgi manum admittere, à ſuperno medico, ſibi illico reſtituta eſt. Mirandum magis, quod de beata Clara de monte Falco tradunt Scriptores: f *Eam accurate caviſſe, ne unquam ſuo pede nudo*, dum ſe ad ſomnum componeret, *alterum tangeret; infirma autem ab aliis tangi nolebat, & hoc adeò videbatur ei repugnare honeſtati, ut ne cogitare quidem hac de re poſſet ſine horrore.* Hæc eò adduxi, ut ſi hæ inviolatæ violæ, & illibata lilia, vel umbra peccati tangi reformidârint, vos potiori jure, & præſentiori diſcrimine, à tactu Corporis caveatis. Ad quam cautelam non parum, ſed plurimum conducet, ſi formam veſtram, tot malorum illecebram, flori ſimilem; ſi vos floſculos, brevi perituros, ruborem in pallorem mox commutandum, attendatis.

e In vita. f Pergilius in vita part. 2. c. 12. Lancicius.

§. II.

Homo brevi vivens tempore, quaſi FLOS *egreditur, & conteritur.* Job. 17.

NObilis ille vates, cœleſtium arcanorum interpres Iſaias, audiverat fortè reſonantem ex alto vocem, & dicentem g: *Clama.* Quaſi diceret; illud quod tibi dicturus ſum, & quod à me auditurus es, nolo in aliquo angulo, ſed in publico; non in obſcuro aliquo gurguſtio, ſed in celeberrimo Theatro; non ſubmiſsâ aut gracili voce, ſed contentiſſimo clamore; non aliquibus, ſed omnibus annuntiari: *Clama.* Quid clamabo? *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quaſi* FLOS *agri; exſiccatum eſt fœnum, & cecidit* FLOS. Hoc eſt, tam fragilis, & futilis, & caducus eſt homo, cum omni, qua fulget gloria, qua floret dignitate, qua valet auctoritate, qua pollet poteſtate, qua abundat opulentia, qua ſe jactat ſcientia, totóque fortunæ & naturæ choragio, & mundi, quo tumet, apparatu, ut minimo minimi venti corruat afflatu. Quid mirum? *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quaſi* FLOS *agri*; ut rectè Ambroſius: h *Brevi unuſquique decurſo ætatis* FLORE *marceſcit.* O delicate floſcule! illa tua caro, quæ in capite flavis criſpatur comis; quæ in cervice, lacteo candet nitore; quæ in ore corallinis rubet labiis: illa caro, quæ induitur byſſo & purpurâ: cujus auribus quidquid

g Iſaiæ 40. 7. h Ambroſ. lib. 2. hexam. c. 11.

jucundum; naribus quidquid odoriferum; faucibus quidquid dulce: toti corpori quidquid molle, & delicatum eſt, offertur, non eſt niſi *flos agri.* Exſpecta adhuc paulisper juvenis venuſte, puella formoſa, brevi de te dicetur: *Cecidit flos.* O quàm benè, non malus Poëta:

i Nos quoque FLORUIMUS, *ſed*
FLOS *fuit ille caducus.*

In horto cernere eſt hunc florem è calyce, illum è vagina, alium è gemma protuberantem, latiùs ſe expandentem, & quaſi pandiculantem, ac ſubitò marceſcentem. Hoc Doctor Maximus quotidie in nobis agi; nec obſervari docet, in illud: *k Exſiccatum eſt fœnum & cecidit* FLOS. *Revera,* inquit, *ſi quis fragilitatem carnis aſpiciat, & quòd per horarum momenta creſcimus, atque decreſcimus, nec in eodem manemus ſtatu, ipsúmque quod loquimur, dictamus & ſcribimus, de vitæ noſtræ parte prætervolat; non dubitabit carnem fœnum dicere, & gloriam ejus quaſi* FLOREM *fœni. Qui dudum infans, ſubitò puer: qui puer, repente juvenis: & uſque ad ſenectutem per ſpatia mutatur incerta, & antè ſe ſenem intelligit, quàm juvenem non eſſe miretur. Pulchra mulier, quæ adoleſcentulorum poſt ſe trahebat greges, arata fronte contrahitur, & quæ prius amori, poſtea faſtidio eſt. Quod & egregius apud Græcos Orator; ſpeciem corporis aut tempore deficere, aut languore conſumi.* Hodie ſumus validi, cras morbidi, perendie mortui, deinde ſepulti, paulò pòſt à vermibus exeſi, tandem in cineres converſi: eodèmque ſępe & temporis momento, & loci puncto, & exhalamus animam, & accipimus decretoriam ſententiam, & calente adhuc corpuſculo, ſtamus coram Judice, noſque prius ad æternitatem miramur abreptos, quàm metuebamus abripiendos. Sic uno momento ſtamus, altero cadimus: uno valemus, altero rigemus: uno vivimus, altero morimur.

l Feſtinat enim decurrere VELOX
FLOSCULUS, *anguſtæ, miſeræque*
breviſſima vitæ
Portio.

Floſculum ſe repentino interitu faſſus eſt Franciſcus Navarræ Rex, ab oris venuſtate Phœbus dictus, qui in ætatis velut aurora, vix oritur, & veneno fiſtulæ, qua canere ſolebat, affuſo, Phœbus occidit, & moritur. Caducam formæ venuſtatem Mediolanenſis Antiſtes ex herbarum virentium, & florum vernantium brevitate depingit: *m In hac,* inquit, *germinum ſpecie, & in illo virentis herbæ munere, imago eſt vitæ humanæ, & naturæ, conditionísque noſtræ inſigne quoddam ſpectatur, & ſpeculum elucet. Illa herba, &* FLOS *fœni, figura eſt carnis humanæ, ſicut bonus divinitatis interpres, organo ſuæ vocis expreſſit, dicens: clama. Quid clamabo? omnis caro fœnum, & flos decidit: & verè. Hodie videas adoleſcentem validum, pubeſcentis ætatis virtute florentem, grata ſpecie, ſuavi colore; craſtina die, tibi facie & ore mutatus occurrit: & qui pridie tibi decorus forma viſus eſt gratia, alio die miſerandus apparet, ægritudinis alicujus infirmitate reſolutus.* Hujus rei ſymbolum flos exſtat *hemerocallis,* cujus vita & pulchritudo, teſte Plinio *n,* diaria eſt: ſole quip-

i Ovid. lib. triſt. k S. Hieron. in Iſaiam c. 40.

l Iuvenal. Sat. 9. m Doutermans. amor increatus, pag. 382. Ambroſ. lib. 3. hexam. c. 7. Iſai. 40. n Plin. lib. 11. c. 36.

quippe *oriente* oritur; *meridie* folia ſua floridè expandit; *veſperi* marceſcit: *Sole* denique *occidente* occidit, & moritur; ſic homo, qui o *velut flos egreditur, & conteritur,* de quo veriſſimè Propheta: p *Mane* FLOREAT, *& tranſeat.* Qua in re inſigni documento fuit Leo XI. Pont. Max. ex familia Medicæa. q Hic in inſignibus geſtabat roſam, hac Epigraphe ſubjecta: *Sic florui*; verus ſibi vates. Nam paucis diebus in Pontificatu floruit. Non unus Pontificum, Regum, Magnatum, brevi inſtar roſæ deciduus, hoc ſibi, Epitaphii loco, ponere poſſet: *Sic florui.* Hortum ingrederis, Reginam florum, roſeam purpuram intueris, purpuriſſi genarum breve ævum, & mox perituri imaginem contemplare, ut ille non inſcitè cecinit:

r *Quàm longa una dies, ætas tam longa roſarum:*
Una dies aperit, conficit una dies.

Id ſecum reputans Joannes Dux Cliviæ, in gentilitiam teſſeram, ſibi florem adlegit, cum lemmate: ſ *Hodie, cras nihil*: quid tumemus, quid extollimur mortales, t *unius tantum diei vitam habentes*: *Ros unus,* FLOS *unus, & unum mane duorum eſt?* DOROTHEA quæ in Eccleſiæ viridario fuit virginitate lilium; charitate roſa, animi demiſſione viola, voluntatis ſuæ cum divina conformitate heliotropium, virtutum denique varietate non tantum florida, ſed tota *Flora*, dum in ipſo pubeſcentis ætatis flore hodie carnificis gladio demetitur, floridum illud Nazianzeni dictum expreſſit: v *Homo eſt flos tempeſtivè naſcens, tempeſtivè marceſcens*: audi D. Hieronymum tractantem illud Pſalmi 89. x *Manè ſicut herba tranſeat: mane floreat & tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat,* ubi ſic diſſerit: *Sicut manè virens herba, & ſuis floribis vernans, delectat oculos contemplantium, paulatímque marceſcens, amittit pulchritudinem, & in fœnum, quod contemendum eſt, vertitur; Ita omnis ſpecies hominum, vernat in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis viris; & repente, dum neſcit, incaneſcit caput, rugatur facies, cutis prius extenta contrahitur: & extremo fine, quod hic dicitur veſpere, id eſt, ſenectute, vix moveri poteſt, ita ut non cognoſcatur, quis prior fuerit; ſed penè in alium commutetur. Quia loquimur de infantiæ temporibus, uſque ad extremam, & decrepitam ſenectutem, cùm hoc & languor faciat & inediæ mœror, ut vultus prius pulcherrimus fæminarum, ad tantam tranſeat fœditatem, ut amor in odia commutetur? ſuper hac conditione mortalium, & Iſaias loquitur omnis caro fœnum, &c.* Ex quibus patet, forma quàm fragile bonum ſit, omnémque pulchritudinem, florum inſtar marceſcere, ut ſcitè Clemens Alexandrinus obſervavit, dum pulchritudinem flori comparans, ait: y *Statim probatur eorum vitæ brevitas: ambo enim flacceſcunt, &* FLOS, *& pulchritudo.* Joanna Luſitaniæ Princeps, Filia Alphonſi Regis *miraculum pulchritudinis*, adeò ut multi Chriſtiani orbis Principes famâ commoti, nurum, multi conjugem optarent, & quò tanta pulchritudine aliquali ratio

o Iob 14. p Pſa.89. q Cornel. à Lap. in Sapient. c.2. v.8. pag.44. r Auſonius. ſ Typotii ſymb. t Clem. Alex. ſtrom. l. 4. c.4. v Gregor. Nazian. orat. 10.

x Hieron. Epiſt. 139. ad Cypriann. y Clemens Alex. lib.2. pædag. cap.8.

frui poſſent, eximios pictores, qui ad vivum exprimerent, in Luſitaniam certatim mittebant, qui omnes ſacramento interpoſito, affirmabant, z *nulla artis induſtria, Ioannæ venuſtatem poſſe adæquari*: ferúntque Ludovicum XI. Galliæ Regem, *ubi iconem vidit, in genua provolutum, numini egiſſe grates, quod tam formoſam in terris divinæ pulchritudinis imaginē ſibi licuerit contueri.* Eam igitur Carolo Delphino conjugem, miſſis in Luſitaniam Legatis, ab Alphonſo petiit; ſed has nuptias Joanna, quæ Cœleſtes ſibi animo deſponderat, facilè eluſit, uti & alteras cum Maximiliano Romanorum Rege, Frederici Imperatoris filio. Atque ut veriſſimum illud Huſſæi vatis cognoſcatis: *Homo ſicut* FLOS *egreditur, & conteritur*, duos potentiſſimos Reges in ipſo primo ætatis Flore, in ipſo nuptiarum cum Joanna, ut ſperabant, apparatu, ſubitò emarcuiſſe, & mortis falce demeſſos, pro nuptiali thalamo, fatalem tumulum reperiſſe compertum eſt. Nam Ludovico XI. vita functo, Carolus VIII. in Galliarum Regnum ſuffectus, Legatione miſſa, Joannam, quam mirè ſemper ob eximiam pulchritudinem, & præclaras animi dotes adamavit, conjugem petiit, minas intentans, & bellum fremens, niſi in Galliam quàm primum duceretur. Quę armatæ preces Joannem fratrem, jam Regni Luſitaniæ fræna moderantem, impulerunt, ut animum Joannæ expugnaret; ad bella Regno imminentia, irámq; Regis Galliarum declinandam, neceſſarias has nuptias omnino dictitabat. Quid ageret Joanna? in ſacellum ſe recipit, ut fratri, quid agendū eſſet, reſponderet: & poſtquam diu ſe, ſuáq; ſuperis, & inprimis virginum Reginæ commendavit, *fratrem alloquitur, promittitq; ſe Galliæ Regi nupturam, ſi ea ipſa hora viveret.* Conditione audita hæſit Joannes; paucis tamen poſt diebus, Regem è vivis exceſſiſſe nunciatum eſt. Hunc Florem brevi deciduum Joanna cœlitus certa, quas non formidabat, nuptias ſpopondit. Lubet hic cum divo Iſidoro Peluſiota exclamare: a quis crederet, quod *lectiſſimus ille* FLOSCULUS *& illibatus, in pulverem cras verteretur*? nec minus caducum, alterum Regni Angliæ Florem Richardum, illo nomine III. Regem prænuntiavit, cui cum Philippa Matertera ex mandato fratris, Joannem jungere potenter niteretur, ad ſolitas illa recurrit preces, & dum mœrore confecta plorationi nimium indulgeret, levi correpta ſomno, adſtare ſibi intuita eſt pulcherrimum Adoleſcentem, qui blandè ſalutatam compellans; noli, inquit ultrà mœrere, pone lacrymis modum, *jam enim è vivis abiit.* nec plura dixit, & diſparuit, diſcuſſo illa ſomno ad ſeſe rediit, & mira animi tranquillitate fratri reſpondit, in Angliam proficiſci eſſe ſe paratam, ſi quem ſibi optabat Sponſum, adhuc in vivis numeraretur. Quod ſi ad mortuos tranſiſſet, hoc unum ſibi efflagitare, ne ultrà ſecum de nuptiis ageret. Obſtupuit Joannes vultûs & animi ſerenitatem; neque dubitare de eventu licuit diu, cùm intra hebdomadam à Legatis de Regis obitu Joannes

z Vaſconcellus Acta Regum Luſitaniæ. Anacephalæoſis 17.

a Iſidorus Peluſ. lib. 3. Epiſt. 113.

admonitus, eídem pro regalibus nuptiis, & conjugalibus tædis, juſta funebria, & mortis funalia parari juſſit. Jure quærit, ac queritur Chryſoſtomus b: *Quænam ſæcularium quæſo voluptatum utilitas? hodie ſunt, cras elabuntur; hodie* FLOS *pulchritudinis, cras aridus pulvis.* Joanna verò pulchritudinis ſuæ florem, virginum Sponſo, perpetuò virginitatis voto religiosè obſtrinxit; ut autem orbi univerſo innoteſceret, quàm fragile formæ bonum ſit, & floris inſtar, omnem corporis venuſtatem ſubitò marceſcere, ubi animus ad cœleſtem Paradiſum evolavit, illud divini prodigii accidit. Intra cœnobii ſepta *hortum* ſibi ipſa, ut ſanctimonialibus levamini eſſe poſſet, conſeri juſſit. Illum ſuis ipſa manibus excoluerat; at ubi cadaver in odeum efferretur, ad ſarcophagi aſpectum, vel contactum, *aruerunt cotoneæ mali, citrinæ, medicæ, & florum, & foliorum honor omnis emortuus eſt,* FEULLE MORT: *neque ex illis, ulla repullulârunt.* Quod, quid aliud, formæ ac pulchritudinis humanæ, & brevi perituræ amatoribus innuere voluit, quàm florum inſtar, ac maximè florentium plantarum, formæ florem, temporis ſpolium, & morbi *ludibrium* eſſe? hæc dum audis:

c *Dic, homo, vas cinerum, quid*
confert FLOS *facierum?*
Copia quid rerum? mors ultima
meta dierum.

Huic concinit è Græcis Theocritus: *Et roſa pulchra eſt, & tempus eam tabefacit, & viola pulchra eſt in vere, & ſtatim ſeneſcit. Candidum eſt lilium, & citò decidit, & tabeſcit.* Aureè Chryſoſtomus d: *pulchritudinem tempus conſumit, ægritudo corrumpit, mors omninò deperdit: eſt enim formæ ipſius* FLOS *minimè diuturnus, quam breviſſima juventus extulit, vetuſtas temporis jam jam corumpit.* venuſtiſſimum pumilionem Narciſſum depingit Naſo, in lympha, quaſi in limpido ſpeculo formam ſuam contemplantem:

e *Spectat humi poſitus, geminum*
ceu, lumina, ſidus,
Et dignos Baccho digitos, &
Apolline crines
Impubéſque genas, & eburnea
colla, decúſque
Oris, & in niveo miſtum candore
ruborem,
Cunctáque miratur, quibus eſt mi-
rabilis ipſe.

Dúmque ſe, & formæ ſuæ pulchritudinem impotenter deperit, amore & languore moritur, quódque myſterio non vacat, in florem ſui nominis convertitur; ut & vos Adoleſcentes, & adoleſcentulæ, formæ amantes, f *ac pulchritudinis ſtudium habentes,* non in liquido aut vitreo ſpeculo; ſed in ipſo flore, qui fragilitatis humanæ ſpeculum eſt, contemplemini; ne nimium hujus brevi marceſcentis formæ amantes, cum Narciſſo miſerè pereatis: ſic etenim fabulam eruditus Mythologus g, eleganter ad mores exponit, dicens: qui nimium corporis forma gloriabatur, & in laſciviam acuebatur, quo pacto per formam non meruit perire? Quo pacto non merentur perire, qui carnem, florem fœni etiam in

b Chryſ. hom. 43. in Ioan. c Robert. Holkot, in Sap. c. 2.

d Chryſoſt. tom. 5. ſer. 10. de inſtituenda ſecundum Deum vita. e Ovid. l. 3. Metam. f Eccl. 44. g Natalis comes mytholog. l. 9. c. 16.

in ſacris ædibus oſtentantes,alios quoque, ut ſecum pereant, pelliciunt, quas argutè & acutè perſtringit Doctor Africanus hiſce verbis : *h Ne vos adoleſcentulæ alienum à vobis arbitremini hunc eſſe ſermonem. Ad vos enim, non tamen ut confundam vos, hæc dico; ſed ut filias chariſſimas moneo : juvenilia deſideria fugite,nec in publicum propterea procedatis, ut* FLOREM *fœni veſtri, oculis hominum oſtentare cupientes, in domo vitæ, mortem quæratis : omnis enim caro fœnum, & claritas hominis, ut* FLOS *perit.* Non alio monitore, ut hæc devitetis, quam ipſa florum brevitate, & fluiditate, à qua dicti ſunt, opus eſſe, natura voluit. Sic porrò Plinius *i : reliqua uſus, alimentique gratia* (ut ſunt arbores, & fructus) *genuit natura; ideóque ſecula, annóſque tribuit iis.* FLORES *verò, odoréſque, in diem gignit : magna ut palàm eſt, admonitione hominum, quæ ſpectatiſſimè* FLOREANT, *celerrimè marceſcere.* Quæ non in caduca duntaxat corporis forma; ſed & in rebus omnibus humanis, quibus mortales florere videntur, ſpectatiſſima ſunt; quod ex perituris hortis, & floribus tradit Hieronymus *k* : *fertur,* inquit, *ſapientiſſimi apud Græcos meritò celebrata, & laudata ſententia, qui omnes ſæculi voluptates, & pompam mundi, atque luxuriam celeriter tranſeuntem,* HORTOS ADONIDIS *vocat,* qui ut amœniſſimè florerent, & pulcherrimis floribus riderent, brevi, omni honore & decore marcidi jacebant. Hinc monet Clemens ille Alexandrinus *l* ; *voluptates & delicias, tanquam caducum, & brevem* FLOREM, *relinque vento, & igni.* Quemadmodum nec hortis nec floribus perpetuitas aut ſtabilitas ulla, ita nec fortunæ, nec vitæ bonis, maximè fluxis & perituris; unde quidam luſit :

Quod fuit, eſt, & erit, tria florida ſunt ſine flore :
Nam ſimul omne perit, quod fuit, eſt, & erit :
Quod fuit, eſt, & erit, perit articulo brevis horæ;
Ergo quid prodeſt, eſſe, fuiſſe, fore?

Scitè hanc ſimilitudinem floris expendit Divus Auguſtinus *m* : *Iſti* FLORENT *felicitate ſæculi, & pereunt in virtute Dei : non enim quomodo* FLORENT, *ſic pereunt :* FLORENT *enim ad tempus* (& breve tempus) *& pereunt in æternum :* FLORENT *falſis bonis, & pereunt veris tormentis.* Hoc divinum ſanctiſſimi Præſulis effatum ſi ædium frontibus, ſi abacis, ſi propylæis, ſi mentibus exaratum eſſet, nemo quiſquam illis hic, *felicititate ſæculi* ad breve tempus FLORENTIBUS, & in æternum pereuntibus, ſortem ſuam invideret. Ita florent qui hic tenent *n tympanum & citharam, & ludunt ad ſonitum organi, qui ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Quod ut altiùs animis veſtris infigatur, concludo eleganti, & efficaci Magni Baſilii paræneſi : *o* volo, inquit, percupióque tibi vehementius admirationem imprimi Creaturæ, ut quocumque fueris loco, & cuicumque ſtirpium (aut florum) adſtiteris generi, manifeſtam cla-

h Aug. ſer. 246. de Tempor. i Plinius l. 2. c. 1. Humana omnia floris inſtar brevi marceſcere. k Hieron. in Iſaiam c. 65. l Clem. Alex. adhort. ad gentes.

m Auguſt. in pſal. 53. n Iob. c. 21. v. 12. o Baſilius hexameron, c. 5.

clarámque Creatoris capias admonitionem. Itáque cùm herbam fœni conſpexeris, *atque florem*, in mentem tibi veniat humanæ naturæ, ac ſapientis Eſaiæ ſimilitudinem in memoria habeto, dicentis: omnis caro ut fœnum eſt, omníſque gloria hominis, veluti FOENI FLOS EST. Brevitas enim vitæ, oble&#x1d;ctamentúmque proſperitatis humanæ, atque hilaritas exiguo tempore perſiſtens, accommodatiſſimam apud Prophetam eſt ſimilitudinem ſortita. Hodie *virens corpore, &* FLORENTE *colore* præditus, ob ætatis viriditatem laſciviens: cras idem ipſe miſerabilis, aut morbo diſſolutus, aut tempore, ſenióque confectus. Eſt quiſpiam ob amplitudinem patrimonii illuſtris, & adulatorum hominum copiam, & ſatellitium quod circa ipſum verſatur: ſeptúſque eſt fictis amicis, qui gratiam ipſius venentur: magnâ quoque catervâ ſanguine propinquorum, & ipſa ſimulata, ſtipatus: innumera denique ſequitur illum eorum hominum multitudo, qui propter alios uſus, ei adſunt: quos abiens domo, ſeſéque recipiens, domum ſecum trahens, invidioſus eſt occurrentibus. Adde divitiis, ſi volueris, magiſtratus, & civilem aliquam poteſtatem, vel etiam honores ex regibus, curam vel adminiſtrationem gentium, Imperatorum munus, præconem ante ipſum clamantem, lictores hinc & inde terrorem iis ingerentes, qui ſub imperio ſunt, percuſſiones, verbera, confiſcationes, deductiones, carceres; è quibus intolerabilis ſubditorum metus emergit, accumulatur. *Quid poſt hæc, quæſo? Si nox una, febricula una, dolor lateris, aut pulmonis vitium, abreptum ex hominibus abduxerit hominem, obiit illa univerſa ſcena ſubitò denudata, ac diſſoluta, gloriáque illa veluti ſomnium, ſtatim evanuit. Quare gloriæ humanæ ſimilitudo, ad* DEBILISSIMUM, EXIGUUMQUE FLOREM, *appoſitè videtur à Propheta accomodata.* Hæc divinus Eccleſiaſtes pro loco, & perſonis, qui divitiis, deliciis florent, & ſubito floris inſtar, repentino morbo aut morte marceſcunt, facilè deducere poterit.

§. III.

Divinus Sponſus DOROTHEAM *in Cœleſtem Paradiſum, & ad immarceſſibilem Coronam invitat hiſce verbis*: VENI IN HORTUM MEUM SOROR MEA SPONSA. *Cant. 5. v. 1.*

MAhometes, ut Cœlum quodammodo in terras devocaret, & delicias cœleſtes ad brutales transferret, Paradiſum terreſtrem, ad ſpeciem illius, qui omnipotenti numinis manu, ad delicias Adami, & generis humani, in flore innocentię plantatus fuerat, ipſo cacodæmone inventore & artifice, perverſiſſimo omnium ſcelerum ſæculo, propudioſè adornavit. Locum delegit imprimis amœnum, quippe ſitu præcelſum, ſpecie eximium, bonis opulentum, omni deliciarum genere affluentem, in quo

quo quidquid ad delectationem, admirationem, omniúmque ſenſuum titillationem, concurrentibus natura & arte illecebris, facere poterat, exhibebatur. Hi voluptuarii horti, multiplici, & vario flore, ac tulipis (Turcis à *Turbant* inverſa eorum tiara dictis) maximè exquiſitis, & ex altero orbe petitis, Deam Floram incolam habere videbantur. Hic mirabilis naturæ, ſuas velut opes explicantis induſtria, odorifera è lauro nemora, & varias è myrto figuras, mille circulis implexas oſtentabat. Quid ludos, jocoſque referam, quos fontes interfluentibus dulci murmure rivis, à tergo, à latere incautos adorti, exhibebant? *p* ducenti lectiſſimi juvenes huic culturæ præficiebantur, ab anno quinto decimo, ad vigeſimum, qui paſtinando, rigando, areolas, pulvillos, ac topiaria formando, colendóque ad æmulationem, deſtinabatur, ac ſtipendio lauto donabantur. *q* Hunc locum deliciarum, Mahometes ſuperbis cinxit Palatiis, ac per canales quoſdam inde deductos, ſuaviſſimos vini, lactis, ac mellis liquores derivabat, ſpecioſiſſimiq; juvenes variis ludis, cantibus, & ſymphoniis ingredientes, ad bibendum, exhilarandúmque invitabant. Mitto, quod alii referunt, lectos illic roſeos exſtitiſſe, ad quos venuſtæ formæ puellæ, impudico lenocinio pelliciebant, atque hæc omnia, ut qui unum diem, ac noctem illic tranſegiſſet, & dormiens eductus, vitam ſuam libens pro Mahomete profunderet, ut iiſdem deliciis poſt mortem perfrui liceret. ô Horti! ô Haræ! ô vera brutorum hominum Augiæ ſtabula! Et invenire eſt, qui ut unam noctem, & breve ſomnium in hiſce brutis voluptatibus tranſigere queant, mille vulnera, & mortes ſubire non reformidant. Tales illi, qui in voluptuoſis mundi hortis nil aliud mente volvunt, ac ore promunt, quàm: *r non prætereat nos* FLOS *temporis: coronemus nos roſis, antequam marceſcant; nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra*; parum attendentes *ſ quod in præſenti coronentur corona luxuriæ; ſed in futuro coronabuntur corona miſeriæ.* Coronantur hic roſis, ſed in futuro coronabuntur rogis ardentibus. *Unde cuique eorum dicetur illud Iſaiæ: t Coronans coronabit te tribulatione, & tunc lugebunt, & plangent de eo, de quo modo rident, dicentes: v defecit gaudium cordis noſtri: x verſus eſt in luctum chorus noſter, cecidit corona capitis noſtri.* O ſi hortos illos cœleſtis Paradiſi præ oculis haberent, ſi vel fructus, aut flores, quos cœlum hodie in terras miſit, vel ore, vel oculis delibare contingeret, per ſentes, & ſpinas, per enſes & rogos, hos ſibi Flores legere, atque in illum cœleſtium deliciarum hortum ingredi niterentur. Hæc beata tempe Paulus inambulabat, cujus *y cõverſatio in cælis erat*; quod ſi & vos hac mente expatiari velitis, ſordeſcent illico amœniſſima hortorum omnium viridaria. Quò ut vos invitem, libet è polito Romani Oratoris ingenio floſculum legere, qui ſic diſſerit:

p Beyerlin. Theat. litt. H. q Areſius feſto S. Marc. n. 7. r Sap. c. 2, v. 6.

ſ Robert. Holkot. in ſapient c. 2. v. 8. t Iſa. 22. v Ier. x Thren. 4. y Philip. 3

qui

z qui in horto per ambulacra lata ingreditur, relaxat animum florum ſpectaculo, & deſcriptis in ſtellas, belluáſque areolis. Hic deinde in turrim conſcendat, quæ in ipſo horto ædificata eſt, & è ſummis pinnis reſpiciat Roſas, quas antè cum voluptate multâ propè intuebatur. Sentiet ſe repentè expalleſcere, ſudare, agitari, & correptum vertigine corruere propemodum, & linqui animo. Exclamo, quid tam citò conturbat hominem, quid malè afficit? Horti aſpectus. Itáne verò horti aſpectus? Narciſſi forſitan in Baſiliſcos converſi ſunt? In Dracones abierunt Pæoniæ? Iidem flores in areolis perſeverant. At qui primum oblectabant, nunc inſpicienti officiunt? Ita omninò, atque id oritur, non ex roſis, & violis, quæ eædem ſunt, atque immutatæ, ſed ex locorum, unde videntur, diſcrimine. Lilia humi ſtantem reficiunt, lædunt reſpicientem è ſublimi turri. Quo tamen è loco, abſque ullô capitis incommodo, Planetæ obſervantur, longè remotiores, quàm horti anemones, cum metu & horrore quodam inſpecti.

Confirmat hæc aurea Chryſoſtomi facundia: a *Cum tantam celſitudinem à tellure in cœlum uſque videntes, nihil mali patiamur; in turri tamen aliqua ſublimi conſtituti, mox atque terram deſuper, vel modicè deflexi, intueri voluerimus, vertigo quædam nos, & caligo prehendit.* Quo, quid aliud commendat, quam ut oculos animóſque in cœleſtem illum omnium deliciarum hortum erigamus, ne terrenis hiſce & mox perituris floſculis, ac viridariis intenti, miſera vertigine & caligine obruti, in præceps ruamus. Libet meminiſſe illius temporis, cum acceptâ mortis ſententia, *Dorothea* foras, ad triumphi ſui arenam ducitur. b Theophilus Advocatus occurrit, petiitque irridens, ut, cum in ſponſi ſui paradiſum, cujus ſæpius meminerat, veniſſet, roſas ſibi inde ſubmitteret. Jam tetenderat virgo cervicem lictori, cum extemplo adeſt lectiſſimus cœlo ephebus, & promiſſum Theophilo, eodem in calatho, ver & autumnum offert. Miratur ille in hyeme roſas non flaccidas, miratur poma non marcida, miratur certantem cum munere ſuo muneris bajulum; Et jam non contentus vidiſſe horti munera, ad ipſos hortos, Chriſtianus per omnia tormenta penetrare contendit, quæ quidem ille, ut ſpinas, generosè calcavit, dum animo volveret, quales roſas quæreret. His ut redimiri poſſent, non una virgo Senenſis, ſed innumeræ, ſpinis caput ſuum hic coronari elegerunt, ut Sponſo ſuo ſimiles redderentur, de quo Tertullianus: c *Chriſtus* JESUS *quale, oro te, ſertum pro utroque ſexu ſubiit? ex ſpinis opinor, & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis.* Tum ut oſtendat, quàm indignum ſit, Chriſto ſpinis redimito, inveniri, qui ſe Floribus coronent, ſubjungit: *Si ob hæc caput ei tuum debes, tale, ſi potes, ei repende, quale ſuum pro tuo obtulit: nec* FLORIBUS *coroneris, ſi ſpinis non potes; quia non* FLORIBUS

z Ioan. Paulus Oliva. part. 1. conc. 20. n. 280. a Chryſoſt. hom. 19. in epiſt. ad Epheſ.

b Bollandus cit. c Tertull. lib. de corona militis c. 14.

potes;

potes; ſed benè ſpinis, ut in cœlo roſis coroneris. Quod ipſum exaggerat Clemens Alexandrinus, dum ait: *d A ratione alienum eſt, ut, qui audierimus Dominum ſpinis fuiſſe coronatum, ipſi venerabili Domini Paſſioni per ludum inſultantes, habeamus capita redimita* FLORIBUS. Verum qui hic adverſitatum aculeis compunguntur, *coronam ſpineam*, ut inquit Hieronymus *e*, *mutant in gloriam triumphantis*; qui roſas etiam hic fluxas amat, ut eas decerpat, ſpinas non timet, quæ quaſi quædã illecebræ additæ ſunt, ut divus Baſilius annotavit: *f Tale quid de roſis quemdam referentem audivi, quod roſarum amatoribus, natura minutas illas ſpinas, quaſi quædam amatoria illectamenta iſti* FLORI *affixerit, ut ſtimulis illis ægre contactum admittentibus, ad majus deſiderium colligentes provocet.* Hoc deſiderium colligendi è cœleſti Paradiſo roſas, ſpinas & tormenta tot teneris virgunculis, quaſi quædam amatoria illectamenta, avidè complecti fecit; atque ipſos aculeos, & ungulas, & rotas, & rogos, in flores & roſas commutavit. Vidit hoc Nyſſenus Antiſtes *g*, dum paradoxum illud Chriſti oraculũ, *Beati qui perſecutionem patiuntur*, ſolerter rimatur: *fructuum*, inquit, *qui ſperantur*, FLOS, *afflictio eſt*. Jam verò anima ſancta viſis *Floribus*, qui æternitatis fructum inamiſſibilem promittunt, gaudio perfuſa annuntiat: *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit*: dum enim capita amputantur, & membra præciduntur, Flores Martyrum apparent, & voces gaudii in Eccleſia reſonant; quia peracto prælio, vocantur ad coronam, eámque incorruptam, & immarceſſibilem. Amaranthus *h Flos immortalitatis* dicitur, *quoniam non marceſcit*; unde Ægyptii hominem longævum, velut immortalem, coronâ ex amaranthis contextâ, ac canura verticem redimire ſolebant. Et Clemens Alexandrinus *i* de hoc Flore immortalitatis hieroglyphico diſſerens, *pulchra*, inquit, *amaranthi corona ei eſt repoſita, qui ſe rectè geſſerit*; at benè advertit, ejusmodi Florem in terris non naſci,

Nec venit ex horto, floſculus ille tuo.

Subdit enim: *Hunc Florem terra ferre non poteſt; cœlum ſolummodo eum poteſt producere*, amaranthi veri, & vivi ſunt, quos cœlum hodie *Dorotheæ* donavit; præ his fluxa omnia & caduca, & violæ, & roſæ, & flores omnes pedibus proterendi ſunt: *k Nondum enim ab illorum collectione domum reverſi ſumus, & ecce in ipſis adhuc manibus noſtris cõſtituti marceſcunt. l* Ad cœleſtia illa tempe forte animo evolarat religioſus vir, qui pictam cellula ſua roſam aſſervabat, cujus floris caducam gratiam attentiùs contemplatus, ſubſcripſerat: *Cœleſtia non ſic*, nempe flacceſcunt, & marceſcunt.

m Mulcet ubi elyſias aura beata roſas.

Jam *homo ſicut* FLOS *egreditur, & conteritur*; ſed veniet aliquando tempus, cum corruptibile hoc

d Clemens Alexand. lib. 2. pædag. c. 8. e Hieronym. ad Principiam virg. f Baſilius Epiſt. 149. ad Libanium. g Gregor. Nyſſen. lib. de beatitudinibus. Beati qui perſecutionem patiuntur.

h Plin. lib. 21. c. 8. Pierius lib. 55. i Clemens Alexand. lib. 2. pædag. c. 8. k Baſil. hom. de Paradiſo. l P. Alard. le Roy ſainctete tiree des fleurs pag. 62. m Propert. lib. 4. eleg. 2. Iob. 14.

induet in corruptionem, quando totus juſtus *germinabit ſicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum.* Unde ſic diſſerit melliflui Doctoris diſcipulus: *n Magna differentia eſt ſepulchrorum, &* HORTORUM: *hæc plena omni ſpurcitia, & oſſibus mortuorum; illi omni ſuavitate, & gratia* FLORUM, *aut fructuum. Quid enim, ſi aliquando ſepulchra in* HORTIS? *numquid tamen* HORTI *in ſepulchris? ita fortaſſis; ſed in ſepulchris juſtorum. Ibi planè vernabit gratiſſima quædam amœnitas* HORTORUM, *verno ſcilicet illo tempore Reſurrectionis eorum, &* REFLOREBIT *caro eorum.* o Hujus florentiſſimæ innovationis præludium, ſeu prognoſticon, fuêre roſæ, quas Angeli circum corpus ſancti Proſerii martyris, alienâ prorſus anni tempeſtate conſpersêre. Eſt & ſingulare quotannis prodigium, *p* quod ſanctus Ludovicus Epiſcopus Toloſanus, in Principatu Aſturiæ, in oratorio, in ejus honorem erecto, patrare conſuevit: ut eo die, quo ejus Feſtum celebratur, dum Miſſa canitur, ſtatim illic germinent admirandi quidam, & inuſitati flores, qui â populo undique confluente decerpuntur, & piè ſervantur ad omnes morbos pellendos. Quæ omnia indicia, & prælibationes quædam ſunt florum, quibus cœleſtia illa viridaria, & Beatorum horti perpetuò efflorescunt: *q Ubi*, ut inquit aureus Orator, *non eſt vanitas, ſed veritas: ubi cuncta firma & ſtabilia: ubi nihil veteraſcit, ſeneſcit nihil* nec marceſcit. Ad hæc, florum Patronam *Dorotheam*, invitat Sponſus ille qui paſcitur inter lilia: *r Veni in hortum meum, Soror mea Sponſa*; *id eſt*, inquit Hugo Cardinalis, *veni in meipſum, qui ſum hortus habens omne delectamentum, omnem amœnitatem. ſ Ego* FLOS *campi, omni ſuavitate odoriferus, aſpectu decorus, guſtu dulcis, tactu ſuavis, olfactu delectabilis; ſed non lecti aut horti, ſed campi, per victoriam certaminis obtinendus: ego ſum corona propoſita in campo certantibus. Veni in hortum meum, Soror mea Sponſa; id eſt, in Paradiſum cœleſtem, in beatitudinem æternam.* O clientes Dorotheæ! ô Florum amaſii! ſi tantus vos amor tenet florum, huc oculos, mentéſque attollite, ubi, ut divinè modulatur Auguſtinus,

t Abeſt limus, deeſt fimus, lues nulla cernitur:
Hyems horrens, æſtas torrens illic nunquam ſæviunt.
Flos perpetuus roſarum, ver agit perpetuum:
Candent lilia, rubeſcit crocus, ſudat balſamum,
Virent prata, vernant ſata, rivi mellis influunt.
Pigmentorum ſpirat odor, liquor, & aromatum,
Pendent poma Floridorum non lapſura nemorum.

In Elyſiis illis Beatorum hortis, & amœniſſima prata, & fructus, & flores fore, varii Auctores teſtantur. Cornelius à Lapide in cap. 22. Apocalypſis, v. 2. exponens illud: *v In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum*

n Guarricus Serm. de ſacrarum Scripturarum utilitate. o Ferrandus diſquiſitio Reliquiar. pag. 137. p Spondan. Annal. Eccl. An. 1298. n. 5. q Chryſoſt. hom. 55. ad popul.

r Cant. 5. v. 1. Hugo hic. ſ Hugo in Cant. c. 2. v. 1. t Auguſtin. lib. meditat. cap. 26. v Cornel. in Apoc. c. 22.

ſumit

ſuum, *& folia ligni ad ſanitatem gentium*, ſic ſcribit: *Fluvium hic, & arbores, & poma ad litteram, uti ſonant, accipi poſſe. Quid enim obſtat? nam ſi his in Paradiſo terreſtri fruitus Adam; multò magis iiſdem fruentur Beati in Paradiſo cœleſti. Hujus enim ſpecimen, & imago fuit terreſtris.* Idem ſentit Paſchaſius, dicens: x *Sanctorum animas requieſcere in herbis virentibus.* Et ſanctus Cæſarius dialogo 3. *Ibi*, inquit, *in cælo ſunt fici, palmæ, mala punica, ceteráque, quæ Paradiſus plurima continet, & quibus floret naturaliter.* Amœniſſimè verò hæc Beatorum tempe depingit Hipponenſis Antiſtes y: FLORIBUS CÆLI, *nec* ROSÆ, *nec* LILIA *deſunt. Certent nunc ſinguli ad utróſque honores, ampliſſimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de paſſione purpureas. In cæleſtibus caſtris pax, & acies habent ſuos* FLORES, *quibus milites Chriſti coronantur.* Non ſola ſancta DOROTHEA teſtata eſt flores cæli naſci, ſed & ſancta Agatha jam Paradiſo recepta: z *Nam ſancta* DIGNA, *aſſiſtere ſibi per ſomnum vidit puellam, habitu, & ſpecie percomptam angelica,* ROSAS & LILIA *manu geſtantem, quam cùm de nomine, cauſáque ſui exploraret adventus, ego ſum, inquit* AGATHA, *olim propter Chriſtum diris attrita ſuppliciis, & nunc veni partem tibi purpurei muneris hujus afferre: accipe libens donarium, & viriliter age in Domino.* Longè amœnius ſpectaculum ſanctæ Eliſabethæ Schonaugienſi exhibitum eſt: *Vidi*, inquit illa, *procul hinc verſus orientem ædificium valde glorioſum, quaſi tribus muris circumdatum; & variæ diſtinctiones manſionum in eo, & ſplendor lucis immenſæ omnia illuſtrabat. In circuitu autem ejus, arborum, & herbarum, &* FLORUM *jucundiſſima amœnitas.* Quis non ardentiſſimo deſiderio è vobis accenditur, ut hac jucundiſſima amœnitate frui, illos Flores, & colore & odore omnes terrenos longè antecellentes, contemplari, iiſque delectari queat? quo non pretio, vel unam, ſi nanciſci poſſet, cœruleam tulipam, comparare ſibi ſtuderet? quæ innumeræ in ſupernis illis hortis efflorescunt. Unde Venantius Fortunatus hortatur: x *Magis illud Regnum quærendum eſt, ubi ſemper* LILIORUM, ROSARÚMque *blandior lux arridet, ubi loci fœcunditas neque nube premitur, neque ſole ſiccatur: ubi non finitur cum poſſeſſore poſſeſſio, ub quidquid deſiderat animus, dat aſpectus.* In his Beatorum hortis, ſi cujuſque veſtrum, dum adhuc terris degit, converſatio fit, veriſſimè accini poterit, quo in commendatione animæ utitur Eccleſia: *Conſtituat te Chriſtus Filius* Dei *vivi, intra Paradiſi ſui amœna virentia.*

x Paſchaſius lib. 4. lamentat. Ieremiæ.
y Auguſtin. Serm. 1 de omnibus Sanctis, qui eſt 85. de diverſis in appendice.
z Sanctus Eulogius in memoriali Sanctorum lib. 3. c. 8. Gabriel de Henao de cœlo empyreo part. 1. pag. 321.

x Venantius in orat. Dominic.

FES-

FESTUM CATHEDRÆ S. PETRI.

Tibi dabo CLAVES *Regni cœlorum*, Matth. 16.



Clauſa aperit, claudit aperta. Ovid. 4. Faſtor.

ARGUMENTUM.

CLavibus, ut videmus, multis opus eſt, ut atria, capſæ, ſcrinia, probè obſerentur; hæc tamen centum

tum licet clavibus occluſa, uni patent, qui claves habet abyſſi, ut eò ruentibus occludat: & Regni cœlorum, ut juſtis, ac pœnitentibus illud aperiat. Hanc poteſtatem clavium Supremus Pontifex Petro, ejúſque Succeſſoribus contulit; quam Heterodoxi, quibus claves arcæ, & cellæ, magis curæ ſunt, fruſtra impugnant. Nullus verò harum clavium uſus eſt, ſi quis propriâ malitia, conſcientiæ ſuæ peſſulum ſacrilegè obtendat. Nam

CLaVIs sVpernæ DoMVs
QVòDCVMqVe LIgat,
hoC DeVs LIgatVM repVtat.
QVoD ſoLVIt, hoC reſeratVM.

Quin & laici, ſacris illis Claviculariis deſtituti, *Claves aureas* ad manus habent: perfectæ etenim contritionis actibus, velut clavibus, ſibi cœlum aperiunt. Omnibus quoque claves orationis, ac bonorum operum, communes eſſe voluit: quibus multi cœlum per plures annos clauſum, alii in æternum, ſeris adamantinis claudendum, ſibi aperuerunt.

§. I. *Penes quem, & quanta ſit* POTESTAS CLAVIUM.

§. II. DUAS CLAVES *ſacerdotibus neceſſarias, ut à peccatis abſolvant.*

§ III. *Veræ contritionis actibus, velut* CLAVIBUS, *nobis cœlum aperiri.*

§. IV. *Oratio juſti* CLAVIS *eſt cœli.* Auguſtin. Serm. 226. de tempor.

§. V. *Nobis, bonorum operum* CLAVIBUS, *januam Regni cœleſtis aperire poſſumus.*

FESTUM CATHEDRAE S. PETRI

Tibi dabo CLAVES *Regni cœlorum.* Matth. 16.

QUanta ſit utilitas, neceſſitas, ac poteſtas clavium in omni Regno, & republica, in ædibus, ac urbibus, argumento eſt, quod, ut rectè ait Seneca: *a Nemo velit aperto oſtio vivere.* Nemo velit apertis urbium portis, apertis officinis, apertis capſis, & cubilibus vivere; ſed omnia probè occluſa, & obſerata habeat clavibus: quarum hæc proprietas eſt, ut una uni ſeræ congruat, nec altera quævis aperiat, aut *operta recludat.* Unde quidam perappoſitè cumulum clavium depingens, hoc acutum & argutum lemma ſubjecit: *Non omnia poſſumus omnes.* Verum enimverò quantumvis urbes veſtræ ſeris ferreis, & vecte aheneo probè occluſę ſint: quamvis officinæ, capſæ, theſauri veſtri b *centum* CLAVIBUS aſſerventur, uni omnia patent, uni *omnia aperta ſunt*, qui claves habet omnis auri, & argenti, facti & infecti: omnium divitiarum, gemmarum, & unionum, quæ in abyſſo maris, & in mundo ſunt: qui *habet* c CLAVEM *abyſſi magnæ*; qui habet clavem ampliſſimi & opulentiſſimi illius Palatii, *Regni cœlorum.* Hanc clavem, qua filius Dei, nobis illud aperuit, Iſaias vates, aliique Patres, crucem fuiſſe, diſertè declarant. Hipponenſis Antiſtes cumprimis, exponens illud: *d Dabo* CLAVEM *domus David ſuper humerum ejus*, ſic ait: e *Verè Chriſtus principatum ſuper humerum habuit, quando* CRUCEM SUAM *admirabili humilitate portavit. Nec incongruè crux Chriſti, principatum ſignificat: nam per ipſam, & diabolus vincitur, & totus mundus ad Chriſti notitiam, & gratiam revocatur.* Et alibi, † omnia hac clave reſerata tradit: *f Ille ipſe*, inquit, *qui in Calvariæ loco crucifixus eſt, nôſtis, quia etiam velum diſcidit: quia crux Domini noſtri cauſa fuit, qua clauſa aperirentur.* Primò ergo templum, & ſancta Sanctorum, quæ Paulo teſte g, cœlum ſignabant, crucis clave velut aperta & reſerata, ſignum erant poteſtatis non modò Pontifici Chriſto datæ; verùm etiam Regiæ, & regalis Pontificatus, quem novus Rex ſuper Regnum cœlorum, *h per ſanguinem crucis ſuæ* adeptus, clavi ipſa accepta in humeros, oſtentabat. Adſtipulatur Hieronymus, dicens: *i Hæc ipſa* CLAVIS *ſuper humerum ejus, crux ipſa, juxta illud quod in alio loco ſcribitur: k cujus principatus ſuper humerum ejus.*

a Seneca Epiſt. 43. b Horat. lib. 2. Ode 14. c Apoc. 20. v. 1.

d Iſaiæ 22. v. 22. e Auguſtin. Serm. 71 de temp. † Crux clavis cœli. f Auguſt. in titul. Pſal. 45. g Ad Hebr. 9. v. 24. h Coloſſ. 1. v. 20. i Hieron. in Iſai. 22. v. 22. k Iſai. 9. v. 6.

Quod

Quod enim ille ſua paſſione reſeravit, claudi non poterit; & quod clauſerit, à nullo alio aperietur. Quod ſanè ſummæ eſt poteſtatis, qua l *ingredi, & egredi* liberè datur; *educere & introducere*, hoc eſt, excludere, & admittere: m *Claudere, & aperire.* Hac itaque crucis clave divorum atria nulli acceſſa, & portas cœli æternales, tot millibus annorum occluſas, potenti virtute Chriſtus aperuit, & reſeravit, ut ſcitè Euthymius: n *Dicuntur portæ æternales, quod in æternum clauſæ erant; donec eas Chriſtus per crucem aperuit.* Non minus ingenioſè, quàm religioſè Hugo Cardinalis: o *De illa* CLAVE, inquit, *qua ipſe aperit Paradiſum, hæc fuit crux, de qua Iſaias: p Dabo* CLAVEM *domus David ſuper humerum ejus. Crux igitur eſt illa* CLAVIS, *quæ adaptata eſt oſtio, Regnum cœlorum aperuit.* Unde ſic paucis ad mores excurrit: per crucem, tribulationem, & pœnitentiam, aditum Regni cœlorum, velut per clavem, nobis aperiendum, ne abſque ea, more furum, & latronum penetrare fruſtra cogitemus: q *Si ergo*, inquit, *ſine pœnitentia vis intrare in cœlum, fur es, & latro, quia non per oſtium, ſed aliunde aſcendis.* Nuſquam in ſacris paginis reperio, in ampla illa Beatorum domo, varios aditus, aut feneſtras reperiri, aut ab oculato teſte Joanne deſcribi; ſed via arcta, & anguſta porta eſt. Quare fruſtra tu hæretice, tu mollis & delicatule, tu peccator, ſeu peccatrix *ſine pœnitentia vis intrare in cœlum*; crucis ac pœnitentiæ clave opus eſt, ut ingrediaris. Hoc aureus orator exemplo latronis, hominis nefarii, comprobat, dum ait: r *Antequam Chriſtus moreretur, nemo in Paradiſum conſcenderat: Rhomphæa illa flammea claudebat Paradiſum: latro primus cum Chriſto intravit. Crux Chriſti* CLAVIS *Paradiſi: crux Chriſti aperuit Paradiſum.* Hæc ubi enarravit, clavem deſcribit, qua latro in cœlum penetravit: ſ *Nónne nobis dixit, quod Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud? qui in cruce eſt, non vim facit: nihil medium eſt; & crux, & ſtatim Paradiſus.* Sed quid hoc, qui *in cruce eſt, non vim facit?* Jacobus Pintus erudito opere de Chriſto crucifixo: t nimirum, vel quia jam facta vis eſt, exaltatus in cruce, jam eſt regno vicinus: vel quod, qui jam in cruce eſt, non eget *vi*, ad cœlorum Regnum intrandum: *Habet enim* CLAVEM, *quâ Paradiſi fores panduntur, ac reſerantur*, ipſam nempe crucem. Idem argumentum proſequitur D. Ambroſius: v *Quod crux ad patriam poſt multos labores redire nos faciat, Dominus declarat, dicens latroni: hodie mecum eris in Paradiſo. Qui utique latro diu oberrans, aliter ad patriam Paradiſi redire non poterat, niſi per crucem*; qua etiam, qui omnem vitam in graviſſimis flagitiis cum latrone exegerit, ſibi aditum aperiet: *Habet enim* CLAVEM, *quâ Paradiſi fores panduntur*; & ut Chryſoſtomus ait, x hac non ſolũ *latro*, ſed *& meretrices, & publicani, gloria Regni digni efficiuntur.*

l Num. I. v. 27. 17. m Apoc. 3. v. 7. Matth. 17. v. 19. n Euthym. in Pſal. 16. v. 7. o Hugo Cardin. in Apoc. c. 3. p Iſai. 22. v. 22. q Hugo cit.

r Chryſoſt. hom. 1. de div. Tom. 1. ſ Chryſoſt. ibid. Matth 11. v. 12. t Iacobus Pintus de Chriſto crucifixo. Tom. 1. l. 4. tit. 5. loco 4. pagin. 558. v Ambroſ. Serm. 55. x Chryſoſt. orat. 2. in Paraſc.

Abſque hac clavi, non peccatores duntaxat, ſed nec juſti intrare poſſunt: quoniam, ut prima Veritas docet, y *per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum Dei*, ut feſto tertio Paſchæ videre eſt. Tertullianus, z *quo nihil eruditius, nihil acutius*, ſic loquitur: *Tota Paradiſi* CLAVIS, *tuus eſt ſanguis*, dulciſſime JESU. Hac ille, & nos intrare debemus. Denique Chriſtus habet claves mortis, & terrifici ac teterrimi illius carceris, de quo per vatem ſuum Apocalypticum teſtatur: a *Habeo claves mortis, & inferni.* Atque hic eſt filius Dei, de quo in Ambroſiano hymno cantat Eccleſia: *Tu aperuiſti credentibus Regna cœlorum*, unde Angelico, imò divino ſuo ingenio Theologorum phœnix Aquinas, hunc locum intelligit de clave, b qua Redemptor noſter *limbum clauſit, ne aliquis ultrà in illum deſcendat: & de apertione, qua Paradiſum aperuit, remoto impedimento per ſuam paſſionem.* Tum ſubdit: *Ad 3. dicendum, quod* CLAVIS INFERNI, *qua aperitur, & clauditur, eſt poteſtas gratiam conferendi, per quam homini aperitur infernus, ut de peccato educatur, quod eſt inferni porta: & clauditur, ne homo ultra in peccatum labatur, gratia ſuſtentatus. Vel dicendum, quod idem etiam eſt,* CLAVIS INFERNI, ET COELI: *quia hoc ipſo, quo alicui aperitur unum, clauditur alterum. Sed denominatur à digniori,* CLAVIS COELORUM. Alii Eccleſiæ Doctores, aliter pro palato quique ſuo ſapuerunt, & CLAVES *mortis & inferni* expoſuerunt; quos inter Richardus de S. Victore, ſic ait: c Chriſtus diabolum, & ſectatores ejus, apertis mortis, & inferni portis, ſine fine cruciandos includet, nimirum *per mortem, tormentum; per infernum, deſtinatum tormento locum* intelligens. Alii verò de Regia Chriſti victoris poteſtate interpretantur, qua ligatus diabolus, jam ad Eccleſiam exercendam per tyrannos, aliáſque infeſtationes, relaxetur; jam reſtringatur ac refrænetur, ipſo ſcilicet Domino, qui clavem habet, jam aperiente, jam obſerante. *His* itaque *clavibus*, ut loquitur Haymo Antiſtes, d *diabolus reſeratur, & electos tentationibus fatigare permittitur: iterúmque reſtringitur; cùm non ſupra modum, ſed ad menſuram ipſas tentationes exaggerare permittitur.* Rem hanc totam eleganter in Apocalypſi ſua cœleſtis Aquila, non uſitatâ pennâ depingit; nempe tyrannum ſatanam, non modò à Chriſto Victore, inferni ſeu abyſſi claves habente, concluſum cárcere; ſed etiam catena ligatum; ut nihil omninò queat, niſi quod, & quando, & quomodo, qui clavem habet, & catenam quantum libet, laxaverit: e *Vidi*, inquit, *Angelum* (interpretes Chriſtum intelligunt) *deſcendentem de cœlo, habentem* CLAVEM *abyſſi*, & catenam magnam in manu ſua: & *apprehendit* draconem, *ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & ſatanas, & ligavit eum per annos mille; & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat amplius gentes; & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore.* D. Auguſt. f per mille annos clauſuræ,

y Actor. 14. v. 22. z Hieron. Epiſt. ad Magnum. Tertull. c. 32. de anima. a Apoc. 1. v. 18. b S. Thom. in 4. diſt. 18. art. 1.

c Richard. de S. Victore ad c. 1. Apoc. d Haymo in c. 1. Ap. e Apoc. 20. v. 1. 2. 3. f Auguſt. lib. 10. de civit. c. 7.

vult ſignari totum tempus uſque ad adventum Antichriſti. Venerabilis Beda *g*, & Abbas Tuitienſis: CLAVES *mortis & inferni*, referunt ad poteſtatem dimittendi peccata, quę inferni vincula ſunt, *h* & animæ mors; ut hæ ipſæ claves ſint, quas in Euangelio Dominus *i* CLAVES *Regni cœlorum* vocitavit. Unde Rupertus ſic Chriſtum loquentem inducit: *Poteſtatem habeo dimittendi peccata; peccata verò dimittendo, mortem in me credentibus claudo, infernum obſtruo.* Hanc ſuam tantam poteſtatem clavium, non theſaurorum mundi; ſed gratiarum & meritorum ſuorum: non mortis temporalis, & corporalis; ſed animæ, & æternæ; claves inferni, & cœli, tradidit Chriſtus Petro, & Succeſſoribus ejus, dicens: *k Tibi dabo* CLAVES *Regni cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* In quæ verba ſanctus Gregorius, cùm dixiſſet; *l Cunctis Euangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominica, ſancto, & omnium Apoſtolorum Principi Petro, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt*, continuò rationem reddens, ait: *quippe dicitur: tibi dabo* CLAVES *Regni cœlorum. m* Qua traditione ſumma poteſtas tum ordinis, tum juriſdictionis in totam Eccleſiam ſignificatur: hoc enim fine traduntur claves urbium Regibus, & Principibus; nam qui in poteſtate ſua claves habet domus, vel civitatis, illius eſt Dominus, ut ad libitum eam aperiat, vel claudat; quos velit, in eam admittat, vel excludat. Unde Chryſoſtomus: *n Quamvis Petrus homo ſit mortalis; cæleſti tamen pollet poteſtate.*

§. I.

Penes quem, & quanta ſit poteſtas clavium.

HÆc poteſtas clavium penes ſacerdotes eſt, qui, ut bene Hugo Cardinalis, & Chryſoſtomus, *o* CLAVICULARII *ſunt Regni cœlorum*; quam poteſtatem hæretici illudere & elidere conantur. S. Ambroſius lib. 2. Epiſt. 13. ad Marcellinam ſororem ſuā, narrans luctam, quam habuit cum Arianis, qui poſtulabant ſibi tradi claves Baſilicæ Mediolanenſis (cui ipſe præerat Antiſtes) idque juſſu Imperatoris Valentiniani junioris, quem regebat Juſtina mater Ariana: *p Mandatur*, inquit, *trade Baſilicam; reſpondeo, nec mihi fas eſt tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum privati nullo potes jure temerare* (aut cogere, ut tibi claves tradantur) *domum Dei exiſtimas auferendam? ad Imperatorem Palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſiæ: publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum.* Ubi nunc Ambroſii contra temporaneos Dominos, & Toparchas, ſibi claves Eccleſiæ, & jura Paſtorum uſurpantes ac involantes, ut non ſemel comperi. Ambroſium æmulatus Hoſius Epiſcopus Cordubenſis, Præſes concilii Nicæni, Conſtantio Imperatori Ariano, claves Eccleſiæ poſtulanti, conſtanter reſpondit: ipſi deberi claves urbium; claves

g Beda, Rupert. hic. h Apocal. 4. i Matt. 16. v. 19. k Matt. 16. v. 19. l S. Greg. lib. 4. Epiſt. 32. m Cornel. in Matth. 16. v. 16.

n Chryſoſt. hic. o Hugo Cardin. in Matth. c. 23. Chryſoſt. quem citat. q Ambroſ. lib. 2. Epiſt. 13. ad Marcellinam.

verò Eccleſiæ, ſoli Pontifici: *Tibi*, inquit, quibúſq; ab eo poteſtas facta eſſet, *Deus imperium commiſit*; *nobis*, *quæ Eccleſiæ ſunt*, *credidit*. Quin & Calvinus cum ſuis aſſeclis, Arianos ſecutus, *claves* omnibus Epiſcopis, Sacerdotibus, & ipſi Petro, *ligandi*, *atque ſolvendi*, eripere conatus eſt: nam lib. 4. inſtit. c. 6. §. 3. & c. 11. § 1. locum illum Matth. 16. tibi *dabo claves* &c. intelligit de poteſtate evangelizandi, & annuntiandi verbum Dei; cúm tamen hæc poteſtas, & cæteris Apoſtolis, qui de primatu diſputabant, collata ſit: & clavibus non ora, ſed corda referentur. Quare Heterodoxos illos, qui ſic ſacrum textum pervertunt, arguere licet, ut olim Chriſtus Phariſæos, & Legiſperitos: q *Væ vobis Legiſperiti, qui tuliſtis* CLAVEM *ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos qui intrabant, prohibuiſtis*. Ubi, ut Hugo Cardinalis exponit, r perſtringit illos, *qui pravis expoſitionibus aut obſcuris, januam intelligentiæ claudunt auditoribus*: *& ita nec ipſi intrant*, *nec alios ſinunt intrare in Regnum cœlorum*: ſibi enim, ſuíſque perſuadent, penes neminem mortalium eſſe poteſtatem clavium remittendi peccata. Unde in peccatis ſuis morientur; nec agnoſcunt Sacerdotes clavicularios Regni cœlorum; quia pernegant, legitimam *Petro*, ejuſque Succeſſoribus collatam clavium poteſtatem. Contra quos lepidè, & intrepidè religioſus ac glorioſus ille Angliæ Martyr *Richard. Vitus*: ſ cùm à variis in carcere rabulis, hæreſi infectis, circumfunderetur, ac triobolaris è popina miniſtellus vociferaretur ſine fine, uni quidem Petro, à Chriſto datas claves, & ſe claves habere dictitaret; ineptiſſimè furentem, diu toleratum, *Vitus* tandem compeſcuit, ſubridendo dicens: *Neque ego negaverim* CLAVES *tibi concreditas. Sed Petro quidem cœli*; *tibi verò cellæ vinariæ*, ut lingua ſonat, & naſus enormi rubore ſpectandus, rubicundus indicat. His refrigeratus importunus ille diſputator abſceſſit, vim illius reformidans veritatis, cujus luſum ferre non poſſet. Contra ejuſmodi rabulas, militat torrens Sanctorum Patrum, & Doctorum Eccleſiæ; ut mox videbimus. Beatus Petrus Damiani Cardinalis; t *Unus eſt Petrus*, inquit, *quem* NOBILITANT *ſingularis primatus inſignia*, CLAVICULARIUS REGNI; non terreni quale Hiſpaniarum, aut Galliarum; ſed regni illius ampliſſimi, & æterni, *cujus regni non erit finis*. † Summa dignitas aulicorum eſt, geſtare clavem auream: quam geſtant ii, qui regibus & principibus à cubiculis, à ſecretis, & intimi ſunt, quos *Grandes*, ſeu magnates vocamus; qua nil aliud conſequuntur, quàm quod liberum ad regem, hominem mortalem, acceſſum habeant. At poteſtas clavium Petro collata, longè altioris eſt dignitatis, & poteſtatis; quam olim Deus per Vatem præfiguravit, dicens: v *Dabo* CLAVEM *domus David ſuper humerum ejus*; *& aperiet*, *& non erit*, *qui claudat*: *& claudet*, *& non erit*, *qui aperiat*; quæ ſic appoſitè eminentiſſimus Doctor exponit: x *ſicut ad Sanctum*

q Luc. 11. r Hugo Cardin. Luc. 11. ſ P. Ioan. Rho. variæ virtutum hiſt. lib. 7. c. 13. §. 4.

t B. Pet. Damian. Serm. 1. de SS. Petro & Paulo. † dignitas clavium. v Iſaiæ. 22. x Hugo Card. In Iſa. 22. v. 22.

Dio-

Dionyſium, CLAVES ECCLESIÆ SUNT ARGENTEÆ; *ita tunc erat* CLAVIS *templi* (ad ſancta Sanctorum) *aurea: quam ſummus Sacerdos ferebat ſuper humerum, quando erat indutus Pontificalibus indumentis, in ſignum dignitatis.* Quam dignitatem, ac beneficium Petro à Chriſto communicatum, divus Hieronymus *y* pluris æſtimat, quàm quod Abrahamo contulit, dum ſemen ejus, ut ſtellas cœli multiplicandum adpromiſit: *Illi dicitur, ut ſtellæ, erit ſemen tuum; huic dicitur: tibi dabo* CLAVES *Regni Cœlorum. Abrahæ pro filiis claritas monſtratur aſtrorum; ſed Petro traduntur Regna Cœlorum; ut videlicet in ea, ſine Petro, nec filii Abrahæ poſſint intrare.* Quod prudenter expendit Rex Angliæ *Oſuvi*, *z* cùm haberetur diſputatio de celebrando tempore Paſchali (in quo diſcrepabant Angli à Romana Eccleſia) audiviſſétque ſub finem, Petro datas eſſe CLAVES REGNI COELORUM, in eóque pars utraque conveniret: *Et ego vobis dico*, inquit, ſi hic eſt OSTIARIUS ILLE, *contradicere nolo: ſed in quantum novi, & valeo, hujus cupio in omnibus obedire ſtatutis: ne fortè adveniente me ad fores regni cœlorum, non ſit qui reſeret, averſo illo, qui* CLAVES *tenere probatur.* Quare uti omnis, qui extra Eccleſiam eſt, & omnis peccator, qui clavibus Petri peccata non ſubjicit, non poteſt intrare in regnum cœlorum, *averſo illo, qui* CLAVES *tenere probatur*: Ita nemo qui in Eccleſia eſt, & clavibus Petri, quantumvis enormis peccator, ſe ſubjicit, de ſalute ſua & aditu in regnum cœlorum, cujus illi claves commiſſæ ſunt, deſperet. Summa fuit dignitas collata Joſepho, dum in aula Pharaonis factus ſupremus Oeconomus, *domo major*, (z) claves accepit non modò cellæ, ſed & capſæ veſtiariæ, ſupellectilis argenteæ & aureæ, gemmarum, omnium theſaurorum regis: quia conſtituit eũ Dominum domus ſuæ: a *nec quidquam eſt*, inquit, *quod non in mea ſit poſitum poteſtate, vel non tradiderit mihi.* (a) At priuſquam oſtendam, longè ampliorem poteſtatem à Chriſto Petrum accepiſſe, commonendi ſunt ſervi, ancillæ, œconomi, aliique, qui poteſtatem clavium habent, cum Joſepho, rem heri ſui fideliter adminiſtrent. Cui claves cellæ vinariæ concreditæ ſunt, videat num ſibi non indulgeat; ut ancilla illa, quæ ſimulabat ſe ne craſſiorem cereviſiam ferre, à vino abhorrere: Herus qui illam quandoque hilariorem & doliolum ſpe ſua citiùs exhauſtum adverterat, oram poculi fuligine tinxit, & naſum ancillæ, ut è cavea aſcendit, linea notatum deprehendit. 2. invigilent, ne quid negligentia ſua corrumpatur, deperdatur, vas disrumpatur, effluat, aut exſtillet. Qui claves capſæ veſtiariæ, meminerint veſtes expurgandas, excutiendas, ne à tineis conſumantur, & aptè complicatæ reponantur. Quibus claves ſupellectilis argenteæ commiſſæ ſunt, invigilent ſedulò, ut bene aſſervetur, ne quis intrare valeat; à menſa advertant, an omnia numerato habeant, num cochlear argenteum, aut

y Hieron. Epiſt. de vera circumciſione to. 9. Corn. in Matt. c. 16. z Hiſt. Tripartita l. 7. c. 8. Fabri feſto SS. Petri & Pauli. conc. 4.

(z) Poteſtas clavium S. Petro collata: a Gen. 39. v. 9. (a) Digreſſio moralis.

aut fuſcinula deſit. Qui ærarii claves, & capſæ mercatoris claves habet, fideliter poteſtate clavium utatur, ne ſi ludat, debita contrahat, clepat, & ſuffuretur Domino. Paterfamilias ſub noctem claves ad cubiculum deferri curet, ne filii, aut domeſtici clàm evagentur, ne quis ad herilem filiam, aut ancillam aditus pateat: ne hero & hera altùm ſtertentibus, in cella aut angulo compotationes inſtituantur, ut experientiâ ſatis multi edocti ſunt. Et quoniam *b clavis metaphoricè ſumitur*, obſervandum eſt, quemadmodum rotata horologia componuntur, ut ſuo tempore, aptè ſonent, & ſignent horas, ita omnis paterfamilias, & ſuperior, poteſtatem clavis habet, qua tempus ſurgendi, decumbendi, prandendi, cœnandi, laborandi, orandi, ſilendi, loquendi (quam clavem oris appellant) aptè diſponat, & *temperet horas*. Inſuper ut organa, clavicymbala, cantus muſicus, ſuis clavibus diſponuntur, & ordinantur, ut concentus ſit, ita poteſtate ſua ſuperior utatur, ut tam in ſæculari, quam religioſa familia concordia animorum, & virtutum concentus ſit. Denique vobis omnibus tradidit Deus claves omnium bonorum, quæ poſſidetis: habes tu claves cellæ, ciſtæ, horrei, cubiculi, ædium, quandoque in urbe plurium, prædii, &c. eſto fidelis ut Joſeph: ſi quando frumentum aut nummi in pauperes erogandi, horrea & ciſtæ aperiantur, pateant ædes, & prædia peregrinis; ne ſi claves duntaxat aſſervetis, ut omnia arctè obſeretis, non ut aperiatis, uxores ſibi clàm claves effingi curent, heriles filii, aut domeſtici famelici, neceſſitate compulſi, ſeras effringant; aut ut ille canit:

c Abſumat hæres cæcuba dignior

Servata CENTUM CLAVIBUS. Indiarum Apoſtolus S. Franciſcus Xaverius, *d* puellæ egentis, in Sanciano inſula, ut pudori pudicitiæque conſuleret, corrogare ei undique dotem cœpit: Et à Petro Vellio, homine pecunioſiſſimo, vetere familiari mutuum petit argentum centuplicato fœnore in cœlo reddendum. Is cùm alienæ domi ſeſe latrunculis oblectaret, *clavem* arcæ nummulariæ, Xaverio tradidit, ut inde auri promeret, quantum vellet. Erant in ea arca aureorum condita facilè triginta millia: ſed Pater trecentos tantum abſtulit, *clavique reddita* Petro renunciat, quantum inde deprompſerit. Tum Petrus, facis, inquit, injuriam amicitiæ noſtræ, Xaveri, qui tam exiguam particulam abſtuliſti: *e* ego cum tibi *clavem* tradidi, ita deſtinavi animo, ut quindecim millia tibi acciperes, ac totidem mihi relictis, illam auri ſummam ex æquo partiremur. (quamquam reverſus domum Vellius, computu inito, 300 illos aureos, quos Xaverius abſtulerat, in arca repererit) cujus pia liberalitate Xaverius magnopere delectatus: Et ego, inquit, Dei nomine tibi polliceor, nullo loco ejus tibi miſericordiam, qui in alios fuiſti miſericors, defuturam; futurúmque inſuper, ut extremum tuæ vitæ diem, quo para-

S. Thom. cit.

c Horat. lib. 2. Ode. 14. d Orlandin. part. 1. Hiſt. Soc. l. 12. n. 100. e P. Bartoli in vita.

paratior ad Deum abeas, eo præmonente cognoſcas. Ex eo die Petrus alius evaſit, præcipuéque beneficentiæ, pietatíſque ſtudiis ita ſe dedit, ut interjecto annorum aliquot ſpatio, dignus denique, idoneúſque ſit habitus, cui Deus diē ſui obitus denunciaret. Compoſitâ quippe re domeſtica, magnáque ex parte ſuis fortunis in egentes ac miſeros erogatis, ad ædem pergit, Parochum hortatur, ut pro Petro Vellio funebre ſacrificium ritu ſolenni faciat, cui interfuit ipſe, ſe jam numerans inter defunctos. Inde amicis ſingillatim valere juſſis, tanquam peregrè diſceſſurus, cùm rogaretur, quò tandem diſcederet? reſpondit, in cœlum. Jocari, aut inſanire hominem rebantur amici, donec ille gaudium animi, oris hilaritate conteſtans, Xaverii pronuntiationem amicis expoſuit, nec multis pòſt, repentina mors eum abſtulit, & ſuperis adjunxit; tantíque fuit, claves arcæ, pro paupercula, Xaverio credidiſſe, ut iis ſibi cœlum aperuerit. Sed quis eſt hîc, qui ut cœlum ſibi aperiat, pauperi claves fidat? Nunc ut eò revertamur, unde paululum digreſſi ſumus, poteſtas clavium, qua S. Petrus à Domino decoratur, longè illam Joſephi excellit: quia hic claves habuit divitiarum, ac theſaurorum terrenorum; ſed Petrus cœleſtium gratiarum, & *regni cœlorum*: Claves *mortis & vitæ* ſempiternæ. Unde Chryſoſtomus dicit, *f* claves Petro promiſſas, ſignificare maximam poteſtatem, & *donum inæſtimabile*. Magna profectò, miranda, & prædicanda poteſtas, ut in terra Petrus reſidens, adeò protenſum habeat brachium, ut ipſas cœli januas queat reſerare; ut de illo, quod Deus olim Jobo, dici poſſe videatur: *g Si habes brachium ſicut Deus, & ſimili voce tonas, circumda tibi decorem, eſto glorioſus, & in ſublime erigere.* Quàm ſublimis eſt tua, glorioſiſſime Petre, potentia? tanta profectò, ut ea verè tibi congruant *Si habes brachium ſicut Deus.* Ut enim brachium divinum per omnia protenditur, nec ullus eſt locus, quò ejus virtus non pertingat, cœlo, terræ, & inferno dominatur: ſic tuum brachium divina pollens poteſtate, omnia loca pervagatur: terram, oves paſcendo: cœlum, januas aperiendo: infernum, animas eripiendo. Deo ſimilem habes vocem: divina quippe vox illa: *h remittuntur tibi peccata tua:* & hanc tibi poteſtatem concedit remittendi peccata, & eos abſolvendi, qui criminum vinculis detinentur. De hac Petri poteſtate libet Sanctorum Patrum audire Senatum. Chryſoſtomus orator aureus: *i* Claves *regni cœlorum ei conceſſit, totámque poteſtatem ei commiſit.* Sanctus Cyprianus purpuratus ſuo ſanguine martyr, ſic ait: *k Eccleſia, quæ una eſt, ſuper unum, qui* Claves *accepit, voce Domini fundata eſt.* S. Ephiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus: *l In ipſo fundata eſt fides, qui* Claves *accepit regni cœlorum.* S. Hilarius Pictavorum Antiſtes, *Doctor maximus, Eccleſiæ columna*, ſic exclamat: *m O Beatus cœli* Ja-

f S. Chryſoſt. hom. 55. in Matth.

g Vega feſto SS. Petri & Pauli. Iob. 40.
h Luc. 5. *i* Chryſoſt. hom. 83. in Matth.
k S. Cyprian. ad Iubaianum. *l* S. Epiph. in ancorato. Bellarm. de ſcript. Eccleſ.
m S. Hilar. in c. 16. Matth.

NITOR

NITOR, *cujus arbitrio* CLAVES *æterni aditus traduntur.* Beatus Petrus Damiani Cardinalis, S. Petrum vocat *n* COELI CLAVICULARIUM, *cujus lingua facta* CLAVIS *regni cœlorum.* Bernardus Doctor mellifluus: o *Quid Petro potentius, qui* CLAVES *cœli tam ſingulariter accepit, ut præcedat ſententia Petri, ſententiam cœli.* Petrum cœli Janitorem, qui omnibus aperit regna cœlorum, mirabili & amabili viſione experta eſt Beata Maria Ogniacenſis, *p* quæ morbo graviore oppreſſa, animámque jam agebat, cum ei ſe ſpectandum obtulit D. Petrus, CLAVESQUE, *quas gerebat, oſtendens, his, inquit,* CLAVIBUS *tibi cœli januam reſerabo.* Dixit & abiturientem animam excepit, cœlóque induxit. Sed obganniunt hæretici, fateri ſe, Petro quidem claves traditas; verùm non ſucceſſoribus, Epiſcopis, ac Sacerdotibus, ipſique Eccleſiæ. Contra quos in Scarabæo ſuo doctè & diſertè Stengelius noſter ſic arguit: *q* Petro porrò ligandi, & ſolvendi officium, ac in Eccleſia primatum, in ejus ſucceſſores derivatum, ex eo argumentari poſſumus; quod exiſtimandum non eſt, Chriſti voluntatem fuiſſe, ut id munus, tanto magiſterio fundatum, ſimul cum unius hominis vita deficeret, quod ne illo quidem tempore defecit, quo Chriſtus corpore diſcedens à terris, in cœlum aſcendit; ex quo nobis ne morte quidem Petri defuturum indicavit, ſed ad ſucceſſores ejus perventurum, ac tamdiu duraturum, donec & oves paſcendæ reperirentur. Hæc ſolidè & ſolerter, ut ſolet, probat Auguſtinus, Petro non tantum datas eſſe claves cœlorum, ſed & ſucceſſoribus, atque inter cætera, hæc ait: *r ſi enim Petro tantum dictum eſt, tibi dabo* CLAVES *regni cœlorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, non facit hoc Eccleſia; ſi autem & in Eccleſia fit, ut quæ in terra ligantur, in cœlo ligentur: & quæ ſolvuntur in terra, ſolvantur in cœlo (quia cum excommunicat Eccleſia, in cœlo ligatur excommunicatus: cùm reconciliatur ab Eccleſia, in cœlo ſolvitur reconciliatus) ſi ergo in Eccleſia fit, Petrus quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit.* Idem cont. Epiſt. fund. c. 3. *tenet me, s* inquit, *in Eccleſia, ab ipſa Petri ſede, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* Nervoſum & illud Epiſtolâ ad Generoſum *t Si enim Ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certiùs, & verè ab ipſo Petro numeravi, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti, Dominus ait: ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non vincent eam; Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariſtus,* &c. Vultis poſt Africanum, aureum Chryſoſtomi audire oraculum? *u Quanam,* inquit, *de cauſa* (Chriſtus) *ſanguinem effudit ſuum? certè ut oves acquireret, quas tum Petro, tum ſucceſſoribus Petri gubernandas in manus tradidit: jure igitur, ac meri-*

n Pet. Damian. Ser. 1. de S. Ioanne.
o S. Bern. Serm 1. de SS. Petro & Paulo.
p Surius in vita. q Stengelii Scarabæus. Panvinius de primatu Petri in fine.

r Aug. tract. 50. in expoſ. Ioan. ſ Auguſt. contra epiſt. fundam. c. 4. t Idem Epiſt. 165. ad Generoſum. u Chryſoſt. lib. 2. de ſacerd. c. 1.

ſic loquebatur Chriſtus: Quiſnam fidelis ſervus, & prudens, quem Dominus ſuper familiam ſuam conſtituit? Quæ profectò miſera familia, & errabundæ, ac perditæ oves, ſi Petro tutore, & paſtore ſublato, nullum ei ſucceſſorem, ac Chriſti vicarium habuiſſent; de quo ne cui dubium relinquatur, juvat Summorum Pontificum ex infallibili Petri cathedrâ prolata audire effata. Sanctiſſimus Dominus Pelagius Papa II. contra Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum canone 2. *Quidquid*, inquit, *ſtatuiſtis, ex auctoritate S. Petri, Apoſtolorum Principis, & Domini Salvatoris voce, qua Beato Petro poteſtatem ſolvendi, & ligandi, ipſe Salvator dedit, quæ etiam poteſtas in ſucceſſorem ejus (non in ullum alium) indubitanter tranſivit, caſſamus & annullamus.* In eundem ſenſum Adrianus Papa, Conſtantino, & Irene Auguſtis, & Synodo Nicæna VII. *Beatus Petrus*, inquit, *Apoſtolorum princeps, ſui Apoſtolatus principatum ſucceſſoribus ſuis, qui in ſua ſanctiſſima ſede ſucceſſerunt, perenniter dereliquit: Quibus & auctoritatis poteſtatem, quemadmodum à Salvatore noſtro ei conceſſa eſt, ipſe tradidit divino juſſu ſucceſſoribus ſuis.* Ex quibus omnibus rectè patet, ut docet Suarez *x*, quod promiſſio fit Petro tanquam capiti, tamen per illum derivanda erat, ſeu communicanda poteſtas aliis Sacerdotibus. Ut pluribus illic, & apud Bellarminum, alióſque videre eſt.

x Suarez to. 3. in 3. part. quæſt. 90. diſp. 16. ſect. 1. aſſert. 1.

§. II.

DUAS CLAVES *Sacerdotibus neceſſarias, ut à peccatis abſolvant.* (x)

HÆc poteſtas Eccleſiaſtica *remittendi, & retinendi peccata*, METAPHORICE, inquit Sanctus Thomas, *y* CLAVIS *Eccleſiæ dicitur*: in corporalibus enim dicitur CLAVIS *inſtrumentum, quo oſtium aperitur; regni autem oſtium nobis clauditur per peccatũ, & quantum ad maculam, & quantum reatum pœnæ; & ideo poteſtas, qua tale obſtaculum Regni removetur, dicitur* CLAVIS. Quæ tamen poteſtas claudendi, & aperiendi, cum una ſit, non poſſunt rectè dici duæ claves: *Nam una, & eadem* CLAVIS *materialis*, inquit Suarez, *ad utrumque actum deſervire ſolet.* Aliter ergo Theologi diſtinguere ſolent in hac poteſtate, CLAVEM ORDINIS & JURISDICTIONIS. Quod primam ſpectat: duplicem diſtinguunt poteſtatem ordinis: unam ſuper caput Chriſti verum; & illa eſt, quam Sacerdotes habent, ad conſecrandum: alia eſt ſuper Corpus Chriſti myſticum, & hæc eſt poteſtas remittendi, & retinendi peccata, ligandi atque ſolvendi à cenſuris aliiſque impedimentis. Hanc autem Sacerdotibus conferri in ordinatione ſacerdotali docuit Joannes XXII. in Extravagat. & Tridentinum ſeſſ. 14. c. 6. & can 10. ſeſſione 23. c. 1. Ubi docet, ſacerdotibus duplicem in ordinatione ſua con-

(x) Claves ordinis & jurisdionis.
y S. Thom. in 4. diſt. 18, art. 1. z Suarez, cit. diſ. 16. ſec. 4, aſſert. 2. Idem diſp. 17. ſec. 3.

ferri poteſtatem, ſcilicet conſecrandi, & ligandi, ac ſolvendi. Qua de cauſa ordinantur per illa verba: b *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata* &c. Sed hæc poteſtas ordinis, ſine poteſtate juriſdictionis, nulla eſt: quia abſolutio data à Sacerdote, carente jurisdictione, per ſe nulla eſt, tanquam ſententia data à non judice; & ratio clara eſt, quia hæc poteſtas judiciaria eſt, ut rectè Hieronymus: c *Sacerdotes habentes* CLAVES *ante diem judicii judicant. d* Omne autem judicium, ut validum ſit, requirit juriſdictionem; & confirmatur: Nam dicta poteſtas Ordinis, non tantum eſt ad ſolvendum; ſed etiam ad ligandum: in quo verbo includitur etiam poteſtas ad obligandum; nemo autem poteſt obligare niſi ſubditum: unde Auguſtinus explicans claves, dicit *e* illas eſſe in præpoſitis Eccleſiæ circa ſubditos, citans illud Pauli: f *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* Quæ omnia manifeſta ſunt in Concilio Florentino, *g* miniſtrum hujus Sacramenti eſſe ſacerdotem, *habentem auctoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris.* Et ex Concilio Tridentino: *h* abſolutionem illam nullam eſſe, quam ſacerdos in eum profert, in *quem ordinariam, aut delegatam non habet juriſdictionem*; quæ moraliter datur per extrinſecam conceſſionem, aut alicujus Eccleſiaſtici muneris collationem, per quam aliquis Paſtor, vel ſuperior aliorum conſtituitur; alii verò ejus ſubditi efficiuntur. Ideo poteſtas hęc extra Sacramentum ordinis datur; ut tradit D. Thomas 22 439 a. 3 & 4. Bonaventura in 4. art. 341. Soto Ledeſma &c.

(*h*) Unum tamen hic, quod momenti ſummi eſt, obſervandum; quemlibet ſacerdotem non approbatum, etiam imperitum, improbum, hæreticum, irregularem, in articulo mortis, ab omnibus peccatis etiam reſervatis, & quibuslibet cenſuris abſolvere poſſe. v.g. excommunicatum, degradatum, hæreticum &c. patet ex illo Tridentini: i *Cuſtoditum in Eccleſia Dei, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atq; ideò omnes Sacerdotes, quoſlibet pœnitentes, à quibuſcumque peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt.* Cujus ſcientiæ defectu, novi quoſdam jacturam ſalutis æternæ feciſſe, dum ſacerdos obvius ad moribundum vocatus, & in tempeſtate periclitantibus, ſibi poteſtatem abſolvendi eſſe negavit. *k* Articulus autem mortis, intelligitur tempus, quod affert probabile periculum mortis, ut eſt partus, pręlium, longa navigatio, damnatio ad triremes, ubi per plures annos non ſperatur opportunitas fore Confeſſarii. Idem dicendum de captivis apud infideles, quia illic neceſſitas moraliter extrema, cùm ante mortem non ſperetur alius ſacerdos idoneus. Sic ſentiunt de proſcripto, ſeu Bannito, qui impunè ubique poteſt occidi, & de damnatis ultimo ſupplicio. De quibus vide Dicaſtillo, tom. 2. de pœnitentia tract. 8. diſp. 10. dub. 13. & 14.

b Ioan. 20. c Hier. Epiſt. 1. d Suarez cit. n. 4. e Auguſt. de civit. lib. 20. f 1. Cor. 5. g Conc. Florent. h Trident. ſeſſ. 14 c. 7.

(h) In articulo mortis, quilibet Sacerdos abſolvere poteſt. i Trid. ſeſſ. 14 c. 7. k Lugo Dicaſtillio. Leſſius, Suarez Sanchez n.

Sua-

Suarez, Sanchez, Lugo, Mendoſa, alioſque, quos citat.

Articulum, & periculum mortis, pro eodem uſurpari, deducitur ex jure Canonico *in c. eos qui de ſentent. excomm. in* 6. ubi id ipſum, quod in principio dicitur articulus mortis, poſtea appellatur mortis periculum: moraliter enim pro eodem reputantur. An etiam proprio Sacerdote præſente, quivis alius validè, & licitè in eo articulo poſſit, conſulendus D. Thomas, *l* qui docet peccare Prælatum, aut Paſtorem, qui difficilis eſt in danda licentia alteri, quàm ordinario confitenti: *multi etenim ſunt adeò infirmi, quod potius ſine confeſſione morerentur, quàm tali ſacerdoti confiterentur. Unde illi qui ſunt nimis ſolliciti, ut conſcientias ſubditorum per confeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per conſequens ſibi ipſis.* Cúmque Tridentinum ſine reſtrictione dicat, *omnes ſacerdotes*, docent graves Theologi, *m* ſacerdotem proprium peccare, ſi eum qui in ejuſmodi periculo verſatur, impedit, ne confiteatur ſacerdoti non proprio. Sic etenim argumentantur: hæc propoſitio eſt vera Tridentini: *nulla eſt reſervatio in articulo mortis*; ergo ejus contradictoria eſt falſa, ſcilicet: *aliqua eſt reſervatio in articulo mortis*; ſed hæc aſſeritur à contraria ſententia; ergo aſſeritur falſum. Quod hæc aſſeratur, probatur: nam aſſeritur, quod præſente Sacerdote, cui aliàs erat reſervata abſolutio, non poſſit ab alio abſolvi in articulo mortis; ſed hæc eſt verè, & propriè aliqua reſervatio: ergo aſſeritur aliqua reſervatio in articulo mortis ab adverſariis, quæ eſt propoſitio contradictoria Tridentino. Etſi, ubi gravis ratio non urget, alii Doctores contrariam probationem tradant. Hęc eò conferunt, ut pœnitentes in articulo mortis, ſi ordinarius ad manum non ſit, ſciant, quemvis vicinum ſe accire poſſe, aut præſentem in tempeſtate abſolvere poſſe, ne periculū perdendæ animæ incurrant.

Magiſter Sententiarum geminas claves ſic definit: *n*

Duæ CLAVES *iſtæ, non corporales ſed ſpirituales vocantur, diſcernendi ſcientia, & potentia judicandi, id eſt, ligandi, atque ſolvendi, qua dignos recipere, indignos debet excludere à Regno Eccleſiaſticus Judex.* (n) Et hę ſunt CLAVES *ſcientiæ, & potentiæ.* Quæ diſtinctio ſolet maximè accommodari ad univerſalem poteſtatem ſpiritualem, quæ eſt in Eccleſia: *o* & ſic *clavis ſcientiæ* dicitur in ſummo Pontifice poteſtas illa, quam habet ad definiendas veritates fidei, & interpretandum ſacram Scripturam: nam illa etiam clavis dici poteſt Regni cœlorum, vel quia fides eſt fundamentum viæ, & tendentiæ ad Regnum cœlorum; vel quia ipſa Scriptura ſacra ſolet aliquando Regnum cœlorum appellari, ut Matth. 21. Hieronymus, & Origenes teſtantur. Alio verò modo, *Regnum cœlorum* ſolet ſignificare Eccleſiam militantem, ut paſſim eſt in Evangelio; & hoc modo poteſtas ſpiritualis data à Chriſto, ad regendam Eccleſiam, &

l S. Thom. in 4. diſt. 17. q. 3. ad [illegible]tum. m Navarrus Sa Ledeſma Henriquez &c. Apud Dicaſtill. cit. dub. 14. n. 370.

n Magiſter ſent. in 4. diſt. 18. q. 1. (n) Claves ſcientiæ & potentiæ. o Suarez Tom. 4, in 3. part. diſp. 16. ſect. 4. aſſert. 2.

cipiendi intra illam, vel ſeparandi ab illa, quos oportuerit, clavium nomine ſignificari poteſt. Ut videre eſt in SS. Patribus apud Suarez cit. Quod ad propoſitum ſpectat, alia diviſio accommodatur ad poteſtatem dimittendi, & retinendi peccata; in cujus actu vel uſu, duo expendenda ſunt: unum eſt cognitio cauſæ; aliud eſt ſententiæ prolatio. Et ſecundum priorem rationem, vocatur *clavis ſcientiæ*: ſecundum poſteriorem, *clavis potentiæ*. (o) Primò, quod ſpectat *clavem ſcientiæ*, non eſt hæc ſcientia privata, quæ requiritur in confeſſario: illa enim non eſt poteſtas. Unde eſſe poteſt in eo, qui claves non habet; ſed eſt poteſtas & auctoritas ad examinandum conſcientiam pœnitentis, & interrogandum juridicè in illo foro, ita ut ille teneatur veritatem fateri. Scientia ſufficiens, & proportionata tanto muneri neceſſaria, in confeſſario requiritur, *p* ut rectè & juſtè exerceat hoc munus, & conſequenter ut licitè ei hęc juriſdictio committatur, & in confeſſarium eligatur: in quo conveniunt omnes Doctores, & evidens eſt: quia nullus poteſt licitè judicium exercere in aliqua cauſa gravi, neque ad hoc munus juſtè deputari, aut eligi, niſi habeat ſcientiam proportionatam ad ferendum æquum judicium: quia aliàs exponit ſe evidenti periculo errandi; ergo multò magis in hoc judicio id neceſſarium eſt: nam eſt graviſſimum, & de re valde difficili, & obſcura, ſcilicet conſcientia hominis, in qua etiam error eſſe poteſt majoris periculi, & incommodi. Atque ideo ſacra Tridentini Synodus decernit, q *nullum etiam regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem obtineat.* Scientiam enim poſtulat pro ſuo munere Judex, Doctor, Medicus, Paſtor, quorum omnium perſonam ſuſtinet confeſſarius, ut docet Lugo, Coninch, Navarrus apud Dicaſtillo cit. tract. 8. diſp. 10. dub. 12. Ratio eſt: quia judicare debet de ſtatu pœnitentis, ut congruam delictis medicinalem pœnitentiam imponat, ut diſcernat an diſpoſitus, an dignus abſolutione, nullis cenſuris adſtrictus, an pravam conſuetudinem vincere, an occaſiones proximas vitare, concubinam dimittere, inveterata odia deponere, & reſtitutionem facere paratus ſit. Unde poteſtas clavium, ſic definiri ſolet ex decreto Joannis XXII. *Eſt poteſtas, qua Judex Eccleſiaſticus dignos admittere valet ad Regnum cœlorum, & repellere indignos*; quos inter diſcernere non poteſt, qui debitâ ſcientiâ inſtructus non eſt. Unde S. Thomas: r *Dicendum, quod in omni actu, qui requirit idoneitatem ex parte recipientis, duo ſunt neceſſaria ei, qui debet actum illum exercere, ſcilicet judicium de idoneitate recipientis, & expletio actus; & ideo etiam in actu juſtitiæ, per quem redditur alicui hoc, quo dignus eſt, oportet eſſe judicium, quo diſcernatur, an ille ſit dignus.* Quæ autem confeſſarium ſcire neceſſe ſit, fusè tradi

(o) Quid clavis ſcientiæ, & quæ confeſſario neceſſaria. p Suarez cit. diſp. 28. ſect. 2.

q Trident. ſeſſ. 23. de Reform. r D. Thom. in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 1. ad quæſtionem.

ſ Lu

f Lugo, Marchantius, Suarez, Dicaſtillio, nec vos concernit. Alterum eſt, licet ſacerdos debitâ ſcientiâ non inſtructus, confeſſionem excipiens, peccet mortaliter; pœnitentes tamen validè & licitè cuilibet expoſito, & approbato confitentur, & abſolutionem accipiunt. Incômoda tamen eximperitis confeſſariis non pauca, neclevia oriuntur: quod parva peccata, graviora ducant: graviora, minima: enormes pœnitentias, etiam quæ domeſticis innoteſcere poſſent, imponant: relapſis cum ingenti dolore, & propoſito firmo pœnitentibus, abſolutionem negant: reſtitutionem, ubi obligatio non eſt, faciendam præſcribunt. Quo ſcio, plures ob reſtitutionem, cum omnium bonorum jacturâ impoſitam, etiam ſalutis facturos fuiſſe, niſi in peritos alios confeſſarios incidiſſent: qui re bene intellecta, nullam obligationem eſſe, manifeſtò declarabant; aliáque innumera, quæ ut evitentur, peritos ac prudentes viros vobis in confeſſarios deligite. Exemplo ſit ſanctiſſima, ac ſapientiſſima virgo Thereſia: *t* quæ, etſi nullum totâ vitâ ſuâ prorſus peccatum mortale admiſerit, & baptiſmi gratiam inviolatam conſervaverit, teſte Didaco Jepeſio Archiepiſcopo Fariaſonenſi, ejus Confeſſario; tamen hæc puriſſima anima vidit, Deo ipſo revelante, præparatum ſibi in inferno locum, ut ipſamet ſcribit in vita ſua cap. 33. cujus rei cauſa, nulla alia eſſe poteſt, quàm contemptus quorundam venialium peccatorum, quibus initio ſpiritualis vitæ erat dedita; quæ ſi, uti cœperat, continuâſſet (decepta à quibuſdam ignaris rerum confeſſariis; nullum ob ea ſcrupulum injicientibus) delapſa fuiſſet in mortalia, & ad illum in inferno locum ſibi divinitus oſtenſum, perveniſſet. Ideo deſcribens poſtea hunc ſuum errorem, ſcilicet parvi faciendi quædam venialia (quę quidam rudes confeſſarii ei dicebant non eſſe peccata, ſic in vita ſua ſcribit cap. 5. *Manſi in hac cæcitate, credo plus quàm ſeptemdecim annis: donec quidam Pater Dominicanus valde doctus mihi aperuit oculos in aliquibus rebus: & illi ex Societate* JESU *totaliter mihi incuſſerunt tantum timorem, aggravando adeò mea mala principia, ſicut poſtea dicam.* Imò plus nocere poteſt confeſſarius indoctus, quàm pravus, cujus malitia tibi non oberit, ſi tu probus ſis, nec prudens ac ſciens ſeduci velis; ſed inſcitia ipſius, etiam inſcium ſeducere poteſt. Unde eadem Seraphica ſanctorum virorum ac virginum mater, hocce monitum ſæpius inculcat in ſuis libris, à ſe divino lumine conſcriptis, & ut Sedes Apoſtolica declaravit, *doctrinam cæleſtem* continentibus: *v* potius recurrendum eſſe ad illum Patrem ſpiritualem, qui doctus, & in hoc genere peritus ſit, etiamſi vitæ integritate non ſplendeat; quàm ad aliquem virum ſanctum; ſed rudem, & in rebus ſpiritualibus minus verſatum. Solertiſſimum in eo dæmonis ſtudium eſt, ut quos aut ſemel, aut ſæpius in

f Lugo diſp. 21. n. 70. Suarez diſp. 8. ſect. 2. Marchant. Tribunal. de ſacramentis, tract. 2. tit. 5. qu. 3. concl. 1. t Didacus Iepeſ. in vita lib. 3. cap. 1. Lancic. opuſc. 10. cap. 1. n. 33.

v Ribadin. lib. 5. c. 10. vitæ. Lancici. opuſc. 12. cap. 1.

ſcelera graviora induxit, eoſdem quoque, cùm expiari rurſus volunt, inducat, ut non alios niſi aut rudes, aut laxos confeſſarios ſibi deligant, ut ſequens hiſtoria declarabit.

Erat ita nuper in Belgio *x* perſuaſa mulier ruſticana, enormis, diuturni, ac inveterati criminis aculeis agitata. Hæc magno deſiderio exarſerat, animi ſui ſarcinam apud deſtinati ordinis religioſum ſacerdotem quemdam ponere. Illius cauſa Tornacum venit: ibi ei confeſſarius ſuaſit, ut mentis oculis in decurſæ hactenus vitæ noxas converſis, unâ omnes confeſſione expiaret. Quod dum apparat, non latuit incentorem, ſociúmque ſceleris diabolum. Denuntiat ille, caveat etiam atque etiam illius ordinis hominibus, animi ſui latebras committere: poſſe, ſe auctore, quemlibet mentis arbitrum, deligere ſibi, modò deſtinati illius ordinis nullum. Suſpectam mulieri ſuaſionem reddidit conſcia mens; divinúſque radius; nutabundam tamen anno propemodum integro cacodæmon tenuit. Illa tandem meliori ſpiritu, fortior in iter ſe dat; occurrens dæmon proficiſcenti, in habitu ſpeciéque ſacerdotis, quem ipſa quæritabat, quò, inquit properas mulier? mihi confeſſionem tuam excipere per occupationes non licet, revertere: aliàs confitebere. Secundò profectionem ineunti, ſecundò pſeudoconfeſſarius infelici impoſuit. Illuſtrata tandem divini ſpiritus luce, pervicit veternoſi ſerpentis artes, ſacerdotémque illum, ſibi à dæmone vetitum, anno jam vertente nacta, animum denique integrum non ſine frequenti gemitu expoſuit. Tum ſubdit auctor: *Viden' à dæmonis conſilio, ac artibus proficiſci flagitioſorum quorundam conſuetudinem; qua conſcientiæ ſuæ non niſi* RUDES TORPENTESque *arbitros quærunt.*

Quæ eſt iſta veſania, & inſania, in morbis corporis peritiſſimos medicos adhibere, & undique conquirere; in periculis animæ, ſe rudibus & imperitis committere? quibus medicinæ loco ſerviet ſaluberrimum graviſſimi Doctoris monitum: *y Qui confiteri vult peccata, ut inveniat gratiam, quærat* SACERDOTEM SCIENTEM *ligare, & ſolvere, ne cùm negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo, qui eum miſericorditer monet, & petit, ne ambo in foveam cadant, quam ſtultus evitare noluit.*

Qui ſibi, ut mantellum peccatis prætexat, imperitum animæ medicum quærit & adſciſcit, ſibi illudit, & certum exitium acceſſit: quia Deus non irridetur. Manifeſtum id vobis reddet recens & quidem tragicus eventus: *z* obſtinatam fæminam, quod inhoneſtè viveret, cùm religioſus ſacerdos quiſpiam à confeſſionibus removiſſet, donec publicam offenſionem, & ſcandalum ſuſtuliſſet, ridere illa & jocari cœpit; & indocto, neſcio cui, ſacerdoti confeſſa, palàm in circulis jactare, paſſam ſe quidem repulſam à religioſo uno ſacerdote; ſed longè prudentiorem confeſſarium nactam eſſe. Haud impunè ceſſit impudenti. Nam cùm pau-

x Hiſt. Belg. Soc. Anno 1589. Mancinus de paſſione Chriſti, lib. 8. diſſert. 1. puncto 2. moral. doct. 2. pag. 541.

y Aug. de vera & falſa pœnit. c. 10

z Hiſtor. Franciæ An. 1603. Mancinus ibid. cit.

paulò pòſt ad menſam Domini accederet, ſacroſancta Euchariſtia dum ori impuriſſimo admovenda eſſet, ter è ſacerdotis manibus elapſa in terram decidit. Digitum Dei agnovêre non pauci; ejuſque miraculi adhuc recentis An. 1603. memoria, hoc ipſo anno permultos compulit, ad ſacram confeſſionem, apud rudes & imperitos inſtitutam, ritè peragendam. Atque hæc dicta ſint ſatis *de clavi ſcientiæ.*

Altera eſt *clavis potentiæ*, ſacerdotibus tradita dimittendi peccata, non mortalis artificis aptata manu, ſed allata è cœlo, data à Chriſto: *Quorum remiſeritis peccata*, &c. De qua D. Auguſtinus: CLAVIS dicenda eſt, *quâ peccatorum corda reſerantur, mentis ſecreta panduntur, & quidquid intrinſecus clauſum tenetur, in palàm rationali manifeſtatione producitur*: CLAVIS *inquam eſt, quæ conſcientiam ad* CONFESSIONEM PECCATI APERIT, *& gratiam ad æternitatem myſterii ſalutaris includit.* Hæc poteſtas, & Angelorum, & Deiparæ tranſcendit poteſtatem. Hæc poteſtas mortalibus peſſimis à benigniſſimo Redemptore facta, tanta gratia eſt, ut ſi quæſtio inſtituatur, *a* inter omnia Sacramenta, per quod plures ſalventur; alii per baptiſmum, quo tot parvuli innocentes moriuntur: nonnulli per matrimonium, ſine quo innumeri damnandi: complures aſſerent, per SS. Euchariſtiam, quæ eſt panis vitæ; ſed cùm per baptiſmum pauciſſimi primam gratiam ſervent: in matrimonio plures non tantum adulteri; ſed in alia mortalia relabantur: de Euchariſtiæ ſacramento, nemo niſi in gratia participet; ſequitur, cùm homo toties relabatur, nullo alio gratiarum fonte plures ad perennem vitæ fontem pervenire. Quod inæſtimabile beneficium ex eo ponderandum eſt: ſi amabilis Salvator noſter vel ſemel eam homini, quem tam charo redemerat, gratiam feciſſet, ut ſi poſt primam innocentiam in baptiſmo acceptam, ſemel relapſus fuiſſet, pro iſta una vice abſolvi, & hæres Regni cœleſtis fieri potuiſſet, quanti hoc beneficium à nobis æſtimandum non eſſet? id ex eo colligere eſt; quod ſi Angelis apoſtatis conceſſum fuiſſet; omnes omnium anachoretarum, cœnobitarum, & martyrum auſteritates, & tormenta libenter ſubiiſſent. Nunc verò quis animo complectatur, quis attenta conſideratione, & meditatione, unquam pro dignitate expendit, & ponderavit, adeò immenſam illam benigniſſimi Redemptoris noſtri bonitatem, infirmitati mortalium ſeſe attemperâſſe, & indulſiſſe, ut quantumvis gravem ſibi injuriam, & ſepties, & pluſquā ſepties, & decies ſepties, & milleſies intuliſſent, per ſinceram confeſſionem, in gratiam, & filios Dei, ac hæredes Regni ſui reciperet. *b* Hinc magno graviſſimis peccatoribus ſolatio, nullū peccatum eſſe irremiſſibile. Finge hominem eundem furem, adulterum, latronem, parricidam, blaſphemum, ſacrilegum, necromanticum, & quidquid ſcelerum ab orbe condito huc uſque ab hominibus, & dæmonibus perpetratum eſt, ab uno admiſſum eſ-

a Per nullum ſacramentum plures ſalvari, quàm per confeſſionem.

b Poteſtati clavium, nullum peccatum irremiſſibile.

ſe; his omnibus, ſi ſupplex & pœnitens ad pedes ſacerdotis, qui claves ligandi atque ſolvendi habet, provolutus fuerit, abſolvitur. Unde D.Chryſoſtomus ſic peccatorem animat graviſſimis peccatorum vinculis conſtrictum: c *Cave dicas, iis tantum veniæ locum concedi, qui modicè deliquerunt: nam finge, ſi lubet, aliquem univerſa malitia redundantem, & patráſſe omnia, quæ à Regno excludunt; is, ut demus, non ſit extra fidem: ſed fidelis aliquando fuerit, acceptúſque Deo; poſtea verò factus ſcortator, adulter, mollis, pædico, fur, ebrius, calumniator, aliáque id genus flagitia committat; equidem illi non ero deſperandi auctor, neque ſi perſeveraverit* 30. 50. 80. *annis, ad extremam uſque ſenectam cum infandis illis, maximíſque flagitiis.* Quod ſolidiſſimè probat D. Angelicus, impiam ac ſacrilegā Novatianorum hæreſim inſectatus. *d* Venerat Romam Novatus Epiſc. Africanus, cùm in S. Pontificem electus eſſet D. Cornelius: & invenit quendam presbyterum Novatianum, qui eruditionis ſingularis opinionem apud omnes obtinebat; ſed eo ſuperbiæ, & ambitionis typho inflatus erat, ut è cathedra deturbare Pontificem Cornelium niteretur, & ſe per fas & nefas intrudere. Huic ſe Novatus adjunxit ſocium, utque Cornelii ſanctitati detraherent, & turbas concitarent, hoc illi primum objecerunt: quod contra honorem Chriſti, eos, qui ab Eccleſia defecerant pœnitentes, in gratiam reciperet. Hujus tam ſacrilegæ doctrinæ plures ſibi aſſeclas adjunxerunt, quos Novatianos, ſeu Catharos, id eſt mundos vocitabant, quia prædicabant ad ſalutem obtinendam, neceſſarium eſſe homini, acceptam in baptiſmo fidem, ac primam innocentiæ ſtolam, integram inviolatàmque ſervandam; nec relapſis ſpem ullam eſſe veniæ, aut remiſſionis, aliáque non minus abſurda deblaterabant: peccata quædam adeò enormia eſſe, ut remitti non poſſint. In hos, ſic S. Thomas: e *Dicendum quod circa pœnitentiam quidam erraverunt, dicentes non poſſe hominem per pœnitentiam ſecundò conſequi veniam peccatorum: Quorum quidam, ſcilicet Novatiani hoc in tantum extenderunt, ut dicerent, poſt primam pœnitentiam, quæ agitur in baptiſmo, peccantem non poſſe per pœnitentiam, quæ agitur in baptiſmo, iteratò reſtitui. Alii verò fuerunt hæretici (ut Auguſtinus dicit)* f *qui poſt baptiſmum dicebant utilem pœnitentiam; non tamen pluries, ſed ſemel tantùm: putabant enim adeò grave eſſe peccatum, quod aliquis committit poſt veniam impetratam, quod non ſit poſſibile ipſum remitti. In quo quidem errabant ex parte peccati (quod etiam poſt remiſſionem conſecutam, poteſt eſſe & gravius, & levius, quàm fuerit primum peccatum remiſſum) & multò magis contra infinitatem divinæ miſericordiæ, quæ ſuperat omnem numerum, & magnitudinem peccatorum, ſecundum illud pſalmi* 50. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Ita per Ezechielem divina bonitas conteſtatur: g *Si autem impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis ſuis,*

c Chryſoſt. hom. 10. de pœnit. d Lanuza hom. 18. §. 3.

e S.Thom. 3. part. q. 84. art. 10. f Aug. lib. de vera & falſa pœnit c. 5. tom. 4. g Ezech. 18. v. 21.

vitâ

vitâ vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. Et per Sapientem: h *diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens eis*, aliiſque innumeris ſcripturæ locis. Unde rectè concludit S. Doctor: i *manifeſtum eſt, quod pœnitentia pluries eſt iterabilis*; nullum peccatum eſſe irremiſſibile, ſeu ſeram ita clauſam, quæ clavibus pœnitentiæ non pandatur. *Quare rectè reprobatur verbum Cain, dicentis*: k *major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear: quia miſericordia Dei peccantibus, per pœnitentiam veniam præbet abſque ullo termino, ut dicitur 2. paralipom. ult. immenſa & inveſtigabilis miſericordia promiſſionis, ſuper malitiam hominum.* Nullus itaque hic Cain aſſiſtat, qui blaſphema voce clamet: *major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Quod eſt dicere: majora ſunt ſcelera mea, & malitia mea, quam *immenſa, & inveſtigabilis miſericordia* ejus: quam *multitudo* omnium *miſerationum* Dei, quas in graviſſimos & innumeros peccatores oſtendit. Audiant hi, qui tam amaro animo ſunt, & in viam Cain abierunt, mellifluam divi Bernardi paræneſim: l *major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear; abſit, abſit: major enim eſt ejus pietas, quàm quævis iniquitas.* Major eſt injuſtitia mea, luxuria mea, inceſtus meus, ſacrilegium meum, veneficium meum &c. *quàm ut veniam merear: abſit, abſit.* quia major, & infinities *major eſt ejus pietas, quàm quævis iniquitas.* Maneat itaque animis veſtris hoc altè impreſſum, nullum peccatum irremiſſibile eſſe; idque adeò infallibile, ut contrarium ex mente D. Thomæ erroneum ſit: m *Dicere quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt: quia repugnat divinæ miſericordiæ, de qua dicitur Joelis 2. quod benignus, & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Secundò, hoc derogaret virtuti paſſionis Chriſti: Ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non ſolùm noſtris, ſed etiam totius mundi. Unde ſimpliciter dicendum eſt, quod omne peccatum in hac vita, per pœnitentiam veram deleri poteſt; aliàs non reſipiſcentia non poſſet ulli imputari.* Ad illud autem quod novatores objiciunt; *Impoſſibile, eos, qui ſemel illuminati ſunt & prolapſi, rurſus renovari ad pœnitentiam*: reſpondet ad 2. n *ſcilicet de facili* remitti non poſſe: ſicut *dicitur, non poſſe ſanari, qui non poteſt de facili ſanari; poteſt tamen id fieri per divinæ gratiæ virtutem*; o & ſic juxta Ariſtotelem l. 7. Eth. *impoſſibile dicitur, quod vix fieri queat*: Vel peccatum in Spiritum ſanctum, *dicitur finalis impœnitentia.* Hæc qui prolixius tractare voluerit, conſulat Lanuza hom. 18. §. 3. Deaponte in Matth. c. 12. Fernandez in Gen. c. 4. ſect. 15. Fornerum in miſerere. conc. 18. 19. 20. Lucem Euang. part. 2. Dom. 2. poſt Paſcha, &c.

Ex hactenus dictis patet, quanta & quàm divina ſit poteſtas clavium, ut jure illud uſurpare poſſim:

Hoc verbum ABSOLVO, *quoties vel mente revolvo,*
Te ſolvendo reū, ſuſpicor eſſe Deū.

h Sap. 11. v. 24. i S. Thom. cit. k Gen. 4. S. Thom. ibid. l Bern. ſerm. 11. in cant.

m S. Thom. 3. part. q. 86. a. 1. n S. Thom. cit. o 22. q. 14. art. 3.

Nulla eſt majeſtas, in terris nulla poteſtas,
Quæ valet hos nodos ſolvere, ſcitque modos.

Quíque ea valet, dicere poteſt:

'Ken raeck u niet, nochtans myn handt,
ontbindt u van den ſterckſten bant.
Ich ſluiit die Hell: en s'Hemels poort,
ontſluiit ich vor u, met een vvordt.

Quid, quod moribundis ſolo ſigno dato, aut etiam ſenſibus deſtitutis, ſi prævié confiteri, vel abſolvi petierint verbo unico, poteſtate clavium, cœlum aperire poſſunt, qui alias ęterno flammarũ ergaſtulo erant mancipandi. Quo in articulo, quibus animarum cura incumbit, levis negligentia, parva mora in negotio, convivio, in ſtrato, gravis & lethalis noxa eſt, ſi non ſolum cum manifeſta jactura; ſed vel cum periculo animæ fit: In quos ſevera illa, quam Chriſtus Phariſæis interminatus eſt, cenſura quadrat: p *Væ vobis, qui tuliſtis clavem: ipſi non introiſtis* (per negligentiam, & ſocordiam excluſi) *eos verò qui intrare poterant, prohibuiſtis.* Exſtimulet hos, quod hîc referam, rarum & præclarum Sanctiſſimi Antiſtitis exemplum. q D. Maurilius Mediolanenſis, D Martini diſcipulus, multis, magniſque miraculis clarus, quem Andegavenſes Pontificem habuerunt, paulò poſt quam à S. Martino, columba candidiſſima ſuper caput ejus deſcendente, initiatus erat, in D. Petri templo ſolenniter fecit. Dum ſacrificaret, adfuit cum moribundo filio matrona illa, cui ante id tempus ſterili, eundem precibus à Deo impetraverat. Ea matrona non vitam corporis gnato, ſed Spiritum ſanctum poſtulabat, manuum impoſitione, ſeu confirmationis, atque extremæ unctionis fortaſſe etiam Sacramento impertiendum; pulcherrimo matrum documento, ne myſteria tam ſacroſancta luctui, & lamentis ſuis poſthabeant; ſed ut regnum cœlorum inprimis, medicúmque animæ antè, quam corporis quærant. Maurilius nequaquam rem præcipitare ſacram aſſuetus, ſed divinis affectibus abſorptus, dum in corpore, & ſanguine Servatoris conſecrando, moram trahit, deſinit puer trahere animam; atque ita hic prius vitam, quàm ille miſſam abſolvit. Audite, obſecro, rem miriſſimam, & æri, imo pectori omnium Epiſcoporum, ac Eccleſiaſticorum inſculpendam; eorum autem præſertim, qui dum viſitant ditionem, dum Sacramentum chriſmatis conferunt, luſtrum eſt; aut qui luſibus, ſympoſiiſque, cum morte & ſtyge luctantium agones negligunt, eóſque ſine culparum expiatione, ſine extrema unctione, ſine cœleſti viatico emori ſinunt, ne ſua cogantur interrumpere convivia, aut ſæcularia negotia. Non ſic Maurilius, non ſic fecit; puer ſine confirmatione deceſſit, illo non perpotante, ſed ad ſacram menſam operante, libantéque ſanguinem Chriſti. Quis eum non excuſaret? qui altero negotiò ſanctiore occuparetur? imò quis religioni ſibi non duceret, eo lo-

p Luc 11. q Venantius Fortunatus Epiſc. pictav. Surius 13. ſept. Stengelius judic. divin. tom. 1. c. 34. n. 14.

co interjungere? at longè aliter calculum duxit Sanctus ille præſul: nam poſtquam, *ilicet*, dixit, ubi cognovit, puerum vixiſſe, inconſolabilibus lacrymis negligentiam ſuam deploravit, ſibi tribuens, quod ille Chriſmate, atque ſacro oleo non unctus, ſine tanto dono, vitam finiviſſet. Hîc cupio omnes mortales perpendere, quanti vel levem culpam faciant, divorum judiciorum gnari. Nam Maurilius, quoniam delictum iſtud nullo ſatis fletu ablui poſſe arbitrabatur, diu multúmque, quid ageret, animo ſecum colluctante, ſtatuit, domi ac inter cives, tale piaculum lui non poſſe; ſed voluntario exilio puniendum. Conſilio hoc capto, clàm profugit, incogitánſque ſecum *claves* apportat, quibus reliquiæ divorum in Andegavenſi Eccleſia, cuſtodiebantur. Solicitus exul, nullum ſatis remotum, ſecurúmque exilium exiſtimabat, niſi, quod mare interjectum muniviſſet. Ad littus ubi pervenit, dum nautæ morantur, ventúmque exſpectant, ne nihil ageret, per otium, in lapide, diem navigationis ſuæ incidit, noménque adjecit, à nullo utique Andegavenſi reperiendum. Conſcenſa navi, atque in altum provecta, tum demum cœpit advertere, *claves* ſacri theſauri ſecum ablatas: eáſque cum manibus verſaſſet, ſubitò dæmonis invidia excuſſas, atque in mare eſſe prolapſas, duplici dolore angebatur: quam ob rem, non ſine pio fletu exclamavit: ſe, niſi has *claves* iterum videre meruiſſet, patriam urbémque non reviſurum. Et ſanè ante integrum ſeptennium, non reviſit: tanti etiam DEUS, vel levem, ut nobis videtur, labeculam facit. Quot annis, aut quibus pœnis caſtigaturus eſt eos, qui non ſacrificii, cum conſueta pietate abſolvendi cauſa; ſed ut ſomno, inertiæ, excurſioni, recreationi ſuæ vacare poſſint tot deſerunt moribundos? tot oves negligunt, neque inſtruunt illis doctrinis, ſine quibus æternam ſalutem non conſequuntur; decimas ſuas accuratè exigunt, ut habeant unde vivant: ſciant & oves exigere pabulum ſpirituale; quo ſubducto, illis eſt pereundum. Quid ergo tunc ejuſmodi paſtoribus continget? an ſeptennii exilium illis ſufficiet? nequaquam, ſed ob unamquamque ovem, æternùm illorum negligentiâ, pereuntem, ſunt plectendi. Sed revertamur ad noſtrum Maurilium. Is navigatione ſuperata, veſtem mutavit, ne agnoſceretur; utque corpus aſſiduis laboribus divexaret, hortulanum profeſſus, homini primario operam condixit. Interea Andegavénſis populus Paſtore ſuo viduatus, abſentiam illius ſemper magis, magiſque ſentiebat: deerat enim, qui juſſu dæmones fugaret, oratione ægros ſanaret, ſigno crucis cæcos illuminaret. Quin è cœlo quoque per varia viſa admonebatur, pérque portenta terrebatur, ne deſes eſſet in Antiſtite ſuo quæritando, ſi vellet imminens Urbi excidium declinare. Miſſi itaque, qui omnem Europam perluſtrârunt, ſed fruſtra; ſeptimóque tandem anno, re infecta, in Galliam reverſi, quem cis mare non repererunt, trans mare indagaturi; divino ductu, ad eum Oceani portum, qui Britannia minor eſt, perve-

nerunt. Ibi dum navim exſpectantes, litus obambulant, in ſilice inſcriptum inveniunt:

Hic tranſiit Maurilius, Andegavorum Epiſcopus &c.

Eo indicio læti, navem, & mox mare intrant: ad altum provectis, ex improviſo, grandior piſcis in navim deſilit, quo exenterato, eas ipſas ſacrarum *Reliquiarum claves*, è S. Maurilii manibus, in mare prolapſas, iterum invenerunt. De obitu ejus dubii, in ſomnis admoniti ſunt divinitus ut pergerent: ad portũ appulſi in eas ipſas ædes delati ſunt, in quibus Maurilius hortulanũ agebat. Vix domum ingreſſi, audiunt illico deſideratiſſimum nomen Maurilii; Maurilium, ut cum oleribus præſto eſſet, inclamari: vidéntque quaſi mediaſtinum cum oleribus accurrentem. Mirificum tunc exſtitit gaudium, ſummâque admiratione ſtupefacti, ad illius ſe pedes abjiciunt, atque ubertim lacrymantes, ſumma qua poſſunt ope rogant, uti patriæ, civitatique ſuæ ſuccurrere periclitanti ne dedignetur. Admirabatur non minus Maurilius, ſe inventum, ac agnitum, quàm qui illum agnoverunt. Cùm igitur ſe ipſum negare non poſſet, fugam faſſus, reditum negavit, aſſerens ſe & voto, & juramento conſtrictum, ne unquam domum reverteretur: niſi perditas in undis *claves* recepiſſet. Ibi ſe demum divinæ providentiæ ambages aperuerunt. Nam & qui ad eum miſſi fuerant, viſa ſua retulerunt, & *claves* ipſæ, è profundo pelagi poſtliminio à piſce redditæ, teſtimonium fuerunt divinæ voluntatis. Maurilius interim totam vigiliis, ac precibus noctem inſumpſit, & à cœleſti genio monitus, ut ſuos reviſeret, & puerum, quem ut ovem perditam deplorarat, ejus precibus, vitæ reſtituendum. Quo nuntio accepto navim conſcendit, in propria reverſus, ad defuncti pueri, & jam ſeptem annis ſepulti tumulum acceſſit, terrâque erutâ in genua procumbens, longam cum uberrimo fletu orationem ad Chriſtum effudit: qua finita aſſurgit Maurilius de oratione, & puer à morte: quem conſecratum, ex eventu, Renatum appellavit, habuitque poſt ſe, in Epiſcopatu Andegavenſi Succeſſorem, & ipſum miraculorum grandium patratorem. Unico hîc illis, qui poteſtatem clavium habent, relicto documento, ne iis, ubi opus eſt, uti negligant, & claves cellæ, aut ærarii magis cordi, & curæ habeant. Quæ ut altius animo hæreant, furfures meos puriori ſimilagine inſpergam. Severa illa, ſed vera Apoſtoli cenſura ac ſententia: *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*; r quo loco cum quidam exiſtiment Apoſtolum agere de alimentis à Domino famulantibus crudeliter denegatis, perappoſitè exponit S. Iſidorus, atque ita concludit: ſ ſi idololatra pejor eſt, qui domeſticorum corpus non curat, quid fiet Eccleſiaſticis, qui ſuorum

r Ioan. Paulus Oliva. part. 1. conc. 36. num. 36. ſ S. Iſidorus lib. 2. Epiſt. 324.

ani-

animos nec curant, nec ſanant, nec cogitant? *nam ſi quis neceſſariam alimoniam minimè porrigit, gentilibus crudeliorem eſſe pronuntiavit; qui quod magis neceſſarium eſt, id eſt, qui animæ curam aſpernatur, quo tandem loco ponetur?* id Pſaltes Regius ediſſerat, qui aliquando ſpiritu raptus, infernum vidit ſub pedibus apertum, atque immane illud ſuppliciorum Chaos intuitus exclamat, video, quod me numquam viſurum putaſſem. Video improbos ſub beſtiarum figuris excruciatos. Inter ignes beſtiæ? at quæ monſtra ad has pœnas, & tormentorum abyſſum amandantur? an pardi? haudquaquam: an tigrides? minime: an dracones? nullo modo. At quæ belluæ tandem infernalibus flammis ardebunt, ſi eæ tam perniciosæ mortalibus, non torreantur? ego ad lævam luciferi intueor animalia, quæ ad dextram Chriſti conſtituenda. Aſpicio liquefieri æternis incendiis non gryphes; non hyænas, aut harpyas abſumunt tartareæ flammæ. Quis crederet? pecudes lana veſtitas, inermes, unguibus deſtitutas, herbis ſolis paſtas, lacte plenas, & moribus innoxias. Itáne verò hæ in inferno conſpectæ? vidi: t *Sicut oves in inferno poſiti ſunt; mors depaſcet eos.* Quod ita à Godefrido Abbate exponitur: *Oves ibi, non propter veram innocentiam, ſed propter inhoneſtam ſimplicitatem, qua malis reſiſtere nolunt, vel neſciunt, eos appellat, quos ſine fine perituros eſſe denunciat* Ecce vitæ innocentia, & ignara ſimplicitas quem exitum habet. Animarum Paſtores non ſufficit agnos eſſe, qui morſu non impetant: aut morum innocentia, & ſimplicitate oves eſſe, *quæ malis reſiſtere nolunt,* vel mederi *neſciunt.* Unde S.Gregorius ſic eos terret, quorum inſcitia aut incuria, animæ pereunt: v *Nos rei eſſe oſtendimur, qui ſacerdotes vocamur: qui ſuper ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus; qui tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus;* & dum aliis cœlum aperire negligimus, aut ignorantia, vel incuria occludimus, nobis infernum aperimus.

Denique hæc gratia ſolvendi peccatorem, eo major, & excellentior eſt, quo vincula peccatoris graviora, ſervitus & tyrannis ſub ſtygio tyranno durior, & atrocior eſt. Quid non captivi à barbaris, aut Turcis in lytrum, ut ſolvi poſſent, & libertati reſtitui obtulêre? ut de purgatorio carcere acturi, x fusè comprobabimus. Capitalis criminis reus, quid non, & per quos, & quanto impendio non molitur ut Regem, aut Judicem flectat, delicti veniam impetret, & brevis mortis ſententiam evadat? de cujus gratia impetranda plerique dubitant, & rari impetrant; ut ſcitè Auguſtinus: y *Quis certus eſt* (dum reus veniam petit) *quod Imperator ignoſcat? & tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta ſubeuntur: & penè ut mors evitetur, mors ipſa ſuſcipitur. Supplicatur deinde per homines homini; ſine dubitatione ſunt iſta, cùm ſit dubium, quo fine proveniant.* Tum ſubdit: *Certiores ſunt* CLAVES ECCLESIÆ quam

t Pſalm. 15.

v S.Greg. hom. 11. in Ezech. x Feſto fidel. defunct. y Auguſtin. lib. 50. hom. 50. in fine.

quam corda Regum: quibus CLAVIBUS *quodcumque in terra ſolvitur, etiam in cœlo ſolutum promittitur.* Non tibi aliquot millium ſumma pendenda, non maria trajicienda, non diſcrimina ſubeunda; qui te gratis ſolvat, & abſolvat, præſtò eſt. Quid non captivi, de capite & vitâ periclitantes, commenti ſunt? noctes & dies, omnes ingenii nervos, omnes corporis vires, omnem induſtriam, & ſolertiam intendunt, ut ſeſe diſcrimini eripiant. Fuit, qui ut veſtes ſibi in carcere reſarciret, varias ſibi acus comparârat, quibus aſſerculo inſertis, velut ſerrâ aut limâ, ſenſim, ingentem trabem, cui compede alligatus erat, perfodit, indies fiſſuram maſticato pane opplens, dum totam diſſecuiſſet, & evaſiſſet. Non minori ſolertiâ ſeſe in libertatem vindicavit z Hugo Grotius Calvinianus, vir litteratus, Anno 1620. ob ſuſpicionem perduellionis, perpetuo carceri ab Ordinibus mancipatus. Hic cùm eſſet valde ſtudioſus, arcam librorum, ultro citroque è carcere deferri, & referri curabat: ac tandem morbum ſimulans per dies aliquot, opportunitate data in arcam ſe abdidit, & per famulam effertur, quæ dulce onus, herum ſuum, illico ad navim defert: inde Gorcomium, ac tandem Antverpiam pervenit. Ubi Montmorencii, Societatis JESU Poëta præcellens, ſic luſit:

Jure tuæ libros colis inſtrumenta ſalutis,
Et tibi præcipuo ſunt in amore loco:
Fecit enim Groti, creber dum fertur in arca,
Effertúrque liber, liber ut eſſe queas.

Extrema alii tentarunt, ut ſeſe vinculis eximerent: nonnulli ex edita turri, fractis tibiis ſeſe præcipites dedere. *a* Hegeſiſtratus in vincula conjectus à Spartiate, pedem ſibi præſcidit, ut vel ſic mutilus elaberetur. Quid, quod capitis damnatus, cùm effugere non poſſet, à fratre ſibi in carcere extremum oſculum libante, nucem avellanam veneno plenam in os accepit, libavit, & extinctus eſt. Complures meliori beneficio, & gratiori artificio, ſeſe carceri propripuere, *b* claves cuſtodis induſtriè acceptas, ceræ impreſſas effingi affabre curando. Tu verò peccator ſedens in tenebris, & umbra mortis, qui longè duriorem, & atrociorem, ſub cacodæmonis jugo captivitatem, & tyrannidem pateris; ubi non de capite, de vita corporis, de brevi ſupplicio ſubeundo, ſed de ſalute animæ, de vita æterna, de horrendis, iiſque ſempiternis inferorum tormentis incurrendis, certò periclitaris, non magna induſtriâ, & molimine: non ingenti pretio, non ullo tui incommodo, corporis nocumento, aut valetudinis, vitæque detrimento; ſed vero dolore, ſincero propoſito, & ſincerâ confeſſione factâ, verbo unico, *abſolvo*, ſolvi potes. *c* Quæ gratia peccatori per ſacerdotem facta, ex eo ponderanda eſt, quod ſi ex inferno Deus damnatum liberaret, non verò à culpa abſolveret; alterum verò à peccatis abſolveret, & in inferno

z Beyerlinck. theat. tit. carcere *liberati.*

a Braſſonius. L'inconſtance du Monde. b Claves in cera. c Labata Tom. 1. *pagina* 384.

re-

relinqueret; majorem miſericordiam illi exhiberet, quem à peccato liberaret, quam ei, quem inferno eriperet.

Verum enimverò quęnam iſta inſana pervicacia, & diabolica pertinacia eſt, *d* ubi vindex Deus ſupra rhompheâ igneâ comminatur: ſubtus inferni barathrum ſub pedibus hiat: intus ſtygius tyrannus animam peccatorum vinculis adſtrictam, immani tyrannide exagitat, ſic vinctum & captivum ſolvi nolle; è tam tetro, & terrifico carcere, exire erubeſcere? imo propriâ malitiâ, ipſam conſcientiæ ſuæ ſeram ſic inverterre, involvere, & animæ oſtio intus peſſulum opponere, ut nullâ poteſtate clavium aperiri queat. In quem meritò cadit illud magni Auguſtini: *e Clauſum cor habes, &* CLAVEM ACCUSAS, tu qui nomen probitatis, & integritatis habes, turpiter fornicatus, aut mœchatus es, clàm ſpurium nutris, ſatanico pudore confiteri erubeſcis, *cor clauſum habes, &* CLAVEM INCUSAS. Tu quæ honeſta, pia, & ſancta audis, nullo arbitro, nemine mortalium conſcio, corpus, & animam fœdaſti; ne ſanctimoniæ nomini nota inuratur, *cor clauſum habes, &* CLAVEM ACCUSAS. Tu qui familiarem lupam domi alis, eam amovere, peſſulum removere non vis, fruſtra CLAVEM INCUSAS. Tu qui famæ religioſiſſimi viri, aut integerrimæ filiæ, turpem labem aſperſiſti, honorem abſtuliſti reſtituere, & peſſulum tollere detrectas, fruſtra CLAVEM INCUSAS. Tu mendaciis, perjuriis, falſis chirographis, litem eviciſti, viduarum & pupillorum poſſeſſiones invaſiſti; cauſam tibi in foro adjudicatam, nulli injuriam illatam prætendis, ſeram implexam, & impeditam habes, fruſtra CLAVEM INCUSAS. Tu qui permultos annos uſuris, dolis, & iniquis contractibus amplas opes tibi comparaſti, plures defraudaſti, neſcire te dicis, cui damnum intuliſti, quibus reſtitutio facienda eſt, impoſſibile tibi liberis bona eripere, & in pauperes effundere, ſeram implexam, inverſam, impeditam habes, fruſtra CLAVEM ACCUSAS.

Alii in alio errore verſantur, *f* qui poſt integrum *confiteor*, & longa alia præambula, prolixum tentationum, paſſionum, imperfectionum, infirmitatum ſuarum catalogum texunt, nec ullam abſolutionis materiam præbent, nec ullum vel veniale peccatum clavibus ſubjiciunt. Hæ januæ ſunt, ſine ſera quæ aperiuntur, nec opus clavibus. Qui error cùm ſæpius recurrat, & paucis innoteſcat, quia rarò tractatur, enucleatiùs exponendus eſt. Hoc argumentum ſcitè & eruditè tractat Joannes Sanchez, qui ejuſmodi confeſſionem hiſce fere verbis deſcribit: *g* Primò confeſſarium ſalutant, quærunt an bene valeat, tum, non amavi DEUM ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus: nec proximum ſicut meipſum. (*Cùm verè Deum diligamus, ſi mandata ejus cuſtodiamus, & proximum, ſi nullum malum inferamus.*) Non

d Quinam ſeram conſcientiæ invertant, peſſulum oſtio obdant, ut aperiri nequeat? Het ſlot verweert. e Auguſt. Serm. 4. de verbis Apoſt.

f Qui nullam materiam abſolutionis clavibus ſubjiciunt. Dueren met een klinck. g Ioan. Sanchez ſelectæ diſp. de ſacramentis. diſp. 1. & 2.

ea præparatione, devotione, & munditiâ cordis, quâ decet, acceſſi ad SS. Euchariſtiam (ecquis eam ſatis dignam habeat?) non lavi os meum: non dormivi in pervigilio natalis Domini: non reſpondi inſpirationibus divinis: pœnitentiam injunctam non eâ devotione, & attentione perſolvi, qua par eſt. Diſtractus in precibus, in horis, in ſacrificio miſſæ. Tentationes carnis, blaſphemiæ, infidelitatis paſſus (quæ citra conſenſum, materiam virtutis, & meriti præbent.) Idem eſt de iracundiâ, correptione ſuperioris circa ſubditos, & patrisfamilias circa domeſticos, quod ancillam objurgarint, filium corripuerint; & de judicio temerario, dum ſervis, ancillis, liberis invigilant, & ſyndicos adornant. Tum generatim confitentur: accuſo me ex ſeptem peccatis capitalibus: fui ſuperbus, avarus, invidus, guloſus, &c. ex abuſu quinque ſenſuum, viſus, auditus, guſtus, odoratus, tactus; & omnium potentiarum, (nec dicunt in quo deliquerint) ex omiſſione operum miſericordiæ. h Sanè hæc accuſatio, ſine indagine fit, & confeſſio compoſita generalibus verbis, eſt Phariſaica: i *Peccavimus, injuſtè egimus, iniquitatem fecimus, peccato* ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, & numquam deſcendunt ad ſpeciale. Navarrus appoſitè ad rem, hæc profert verba: k *Ob quod ipſum*, inquit, *noluimus abſolvere quandam Religioſam confitentem, ſe plurima, ac plurima peccata commiſiſſe, audiendo, tangendo, loquendo, incedendo, contra præcepta Dei & Eccleſiæ, & contra conſilia; antequam ſpeciatim aliqua ſaltem venialia, & ſaltem antea confeſſa confiteretur. Quod, ut arbitror, frequenter occurrit Confeſſariis, quæ fiunt ad communicandum à recenter confeſſis.* Ejuſmodi inculcandum, ut ſaltem vel unicum officioſum mendacium, clavibus ſubjiciant; ne januæ ſint ſine ſera, quæ clavibus non egent. Hæc utique, aliáque parerga, quæ ad confeſſionem non faciunt, ut Confeſſario, aliiſque accedere volentibus permoleſta, & ipſi pœnitenti non rarò ſcandaloſa, omnino præcidenda ſunt: ſic etenim Poſſevinus de officio curat. cap. 7. num. 85. l *Contingit aliquoties, perſonas religioſas, quæ confitentur ſingulis octo diebus, & fortè ſæpius, dum accedunt ad confeſſionem, immorari tantum, quantum ſufficeret pro facienda confeſſione unius perditiſſimi latronis, & dant multum, quod obloquantur adſtantibus.* Unde docet Silveſter, m prudentem Confeſſarium teneri ſuperflua in confeſſione reſecare, & D. Thomas: n *Simplicem confeſſionem illam dicit, quæ nec paucioribus, nec pluribus conſtet verbis, quàm oportet.* Idem confirmat Suarez, dicens o in confeſſione reſecanda eſſe omnia illa, quæ materia confeſſionis non ſunt, nec ad finem ejus quidquam faciunt: ut ſunt hiſtoriæ de temulentis maritis: turbæ cum diſcolis liberis, vel ancillis; lites contra fas & nefas deperditæ, & his ſimilia.

Hactenus de Eccleſiaſtica clavium poteſtate Petro, Succeſſo-

h Sanchez diſp. 1. n. 10. i Pſalm 105. v. 6. k Navarrus in cap. quem pœniter, de pœnit. diſp. 1. n. 10.

l Poſſevinus de officio curat. c. 5. m Silveſter verbo confeſſio ſacram. n S. Thom. in 4. diſt. 17. qu. 3 o Suarez de pœnit. diſp. 22. ſect. 10.

ribus

ribus ejus, & ſacerdotibus tradita. Nunc non unam, ſed varias etiam ipſis laicis claves Regni cælorum aſſignabo, quibus & viros nobiles, & plebejos, mercatores, & mechanicos, imò & ipſas fæminas ſibi cœlum aperire poſſe, demonſtrabo.

§. III.

Veræ contritionis actibus, velut CLAVIBUS, *nobis cœlum aperiri.*

Cœlum ſibi æneum, & portas clauſas: apertáſque januas Ditis, certò ſibi videt peccator, in extremo diſcrimine conſtitutus: ut eſt miles in conflictu, naufragus in mari, mulier in partu periclitans, moribundus cum morte colluctans, lethaliter etiam in duello ſaucius, ſubitâ apoplexiâ tactus, aut ſolitarius cum peſte confligans, omni Confeſſario deſtitutus; non eſt tamen quod deſperet, & animos abjiciat: *p* claves aureas illi porrigo, quibus omni privatus ſacerdote, citra confeſſionem, & ſacramentalem abſolutionem, cœlum ſibi infallibiliter aperiat: quarum uſum, aut poteſtatem, cùm plurimi ignorârint, aut non edocti ſint, aut non uſurpârint, ad inferos devoluti, in æternum periêre. Unde quanti hæ pretii, & virtutis ſint, ex dicendis patebit. Saxei, & duri cordis contritio, ac comminutio fit, ſi quis cum Propheta *q* recogitet omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ: *r* omnia vitæ tempora, ætates, loca, commercia, munia, dicta, facta, omiſſa, cogitata, deſideria, delicta omnia, doloris piſtillo, in conſcientiæ mortario conterat, & in tam minutas particulas, & fragmina comminuat, ut nihil ad uſum aliquem ſuperſit, unde ſathanas nobis denuò illudat: ſed juxta Iſaiam: *ſ Cor comminuatur, ſicut lagena figuli conteritur contritione prævalida: & non invenietur de fragmentis ejus teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea*: definitur autem contritio perfecta à Theologis his verbis: t *Eſt deteſtatio, ſeu dolor de peccato, propter Deum ex charitate dilectum.* Seu: contritio eſt perfectus animi dolor, ex peculiari motivo charitatis, ob offenſam divinam bonitatem, quam ſuper omnia diligere tenemur. Eſt communis omnium fere Theologorum, & habet pro ſe ſacræ Scripturæ, ac ſanctorum Patrum teſtimonia, Deuteron. 4. v. 29. *Cúmque quæſieris ibi Dominum Deum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris: & totâ tribulatione animæ tuæ.* Quis autem dicatur Deum quærere *toto corde, v* niſi eum diligat? deinde per illam particulam *toto corde*, in ſacris paginis ſignificatur tota dilectio, ac proinde maxima; hæc autem ſolum eſt illa, quæ oritur ex charitate, quæ tendit in Deum ſuper omnia dilectum. Eodem ſpectat illud Joelis 2: *convertimini ad me in toto corde veſtro.* Et 1. Joannis 3. v. 14. *qui non diligit, manet in morte.* E patribus unum inſtar omnium Auguſtinum adduxiſſe ſufficiat, qui lib. de vera & falſa pœnitentia ſic ait:

p Claves aureæ contritionis. q Iſai. 38. r Fornerus in miſerere, conc. 89.

ſ Iſai. 30. t Contritionis definitio. Dicaſtillo Tom. 2. de pœnitent. diſp. 2. dub. 4. n. 104. Lugo de pœnit. 15. n. 10. v Dicaſtillo. Lugo cit.

x *ſine amore Dei nemo unquam gratiam invenit, nec veniam conſecutus eſt.* & lib. 2. contra Creſconium. c. 12. *mundantur peccata charitate, quæ ſi adſit, omnia rectè fiunt; ſi verò abſit, cetera fruſtra fiunt:* Etſi prolixas quis faciat Eleemoſynas, diſtribuat omnes facultates ſuas in cibos pauperum: Corpus ſuum inediâ & flagellis conficiat, charitatem autem non habuerit, *fruſtra ſunt* omnia, *nec gratiam, nec veniam unquam conſequetur.* Quod ipſum confirmat alibi dicens: y *Niſi deſiſtant à peccatis, habendo charitatem, quæ non agit perperam, nihil eis prodeſſe poteſt:* rationem manifeſtam addit: quia *pœnitentiam veram non facit, niſi odium peccati, & amor Dei.* Eodem modo loquuntur alii Patres apud Suarem z, qui intelligendi ſunt, de juſtificatione extra Sacramentū. Utrumque actum: *amorem Dei, & odium peccati*, ad veram contritionem neceſſarium, complexus eſt D. Thomas: a *In juſtificatione impii* inquit, *ſimul eſt motus liberi arbitrii in peccatum, qui eſt actus pœnitentiæ.* b Et probat per pœnitentiam non poſſe unum peccatum remitti ſine alio: quia, ut unum diſplicet, in quantum eſt contra Deum ſuper omnia dilectum, quod requiritur ad veram contritionem, ita & aliud diſplicere debet. Potiſſimum argumentum pro hac communi ſententia ſumitur ex Tridentino, c quod docet, *contritionem hanc charitate perfectam, hominem Deo reconciliare.* Quæ eò attuli, ne Theologos conſulere neceſſe ſit; & quibuſdam ad manum non ſint.

Nunc quæ poteſtas hiſce aureis Contritionis clavibus ſit, videamus. d Quamvis juxta communem Theologorum doctrinam, homo pœnitens, vi Sacramenti, ex attrito fiat contritus, & ſententia de attritione juncta Sacramento, tuta, ac certa ſit; e non tamen eſt articulus fidei (ut poſtea ex Ambroſio, & Auguſtino patebit) proinde in re tanti momenti, unde pendet ſalus animæ, conſultum non eſt hîc quieſcere; ſed ulterius adnitendum, opitulante Dei gratiâ, ad veram charitatem, & contritionem: quam certiſſimum, ac fide definitum ſufficere ad juſtificationem, & cœlum peccatori aperiendum. Hanc mirificam clavium virtutem ponderat, ac prædicat Laurentius Deaponte, dicens: f Suppono uti de fide certiſſimum, ſi quis peccator ſimul omnia peccata dæmonum, ac hominum haberet, non ſolū preterita, aut preſentia, ſed futura: & non ſolum actualia, ſed poſſibilia; tam infinitam Dei miſericordiam, ſic infinitè omnia illa excedere, ut omnia non amplius reſpectu illius eſſent, quam gutta una aquæ, ad totum Oceanum, ac per hoc, *unico tantum contritionis actu, omnia illa deleri, aboleri, ac amplius non apparere. Atque hoc ſupponendum tanquam de fide*, ut ex ſcripturis, & Tridentino conſtat. Alterum eſt, quod, cum non ſemper peccatori opportunitas confitendi, nec copia Confeſſarii ſit; omni tamen

x Aug. lib. de vera & falſa pœnit. c. 9. & 17. y Aug. lib. de civit. c. 27. Idem Serm. 7. de temp. z Suarez. diſp. 4. ſect. 2. n. 2. a S. Thom. 3. part. q. 85. a. 6. b Idem q. 86. art. 3. c Trident. ſeſſ. 14. c. 4.

d Poteſtas clavium contritionis. e P. Iudoc. Andries fauſtus menſis part. 2. append. f Deaponte in Matth. c. 6. ann. moral. 80. v. 5.

loco

loco, & tempore, hiſce clavibus ſibi cœlum reſerare, & illud Auguſtini uſurpare poſſit: g *amicus Dei, ſi voluero, ecce fio.* Ita David in palatio, Matthæus in telonio, Latro in patibulo, Paulus in campo, Magdalena in convivio, ſibi cœli januas aperuêre; ut doctè & diſertè Raynaudus noſter proſequitur: *h* & in una muliere, quæ in civitate peccatrix erat, videre eſt: Lavit Magdalena lacrymis ſuis labes criminum, quæ fluxerunt non ex gehennæ metu, non etiam ex ſpe gloriæ, ac beatitatis; ſed pura putáque Dei bonitate, vero & ſincero Domini amore; adeóque contritio longè perfectiſſima. Hæc probata ipſo primæ Veritatis, id eſt Verbi incarnati oraculo, dum ſic de illa ad Phariſæum, & convivas alios: i *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* appoſitè Chryſologus: k *probatum eſt*; inquit, *quia dilectio delet, & abluit univerſa peccata*; non alius hîc dolor, quàm ex motivo ardentiſſimæ charitatis: non aliæ lacrymæ quàm amoris: l *lacrymas ad pedes Domini profluo amore profundit*, quaſi cum lacrymis proflueret ipſe amor; illæ quidem ex oculis, hic autem ex corde, cujus æſtus, & ardor in lacrymas ſe effundit charitatis: *lavat*, inquit, *Domini pedes, lacrymis charitatis.* Si quæ hic peccatrix anima, cum Magdalena lavet Domini (crucifixi) pedes, lacrymis charitatis: dicat cum Davide, *corde contrito, & humiliato*: *Peccavi Domino: miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam: tibi ſoli peccavi.* Et audiet: *Transtulit quoq; Dominus peccatum tuum.* Et delevit omnem iniquitatem tuam. Sic etenim Chryſoſtomus: *m Si doleamus & contriſtemur, peccati magnitudinem minuimus; ſæpe etiam funditus delemus.* Teſtis eſt mulier illa, *n* de earum numero, quæ Satanæ hamo, velut eſcæ captandis adoleſcentulis apponuntur, facie liberaliſſimâ, & aſcititio decore non diſtituta, eloquio ad gratiam, & duriora chalybe pectora mollienda idoneo, corporis ornatu ſingulari: diceres nihil in ea naturam de ſuis dotibus, nihil artem ex pigmentis, nihil nequitiam ad illaqueandas miſerorum animas deſiderari paſſam. Corpore autem erat nundinalitio, nec pauci proci, dum alter alterum æmulatur, mutuis gladiis ceciderant. Hanc meretricem, inquit *o* Raynaudus noſter, Vincentianam appello, cujus ſubitam & ſanctam converſionem, refert tacito nomine S. Vincentius. Venit autem quadam die ad concionem, eóque ſe loco conſtituit, in quo nullius effugeret oculos. Concionator in luxuriæ turpitudinem invectus, & quanta à Deo ſupplicia tam fœdum peccatum manerent, graviter proſecutus, adeò miſeram perculit, ut in lacrymas ſoluta, & tacta dolore cordis intrinſecus, mox corruerit, & animam efflaverit: omnibus miſellæ ſortem dolentibus, quod quæ ita vixerat, inexpiata deceſſiſſet, nullis deterſa Sacramentis. Admonuit Concionator Auditores, eam bono eſſe loco, *ob elicitum actum* per-

g Aug. l. 8. conf. c. 8. h Raynaud. bonus latro c. 4. i Luc. 7. k Chryſolog. ſerm. 94. l Ibid.

m Chryſoſt. ſerm. 7. ad pop. n Vincent. feria 6. poſt dom. 1. quad. o Raynaud. bonus latro pag. 158. Raynaud. de Maria Ægyptiaca pag. 189.

perfectæ contritionis, & confeſtim audita eſt vox de cœlo, dicens: *non oretis Deum pro iſta; ſed orate hanc, ut oret pro vobis, quoniam ipſa eſt in paradiſo.* Admodum veroſimile eſt, inquit auctor, hunc concionatorem fuiſſe S. Vincentium, quamvis præ modeſtia (ut non ſemel inter referendum mirabilia) preſſerit nomen ſuum.

Hæc aureâ contriti cordis clave, ſine ulla in via remora, regnum cœlorum ingreſſa, quod ne ſanctimonialibus, aut cœnobitis, per 80 annos ſub diſciplina monaſtica exactos, conceditur. Theologorum graviſſimorum communis ſententia eſt, in periculo mortis, nos aſtringi peculiari præcepto, actum charitatis & contritionis pro viribus elicere, neque attritionem abſolutè ſufficere, ut auctores ſupra citt. tradunt. Quod cùm ita ſe habeat, quicumque hanc artem, contritionem excitandi, omnium difficillimam, ſanus & incolumis non didicerit, verendum eſt, ne fruſtra eam exercere nitatur, defectis viribus, & extremo ſpiritu: qui enim gravi morbo laborant, aut repentino diſcrimine oppreſſi, doloribus, aut anguſtiis impediti, aut deficiente judicio, vel horrore propinquæ mortis; vel amore charorum, quos inviti relinquunt, abrepti, hi, ut eminentiſſimus doctrinæ, & ſanctimoniæ famâ Cardinalis Bellarminus teſtatur, ſatis imperfectam confeſſionem peccatorum faciunt, & valde ægrè contritionem veram, & perfectam in iis anguſtiis in ſe ipſi excitare queunt. *p* Teſtis ego, inquit, poſſum eſſe hujus difficultatis, quam ægroti ut plurimum patiuntur: nam cum aliquando viſerem amicum, virum divitem, & nobilem, qui ex peccato quodam gravi perpetrato, in morbum lethalem inciderat; atque ei dicerem, nihil ei ſalutarius in eo temporis articulo eſſe poſſe, quàm veram peccatorum pœnitentiam, & contritionem: quia Deus *cor contritum & humiliatum* numquam deſpicit. Reſpondit ille: *Et quid eſt contritio? non capio quid à me requiras.* Subjeci ego: hoc requiro, ut ex vero corde diſpliceat tibi, quod in Deum peccaveris, & omnino ſtatuas, ſi diutius vixeris, nunquam amplius Deum offendere, ídque totum procedat ex vero amore Dei; qui tibi innumera beneficia præſtitit, cui tu ingratiſſimus, pro beneficiis injurias reddidiſti. Reſpondit ille, *non intelligo, non ſum capax rerum iſtarum.* Ita obiit, ſigna damnationis ſuæ aperta nobis relinquens. Ex quo terribili eventu hoc ſalutare documentũ eruamus; ut dum integris viribus, & ſenſibus ſumus, actus contritionis quàm ſępiſſime eliciamus; quia admodum difficile eſt, tunc verè pœnitere, cùm tunc impediatur liber uſus rationis, & voluntatis, ex dolore & timore inhęrentibus. Huic rei nõ leve pondus addit, quod graviſſimus auctor Laurentius Deaponte commemorat. *r* Scio quendam Compluti, inquit, ubi hæc ſcribo, in flumine ſe lavantem, caſu in profundum deſcendiſſe: & dum ſe præfocabat, in memoriam veniſſe, ut *actum contritionis* eliceret, nec elicere potuiſſe ex metu,

p Bellarm. de arte bene moriendi l. 2. c. 6

r Deaponte in Matth. c. 5. v. 29. Annot. mor. 72. n. 20. pag. 460.

&

& deſiderio evadendi: unde ſi miraculosè non evaſiſſet,in ęternum periiſſet. Subnectit alterum non minus recens, ejuſdem argumenti teſtimonium. Princeps Sereniſſimus Carolus Auſtriacus, Philippi III. Hiſpaniarum Regis Filius,dum repente loquelam perdidiſſet, & illam interceſſione Virginis de *Attocha*, ſeu *B. Mariæ de refugio*, recuperaſſet, eo ipſo, quo ſanctiſſimæ Virginis imago in cubiculum allata: affirmavit millies ſe recordatum fuiſſe, *ut actum contritionis* eliceret; attamen ad eum eliciendum non perveniſſe. Ut videas, quàm te decipias, qui actum contritionis in mortem differas, & tunc amicus Dei fieri velis, qui per omnem vitam maligna tua voluntate inimicus extitiſti; tunc putes te ſincerum de peccatis dolorem ob Deum offenſum, ſuper omnia diligendum, habere poſſe, ad quem ne per unum actum in omni vita, te convertere dignatus es. Profectò ſignanter obſervat Doctor Angelicus: ſ *hâc animaduerſione percutitur peccator, ut in morte obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt Dei.* Unde graviſſimi Theologi, t Coninch, Suarez, Henriquez. Magiſt. ſent. Anton. *&c.* docent, eum, qui vellet differre pœnitentiam ad finem vitæ, indubiè peccaturū mortaliter, ob præſentiſſimum periculum æternæ damnationis, cui ſe exponit: Et qui tam diu manet alienus ab amicitia divina, ipſo facto oſtendit; ſe eam parvi facere; quod continet gravem injuriam in Deum. Secundò inquit Coninch, in rebus humanis fieri videmus, ſi v. g. Paulus debeat notabilem ſummam Petro, quam facile poſſit ſolvere; quamvis hic non ægre ferat aliquamdiu ſolutionem differri, tamen exiſtimabit ſibi gravem injuriam fieri, ſi per multos annos differatur; præſertim ſi Paulus ſæpius monitus, ut ſolvat, id negligat. Eadem autem eſt ratio reſpectu Dei, qui peccatorem ſæpius per gratias prævenientes ad dolorem, & pœnitentiam excitando monet, ut id debitum ſolvat, quod ille cum quodam interpretativo Dei contemptu negligit. Accedit, illum peculiari gratia, quæ ad contritionem requiritur, omnino indignum in morte, qui ea ſæpius oblata in vita uti neglexit; additque Deaponte: *v* rarò, & veluti ex miraculo concedi, ut in eo extremo conferatur; ad quod probandum, ſeverè expendit ſententiam divi Ambroſii dicentis: x *qui autem poſitus in ultimo infirmitatis acceperit pœnitentiam*; ſigna, inquit, verbum hoc, ſi confeſſus fuerit: *& exit de corpore, fateor vobis, non illi negamus quod petit*, hoc eſt abſolutionem; *ſed non præſumo dicere, quod bene hinc exit, non præſumo, non polliceor, non dico, non vobis promitto, non vos decipio.* mirum, cum ſit confeſſus, & abſolutionem acceperit; ſic trepidus Ambroſius de ejus ſalute. Et ratio: *quia*, ait, *dum agis pœnitentiam, quando peccare jam non potes, peccata te*

ſ S. Thom. opuſ. de erudit. Princip. lib. 5. c. 8. t Coninch. diſp. 3. de Sacram. pænit. dub. 3. concl. 3. Suarez diſp. 15. de pænit. ſec. 6. n. 3.

v Deaponte in c. 6. Matth. annot. mor. 80. pag. 66. x Amb. in fine lib. 2. de pænit.

di-

dimiſerunt, non tu illa. Cùm autem vera contritio odium peccatorum includat, & firmum propoſitum non peccandi, propter Deum ſummè dilectum; qui tunc pœnitet, quando illum peccata deſerunt, non pœnitet, quia illa abhorret, ſed quia amplius peccare non poteſt. Ambroſio conſentit *y* Auguſtinus. Ex quibus patet, quàm utile, quàm neceſſarium ſit, non ſolum quotannis, quot menſibus; ſed quot diebus ante cubitum, actus contritionis exercere, & claves illas cœli, quibus quamtumvis enormis peccator ſibi cœlum aperit, familiares habere; quemadmodum Franciſcus Suarez factitabat, qui in dies ſingulos 100 contritionis actus exercebat. Ex quorum uſu, hi fructus momenti maximi redundant. *z* Ut qui neſcius ſe in peccato mortali verſari, & rarius confitetur, oblitus eſt, ſe gravius admiſiſſe, & certò damnandus eſſet, eo in ſtatu vivis excedens, hic in quotidiano examine, priuſquam ſe ad ſomnum componat; ſi actum amoris Dei, & perfectam contritionem etiam de peccatis præteritis elicuerit, quod unquam tam bonum Deum offenderit, in gratia obdormit, & requieſcit. *a* Inſuper utilitatem habent claves (quod pauci expendunt) ut opera noſtra ſint meritoria vitæ æternæ: v. g. eleemoſynæ, jejunia, orationes, ſacrorum auditiones, &c. quæ alias in ſtatu peccati mortalis, mortua ſunt. *b* Denique, ut augmentum gratiæ, & gloriæ, aliáque plurima emolumenta omittam, ne diutius hoſtes DEI maneamus. Quibus omnibus ut frui poſſitis, exercitium & praxim ſubjungo, qua illis cœlis clavibus frequenter uti valeatis. Hanc zelator animarum inſignis, *c* P. Judocus Andries vulgavit anno 1607. Latinè, Hiſpanicè, Italicè, Gallicè, Germanicè, Anglicè, Flandricè, &c. & tum ſpatio medii anni, magno fructu, exemplaria diſperſa ſupra ducenta millia. Tum ſubdit: Eja etiam cooperare, quæſo te, per ſanguinem crucifixi Jeſu, animáſque ab æterna eripe morte, & cœlum omnibus aperi; ecce potes his clavibus. Qua pia & ferventi paræneſi incitatus, ecce inquit exercitium, & praxis contritionis, & amoris Dei; ſeu ut ipſe indigitat: d *Duæ* CLAVES AUREÆ COELI, *quæ certò tibi cœlum aperiunt*. *e* O JESU! amor mi! DEUS meus, te diligo ſuper omnia propter temetipſum, ô DEUS meus! Et cur unquam peccavi? Ah doleo ex totis medullis animæ meæ, me infinitam tuam majeſtatem offendiſſe, non metu tormentorum, quæ infinities meritus ſum, nec ſpe gloriæ, qua indignus ſum; ſed propter tuam, mi dilectiſſime JESU, & amantiſſime DEUS, bonitatem. Tunc cum Xaverio ante Chriſti crucem in has flammas amoris erumpe:

f O DEUS ego amo te.
Nec amo te, ut ſalves me:
Aut, quia non amantes te
Æterno punis igne.
Tu, Tu, mi JESU, *totum me*

y Aug. hom. 41. ex 50. z Utilitas, ſeu fructus clavium 1. a Fruct. 2. b Fruct. 3.

c P. Iud. fauſta hora claves cœli. d P. Andries cit. e Exercitium, & praxis contritionis exercendæ. f Oratio Xaverii.

Am-

Amplexus es in cruce.
Tuliſti clavos, lanceam,
Multámque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores, & angores,
Ac mortem. Et hæc propter me:
Ac pro me peccatore!
Cur igitur non amem te,
O Jesu *amantiſſime?*
Non ut in cœlo ſalves me:
Aut ne æternùm damnes me:
Nec præmii ullius ſpe;
Sed ſicut tu amaſti me,
Sic amo, & amabo te
Solum, quia Rex meus es
Et ſolum, quia Deus es. Amen.

g Tum actus deteſtationis peccati. O mi Jesu! qui infinito amore me amâſti, & nihil mihi mali feciſti, teipſum inſuper pro me tradidiſti. Fieríne poterit, ut in æternum oderim te? non pœnæ inferni, omni æternitate me ſic excruciarent, quantum doleo & deteſtor, quod in æternum te infinitam bonitatem odiſſe, & blaſphemare contingeret. Dic cum D. Anſelmo: h *Mallem purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus, cœlorum regna tenere: & prius me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immiterem.* Alter adhuc ſublimior, & ſecurior gradus eſt, ſic etiam minimum veniale averſari: quemadmodum P. Hieronymus S. Jacobi moribundus exclamabat: i *Malo adire dæmonum domicilium, quàm levi noxa offendere Deum.* Sic ſentiunt amore flagrantes, omnes beatorum mentes. *nec enim*, ut inquit Hieronymus, k *poſſumus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur.* Ex quibus conſequitur, quantò potentius quis graviora, & frequentiora ſua peccata averſari, & deteſtari debeat. l Tandem ſincero & forti propoſito animum obfirma, & dic: O pulchritudo tam antiqua, tam nova! ô bonitas infinita! ſerò te amavi; maledicta dies, & nox, & hora, qua peccavi! ô amor mi: Eo ipſo momento, quo manum hanc ad illicita extenſurus ſum, precor ut exareſcat: cæcitate me percutias hoc ipſo, quo oculi ad obſcœna avolaturi ſunt: adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi perjuriis, calumniis, detractionibus, blaſphemiis laceſſere auſus ſum: prius mihi contingat mori, quàm ut lethali noxâ tantam, támque immenſam bonitatem denuo offendam: atque in has voces cum B. Catharina Genuenſi prorumpe: *non amplius peccatum Domine Jeſu, non amplius peccatum Domine.* Hiſce aureis clavibus ſi rectè & ritè uſus fueris; januam tibi cœli, ut hactenus probavi, certò aperueris.

g 2. Deteſtatio. h S. Anſelm. lib. ſimil. c. 190. i Nieremb. aſcet. p. 167. k Hireon. Epiſt. 14. ad Cælantium.

l 3. Propoſitum.

§. IV.

Oratio Juſti, CLAVIS EST *Cœli.* Aug. Serm. 226. de temp.

PSaltes Regius aliquando in ſpiritu contemplatus portas cœlorum, eas adeò ſolidas, ita obfirmatas deſcribit, ut nulla vi, aut robore penetrari queant; ipſas portas non æneas dumtaxat eſſe, ſed inſuper ingentes vectes ferreos oppoſitos affirmat. Virtute

Omni-

Omnipotentis opus fuit, qui eas confringeret, pſal. 106. *Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Idem in perſona Chriſti confirmat Iſaias: m *portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Verum enimvero quamvis portæ ſolidæ, & æneæ; ſimiliter, quamvis iſtæ ferreæ ſint, nullis malleis conterendæ, ſi clavem habeas, omnia patent. Hanc clavem cœli habuit Elias. n Ingentes illæ cœlorum portæ clauſæ fuerant tribus annis, & ſex menſibus: *non pluit annos tres, & menſes ſex.* Sterilitas, ſiccitas, fames valida. Vis nôſſe clavem. o *Elias homo ſimilis nobis paſſibilis, oratione oravit ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex. Et rurſum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.* Unde Chryſoſtomus: CLAVIS COELI *erat lingua Eliæ: jubet enim, & clauditur cœlum: orat poſtmodum, & aperitur;* habebat clavem cœli, qua portas claudere, ex una parte vertendo; ad alteram verò, aperire poterat. Hoc ſuper argumento, aurea ſua facundia Chryſoſtomus: p *Age, in medium proferamus Prophetam illum Eliam, terreſtrem Angelum, & cœleſtem hominem; qui humi quidem ambulabat, & ea quæ in cœlis ſunt, gubernabat. Erat trium cubitorum ſtaturæ homo, & per ſublimem aëris regionem perambulabat, & uſque ad ipſa cœli faſtigia protendebatur: ille inquam, aquarum cuſtos, cujus lingua aquarum fuit theſaurus, &* CLAVIS COELORUM, ſcelera & abominationes populi non ferens, zelo Dei plenus exclamat: *vivit Dominus, ſi erit pluvia niſi per os meum. Prolata fuit hæc vox à Propheta, & ſtatim aër mutatus eſt, cœlum æreum factum fuit, non naturam mutans; ſed facultatem refrænans.* Omnia exareſcebant, omnia vaſtabantur, ſtatímque videre licebat arbores, ac plantas, omniáque ſimul arefacta: omnémque ætatem jamjam deſtruendam, puerorum lamentationem, matrum ejulatum, & deſperationem multam. Una fuit Prophetæ oratio, ſed vide quam multa effecerit. Omnes igitur feræ moriebantur, jumenta, pueri, viri, volucres omnes, denique calamitas totam terram occupaverat; omnia denique perire videbantur, & univerſale quoddam naufragium non per aquam, ſed per aquarum penuriam, *cœlúmque ipſum claudebatur, & detentum erat;* omnémque naturam mutaverat. *Et rurſum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.* q Hanc poteſtatem clavium claudendi, & aperiendi per orationem cœlum, ne quis Eliæ ſoli communicatam miretur, & arbitretur, Auguſtinum adeat, & audiat dicentem, atque docentem: r *Oratio juſti* CLAVIS EST *cœli,* qua complures cœlum aperuiſſe contendo, & oſtendo. In inſula Cypro diu non pluerat, ingruerántque ideo peſtis, & fames. Tunc verò ſanctus Spiridion Archiepiſcopus Trimmithuntis, veluti alter Elias, cœlum aperuit precibus: viſæ nimirum eminus nubes, quas ut conſtaret exciri oratione, Deus eas oſtendit procul

m C. 45. n 3. Reg. 17. o Iacob. 5. p Chryſ. to. 1. hom. 69. in S. Pet. & Eliam.

q Pluviæ clave orationis impetratæ. r Auguſtin. Serm. 226. de temp. Petr. Sancta Thaumaſiæ, Tom. 1. pag. 270.

procul, nec prius, verſus inſulam illas promovit, quàm oratione, & lacrymis eas accedere juberet, cogerétque S. Spiridion. Terra itaque exinde frugifera fuit, & contagii eſt depulſa lues. ſ *In hoc,* inquit ſcriptor hujus hiſtoriæ, *Spiridion fuit ipſo Elia, ut aliquid dicam audacter, benignior: nam Elias quidem, cùm pluviam retinuiſſet, deinde rurſus remiſit; ille verò primum non imitatus, extitit ei par in ſecundo*, oſtendítque reipſa veriſſimum illud Auguſtini, t quia *oratio juſti*, CLAVIS *eſt cœli.* Sic S. Scholaſtica, v ut ſuaviſſimo, ac piiſſimo D. Benedicti Germani ſui colloquio diutius frui poſſet, cœlo precibus imbrem impetravit, ne diſcederet. Sed parum hoc, orationis clave cœlum pandi, & cataractas aperiri, ut pluviæ decidant: nihil adeò clauſum, & valide obſeratum, quod hac clave non aperiatur. *Bern. Colnagus* Soc. JESU, x vir divinis prodigiis clariſſimus, peculiari cultu, & tenero affectu in S. Agatham, virginem Catanenſem, concivem ſuam ferebatur. Accidit, ut poſt gravem, & diuturnam corporis infirmitatem, juſſus à majoribus, ad inſtaurandas vires, curru extra urbem per amœna camporum veheretur, atque incertum, quo caſu, ante ſecundam noctis horam, & clauſis jam omnibus Catanæ portis, domum repetere non poſſet. Aberant ii, quorum erat portas claudere, vel reſerare, & auriga diu, multúmque irrito clamore, cuſtodes evocaverat. Suadebat ergo aliò currum flectere, aliámque explorare portam. Interea ajebat Bernardus eam ſibi apertam videri; negabat contrà ille, utpote qui magna vi, iterato eam moliri conniſus, nihil effecerat. Itaque portis civitatis jam diu excluſus, ad vicinum extra pomœria, ſanctæ Agathæ templum, ſe convertit: deinde è curru egreſſus, ut & ipſe portam experiretur, ea levi manu percuſſâ, ſubmiſſiore quidem, ſed quæ percipi ab auriga poſſet, voce: *Agathula mea,* inquit, *non audis? aperi mihi ſoror mea: aperi* ô virguncula Chriſti! non te fugit, fractas mei corpuſculi vires, hujus cœli injuriis ſub Jove frigido noctem agendo, ſine damno non eſſe ferendis. Itáque neceſſum eſt, ut niſi in priſtinos morbi cruciatus revolvi ſervulum velis, portas ipſas, quod unico nutu potes, actutum pandas: & dabis hoc amanti, qui nihil meritus, omnia ſperat. Vix dixerat, & porta minor patuit; non tamen amplius, quàm ut ipſi, ſocióque tranſitus eſſet. Quare novis precibus Divam aggreditur. *Agatha* ſpes mea, quid me ludos facis? mancipium tuum audi; ſed fidúm tibi per omnia: curru opus eſt, aperi majorem portam, utrámque laxa valvam. Et cum dicto, etiam aurigam, currúmque admiſit porta. Tum Bernardus ad aurigam, favit planè fortuna, quod apertam adhuc portam invenerimus. Hic vero miraculo velut attonitus, tunc quis aperiret, quis clauderet, reſpectare non eſt auſus; cùm tamen à Patre ex equo deſcendere, & portas obſerare juſſus, propius accederet, ne cuſtodes quid inde damni paterentur, illam pavens treménſque, invenit ſeris clauſam, & ut fieri aſſolet, vectibus communitam, obſtupuit, totámque rei ſeriem, viro gravi, & ſacer-

ſ Metaphraſt. Surius 12. Decemb.
t Aug Serm. 226. de temp. u In vita.
x Ioan. Paulinus in vita lib. 2. c. 9. §. 4.

ſacerdotali dignitate prædito, ut geſta erat, expoſuit. Hæc miramur, & clavem cœleſti Jeruſalem, omnium theſaurorum Dei, nobis concreditam, non æſtimamus. Faciliùs longè, & certiùs cœli portas, & cœleſtes Theſauros orationis clave aperire quivis poterit petendo in nomine unigeniti filii Dei, quam Bernardus, in nomine D. Agathæ: promiſſum infallibile habemus: y *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Olim per Davidis nomen, optimi parentis, Salomon orare ſolitus: quod, ſi Rabbinis credimus, tantæ virtutis fuit, ut cum arcana vi, Salomon templo arceretur, nec ulla humana induſtria fores reſerari poſſent, ad ſolam invocationem nominis *David*, è veſtigio patuerint, & cuique liber patefactus aditus. Si tantum potuit Davidis nomen, ut obſeratas fores reſerarit, ſi hoc nomen pro clavi fuerit, quid valebit nomen Chriſti? quomodo non cœlos reſerabit, & omnes theſauros cœleſtium, oratio tali nomine recludet? teſtatur id graviſſimus non in ſcholaſtica dumtaxat, ſed & aſcetica ſcientia Theologus Leonardus Leſſius, qui ait: z *Oratio eſt* CLAVIS COELI, *ut pulchrè Chryſoſtomus: ſicut enim is, cui conceſſa clavis theſaurorum Regis, poteſt aperire arcas, & inde aurum, gemmas, uniones, & alia pretioſa cimelia auferre, quibus diteſcat: ita oratione veluti* CLAVE, *aperire poſſumus cœleſtium theſaurorum arcas, & multas inde ſpirituales opes reportare.* Quod priuſquam pluribus proſequar, inſolens quid, & omnibus hactenus inauditum præmittendum duxi. a Meſſan[æ] in Parthenio cœnobio, cui *Sanctæ Mariæ à Scala* vocabulum eſt [l]arcula reperitur, lectiſſimis Sanctorū reliquiis referta, donum videlicet unius Reginæ Galliæ, neq[ue] clauſtrū habet, aut clavē qua obſeretur; manet tamen nihilominus ſemper clauſa, ita ut patere aut aperiri nequeat, quantalibe[t] vis adhibeatur, niſi cùm oratio præmittitur; hac veluti clave admota, vel unius infantis digito reſeratur, & nullo negotio à quovis ſtatim panditur. Id expertu[s] inter alios, cum ſocio eſt Pate[r] Balthaſar Bellus, è Societate JESU loci antiſtitem, amitam ſuam aliquando inviſens: nempe periculum fecit, conatúſque eſt aperire haud præmiſſa oratione; ſed fruſtra fuit. Mox precibus effuſis ipſe pariter ac ſocius voti compotes fuerunt, patuítque arcula ſacrarum earum reliquiarum. Sanctimoniales verò ab utroque teſtimonium miraculi ſcripto exegerunt, quod & ab aliis petunt, ſi qui optaverint rem illam ſane miram experiri. Tum ſubdit hic eruditus, & pius Hiſtoricus P. Silveſter de Petra Sancta: *Certiùs multo adhuc credere oportet oratione nobis cœlum, & omnes gratiarum theſauros aperiri.* Eſt qui ſibi donum caſtitatis, continentiæ, temperantiæ manſuetudinis humilitatis, aliarúmque virtutum, ac cœleſtium gratiarum comparare exoptet, clavem ad manum habet, oret: b quia *oratio juſti, clavis eſt cœli.* Hoc Chryſoſtomi ſalutare monitum, &

y Ioan. 16. z Leſſius diſp. de ſtatu vitæ deligendo. c. 12. nu. 148.

a Silveſter Petra Sancta Thaumaſiæ ſeu miracula perpetua Tom. 3. c. 6
b Aug. cit.

pru-

prudens conſilium eſt : c *Sive quiſpiam virginalem pudicitiam adamaverit,ſive conjugalem continentiam,ſive iracundiam cohibere ,ſive invidentiâ vacare nitatur ,poſtulet à Deo, & dabitur ei : non enim fieri ullo modo poteſt, ut qui temperantiam, juſtitiam,manſuetudinem, benignitatem à Deo contendunt, non voti compotes fiant : petite enim*, inquit, *& dabitur vobis*. Nec minus hæc clavis valet in omni penuria neceſſitate, & calamitate temporali : *Infirmatur aliquis veſtrum?* oret : *oratio juſti* CLAVIS *eſt cœli* : anguſtiatur quis paupertate ? oret. Opprimitur quis falſis, & iniquis calumniis, injuſtis accuſationibus ? oret. Uxor maritum habet temulentum,diſcolos, & prodigos filios ? oret. Jacturam quis aliquot millium paſſus eſt ? oret : *Oraſtio juſti* CLAVIS *eſt cœli*. Qua in materia, in omni genere,innumera ſuppetunt exempla,quæ adferre poſſem, niſi lectori faſtidio me fore crederem. Unum hîc mihi exaggerandum duntaxat ſumo, & maximè execrandum ; reperiri Chriſtianos, quibus hæc clavis orationis, omnium theſaurorum Dei tradita eſt: *Si quid petieritis*, &c. ſi qua in neceſſitate conſtituti ſunt, ad janitorem ſtygis, clavicularium nugivendulum, pauperrimum, ipſum cacodæmonem confugere; qui quàm malè ſibi conſulant, & in præſentiſſimum ruant exitium,patebit ex narratione,quàm ſubtexo ad juventutis improvidæ cautelam. *d* Adoleſcentulus honeſto loco natus, annorum fere XVII. à parentibus,ſtudiorum gratia Herbipolim ablegatus, in communem adoleſcentiæ ſcopulum, malos ſcilicet incidit ſodales, à quibus peſſimas artes eſt edoctus, & inductus, ut ſuo ſe ſanguine cacodæmoni devoveret, hoc ſucceſſu in ædes cujuſdam tabellarii magicarum artium periti, à quodam juris ſtudioſo, una cum contubernali coævo eſt deductus, ibíque poculis indultum ſatis. Inter pocula, artes illi venditant ſuas : hic ad eas tacitus ſuſpirare. Artis ſumma hæc erat : eſſe radiculam,qua qui potitus ſit, ſemper ære abundaturum ad ſumptus, nullum illi clauſtrum invium, theſaurum nullum abſconditum fore. Radicem hanc cum pacto dæmonem dare omnibus, quotquot ſuo ſe illi chirographo, ſanguine proprio exarato, contradant. Poſt multos ultro citróque ſermones, annuunt ſtolidi adoleſcentuli : elicitur è digito cujuſque (tres erant) per tabellionem impium ſanguis.Chirographum à ſingulis conſcribitur ſanguine ſuo, hoc tenore : ut dæmon eis radicem clauſtrorum potentem, & theſaurorum inventricem porrigat: pignoris loco, corpus,& animam habeat, ac fidei teſtem, ſyngrapham cruentatam ; quam tamen tunc redhibere teneatur clauſtrarius dæmon, cùm eos pacti initi feriò pœnitebit, ac per ſeriam confeſſionem,& ſacram ſynaxim Deo re conciliabuntur. Hinc ad campos exitur, ad tiliam ſiſtitur, tabellarius longiuſculè progreditur, ante illos in via quadrifida facto circulo, magicis incantamentis evocat dæmonem clauſtrarium : cum eo ſermocinatur, adoleſcentis ſpeciem emen-

c Chryſoſt. Tom. I. hom. 66. de orat. Deo, orat. I. d Sandæi artifex Euang. tit. clavicularius.

ementito: viſo dæmone, coævi duo, & contubernales, ingenti terrore correpti ſunt, nec verbum effari amplius ſibi poſſe videbantur: jámque fugam meditabantur, pœnitudine ducti, ſcripti fœderis; ſed Juriſta animos addebat,&vis occulta vetabat regredi, urgebat progredi, eminus mago illos quoque accerſente. Ergo bacillis inſtructi, quos magus illis (in cuſpide cujuſque inſerto chirographo) in manus dederat, tremebundi circulo appropinquant: in furcillis dæmoni clauſtrar[illegible] chirographa ſua porrigunt: [illegible] acceptis, magus & dæmon iterum barbaro idiomate inter ſe colloquuntur. Hic evaneſcit,alter apertâ manus dexteræ medii digiti ſciſſurâ, radicem promiſſam inſerit, & intra horam conſanatur vulnus, antè eliciendo ſanguini, ſine dolore inflictum. Iterato magus tyrones hos in ædes ſuas reducit,radicis periculum, ut faciant hortatur; obſerat oſtia cubiculorum, digito admoto magico, pateſcunt illico: defoditur dalerus cubitotenus in terram, admovent inſertam digito radicem, exiliit dalerus, & digito adhæret uſque dum excutiatur: digitus magicus ſitulam aquæ ſecat per medium: & utrimque adſurgit aqua, in medio vacuum relinquitur. Magus catenis vincitur, & obſeratur clauſtris, ſolo anhelitu, linguæ putabatur inſertam habere radicem, diffringit omnia. Ergo clientes ille ſuos fœderis admonet: minas addit, ſi reſiliant, aut cuiquam pateſaciant artem: licet à ſe centum abſint milliaribus, non impunè laturos. Aliquot illi adhuc dies itare ad ſcholas, & ma-

lè fungi officio : ſed benefic
feralis radiculæ, plagas in
flíctas ob delicta ſcholaſtica
non perſentiſcere. Ex eo tempo
re devotus ſatanæ adoleſcentu
lus,peſſimam factitare artem,
poſt paulum in patriam reve
ſus,animi gratia,coram domeſt
cis aperire digito clauſtra : p
plateas, ſi propter oſtia pertran
ſiret, illa ſponte ſtrepere; uſq
adeò, ut ſiniſtra, ubi opus, ad ſ
ras reſerandas uteretur: ne
dexteram admoveret, ars prod
retur. Sed ut nullæ fraudes ſem
per latent, patuit tandem ars in
famis,à domeſticis prodita, & i
vulgus edita,ipſi juveni pænè e
itum peperit. Repetundaru
agere, quibus fraus facta, aut in
verſa pecunia: parcitum gener
& ætati, actum cum illo,de ini
fœdere reſcindendo. Fama e
dem tempore ingentis theſaur
non adeò procul reconditi, q
adiri poſſet radice, quæ in Alſ
tia reperiatur, curioſos nonnu
los,& opum ſitibundos infatu
vit, ejuſque potiundi ſpe impl
vit; qui intellecto adoleſcent
lum præfatum, clauſtra abſq
clavibus reſerare, magno conat
eum aggreſſi ſunt,ut radicem ſi
mirificam tradat, adjectis larg
munerum promiſſis. Ille inpr
mis radicem quamvis obviā a
ripere, eáq; clauſtris admotâ, ſ
ras ſponte aperiri impoſuit. Q
ut inefficaciam experti ſunt,tan
diu,quà precibꝰ quà imperio,q
in eum valebant, juvenem o
pugnare, donec importunita
victus, ſacerdoti extra confeſſi
nem rem totam proderet; ac d
inde è digito eripi ſibi radice
clauſtrariam permitteret. Vix a
tem poſt duarū hebdomadarun
irrita

irritam chirurgi operam, tandem adoleſcens ipſe è digito ſatanicam extraxit radicem, articuli unius longitudine, craſſitie acus majuſculæ, colore rubeo, quæ quamdiu chirurgus eam captabat, ab alia parte digiti, deſiliebat in aliam, & ejus operam eludebat. Sed arrepta ab ipſomet adoleſcente, facile ſequebatur; in duas fracta partes, & in menſam projecta, nullarum amplius virium extitit. Ex quo colligere eſt, nonniſi dæmonis claviculari præſtigiis omnia peracta fuiſſe. Hic tandem adoleſcens ut cum Deo rediret in gratiam, Molshemium ad collegium Societatis Jesu tranſmiſſus Anno 1612. per dies duodecim, quibus ibi fuit, ad ſeriam pacti initi, vitæque perperam actæ deteſtationem, eſt inductus, & confeſſione generali totius vitæ prævia, in ſacello S. Ignatii, coram Reverendiſſimo Suffraganeo Argentinenſi, ſacrum faciente Rectore Collegii, edita prius fidei confeſſione de ſcripto, conceptis verbis ſatanę renuntiavit. Inter renuntiationem tanto terrore eſt correptus, ut vix linguam ulterius in verba formare poſſet, ac ſibi videretur capillis ſurſum erigi, omninóque præpediri, ne verbum *renuncio* proſequeretur. Sed à ſacerdote, & Patribus latus ſtipantibus animatus, & ſigno S. Crucis efformato, pertexuit, ægrè quamvis, renunciationem totam, quam ſcripto comprehenſam, ſuper aram, coram venerabili Sacramento repoſuit, ac Sacræ Euchariſtiæ epulo refectus eſt, invocato ſingulariter S. Ignatio, de quo votivum fiebat ſacrum. Senſit poſt ſacrum ſe bene, etiam in ſpem adductus eſt fore, ut, ſi ara retegatur, ſuum ibi chirographum reperiat, qua de re etiam Rectorem ſtatim interpellavit; ſed cùm in Altari nihil palàm appareret, curioſius ut inquireretur tunc, operæ pretium viſum non eſt. Interceſsêre menſes aliquot, variè interim jactatur miſer, nec animo ſoluto eſſe poterat, donec ſuum reperiat chirographum. Sæpius in ſomniis ſibi viſus eſt, in ſacello S. Ignatii verſari, ac videre Rectorem celebrantem, & cernere locum, ubi infauſta charta hæreret, ac vocem audire indignabundi dæmonis: tu nequam, hic habes chirographum tuum. Quarto denique Januarii Anno 1613. ad collegiū Molsheimium iterum venit, piis ſe meditationibus exercendum tradit. Patri ſe exercenti, de certo loco, ubi recondita ſit charta, ſpem ſuam primo die aperit. Jubetur bono animo eſſe. Iterum ad confeſſionem generalem, & ſacram Synaxim diſponitur, ac tandem confeſſione peracta, 13. Januarii à Sacerdote prædicto, in ſacellum S. Ignatii inducitur. In ſacro ſub canone, ſacerdos viſus eſt ſibi ſtrepitū audire chartæ moventis. A ſacro, & communione adoleſcentis, ſecundum vota ejus, aræ partē ſiniſtram detegit ſacerdos, nihil invenit; monet adoleſcens in dextro quærendum, digito locum oſtendit, ubi ſibi viſus ſit ſæpius chirographum videre ſuum reconditum. Quæritur ibi, & magno utriuſque gaudio invenitur e, eo loco quo monſtraverat: *Atque ita qui per* CLAVES *ſibi infernum* aperue-

e Ian. 13.

apernerat eo clauſo, clavibus pœnitentiæ ſibi cœlum aperuit. Hoc ut illi infinitâ Dei miſericordiâ feliciter ceſſerit, nemini tentandum eſt; ſed ſi qua neceſſitas premat, ad filium Dei, qui cruce clavis ſuę nobis regna Cœlorum reſeravit, & dives eſt in miſericordia: aut ad ejus benigniſſimam Matrem, quæ, ut S. Ephrem loquitur: *f* CLAVIS *Regni cœleſtis eſt*, aut ut Bloſius: *g* CLAVIS *gemmata*, *Paradiſi januam reſerans*, confidenter per orationem recurramus. Pauperculam illam viduam æmulari juvat, *h* quæ ære alieno oppreſſa, ad templum ſe recepit, & ingenti cum fiducia preces fundens, vacui ærarii claves Chriſti crucifixi pedibus appendit: reverſa domum, tantum in arca reperit, quantum non modò expungendis debitis, ſed & proli alendæ ſufficeret, atque honeſtè vivere poſſet de reliquo. *i* Quin & illa praxis á quibuſdam uſurpata eſt, Chriſti aut Deiparæ tutelæ, claves domus, ærarii, muneris accepti, committere, ſi ſua ſarta tecta ſervare, & munere ſuo feliciter, & rectè fungi velint; quod non ſine cœleſti beneficio factum comperimus *k* Sancta Thereſia aſſumpta in Prioriſſam, in ſede ſua collocavit Deiparæ imaginem, *eique* CLAVES *appendit*, quas illi cum familia ſua commendavit: vidítque ad *Salve Regina*, beatam Virginem cum Angelis deſcendentem ad ſedem ſuam, ſibíq; dicentem audivit: *Hujus familiæ gubernacula ego moderabor.* Felix regimen! ſi matresfamilias claves domus ſuæ, totiúſque familiæ commendent, omnia tuta erun Nec domus tantum, & familia ſed & urbis univerſæ claves, hu Cælorum Reginæ oblatæ, long potentiori præſidio fuêre, quà vigilantiſſimo Gubernatori com miſſæ. *l* Experta id olim civit Tornacenſis, quę ubi Anno 134 ab Anglis, & Francis obſeſſa, prope in extrema neceſſitate co ſtituta, Clerus & cives cum g mitu, & devotis precibus, CL VES CIVITATIS ad Cathedrale B. Virginis MARIÆ Eccleſia detulerunt, ſeipſos & cuſtodia ſuæ civitatis, tutelæ, & defenſio potentiſſimæ Cælorum Regi ſuppliciter commendantes. N irritæ fuere preces, & fiducia eam: nam ejus ope, ſoluta eſt o ſidio, quæ jam 40, & eò ampli dies tenuerat, obſeſſóſque om commeatu privârat; ita ut no niſi ad tres, quatuórve dies, victus ſuppeteret. Si parva ſu hæc, adjiciam & majora: dev tio hęc claves Deiparæ offeren ipſam arcem animi, quæ civi magni Regis jure nuncupatu ſtygiis inferorum hoſtibus, & i ſultibus eripuit, ut Cæſarius, Ra naudus noſter, aliíque teſtant qui hæc narrant: *m* Monia quædam Beatrix nomine, I Matri erat impensè dedita, o nes ſuas delicias reputans, e frequenter, & ferventer precar quod ardentiùs fecit facta Sac ſtana templi. In *Beatricem* fo oculos cōjecerat homo lubric & formâ, qua pollebat exim

f S. Ephrem de laude v. Virg. g Bloſius in prec. h Iun. 8. i Claves domus, & urbis, Chriſto ac Deiparæ oblatæ. k In vita Bonaert. in Eccl. c. 24. v. 16.

l Ex ſacro Archin. Fornac. Bali Halend. Marian. 25. Sept. m Cæſa lib. 7. c. 35. Raynaud. Maria Ægypt. 185. Balingen Hal. Marian. 6. Aug in Append.

cap

captus, eam ſubinde alloqui; ſcintillas ſpargere, ac tandem flammas ſuas manifeſtare, tantis illecebris, tam blandis lenociniis aggredi; ut jam victas manus dare decreverit. Accedens ergo ad altare B. V. MARIÆ, ait ad eam: *Domina, quanta devotione potui, tibi ſervivi: en* CLAVES *tuas tibi reſigno, tentationem amplius ferre nequeo*: & poſitis ſuper aram clavibus, clàm ſecuta eſt ſacrilegum, qui, ut fieri aſſolet, expletâ fœdâ libidine, eam ut ſcortum, foribus exturbat. Infelix *Beatrix*, quæ cùm non haberet victum, quo vitam ſuſtentaret, exuta ſemèl fronte, paſſim ſe proſtituit, & quindecim omninò annis in volutabro luti immorata eſt. Poſtea, neſcio quo conſcientiæ ſtimulo, aut cœleſti radio ducta, habitu, ut erat, ſæculari, ad Monaſterii portam venit, petiítque ab oſtiaria, num noviſſet Beatricem quandam, hujus cœnobii cuſtodem, ſeu templi æditua m? novi, inquit, eſtque ſancta, & proba Domina & ſine querela in hoc Monaſterio ab infantia converſata eſt. Obſtupuit ad hos ſermones illa, nec aſſequi valens, quid diceret, abire parat; dum ecce, Mater miſericordiæ, illi apparet, & ait: ego per 15 annos abſentiæ tuæ, officio tuo functa ſum, redi nunc in locum tuum, & age pœnitentiam, quia nullus novit exceſſum tuum: nam ſpecie, & habitu, Deipara Beatricem induerat: & *claves* illi templi reſignavit. Tanti fuit, eas Deiparæ commendâſſe, ut illa *Beatrici* cœlum aperuerit. Quod beneficium, animam immortalem, ſemper victuram ſervare, longè excellentius eſt, quam urbem, quandoque perituram.

§. V.

Nobis bonorum operum CLAVIBUS, *januam Regni cœleſtis aperire poſſumus.* Auguſtinus Serm. 252. de temp.

NOn eſt, quod quis ſæcularium virorum, ac fæminarum, invideat Eccleſiaſticis, poteſtatem clavium: nam ut claves Regni cœlorum habeant; iis ſibi cœlum aperire non poſſunt; ſed illis egent, quæ & vobis communes, & in poteſtate ſunt, nempe *n* clavibus bonorum operum, quibus boni virtutibus cœlum ſibi aperiunt, quemadmodum mali vitiis, & ſceleribus, ſibi occludunt. Audiendus hîc cumprimis Hilarius Arelatenſis, ſolerter diſceptans; cùm Petro claves traditæ ſint, quomodo Paulus ingreſſum ad tertium cœlum habere potuerit? o *Forſitan dicat aliquis, quomodo Paulus ſine* CLAVIBUS *penetrare potuerit divinæ ædis excelſa?* & reſpondet: *Agnoſcamus, chariſſimi, veras cœlorum* CLAVES *meritorum eſſe virtutes. Quantum autem arbitror, omnes in nobis habere poſſumus* CLAVES *Regni cœlorum* Quæ verò, & quales hæ ſint, ſubnectit: *Humilitas, patientia*, ceteræque virtutes, ac bona opera, *quaſi bonæ* CLAVES, *aperiunt Dei portam. Paulus humilitatis ac pietatis* CLAVIBUS, *uſque ad Regnum cæli penetravit, æqualis per omnia Petro.* Inter bona opera, & actus virtutum, quibus nobis cœlum pandimus,

n Claves cœlorum bona opera. o Hilarius in Matth. 16. tibi dabo claves. Eſcobar. Tom. 4 pag. 23.

mus, principatum tenent Theologicæ virtutes: 1. viva fides, qua Petrus, dicens: p *Tu es filius Dei vivi*, claves cœlorum meruit obtinere. 2. firma ſpes, 3. ardens charitas, ſine qua nemo intravit in Regnum cœlorum. Altera clavis eſt, conformitas voluntatis ſuæ in omnibus cum divina, ut clavem cordis noſtri, Chriſto dilecto noſtro, animæ Sponſo tradamus; quemadmodum ſanctam Gertrudem feciſſe legimus. q Aſpectabilem ſe aliquando prębens Gertrudi Sponſus ejus, benigniſſimus Jesus: hac quidem manu ajebat, ſanitatem fero, iſtâ morbum: elige, filia, utrum placet? hic virgo religioſiſſima, ſingulari accenſa pro Chriſto patiendi deſiderio, propriæque voluntati infenſiſſima, plicatis in crucem ad præcordia manibus, & in genua procumbens: *Domine*, inquit, *ego toto corde deſidero: ut non meam voluntatem reſpicias; ſed tuum beneplacitum in omnibus perficias*; ideo ego ad utrumque parata, neutrum eligo. Tuum eſt, mi Domine, dignoſcere, utrum hoc, an illud mihi relinquas. Quod reſponſum caſtiſſimo ejus Sponſo ita placuit, ut diceret: *Qui vult, ut ad ipſum liberè veniam, debet mihi* CLAVEM *propriæ voluntatis reſignare*, nec eam à me unquam repetere. His Gertrudis edocta, precatiunculam fecit conceptis his verbis: *Non mea; ſed tua voluntas fiat, mi amantiſſime* Jesu: eámque trecentis ſexaginta vicibus perrexit repetere; qua in re dici vix poteſt, quantum cœleſtium meruerit gratiarum: quæ illi aditum in Regnum cœlorum aperuerunt.

p Matth. 16. q Lib. 4. inſinuation. divin piet. cap. 23. Bloſius in monili c, 11 Nierenberg. vita divina, cap. 12.

Quàm paucæ *Gertrudes* hoc ſæculo, quàm paucæ, & pauci, qui clavem cordis ſui Chriſto, ac divinæ providentiæ conſignent: ſi vis me ægrum eſſe, hydropicum, podagricum, vel ſemel de die exclament: *Fiat voluntas tua*: ſi vis uxorem meam, corculum meum auferre, *fiat voluntas tua*: ſi vis parvulum meum, unigenitum, delicias meas, & baculum ſenectutis meæ, præmaturè eripere, *fiat voluntas tua*: ſi vis, ut *paupertas tanquam vir armatus* ingrediatur ædes meas; *fiat voluntas tua*. Vis me ariditatibus, tentationibus dæmonis divexari: *Fiat voluntas tua*. &c. Conſigno tibi Jesu claves cordis mei. Sed quis eſt hic, & hæc, & laudabimus eos; ſed tantum abeſt, ut claves cordis noſtri Deo tradamus, ut etiam illi peſſulum, & obicem opponamus, & diabolo aperiamus: memoria patet cogitationibus fædis, voluntas pravis deſideriis, intellectus omnibus nequitiis; quos infeſtos animæ hoſtes, D. Bernardus ſuaviſſimè monet, per fidos janitores arcendos eſſe: r *Ne à memoria*, inquit, *repellat Deum irruens turba plurimarum cogitationum, quæ ſolent effluere, tanquam vilis plebs in atrium; ponatur ad ejus portam* Janitor, *cujus nomen eſt:* Recordatio propriæ professionis; *ut cùm turpibus ſeſe cogitationibus ſenſerit animus prægravari, increpet ſe, & dicat ſibi: tùne hæc debes cogitare, qui Sacerdos es, qui Clericus es, qui Monachus es?* (qui Chriſtianus es) *hæc dicendo, excludet fluxum illicitæ cogitationis, per recordationem propriæ profeſſionis. Similiter ad portam voluntatis, in qua ſolent manere carnalia*

r Bernard. Serm. de triplici judicio.

deſideria tanquam in domo, domeſtica familia ſtatuatur OSTIARIUS, *qui vocatur* : RECORDATIO COELESTIS PATRIÆ : *hic enim poteſt pravum deſiderium, quaſi cuneus cuneum expellere, & ipſum qui ait : ecce ego ſto ad oſtium & pulſo, ſine cunctatione recipere. Jam verò ad thalamum rationis, talis, & tam ferox adhibendus eſt cuſtos, qui nemini parcat ; ſed quiſcumque hoſtis, ſive clàm, ſive palàm ingredi præſumpſerit, procul eum arceat, & hic ſit* RECORDATIO GEHENNÆ. Excludant hi janitores omnia, & uni Chriſto aperiant ; clamat ille ad cor tuum, & ad animam tuam: ſ *Aperi mihi ſoror mea Sponſa.* Gilbertus hîc: t ſtetit magna longanimitae me exſpectans ad pœnitentiam, ſuſtinénsque excluſionem : ſpecialibus beneficiis pulſavit obſtinationem meam, qua tanquam peſſulo obſeratum illi tenebam cor meum : cúmque pulſationes illæ haud me moverent excitatam beneficiis, invitavit inſuper & voce ; vox quippe illius dilecti mei, vox inſpirationis facta eſt ad me intrinſecus, qua ingens ejus exprimebatur deſiderium ingrediendi intra penetralia cordis mei. Audire mihi viſa ſum illum, ſic me affantem : ô anima, cui tot, támque eximia contuli beneficia, quam cohæredem feci cœleſtis Regni ut *ſororem* meam, ex eodem Patre, & ex eadem Matre Jeruſalem cœleſti : *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*: cui ut amicæ meæ, ſacramentum contuli corporis & ſanguinis mei ; ſacramentum verò confirmationis exhibui, ut mea eſſes columba, cœleſtis ſimilis columbæ meæ oleo delibuta Spiritus Sancti : quámque per ſacramentum baptiſmi, ante omnia, *immaculatam* feci meam. Cur patieris, ut extra cor tuum diutius ſtans, pulſánsque ſubſiſtam ? *mihi aperi, non meis hoſtibus* : aperi mihi, præbens ſimul & CLAVES, v quibus aperire anima queat, per hæc 4. nomina deſignatas : *Soror mea, proxima mea, columba mea, perfecta mea.* Ac ſi dicat, ſi vis aperire oſtium, & attolli portas, ut Rex ingrediatur, oportet te meam fieri ſororem, faciendo voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt ; juxta illud : *Qui fecerit &c. ille meus frater, &* SOROR *eſt.* 2, appropinquare veritati, & adeò exactè eſſe propinquam, ut nullo intermedio disjungaris. 3, habere in natura, *columbæ* perfectionem, nulla in re deficere. 4, eſſe plenam omni innocentia & puritate. Monet Hieronymus Euſtochium ut dilecto cor aperiat: x *Vox patruelis mei pulſantis, & dicentis. Aperi mihi ſoror mea, proxima mea, perfecta mea, columba mea. Quid neceſſe eſt*, inquit, *ut cordis tui oſtia clauſa ſint? Sponſo aperiantur Chriſto, claudantur diabolo.* Quò facit pulcherrima & tenerrima devotio venerabilis Matris Mariæ de Arbouſe, y quæ ſe mirè lætam dictitabat, quod *clavem* tabernaculi, quo SS ſacramentum reconditur, aſſervare, & penes ſe habere poſſet: atque in has amoris plenas voces quandoque erumpebat: *Meus eſt*, CLAVEM *habeo, non effugiet.* Cor tuum, tabernaculum Chriſti eſt, in quo toties requieſcit, atq; ut ibi manſionem faciat, nec effugiat, dic: *Meus eſt*, CLAVEM

ſ Cant. 5. t Gilbert. in Cant. c. 5. v. 2. expoſit. 3. ſub finem.

v Idem expoſit. 4. n. 18. ad 4. x Hieron. Epiſt. 22. ad Euſtochium. y In vita.

habeo, non effugiet. Eum intus concludе,& mundum, peccatum & diabolum exclude, hoc eſt, quod Hipponenſis Præſul commendat,& inculcat: z *Habitaculum cordis noſtri evacuetur vitiis; & virtutibus repleatur: claudatur diabolo, & aperiatur Chriſto: & ita laboremus,ut nobis bonorum operum* CLAVIBUS, *januam Regni cœleſtis aperire poſſimus: ſicut enim malis operibus, quaſi quibuſdam ſeris ac vectibus,vita nobis janua clauditur; ita abſque dubio, bonis operibus aperitur.* Heroicum fuerit illud quod Ribadineira commemorat: a *Marcus Guitterus*, arcis Præfectus,omnibus prеſidiariis mortuis,ipſe fame propè enectus, *claves arcis, collo appendit*, humíque jacens,ſic mori cupiebat; verùm hoſtes in arcem ingreſſi, *Marcum* propé enectum curârunt: ut ad ſe rediit,ingemuit, *quod in defectione mori non licuiſſet cum* CLAVIBUS *ad collum alligatis.* At quantò illuſtrius, ſi ſic quiſque noſtrum clavibus heroicarum virtutum, operum miſericordiæ corporalis, ac ſpiritualis,collo alligatis,è vivis excedens, iis ſibi cœli valvas aperiat? plus dico, etiam per opera manualia, ſervilia,mechanica, quibus ad victum vobis ac liberis veſtris comparandum inſudatis, cœli januam aperire poteſtis,ſi ea recta, & directa ad Dei gloriam intentione exerceatis. In hac ſanctiſſima exercitatione (quam omnes ſtudioſè æmulari debetis) excelluit ſanctimonia vitæ inſignis quidam Frater noſter,veſtiario præfectus, cui nomen *Joannes de Soto*; *b* is gravi & lethifero, quem prædixerat, morbo decumbens, jam morti proximus, acum popoſcit, quam in parietis alicujus rimam inſeruerat: hic præſentes hominem delirare opinabantur; quibus ille: non deliro, inquit, mentíſque & animi ſanus ſum; quare amore Dei, dari mihi velim, quod peto. Allatam itaque acum in manus ſumpſit,dixítque affuſis ſociis: *Hæc mihi cœli* CLAVIS *erit, hac Paradiſi portas reſerabo,cúmq; hac mori cupio,&Chriſtum inviſere.* Cauſam audite,quam, & qualem ſubjunxit: *Nihil enim hac acu paravi, niſi ſolius amore numinis: neque filum eadem trajeci unquam, præterquam,ut illi placerem, non aliter quàm ſi ipſummet Chriſtum veſtire debuiſſem.* O ſi quivis è mechanicis in extremis aſſeverare poſſet: hac acu,ſubulâ, trullâ, malleo numquam niſi amore numinis,& ad ejus gloriam uſus ſum. Si vos mercatores,cauſidici, conſiliarii,qui calamos non paſſi inertes,tot apochas, lites, codicillos ſcribere conſueviſtis, ſi jam extremum ſpiritum trahentes, calamo vobis objecto, Deo teſte, verè affirmare poſſitis; hunc calamum nunquam in manum ſumpſi, niſi ut ex Dei amore, juſtas cauſas propugnarem,ut viduas & pupillos defenderem, ut Dei gloriam in omnibus ſectarer. Securus hinc emigrare poterit,quia clavem ſecum fert,qua *januam Regni cœleſtis aperiat.*

z Auguſtin. Serm. 252. de temp.

a Ribadineira de Principe, lib. 2. c. 16.

b Nierenbegius vita divina c. 21.

FE-

FESTUM S. MATTHIÆ APOSTOLI.

SORS *cecidit ſuper* MATTHIAM, *Act.* I.



Vtere SORTE *tua.* Virg. lib. 12. Æneid.

ARGUMENTUM.

SI quem miſerabilis tenet inſania, & damnabilis curioſitas ſciendi futura, non Augures, Ariolos, Aſtrologos, aut Sortilegos; ſed Deum omnium mo-

deratorem, *in cujus manibus* SORTES *noſtræ*, conſulat; quemadmodum hodierna luce diſcipuli, quibus *sanCtVs Matthlas, ApoſtoLVs ſorte DatVs eſt.* Eâ verò, quæ cuique veſtrum à divina providentia ſors obtigerit, contentus vivat: ſi te opificem, hunc mercatorem, illum medicum, alterum cauſidicum, ſenatorem, conjugatum, cœlibem, Eccleſiaſticum, Religioſum, Sanctimonialem eſſe voluerit: *utere ſorte tua*; nec alterius tua feliciorem exiſtima; quam deſultoriam levitatem, & animi inquietudinem Venuſinus Vates miratur, & execratur:

c *Qui fit Mecœnas, quod nemo? quam ſibi* SORTEM,
Seu ratio dederit, ſeu ſors objecerit, illa
Contentus vivat, laudet diverſa ſequentes?

Nec de uno ſtatu ad alterum tranſire labora, *d* ut Doctor Angelicus, more ſuo Angelicè monet. Cúmque ſortes hodie Apoſtoli miſerint, non omnem divinationem ſortium damnandam; ſed & illam, qua ſortitò Patronus menſtruus deligitur, maximè omnibus commendandam ſuadebo.

§. I. UNUSQUISQUE IN VOCATIONE, QUA VOCATUS EST, IN EA PERMANEAT *e*: *& ſorte ſua contentus vivat.*

§. II. *Utrum* DIVINATIO SORTIUM *ſit illicita? f*

§. III. *Divina Patroni menſtrui* SORTITIO, *ut* IN PARTEM SORTIS SANCTORUM *venire mereamur* g.

c Horat. Sat. 1. d S. Thom. 22. q. 89. a. 8. e 1. Cor. 7. f S. Thom. 22. q. 95. a. 8. g Coloſſ. 1. v. 12.

FE-

FESTUM
S. MATTHIÆ APOSTOLI.

SORS *cecidit ſuper* MATTHIAM, *Act.* I.

OMNI homini innata eſt vehemens curioſitas,*h* &ardens quædam aviditas ſciendi futura, & abſentia, ac longè à nobis diſſita: ut ſcitè, & eruditè Theologorum Aquila, Aquinas: i *homo naturalem habet inclinationem ad cognoſcendum futura.* Quis porrò non avidus ſciendi, quid de ſe futurum, quid fortunæ, capiti ſuo immineat, quæ damna, quæ lucra, quæ adverſa, & proſpera ſibi eventura; Ad quæ officia, functiones, & dignitates, per quos gradus perventurus? Quis paterfamilias non *habet naturalem inclinationem ad cognoſcendum*, quid de prole ſibi nata futurum ſit? quo genio, quo ingenio, quibus moribus filius futurus ſit? quibus occupationibus, ſtudiis, ſcientiis ſe maximè daturus? hæc & ſimilia prænoſcere, præſcire, omnium patrum &matrum avidiſſima propenſio eſt. Quis juvenum non ſciendi avidus, quem vitæ ſtatum, Eccleſiaſticum, an Religioſum, an ſæcularem electurus, & in eo quid acturus ſit? Atque ut fæmina præ cæteris curioſum eſt animal, quot votis optarent filiæ, certò ſibi conſtaret, quem cujúſque conditionis, indolis, complexionis, maritum habituræ? An pium, probum, prudentem, modeſtum, ſobrium; an impium, improbum, ignarum, turbulentum, temulentum? An numeroſam, an nullam prolem habituræ? ut veriſſimum ſit illud, quotidiana experientia comprobatum; k *homo naturalem habet inclinationem, ad cognoſcendum futura.* Princeps Philoſophorum, qui teſte Lucretio, genus humanum ingenio ſuperavit, extendit hanc aviditatem etiam ad abſentia, & à nobis remota: dum ait: l *homo animal curioſum, naturaliter ſcire, deſiderat abſentia, & futura*; Ecquis enim mercatorum non avidus ſciendi, quid de claſſe Hollandica, & Anglica: quid de Hiſpano, & Luſitano: Quid de Veneto, & Turca: quid de Sueco & Dano, aliiſque (pro temporis circumſtantiis) futurum ſit? Quid in remotiſſimis orbis partibus, in America, in Aſia, Palæſtina, Babylone &c. agatur? qui populi, qui mores, quæ merces, qui tumultus, quæ bella ex iſtant?

m ——— Quis ſub arcto
Rex gelidæ metuatur oræ,
Quid Tiridatem terreat?

Quæ curioſitas cognoſcendi abſentia, ardentior eſt circa ea, quæ nos propius contingunt, ut pate

h Homo avet ſcire futura, & abſentia. i S. Thom. 22. q. 95. art. 2, ad 3.

k S. Thom. cit. l Ariſtoteles initio Metaph. m Horat. lib. I. carm. Ode 26.

tet in amicis à ſe longè diſſitis, & toto Oceano diviſis; potiſſimum verò in maritis, in regionem longinquam longè à chariſſima conjuge, & liberis, ac domeſticis ſuis profectis; quorum animus, cogitationes omnes, deſideria, vota ſunt, hæc ſcire abſentia; eóque nonnullos hæc vehemens curioſitas adegit, ut etiam ad ſortes, *n* & artes divinatorias, ac præſtigias diabolicas recurrerint; quo in genere innumera exempla, eáque præclara, atque ex probatiſſimis auctoribus, (ut ſcribit excellens Theologus P. Stephanus Bubalus *o*) habet ferè ſingulis paginis Janus Jacobus Boiſſardus, toto libro de divinatione. E quibus, ceteris prætermiſſis, in rem præſentem, eventum non multis abhinc annis cuidam ſuo amico accidiſſe, viro imprimis nobili ac literato, cujus nomen ait ſe reticere, ob illius viri auctoritatem, ac reverentiam, his verbis enarrat. *p* Huic dæmon per quendam Magum illuſit egregiè arte catoptromantiæ, quæ fit per ſpeculum. Ad quod admovetur pura ab omni labe venerea puella, quæ in ſpeculum fixis oculis intuens, videt eorum formas, quæ quis dæmonis operâ, abſens etiam longiſſimè videre cupit. Is ergo vir nobilis ob cædem patratam exulabat à patria, relicta uxore, quam ardenter amabat: útque exilii incommoda, virorum doctorum familiaritate, & colloquiis leniret, in academiis vitam degere conſtituit. Poſt aliquot menſes, *cum illum ſciendi, quid ejus cariſſima uxor ageret, cupido inceſſiſſet*, celebrem ibi Magum, non tam quia ei fidem exhibendam putaret, quàm ut ejus vanas artes exploraret, conſulit. Ab eo igitur ſciſcitatur, an in ſpeculo intueri poſſet, (aut alia ſorte divinatoria) qua tandem in re etiam longiſſimè (diſtabat enim itinere decem dierum) abſens ejus uxor occuparetur? promittit viro Magus, ſe effecturum omnia, quæ vellet: præſcribitur dies: conveniunt viri aliquot honeſti, qui eventorum teſtes adeſſent. Acceſſitur puella octo annorum, *cui*, inquit, *ſolvuntur comæ, & aqua luſtrali cum invocatione, & ſuſurratis exorciſmis tinguntur: circulo incantato, & circumcirca magicis characteribus inſignito, media ſtatuitur, & ut attentè contemplaretur in ſpeculum, jubetur*. Poſtquam autem ter interrogata eſſet à Mago, quid illa cerneret, póſtque validas totius corporis contorſiones, perturbato vultu, terrificis oculis trementi, atque interrupta voce tandem reſpondit: *Video, video, video*. Quid, inquit Magus? *video hypocauſtum amplum, ornatum picturis, & fornace excellentis ædificii. Video in abaco vaſa argentea, deaurata; candelabrum è laqueari dependens, ſcamna ſtromatibus ac pulvinis ſtrata, ſuper menſam pallium cum galero, & gladio*. (totum ejus cubile, & ſuppellectilem omnem deſcripſerat) & poſt pauca: videre ſe ait canem album cubantem prope fornacem, & nihil præterea. Mox ex improviſo exclamat puella: *Ecce*, inquit, *mulier formoſa pileo tecta holoſerico* &c. *Veſte amicta eſt viridi* &c. *& neſcio quid nigricans in vola manus ſiniſtræ continet, quod pollice dextra ſaliva tincto explanat, & lenit. Conſpi-*

n Arte magica, abſentia repræſentantur. o Steph. Bubalus de Angelis q. in D. Thomam 50. quæſito 2. §. 3. pag. 53. p Boiſſardus de divinat. c. 5.

ſpicio juvenem flava cæſarie cincinnatum, qui ponè fornacem ſtat nudo exerto femore. Quibus auditis vir ille expalluit, & obmutuit: noverat enim illa omnia domus ſuæ eſſe ſolita ornamenta, uxoris domeſticum habitum &c. ſed illum adeò torſit ejus juvenis aſpectus, ut uxorem læſæ pudicitiæ ſuſpectam cogitaverit de medio tollere. Itaque celerem equum conſcendit, in patriam properat; urbem tamen ingredi non auſus, in vicum proximum (ac forte ſuburbanum ſuum) ſecedit: à ruſtica quadam muliere de uxore ſciſcitatur, de ea omnia caſtè narrari audit. Tandem per eam ruſticam epiſtolium, in quo incluſus erat annulus conjugii index, ad uxorem mittit. Uxor lætitia geſtiens, rus ad maritum advolat. Ille in proximam ſylvam uxorem ſeduxit, ut eam jugularet. Tamen uxoris emollitus blanditiis & formâ, quærit ab illa quid egerit tali certo die? utrumne tali loco, tali habitu, & cetera fuerint? quæ illa ingenuè faſſa eſt omninò, ut viderat in ſpeculo puella. *Sed quid*, inquit vir, *in vola lenibas ſalivâ madidum, quis fornaci adſtabat juvenis, nudo femore?* Illa rei novitatem admirata, ſeſe paràſſe emplaſtrum reſpondit *Friderico fratri tuo, ulcere in coxendice laboranti, atque ille mihi rei teſtis* (qui etiamnum decumbebat) *futurus eſt.* Tandem vir exhilarato animo, uxorem magna benevolentiæ ſignificatione complexus, rediit in exilium, *execratus magicas fraudes, & diabolicas illuſiones*, quæ illum in uxorem caſtiſſimam, & ad tam immane flagitium incenderant. Hactenus ille. At ſi quem veſtrum teneat aviditas, & curioſitas *ad cognoſcendum* abſentia, & futura, quid ſortis ſibi, ſuíſque obventurum; hoc citra ullum crimen aut diſcrimen, arte non divinatoriâ, ſed planè divinâ, ídque certo & infallibili modo conſequi poteſtis, ſi oculos, animóſque omni labe puros hodierna die in illud increatæ ſapientiæ, & æternæ providentiæ *q ſpeculum ſine macula*, in quo omnia futura & maximè abſentia, ut præſentia relucent, intendere, & quæ circa vos, ac liberos veſtros, potiſſimum, quæ ſalutem animæ ſpectant, conſulere velitis. Quod qua ratione fieri poſſit, in electione D. Matthiæ, & quæ deinceps de divinatione ſortium dicturi ſumus, manifeſtum fiet.

Varii varium ſortiendi modum, & maximè variè uſurparunt. Duces & centuriones in caſtris, militum ſortes, Homero teſte *r*, in galeam conjiciebant, quod & Virgilius teſtatur:

ſ Convenêre viri, dejectámque ærea
SORTEM
Accepit galea, & primus clamore
ſecundo
Hirtacidæ ante omnes exit locus
Hippocoontis.

Cicero meminit *ſortium* conjectarum in hydriam, ſeu ſitulam, *t* uti & Plautus. Alii volunt è capſa vel urna, albos aut nigros lapillos, ſeu fabas eductas; Venetos, verò aureos & argenteos calculos uſurpare ſolitos. *v* Quibuſdam fuit mos ſortes in ſinum conjicere, ut ſacræ paginæ loquuntur: *x* SORTES *mittun-*

q Sap. 6. v. 26. r Homer. Iliad 8. ſ Virg. lib. 5. Aeneid. t Cicero Act. 4. in verrem. Plautus in caſina. v Petrus Greg. Toloſan, lib. 34. Syntagm. c. 4. x Prov. 26.

tur

tur in ſinum. Denique è pugno, ſeu clauſis manibus ſortes trahebantur. Unde purpuratus Vates: y *In manibus tuis* SORTES MEÆ. Plures iſtiuſmodi ſortilegos, ſi mores ſpectemus, hic inter vos ſtantes video; quoſdam enim reperire eſt, qui fortunarum ſuarum, valetudinis, vitæ, corporis, & animæ, atque adeò ſalutis æternæ ſortem in galeam conjiciunt, dedunt ſe militiæ, incertam belli, & eventus aleam experturi; temere agentes, quid de ſe futurum ſit. Nec pauciores, qui ſortem ſuam liquidiſſimam in hydriam, in amphoram conjiciunt, ex pleno cyatho, ſeu ſcypho ſpumante augurari ſoliti, quod genus vini nobilius, quod robuſtius, quis potentior ad bibendum? patrocinari ſibi volunt illud Gen. 44. z *Scyphus in quo Joſeph augurari ſolet*; quod Cornelius noſter, aliique interpretes non ex mente horum temulentorum inſanè, ſed ſanè & ſanctè exponunt: a *Joſeph enim hoc Scypho cum vino plenum eſſet, hoſpitibus ſuis propinando, naturaliter divinabat, & explorabat hoſpitum ſuorum temperantiam, prudentiam, & arcana cordis.* Alii auream ſuam ſortem in urnis, & capſis probè occluſis collocant, indéque omnem ſuam felicitatem educunt, dum aureos & argenteos calculos ſortiri queunt. Sed longè frequentiſſimi, qui cæcam ſuam ſortem in ſinum ſcorti, aut infamis lupæ recondunt. Præ his ſoli fortunati, térque quatérque beati, qui ſortes verè ſanctas & ſecuras, in manibus Domini repoſitas habent: qui omnia circa ſe, ac ſuos futura, manibus ejus committunt, uxorem, liberos, fortunas, mercaturam, valetudinem, vitam. Talis non poteſt non felicem in omnibus ſucceſſum ſortiri; quia ſortes ejus in manibus Domini, qui diſponit omnia ſuaviter, b *aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione.* Unde locum illum Pſaltis regii: c *In manibus tuis* SORTES MEÆ, perappoſitè Theodoretus, d *vir planè doctiſſimus*, exponit in hæc verba: *In manibus tuis tempora mea*, longa vel brevia, proſpera vel adverſa; *quaſi diceret, tribuis ut vis, cuilibet, & lætitiam & mœrorem, & hæc rurſus commutas, ut tibi videtur.* Quin & caſus omnes, eventus, ſtatus rerum mearum; lucrum, damnum, viciſſitudines omnes, habet in manibus ſuis: *tempora enim vel* SORTES *nuncupat rerum viciſſitudines, divitias & mendicitatem, ſervitutem, & dominatum; pacem & bellum, & alia id genus*, quæ homini evenire ſolent. Hoc unicè ſpectavit *Sanctus Matthias*, qui veriſſimè illud Pſaltis uſurpare potuit: e *In manibus tuis* SORTES MEÆ: vis me, Deus, in ſacrum illud diſcipulorum tuorum collegium aggregare? libens cum iis ad gloriam tuam, laborabo uſque ad defatigationem. Vis ſortem alteri adſcribi? non minus impigrè deſudabo, & illorum veſtigia lambens, libens illis miniſtrabo. Vis me perſecutiones, vincula & carceres perpeti, vitam & ſanguinem profundere? ecce me, in manibus tuis ſortes meæ. At quæ, & qualis hæc ſortitio fuerit, & quomodo ſortes initæ, ac SORS *ceciderit ſuper* MATTHIAM, variant ſacri interpretes. Excel-

y Pſal. 30. z Gen. 44. v. 5. a Cornel. hic

b Pſal. 144. v. 16. c Pſal. 30. v. 16. d Bellarmin. de ſcript. Eccl. Theodoret. in pſal. 30. v. 16. e Pſal. 30.

len-

lentiſſimus ſacræ paginæ commentator, quo potiſſimum, ut maximè morali, utar, Hugo Cardinalis, ſplendor Ordinis Dominicani, ſic ait: f *Eligitur non virtute* SORTIUM; *ſed voluntate ejus, qui* SORTES *regit incertas.* Hauſerat id fortè ex illo divi Auguſtini: g SORS *res eſt in dubitatione humana, divinam indicans voluntatem*; idque per ſignum aliquod externum viſibile, vel ſenſibile, ut ſentit S. Dionyſius, quem divus Maximus h *in rebus divinis planè eruditum, beatum virum, ſumma altiloquentia, ſanctiſſimum & verum Dei interpretem* nuncupare non dubitavit; is hac ſuper re ſenſum ac ſententiam ſuam exponit: *Videtur mihi, inquit, ſcriptura* SORTEM *appellaſſe divini quiddam, & præcipui muneris; per quod in choro ſacratiſſimo inſinuaretur, qui eſſet divina electione declaratus*; ſed quid, & quale illud *divinum quiddam* fuerit, non exponit. *i* Sanctus Antoninus cenſet fuiſſe radium è cœlo demiſſum in Matthiam, ſicut radio lucis demonſtratus fuit Gregorius Magnus Pontifex. Dionyſius Carthuſianus cenſet fuiſſe columbam cœlitus delapſam ſuper Matthiam, ſicut S. Chryſoſtomus, Fabianus, Carbonarius ad ſacras infulas electi ſunt. Cornelius noſter tradit, quod Apoſtoli ſignum hoc ex inſtinctu divino præfinierint: Super quem deſcendet radius, aut columba è cœlo, ille Dei judicio erit Apoſtolus; ac tum Deum orarunt, ut ipſe has ſortes dirigeret, & ederet. verùm ſic non

f Hugo in Acta. c. 1. g Auguſt. in pſal. 30. h S. Maxim. in Eccleſiaſt. myſtag. c. 1. Dionyſ. Eccl. Hierarch. c. 5. part. 3. i Corn. Lorin. hic.

fuiſſet ſortitio, ſed electio: nam ſortes mittere, communi verborum ſenſu, aliud ſignificat: in ſorte enim eſt eventus fortuitus, & à caſu expectatur, ut is vincat in quem ſors, quaſi alea ceciderit. Dico ergo Apoſtolos miſiſſe ſortes propriè dictas, cum Lorino, Mariana, aliiſque, qui cenſent nomen Matthiæ uni chartæ, nomen Joſephi, alteri fuiſſe inſcriptum, atque utrumque conjectum in urnam, ſeu ut alii, in calicem, ut cujus primò educeretur, is eſſet Apoſtolus; ac primò eductum nomen Matthiæ, dein à Deo cœleſte ſignum emiſſum, quò ſortem comprobaret. Nunc ut & vos ſorte veſtra, quoquo modo ceciderit, contenti eſſe velitis, & ut nolitis, debeatis, paucis ediſſeram.

§. I.

Unuſquiſque in vocatione; qua vocatus eſt, in ea permaneat, & ſorte ſua contentus vivat. k

GEſtit animus, ſimul ac ſtupet, triumphat, & horret. Laudari Matthias ſine metu non poteſt; nempe in ejus ſuffectus locum, qui venalem expoſuit Deum. Supra fidem eſt, quod fregerit fidem Summo Imperatori Dux Non modò ſicariorum fuit ſignifer, ſed ut ille dignoſci poſſet, addidit ſignum. Fixit oſculum, refixit fidem; tunc maximè excors, cum duplici fuit corde *l*. Poſt acceptam in ſacra menſa dapem, accenſa magis

k 1. Cor. 7. l Ioachimus Perionius,

eſt

eſt auri ſacra fames. Meritò de ſe ſupplicium ſumpſit in gutture, cui immenſa erat cupiditatis vorago. Sed caſus unius, gradum fecit alteri, & quem locum ſcelere infando, & morte infami Judas vacuum reliquit, eum hodie Matthiæ virtus occupavit, numerúmque numero ſuo carentem feliciſſimè inſtauravit, cùm nobiliſſimo canditato cœli, etiam vota ſuffragarentur. Ergo poſtquam orbi bellum movere placuit, Matthiæ Provincia decreta eſt Judæa, ob infenſiſſima populi in Chriſtum odia, longè id temporis difficillima. Sed magnis animis hanc aggreſſus Matthias, facilè debellavit. In Æthiopiam quoque excurrit; ibi pugnatum verbis, ac prodigiis perſæpe, & expugnati multorum animi, Chriſto, & Matthiæ deditionem fecerunt. Interea ſucceſſu rerum rumpebantur Pontifices, uti populi, ita odio in Chriſtianos, principes; neque tamen aliud quàm triumphum parabat invidia; huic conceſſit Pſeudopontifex, cùm mortem indixit. Acceſſit populi concurrentis furor: ornârunt præ reliquis, teſtes duos mendaces, eóſque carnifices, ut qui primi Matthiam lapidibus petierunt; hos ille velut triumphi ſui decora, & lapides pretioſos, tumulo ſecum inferri præcepit. Denique ut integer ſuus pompæ honor conſtaret, ſecures, quæ præferri alias ſolebant, ipſe fiſſo capite triumphator tulit. Hæc brevis perioche ſortis, quæ *cecidit ſuper Matthiam*. Cui ſimillimus ut nomine, ſic ſortis omine, alter Matthias, de quo Bollandus: *m* Dum Taicoſama tyrannus Meacenſes illos 12 cives comprehendi juberet, & unus nomine Matthias abeſſet, fruſtráque ſæpius inclamatus, quia abſens non compareret, audiit alius Matthias, Matthiæ nomen inclamari, & ſe ſatellitibus ultro obtulit, dicens: *Ecce vobis Matthiam*, licet non ſim, quem quæritis, ſum nihilominus Chriſtianus, & horum Patrum amicus. Hoc ſatis, reſponderunt illi, nec opus eſt jam quærere alium, & ſic abductum cum reliquis crucifixerunt. De quo veriſſimè dicatur: n *cecidit* SORS *ſuper* MATTHIAM, *& annumeratus eſt cum undecim*. Hujus itaq; ſortis intuitu ſtatui vobis exponere, quemque ſortem ſuam exemplo S. Matthiæ, debere grâtanter excipere, & ea contentum vivere, maximè cum in omni, quæ nobis à Deo obtingit, poſſimus, modò velimus, ſalutem operari. *o* Inter ceteras miſerias, quibus humanum genus miſerè conflictatur, non poſtrema ea eſt, & querelarum plena, quòd nemo ſorte ſua contentus vivat. Hæc inquietudo in cœlo nata eſt, ubi cœleſtes illæ intelligentiæ, velut aſtra matutina admirabili decore fulgebant; at non contenti Angeli ſorte, & ſtatu, felicitate ſua, qua poſt Deum major non erat, altiora appetierunt, atq; altiſſimi ſimilitudinem affectare præſumpſerunt: p *ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum: ſimilis ero Altiſſimo*. Quod inquietũ malum cœlo deturbatum, primos Paradiſi afflavit, quos velut terreſtres Deos, univerſi totius, omniúmque rerum creatarum dominos conſtituerat

m Bolland. 5. Feb.

n Act. 1. 26. o Quiſque ſorte contentus vivat. p Iſaiæ. 14. v. 14.

tuerat; cùm ſorte ſua non amplius contenti, ſpreta Dei lege, vetitum fructum, ut fierent ſicut Dii, deguſtarunt. Ab his poſteritas tota virus illud contraxit, & jam ſupra 5000 annorum experta eſt, adeò ut vix ulla nobis ſors hodie obtingat, quam die craſtina non faſtidiamus. Natus patre mercatore, mallet nobili prodiiſſe: deformis vellet ſpecioſus, pauper dives: mediocris ingenio, ſubtilis natus eſſe. Quid, quam ſortem ipſi nobis fabricati ſumus, & delegimus, cras averſamur & deteſtamur! Quot ſunt, qui hiſce Bacchanalibus matrimonio illigabuntur, vel alligati, quos ante mediam quadrageſimam, imperioſam fortè uxorem, aut turbidum, & temulentum maritum nactas, ſortis ſuæ pœnitebit! O utinam, inquiunt, eſſem, qui fui! Alius qui militiæ nomen dedit, ubi penuriam, & pericula expertus, queritur & dolet, ſe ſacramentum dixiſſe. Advocatus, aut Cauſidicus, clientum & conſulentium importunitatibus coactus ſomnum abrumpere, vix tempus prandendi liberum habens, laudat eos, qui ruri habitant, neque ſimilibus interturbantur. Mercator audiens merces in mari periclitari, præeligeret militiam, in qua concurritur horæ

q *Momento, aut cita mors venit,*
aut victoria læta.

Alius mundo ſpreto in ſortem Domini adſcriptus eſt, ſed tædio victus, & ſolatio omni ſubtracto, pœnitere eum incipit, vellétque mutare. Sic quiſque propè alienam ſortem, ſua propria feliciorem ducit, ut inter alios obſervavit Horatius:

r *O fortunati mercatores, gravis annis*
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contrà mercator, navim jactantibus auſtris,
Militia eſt potior.
Agricolam laudat juris, legúmque peritus.
Ille, datis vadibus, qui jure extractus in urbem eſt,
Solos felices viventes clamat in urbe.

Ecce quomodo melior, & jucundior nobis appareat aliena conditio, præſertim ſi inferioris, & tenuioris conditionis ſimus. Nimirum:

ſ *Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in agro.*

Hinc illa animi inquietudo, ut unuſquiſque judicet ſortem alienam, ſua feliciorem. Apologus non inficetus de Pavone, & Philomela, rei præſenti ſerviet. *t* Pavo oculato ſuo ſyrmate, & verſicoloribus plumis pulcherrima volucris, philomelam, audierat ſuaviſſimè modulantem, & illico Junonem adiit plangens, & dicens: obſecro te mea Dea, unum mihi concede, ut in cantu philomelam æmulari queam, aliàs præ dolore moriar. Cui Juno reſpondit, ut ſic picturatis plumis contentus eſſet, ſicut luſcinia cantu ſuo; eum enim in perpetuo victurum cruciatu, qui cujuſque bonum ſibi ſemper exoptat. Valet hic illud purpurati martyris Boëtii: u *Quis eſt ille tam felix, qui, cùm dederit impatientiæ manus, ſtatum ſuum mutare non optet?*

q Horat. l. 1. Sat. 1.

r Horat. lib. 1. Sa. 1. ſ Ovid. lib. 1. de arte. t Theatre des animaux.
v Boëtius de conſol. Philoſ. c. 2. proſa. 4.

ſuum mutare non optet? Quis eſt enim tam compoſitæ felicitatis, ut non aliqua ex parte cum ſtatus ſui qualitate rixetur? Taliter ſe cruciant ſorte ſua non contenti, quos omnes ſi Deus exaudiret, & faceret tales, quales eſſe vellent, cras iterum aliis viſis, & concupitis, mutationem appeterent, ut Poëtæ de Tithono fabulantur, qui cùm à diis immortalitatem impetraſſet, tædio tantæ ſenectutis affectus, petiit è vivis decedere. Haud aliter complures pœniteret, ſi iis daretur præſentem ſuam ſortem, & conditionem mutare, exoptaréntque eam reſumere; quod alia lepida, & egregia fabula de aſino mutante dominos exprimitur: nam aſellus olitori ſerviens, cum pabuli quàm minimum haberet, & laboris plurimum, Jovem eſt precatus, ut ſibi alium herum daret. Dedit ille figulum, ubi totos dies lutum, & lateres portando, cum ſuccumberet, venditus eſt coriario; ſed illic moleſtius erat ferre fætidas ſuorum fratrum, & cognatorum pelles. Tum triſte rudens, ah ait, quàm ſatius mihi fuit priori ſervitutem ſervire hero! hic enim, ut video, ubi me labore occiderit, corium quoque vexare perget mortui; jámque mille votis ſeriò primam ſuam ſortem exoptabat. Docemur interim, quàm malè, & immeritò inſtabiles ſumus omnes Filii Adæ, & ſorte noſtra non contenti; ac proinde tenendum, quem habemus, ſtatum & conditionem à Deo donatam; hanc hilariter ſervemus, ne commutando ad noſtrum arbitrium, pejorem incurramus, ut Cretenſibus accidiſſe ferunt, qui enixè, & inſtanter à Jove Cretæ nato, plurimis etiam oblatis ſacrificiis rogarunt, ut cives, ſeu populares ſuos præ aliis eo favore donaret; nimirum omnibus adverſitatibus, difficultatibus, crucibus liberaret. Verùm Jupiter id continuò negavit, dicens id humanæ vitæ conditioni repugnare, quæ variis ſemper miſeriis, ac moleſtiis plena eſſe deberet. Quo audito aliud poſtularunt: cum eximi miſeriis omnino non poſſent, id ſaltem privilegii impertiri dignaretur, ut poſſent difficultates, & cruces ſuas inter ſe mutuo commutare. Hac obtenta facultate, voce præconis promulgari fecerunt, ut quilibet, qui difficultates, & cruces ſuas permutare vellet, ſtatuto die ſuas quiſque deferret ad forum. Ita factum; quique cum ſacco, & cruce ſua eò conveniunt; conjugatus in eo cruces, & difficultates, quas haberet cum uxore & liberis, ac familia aſportabat: Quis vult, ait, mecum commutare? Uxor afferebat quæ patiebatur à marito. Viduæ, omnes oppreſſiones, & deſolationes ſuas; atque ita omnes reliqui ſtatus in foro mutatorio (*op de Weiſsel-meert*) comparent. Ubi verò ſinguli cum ſuis juſta lance appenderent aliorum cruces, ac difficultates, deprehenderunt alienas ſuis præponderare, ſuáſque adhuc è minimis eſſe, ſua ſorte contenti, domum abierunt, ſolicici, ut impoſterum eam patienter ferrent. Quæ cum ita ſint, lubet cum Venuſino Vate percunctari:

x *Qui ſit Mecœnas, quod nemo, quam ſibi* SORTEM,

x Horat. ſat. 1.

Seu

Seu ratio dederit, ſeu ſors objecerit, illa
Contentus vivat, laudet diverſa ſequentes?

Varii variè reſpondent. Optimè mihi viſus dixiſſe Philippus ille vetus commentator in Job, qui tempore S. Hieronymi vixit, ajens: *Animus hominis, qui ſtare noluit, cùm potuit, jam non poteſt ſtare, cùm vult; ſed ſemper deſideriis variatur, ut quietus actionem deſideret, occupatus quietem.* Atque hinc, ac ſi argento vivo pleni eſſemus, ſemper ſumus inquieti? imò argento vivo inſtabiliores: illud enim injecto auro quieſcit; nos numquam. Inſtabilitas itaque mentis noſtræ, variis paſſionibus concupiſcentiæ agitatur, quò fit ut præſentia faſtidiamus, abſentia quæramus. Atque hac inquiete ſæpenumero in magnum ſalutis noſtræ diſcrimen vocamur. Corrigenda igitur hæc animi levitas; & per veram fiduciam in Deum ſolidanda. Sic David: y *Ego autem in te ſperavi, quia Deus meus es tu, in manibus tuis* SORTES MEÆ; quaſi diceret: à te ſcio mihi ſortem mitti. Incipiamus à bonis corporis, & fortunæ, de quibus dubium non eſt, quin Deus peculiari providentia ita diſtribuat, ut quidam ſint Reges, belli duces, ſacri & profani reipublicę præſides, ac Domini; alii ſubditi ac ſervi. z Et quod mireris, quæ non & horum, & illorum inquietudines, ſtatus, ac conditionis ſuæ execrationes, ac infinita in Deum querelarum, ac injuriarum plauſtra? hi nullam ſibi nec noctu, nec diu quietem eſſe, vitam omnem cura, ſolicitudine, & anxietate plenam: mille curas, tædia, faſtidia, inſomnia, opprobria, in ſumma dignitate, & ſuperioribus in gradu conſtitutis devoranda: ſubditos perfidos, regi infidos, ac perduelles: Prælato ac ſuperiori refractarios, inobedientes, diſcolos: Domino ſuo ſervos & ancillas, contumaces, ſtolidos, ac ſtupidos, ebrioſos, laſcivos, nimis dominantes, & gratia uxoris, aut filiæ valentes, queri ſolent. At verò longè graviora contra Deum, & Dominos ſuos, non contenti ſorte ſua, ſubditi & ſervi effutiunt. Subditi de incapacitate, & improbitate eorum qui prȩſunt, de corruptela munerum, de impoſitione vectigalium, de oppreſſione pauperum & viduarum, de juſtitia terris ſublata, plenis buccis, in triviis, in foris, in compitis, in navibus & curribus deblaterant. At quorſum hęc omnia? Quid te tangit, ſi is malè ac perversè, vel bene & rectè munere ſuo fungatur? Quid diræ, & calumniæ tuæ conferent, ut iſti malo occurratur? Famuli, & ancillæ ſervitutem ſuam exoſi, imperium excutere, dominos mutare meditantur: Non poſſe ſe diutius tot in una domo, & virum, & uxorem, & filios, & filias, etiam contraria imperitantes ferre, & omnibus ſatisfacere, neſcire ſe cui Domino pareant? felices illos & illas deprædicant, qui mitiores, benigniores, indulgentiores ac liberaliores Dominos nacti ſunt. Qui omnes mihi ſimiles videntur aſino illi Æſopico, *a* qui cum indies tanto onere por-

y Pſal. 30. z Servi & ancillæ ſua ſorte contenti ſint.

a Benedictus fidelis Dom. ſexag. conc. 3. n. 14.

portando gravaretur, ut propè ſuccumberet, inſuper inediâ confectus, verberibus urgeretur, equum fortè in pinguibus paſcuis palabundum conſpicatus, beatam ejus ſortem prædicavit, ſuámque miſeram, & intolerandam ſervitutem exaggeravit, dicens:

b *Heu melior quantò* SORS *tua*, SORTE *mea eſt*!

Sed dum non multò poſt, equiſonem accurrentem vidit, qui equi ora lupatis conſtringeret, eóque conſcenſo, calcaribus ad ſanguinem ſtimularet, eúmque ad prælium, ad vulnera, ad mortem duci audiret, ſorte ſua contentus, magnas diis *gratias agebat*, *quod non ſe equum*, *ſed aſinum feciſſet*. At, inquiunt: cur Deus tam inæqualiter ſortes diviſit, cur nos ad ſervitutem perpetuam, illos ad dominatum condidit? video; vos etiam dominari, & imperare velletis? ſed quibus? ſi etenim omnes domini, nulli ſervi erunt. Sapienter itaque omnia divina providentia diſpoſuit, cui ut acquieſcas, monet Doctor gentium: c *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt*, *in ea permaneat. Servus vocatus es*, *non ſit tibi curæ*; *ſed etſi potes fieri liber*, *magis utere*; quæ Doctor Angelicus ſic exponit: d *non ſit tibi curæ*; *ſed potius ſi potes fieri liber*, *maneas in ſervitute*, *quia cauſa eſt humilitatis*, imò & ſalutis: *quia ſervitus & libertas ſunt in Domino ad ſalutem*; *ſed ſolùm debemus eſſe ſoliciti de pertinentibus ad ſalutem*: *ergo pro indifferenti debet eſſe nobis ſervitus*, *& libertas*; atque in ea manere, quando ad illam vocatus es: nec debet eum ſuæ ſortis, & ſervitutis tædere, aut pœnitere: Nam juxta Apoſtolum: *qui à Domino vocatus eſt ſervus*, *libertus eſt Domini*: *ſimiliter qui liberius vocatus eſt*, *ſervus eſt Chriſti. Unuſquiſque in quo vocatus eſt*, *maneat*; *quia*, ut inquit S. Thomas, *ſervus ſervitute corporali*, *libertus eſt Domini*: *quia à Domino manumiſſus*, *liber eſt libertate ſpirituali. Eſt autem libertus*, *à ſervitute liberatus*. Et talis à ſervitute peccati, à Domino eſt liberatus; quod ſi tu non ſis ſervus peccati, libertus es Chriſti: & tales ſervi, liberti libertate ſpirituali, longè ſua excellentia, & ſtatus ſui conditione, ſuperant dominos, ſervos & mancipia peccati; E quibus plurimi æterna ſervitute & tyrannide diaboli damnantur, ſervis libertate ſpirituali fruentibus, & æternæ libertati adſcriptis; quos videre eſt apud P. Andream Bojie lib. de SS. ſervis, & ancillis. Illud etiam illis ſolatio eſſe debet: e quod *puſillum*, *& magnum ipſe fecit*, *& æqualiter cura eſt illi de omnibus*. Quemadmodum pictor, aut fictor non minus artis, & induſtriæ in nano perfectè efformando, quàm in Coloſſo: in opilione, quàm in rege effingendo oſtendit. Hac ſimilitudine uſus Paulus, oſtendit nemini conquerendum de ſorte, vel conditione ſua, qua Deus quémque donavit, aut de ſtatu, ad quem vocavit, dum ſic loquitur: f *O homo*, *tu quis es*, *qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei*, *qui ſe finxit*: *Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti*, *ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem*, *aliud verò in contumeliam?* Ex quibus manifeſtò evincitur, tantum juris, & poteſtatis Deum habere in ſingulos homi-

b Ovid. 4. faſt. c 1. Cor. 7. d S. Th. hic.

e Sap. 6. v. 8. f Ad Rom 9. v. 2.

homines, quantum figulus in vaſa fictilia; imò longè perfectius, ut doctè Leſſius *g* oſtendit. Unde ſicut figulus poteſt vas fictile efformare capax, elegans, politum, ut menſæ regiæ imponatur: amphoras, quæ vino, balſamo, aliiſque pretioſis liquoribus continendis ſerviant; ſic & alios informes urceos effingere poteſt, qui ad alia infima culinæ, & ſordida miniſteria ſerviant: & uti hæc & illa aſſervare, ita & frangere, & abjicere poteſt: nec poteſt ullum vas conqueri de injuria, aut dicere, cur ſic mecum agis? cur me tam deforme, tam vile, tam parvum vaſculum effinxiſti? ita, inquit gravis Theologus *h*, Deus in ſingulos homines, imò in omnes creaturas jus habet, ut eas conſervet, vel perimat, & in nihilum redigat: iis utatur ad ſplendida, vel abjecta: nec quiſquam poteſt queri de injuria, aut rationem factorum exigere. Imò jus Dei in creaturas eſt longè majus, quàm figuli in vaſa fictilia: nam creatura pendet à ſolo Deo, quoad omnia, magis quàm radius à Sole, lumen à candela, intellectio & volitio ab anima, viſio ab oculo. Fictile verò non à ſolo figulo pendet, ſed ab argilla, ex qua conſtat, ab aqua, qua maceratur, & tractabilis redditur, à rota, qua formatur, ab igne, quo excoquitur; quibus omnibus non minus quàm figulo debet, qui ſolum per motum localem illa applicat, per ſe autem nihil tribuit. Quod ſi ipſe habet tantum juris in fictile propter applicationem cauſarum, quas ipſe non fecit, & quæ ab ipſo vim non habent; quantum juris erit Deo in creaturas, qui ſolus materiam, formam, potentias, qualitates, & ornamenta omnia, ſua vi contulit? hoc argumento ceſſent ſimul querelæ opificum, *i* qui ſortem ſuam indignè ferunt; & labores agricolarum, foſſorum, fabrorum, cæmentariorum, vietorum, ſerratorum, ſartorum, piſtorum, braxatorum, aſſiduos, & intolerabiles eſſe perhibent. *O homo, tu quis es, reſpondeas Deo?* ſi hos orbe eliminatos velis, quis agros colere, ſerere, metere, panes pinſere, cereviſiam coquere, domos exſtruere aggredietur! quis calceos, veſtes, aliáque neceſſaria ſuppeditabit? ut ſolerter Theodoretus obſervavit, dicens: *k Quo pacto, ſi omnes æquales ſint, & omnes opibus abundent, neceſſariorum inopiam, & uſum homines ſarcient? Aut quis, ſi eadem cum reliquis abundantia inſtructus ſit, alteri ſervire velit? Quis inquam igni aſſidere, opſonia parare? Quis item panes coquere, & mola triticum conterere, niſi inopia, & egeſtate cogatur, ſuſtinebit?* Quod in corpore humano videre eſt: l *ſicut enim in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius, membra*; nam, ut alibi docet: m *ſi totum corpus oculus: ubi auditus: ubi odoratus?* ita de politico cujuſque reipublicæ, imò totius generis humani corpore ſentiendum eſt; ubi alter alterius opera indiget: n *Omne hoc quod*

g Leſſius de perfect. divin. lib. 10. c. 3. n. 19. h Leſſ. cit.

i Opifices ſua ſorte contenti ſint. k Theodoret. orat. 5. de provid. l Ad Rom. 12. v 4. m 1. Cor. 12. v. 17. n Seneca Epiſt. 95.

vides,

vides, inquit Seneca, *quo divina atque humana concluſa ſunt, unum eſt: membra ſumus corporis magni.* Domini, oculi ſunt: opifices, manus: pedes, famuli; quodque membrum ſua conditione contentum, rectè ſuo munere fungatur: Quo fiet, ut *quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem ampliorem* Deus conferat; innumeri quippe opifices albo Sanctorum adſcripti ſunt, *o* quos Deus voluit ſuper Reges, & principes honorari; quibus ſi pinguiori fortuna frui licuiſſet, ex eo numero expuncti, & gloria æterna deſtituti, miſerè periiſſent. Habent igitur & hi, quòd ſorte ſua contenti ſint, potiſſimùm ſi ipſum mundi artificem, Chriſtum fabri filium, & fabrilem artem in ſudore vultus exercentem ſibi proponant. Sed importuniſſimè obganniunt mulierculæ, *p* & totos dies ac noctes ineptis querelis, & murmurationibus omnia complent puellæ: hæc ſe buſcam, illa ſe fuſcam, altera gibloſam, nonnullæ naſum ſimum, labia craſſiora, capillum rufum, oculos glaucos, faciem denique variolis, aut alio vitio deturpatam, tum corporis ſtaturam brevem, ac pigmæam, amariſſimè lamentantur, & auctorem Deum acerbiſſimè calumniantur: ut quid ſe non forma Helenam, ut tales, ac tales, etiam inferioris notæ ac conditionis filias condecorarit? indignas has muliercularum murmurationes, & querelas, comparatione picturæ diſertiſſimus verbi divini Eccleſiaſtes in erudito opere, ſcitè adumbravit, dum ſic ait: *q* An non picturam illam perditum iri dixeris, ſi obſcuriores imagines, & homuncionum dilutæ umbræ, quæ in ultima picturæ, perſpectivæque regione collocatæ, informes & vix comparent, inter ſe junctis animis *r* obmurmurare incipiant, déque ſuo ſtatu, & ſpecie conqueri? nolle profectò, nolle ſe eminus pygmæorum inſtar in angulum detrudi: majores eſſe cupere: neque eas eſſe, quæ ſic latere inter umbras debeant: conſpici ſe velle; ſat diu ſe primorum tergoribus obtectas, & hominum oculis ereptas; ſat diu ſola ſumma capita, eáque ſine ſpecie & decore extendiſſe; ora, & pectus, & manus ad unguem expolita efferre ſe velle. Quis ad hæc non excandeſcat? quis non illico ſapiens iis id dicat: vacua cerebella, aut veſtro quem vobis ars præfixit, ſtate loco, nec greſſum movete, nec de forma, aut ſtaturâ verbum faciatis, aut illico totâ picturâ unico penicillo obductâ proſcribemini. Habetis quod veſtrum eſt, quód res, quod ars, quod locus exigit; refragandi non eſt licentia; aut ſi eſt, non erit impunita. Quod ſi verò contumacior ex his præ ſe ſtantes elegantiores effigies incipiat vi protrudere, & loco dimovere, illúdque per contemptum cum ſannis ingerat: quid ſibi vult hic coloratus gigas, hæc omnibus gratiis ſpecioſiſſima Venus, cur mihi anteponitur? an aliud quidquam eſt, quàm ego ſum? ſi coloribus conſtat, cur

o V. P. Bridoul. de SS. opificibus.
p Mulieres formâ, & ſtaturâ corporis, contentæ ſint.

q Ars ſemper gaudendi, Tract. 10.
r Murmurationis indignitas comparatione picturæ exponitur.

non

non ſimilibus ego? meminerit ſanè & me eodem ſub lapide fuiſſe, & ſe contritam, cùm eſſemus colores meri. Abeat ſanè ille gigas, nec mihi officiat: & videbit orbis univerſus, me de pygmæis non eſſe. Quid faciet ad haſce voces irritatus pictor? certè umbraticas iſtas lites non facile componet, niſi altiùs originem ſuam illis ingerendo, clarè dicat: inſana capita, homunciones umbratiles, & meræ umbræ: ingenii mei ſolius, & artis fœtus eſtis vos: quod ſitis, hoc meum eſt; illo loco, hac forma quod ſitis, hoc etiam meum eſt. Rationes meas ne clamoribus veſtris inturbate: tales quod ſitis, hoc egit ars mea, imò & res veſtra. Itaque ſtatum, & formam ſervate quam dedi, eſtote, quod volui, & quales volui eſſe vos, ſin aliud eſſe vultis, nec aliud eritis; nec verò aliud eſſe voletis impunè. Hic verò ſi pictor pro ſua authoritate ſeveriùs diceret, confeſtim omnes illas nanas, quibus ſua bilis fuit, ſuas videres retrahere auriculas, magnóque ſilentio occupare locum quem deſeruerant, & præ pudore obvelare & vultum, & os, ac revereri poſthac artificem, à cujus ingenio & manu ſunt, id quod ſunt. Miſeri homunciones ſemper queruli, quid tantopere obmurmuramus conditioni noſtræ? an non id ſatis eſt, è Dei æternâ mente eductos nos eſſe, & in hanc mundi tabulam exporrectos, præ infinitis aliis, qui eodem jure, quo nos condi potuiſſent? & quia tibi tantum beneficium præſtatur, aliquid te habere juris exiſtimas, ut hoc, vel hoc modo, iſto tempore, hoc vel alio ſtatu, in mundi ſcenam educaris? quod ſi nullum jus potes prætendere, nec beneficium tamen vis agnoſcere; ſaltem nullam tibi fieri injuriam fatearis neceſſe eſt. Quod ſi nulla ſit injuria, injuſta ſanè tua eſt querimonia, adeóque Deo injuria. Chriſtianè Gentilis:

ſ *Ut natura dedit, ſic omnis recta figura eſt.*

Quod & optimè advertit Romanus Philoſophus, qui non capit, in virum ſapientem cadere poſſe, ut de donis à Deo ſibi conceſſis conqueratur, atque ipſa bruta animantia ſe & robore, & pulchritudine exſuperare contendat, moleſtéque ferat: t *Vide*, inquit, *quàm iniqui ſint divinorum munerum æſtimatores, & quidem profeſſi ſapientiam: queruntur quòd non magnitudine corporum, æquemus elephantes, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros: quòd ſolidior ſit cutis belluis, decentior damis, denſior urſis; quod ſagacitate nos narium canes vincant; quod acie luminum aquilæ, ſpatio ætatis corvi, multo animalia nandi facilitate. Vix ſibi temperant, quin euſque impudentiæ provehantur, ut naturam oderint, quod infra Deos ſumus, quod non in æquo illis ſtetimus.* Quàm ſtultæ hæ mortalium, quibus ſe excruciant, querimoniæ? tales puellarum, quæ collo ſuo candorem cygni; linguæ, garrulitatem pſittaci; veſtibus varietatem pavonis, u *quæ multicolor, & diſcolor, & verſicolor: numquam ipſa, ſemper alia; toties mutanda, quoties movenda*, exoptant, numquam ſua ſorte contentæ. Tales querelæ juvenum, ac etiam

ſ Tibull. lib. 2. eleg. 18. t Senec. lib. 2 de benef. c. 29. u Tertul. lib. de pallio, c. 3

virorum, x quos inter non rarò Religioſi, ægré, moleſtéque ferunt, non eo ingenii acumine, memoriæ tenacitate, dicendi facultate pollere ſe, qua alii. Sed amabo te, quid hæc naturæ talenta ad gradum, ad functionem, ad finem, ad quem æterna providentia te elegit? ſi ſalutis tuæ negotium ingenio, rerum ſcientiâ, diſſerendi facundiâ perageretur, juſtæ forent querelæ. At contrà patet dæmonem omnes ingenio mortales præcellere; & Philoſophorum ac Oratorum Principes laudari, ubi non ſunt, cruciari, ubi ſunt; non de gentilibus duntaxat ago; ſed & de ſummis in Eccleſia viris, qui ingenii velificantis æſtu abrepti, naufragium fecerunt, & evanuerunt in cogitationibus ſuis. Quis ſpondeat, id tibi non eventurum? quî ſcis aliena ingenia, & dotes animi, tuo ſtatui, in quo te Deus collocavit, magis convenire, aut tibi pro tua conditione magis conducere? aliud longè eſt, præſtantius tuo ingenium dari aliquod; aliud vero, tibi quod ſit melius. Gladius certè acu præſtat, & malleo, an ideo ſartori, aut fabro gladius præ acu, aut malleo, arti quam profitetur exercendæ, eſt conducibilior? quare divinæ deſtinationi reverenter acquieſcens, illud Pauli ſibi quiſque perſuadeat y *Unuſquiſque proprium donum habet à Deo: alius verò ſic, alius verò ſic. Unuſquiſque verò, ſicut eum vocavit Deus, ita ambulet, & in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* Hactenus variis de conditione, de dotibus corporis & animi, querimoniis ſatisfecimus; ſupereſt ut z conjugati, viri Religioſi, Sanctimoniales, Virgines perpetuo caſtimoniæ voto Deo aſtrictæ, ſuo ſtatu, & ſorte contentæ vivant. At quomodo inquiunt? nonnulli conjuges impoſſibile ſibi dictitant in eo ſtatu ſalutem operari, certò ſibi conſtare, ſe ad hunc ſtatum à Deo electos non eſſe. Quædam innocenter ſe, & omnis commercii matrimonialis ignaras, potenti amicorum ſuadelâ, parentum reverentiâ inductas fuiſſe aſſerunt; quod ſi omnia quæ ſibi evenêre, prævidiſſent, numquam ſe animum, vel cogitationem conjugio adjecturas fuiſſe. Aliæ vexant & torquent ſe, à Deo non vocatas fuiſſe, ſed mero caſu, in convivio ſe juveni aſſediſſe, colloqui cœpiſſe, propinatum fuiſſe, bellaria accepiſſe, exinde non ſemel ſe viſiſſe, atque ita caſu ſe manus dediſſe, & in matrimonii pedicas incidiſſe. Ut hæc, quæ multas miſerè exagitat, animi inquietudo pellatur, & ex nubibus lucèm ſplendeſcere faciam, certa fide tenendum eſt, Deum qui in ſua diſpoſitione non fallitur, dum ab æterno prævidit, & præordinavit te ad eum ſtatum venturam, ſimul omnes circumſtantias prævidiſſe, ac præordinaſſe, quas tu fortuito caſui adſcribis. Ita, quæ libro Geneſis cap. 24. legimus, plerique veſtrum caſu accidiſſe judicabunt. Dum Abraham miſit in Meſopotamiam a *ſervum ſeniorem domus ſuæ*, ut *inde accipiat uxorem filio ſuo Iſaac. Tulitque* hic ſervus *decem camelos de grege Domini ſui, & abiit, pro-*

x Quiſque ingenio, & aliis animi dotibus contentus ſit. y 1. Cor. 7. v. 7.

z Conjuges, Religioſi, Sanctimoniales, devotæ, ſuo ſtatu contentæ ſint.

a Gen. 24.

fectus

fectúsque perrexit in Meſopotamiam : cúmque labore, & æſtu feſſus, corpus ac jumenta refecturus coſediſſet *ad puteum aquæ veſpere*, merus caſus videri poſſet, quod nulla ad manum eſſet hydria, hauriendæ aquæ neceſſaria: caſu quoque factum dixeris, quod eodem tempore Rebecca cum aliis virginibus è civitate egreſſa, aquam domeſticis uſibus allatura, ad hunc puteum accederet: caſum planè duxeris, quòd œconomo illam roganti *pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua*, Rebecca inter ceteras ſpecioſiſſima ac humaniſſima reſponderit: *Bibe Domine mi: quin & camelis tuis hauriam aquam.* Hæc omnia tu caſu accidiſſe exiſtimas, & tamen hæc puellæ urbanitas, certum à Deo ſignum erat œconomo datum, illam & non aliam Iſaaco conjugem, tanti generis futuram matrem, à divina providentia ab æterno deſtinatam. Hoc indies accidere videmus. Caſu videntur iniri matrimonia, conſpiciunt ſe duo in convivio, in platea; aut eodem curru, vel navigio vehuntur; numquam prius vel nomine aut vultu noti: placet puella ſpecie, placet morum urbanitate. Aut parens, juvenis cujuſdam moribus, diſcurſu, genio, ingenio delectatus, eum filiæ ſuæ futurum conjugem oculis, animóq; deſignat, virgini rem proponit, aſſentitur illa, paternâ reverentiâ & affectu ducta; ut quem credit, non niſi bene ſibi velle, & conſulere; conjugio copulatur. Quid ſi nunc mutuum illum conſpectum, & cõgreſſum illum in convivio, in curru, ſeu navigio, quem tu fortuitum credis, quin & parentem in hunc juvenem incidiſſe, conditiones moréſque ejus illi placuiſſe, filiæ perſuaſiſſe; aliáſque circumſtantias omnes, quæ matrimonio cauſam dedere, non caſu eveniſſe, ſed diſertè, expreſſéque à Deo ſic diſpoſitas, ordinatáſque, ut futuris conjugibus hunc ſtatum daret, oſtenderò, nónne prorſus acquieſces? veriſſimè Huſſæus vates: *Nihil in terra ſine cauſa fit* b, ſed *omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuit*; c non pilus ex capite, non folium ex arbore, non paſſer *cadit ſuper terram ſine patre veſtro*, & ea quæ ad ſtatum, ad ſalutem noſtram conferunt, fortuito caſu, & ſine Numine divûm fieri credamus? rectè de iis ſanctus Proſper pronuntiavit: d *Nihil fortuitis motibus ſubjacet: & ſingula quæque ejus legibus ſerviunt, qui, ut vult, de omnibus, atque in omnibus ſecundum cauſas occultæ rationis operatur*, ut aliàs e fuſiùs demonſtravimus. Unde nec caſu, aut fortuitò factum eſt, quòd tu viro juncta ſis, quem gravi ære alieno obſtrictum, aleatorem, potatórem; zelotypum, nothum unum alterúmve ignotum clàm aluiſſe, planè ignorabas. Quid ſi etiam peccata matrimonio cauſam dedêre? dotem lautam qua caret promittendo; ſub ſpe matrimonii filiam corrumpendo? an hæc etiam Deus voluit, ad matrimonium ut induceret? minimè verò: peccata numquam voluit, ſed cùm hominem liberum crearit, ea permiſit: cúmque hunc juvenem videret per abrupta vitio-

b Iob. 5. v. 6. Sap. 11. v. 21. c Matth. 13 d S. Proſper. in Pſalm. 140. e Vide lux Euang. part. 2. Dom. 6. poſt Epiph.

rum abripi, unà prævidit his adminiculis ad frugem reducendum, & in tali ſtatu collocandum; in quo cum ſis, nec ſine ſcelere extricari poſſis, planè vult in eo jam Chriſtianè vivas, & permaneas. Variæ denique & inanes muliercularum querelæ ſunt, ſe cum viris temulentis, iracundis, helluonibus, ſcortatoribus, adulteris, ſalutem operari non poſſe; ad hæc ex ſexcentis, quæ à maritis ſuis dura & aſpera expertæ ſunt, inſuper & verbera, & vulnera, ſufficiat unam Monicam inducere, de qua Auguſtinus: f *Educata pudicè ac ſobriè, & ſubdita parentibus, ubi nubilis facta, eſt tradita viro, ſervivit ut domino*, alterius ſecum Religionis, & hæretico Manichæo. An tam malè inæquales ut veniant ad aratra juvenci, Deus diſpoſuit? *Nihilominus ſategit eum lucrari tibi* (Domine:) *erat ille fervidus; ſed noverat hæc non reſiſtere irato viro, non tantum facto, ſed ne verbo quidem. Cúmque mirarentur* aliæ matronæ ſimilia à ſuis maritis perpeſſæ, *ſcientes quàm ferocem conjugem ſuſtineret, numquam fuiſſe auditum*, inquit, *aut aliquo indicio inclaruiſſe, quod Patricius* (maritus ejus) *ceciderit uxorem*: Quales maritos ſuos non paucæ ſe nactas *plagarum veſtigia etiam dehoneſtata facie gerentes, inter amica colloquia* Monicæ familiariter manifeſtabant. Hæc interim viro fervido, feroci, & peſſimo hæretico colligata, non reſpexit retro; non ſortem, ac ſtatum ſuum execrata eſt; ſed manſuetudine, & patientiâ ſibi eum deuinxit; *& virum ſuum jam in extrema vita temporali ejus, lucrata eſt eum tibi* (Domine) *nec in eo jam fideli planxit, quod in nondum fideli toleraverat.* Et adhuc invenire erit mulierem, quæ in maritum, & Deum, diras evomat, ſe ſalutem in ſtatu ſuo conſequi non poſſe; quandoquidem Monica non ſalutem duntaxat, cúm diſcolo, & hæretico conſecuta ſit; ſed & omnem ſanitatem non modò ſuam, ſed & Patricii mariti ſui converſionem, ſuis meritis, & virtutibus impetrârit? quod ſi & vos mulierculæ, hujus ſanctæ veſtigiis inſiſtere velitis, maritos veſtros iracundos, temulentos, zelotypos faciliùs quam Monica ad frugem reducere, ac ſtatu veſtro contentæ, quietè vivere poteritis. Quod ſi minus ex voto veſtro ſuccedat, ſcitote ſine perſecutoribus nunquam Martyres exſtitiſſe, ac Eccleſiam triumphâſſe. Idem argumentum militat adverſus maritos, qui ſe deceptos in uxoribus ſuis dictitant, earúmque ſtupiditatem, garrulitatem, faſtum, pervicaciam, contumaciam, malitiam ferre non poſſe clamitant. Quos paucis percunctari libet, an ullus ſit, qui ſimilem habeat, qualis fuit adamantino illi viro Jobo Prophetæ, quæ ſublatis à dæmone omnibus bonis, ut diabolicum inſtrumentum ad illum divexandum relicta eſt; hæc doctiſſimi Origenis ſententia eſt: g *Ideo*, inquit, *ſolam uxorem nequiſſimus diabolus ſupereſſe voluit, ut hac noviſſima uteretur pro Job ſeductione, atque animæ ejus ſubverſione. Diabolus hanc conſervavit, ut miniſtram ſuæ iniquitatis, ut hanc haberet pro noviſſimo Job laqueo: & poſtquam per omnem rem deſperaret, tunc per uxorem juſtum perderet*; acerbius enim

f Auguſtin. lib. 9. conf. cap. 9.

g Origines in Iob, lib. 2. c. 1.

enim illum uxor linguæ ſuæ ſannis, injuriis, calumniis, diris, quàm diabolus plagis diverberavit; unde illa, ut peſſimo inſtrumento, hoſtis generis humani ad expugnandam Jobi patientiam, & animam perdendam uſus eſt, ut diſertè tradit Auguſtinus, dicens: *Ex omnibus bonis ſola mulier reſervatur; non in ſolatium mariti, ſed in miniſterium diaboli* h. Conſentit Chryſoſtomus, *i* qui hanc Jobi conjugem, furore dæmonis concitatam, vocat certiſſimum telum, & machinam adamantino muro adhibitam. D. Baſilius marito ſuaſiſſe aſſerit *k*, ut ſibi mortem inferret, ut fuſiùs apud Pinedam, & Corderium in Job. c.2.v.10. videre eſt: hoc tamen nequiſſimum caput, & peſſimum diaboli inſtrumentum, adeò ſaluti, & ſanctitati viri non obfuit, ut non exſtiterit Jobo tum ſanctior in terris, ut Pineda divinum illud oraculum exponit: *l Non erat illi ſimilis in terra.* Simili prorſus ratione, ac modo, diabolus afflictum Tobiæ animum, per aculeatam uxoris exprobrationem, ad deſperationem inducere conatus fuit: *m* poſtquam enim Tobias ad extremæ paupertatis ærumnam, Deo diſponente, devenerat, poſtquam oculorum lumen amiſerat, quia illum malignus ſpiritus vidit corporeo quidem lumine deſtitutum; ſed divino intus ſplendore coruſcantem: foris vacuum, intus Deo plenum, ad ſolita arma cucurrit, & uxoris linguam ad inferendum vehementiſſimæ objurgationis opprobrium concitavit, quæ dixit: n *verè vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modò apparuerunt.* Quibus inter omnes ſuas afflictiones, Tobias ſanctiſſimè uſus eſt, & hanc peſſimam uxorem ad virtutum exercitium, & ad meritorum cumulum ab æterno ſibi deſtinatam agnovit. Nullus igitur vir de uxore queratur, cùm nemo his duabus; aut etiam Xantippe pejorem habeat, quam tamen Socrates, homo gentilis ſapientiſſimè, & patientiſſimè toleravit. Quare & tu, tuo ſtatu, & ſorte contentus eſto, *& o utere ſorte tua*, ſanè, & ſanctè. Nunc quia omnium debitor ſum, *p* religioſos, ac virgines voto perpetuo Deo devotas audiamus. Perſuadent ſibi ex his quidam & quædam, id quod maritatæ; ſtatum ſuum à Deo non eſſe; ſed fortuito caſu, aut motivis humanis, imò etiam illecebris ad ſtatum religioſum pellectos; quibus jam ſupra ſatisfactum, cùm diximus, Deum, cui nihil caſuale, vel fortuitum, omnes ſimul illas circumſtantias prævidiſſe, & præordinâſſe. Atque illud firmiter tenendum, & de fide credendum eſt, non poſſe niſi à Deo vocante ullum velle, ob bonum finem ſalutis, vel perfectionis propriæ, ingredi religionem, quia dogma fidei eſt, *nullum opus ſupernaturale* (quale eſt talis voluntas ingrediendi religionē) *poſſe eſſe niſi ab excitante, vocante, & movente Deo*, ut docet concilium Arauſicanum, Milevitanum,

h Vide Paolet. Dom. 2. poſt Epiphan. i Chryſoſt. hom. 32. in Matth. 19. k Baſilius orat. de patient. l Pineda in Iob. c. 42. v. 5. m Corderius in Iob. c. 2. v. 10

n Tobiæ 2. v. 22. o Virg. lib. 12. p Religioſi & ſanctimoniales ſuo ſtatu contentæ ſint.

& Tridentinum : *q* ſi enim, ut ait Apoſtolus 2. Cor. 3. v. 5. non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis (ſcilicet conferens ad ſalutem, ut exponunt Patres) *ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, quantò magis ipſa voluntas exequendi talem cogitationem (quippe difficilior) ab ipſo Deo emanat? Quam veritatem optimè tradit S. Thomas, dicens : r *Illi, qui ad religionem accedit, non poteſt eſſe dubium, an propoſitum de ingreſſu religionis, in ejus corde exortum, ſit à Spiritu Dei, cujus eſt ducere hominem in viam rectam.* Quam doctrinam efficaciſſimè confirmat, dicens : Etiamſi diabolus ad religionem incitaret, tutò illam, & ut medium ſalutis amplecti poſſes : ſ *Detur,* inquit, *quod diabolus aliquem incitet ad religionem intrandum, hoc opus bonum eſt, & bonis Angelis congruum. Unde non eſt periculum, ſi quis ei in hoc conſentiat*; ſicut ſi gentilem ad fidem vocaret. Nec obſtat, quòd initium vocationis à perſuaſione humana, & propenſio in ſtatum religioſum non ex motivo pio, ſed humano, & ſenſuali oriatur; v. g. ex bonorum jactura, infamia, forma deperdita, alióve infortunio; vel etiam bonum aliquod religionis temporale inviter, & impellat non primariò, ſed per *modum occaſionis*, ſeu cauſæ motricis. *t* Quæ non obſunt, quò minus hæc vocatio à Deo ſit, undecumque, inquit Leſſius, *originem traxerit.* Quod confirmat verbis Angelici Doctoris : u *ſciendum, ſi cui à diabolo ſuggeratur, vel etiam ab homine, religionis introitus, per quem aliquis accedit ad Chriſtum ſequendum, talis ſuggeſtio efficaciam non habet, niſi interius trahatur à Deo. Et ita religionis propoſitū à quocumque ſuggeratur, à Deo eſt.* ſicut *fides* (quæ magis eſt neceſſaria ad ſalutem, quam ingreſſus in religionem, vel voluntas eam ingrediendi) x *eſt ex auditu* prædicatorum â Deo miſſorum, ut ait Apoſtolus. Ita Deus multos vocat ad ſtatum religioſum per hominum perſuaſiones, aut alia motiva humana. Imò addit Sanctus Thomas, y *etiam pueros munuſculis inductos poſſe recipi in religionem*, licet in eo cautelam ſtatuerit S. Ignatius. † Quæ adduxiſſe ſufficiat, ut fluctuantes in ſua vocatione confirmem. Supereſt ut graviſſimum, qui nonnullos dirè excruciat, ſcrupulum animis evellamus : ſub velamine etiam majoris perfectionis & ſanctitatis, z de ſuo ſtatu, ad alium arctiorem & perfectiorem (ut ſibi perſuadent) tranſire velle, cóque ſe ſentire à Deo impelli; hoc, inquiunt, me urit : ſtatus meus non eſt tam perfectus ac ille, & iſte. Audite viriſſimam propoſitionem, de cujus veritate non ambigo: *Et in ſtatu minus perfecto, poteſt eſſe vita perfecta : Et in gradu demiſſo, vita excellens :* Quamvis enim ſtatus perfectionis multum conferat ad eximiam ſanctitatem conſequendam ; ſæpe tamen, quando Deus ita vocat, ejus defectus ſuppletur à copioſa gratia & favore divino, ita ut exiſtens in ſtatu minus perfecto, aſcendat non

q Lancic. opuſc. 1. c. 21. n. 378. r S. Tho. 22. q. ult. art. ult. ad 1. ſ S. Thom. opuſc. 17. contra retrahentes à relig. 10. t Leſſius de ſtatu vitæ relig. q. 5. n. 69. v S. Thom. cit.

x Rom. 10. v. 14. 15. 17. y S. Thom. 22. q. 189. a. 9. & opuſc. 17. c. 3. † Exam. c. 3. v. 14. Lanc. opuſ. 1. c. 21. n. 279. z Non mutandus ſtatus.

non rarò ad altiorem ſanctitatem, quàm qui ſunt in ſtatu perfectiori, & ſublimiori. Sic videre eſt quoſdam in ſtatu matrimonii, præcellere multos religioſos, ut Auguſtinus Abrahamum matrimonii vinculo obſtrictum, nihil Joanni caſtimonia conſpicuo concedere affirmat: Sic enim ait lib. de bono conjugali: a *Non eſt impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generavit. Illius enim cælibatus, & illius connubium, pro temporum diſtributione, Chriſto militarunt.* Quid, quod magnus ille Ignatius, tertius à Principe Apoſtolorum, in Cathedra Antiochena ſucceſſor; optet ſibi locum in cœlo, ad pedes ſanctorum conjugum: qui, cùm virgines aliquot in ſtatu perfectiori enum raſſet, ſic ait: b *non quod vituperem reliquos divos, quod rei uxoriæ ſe dederint: opto enim ut dignus ſim in regno cœlorum, ad horum pedes locum mihi dari, ut Abrahæ, Iſaac, Iacob, & Joſeph &c. qui nuptiis operam dederunt.* Si ergo in ſtatu matrimoniali, qui, Paulo teſte, virginali, & conſequenter regulari imperfectior eſt, quis perfectius vivere poſſit, quàm in virginali; quomodo devota, aut regularis, in ſtatu minus perfecto, ut ſibi perſuadet, id non poterit? Audiat hîc magnum Gregorium, qui expendens illud prov. 30. *Stellio manibus nititur, & moratur in domibus Regum*, ſic ait: c *ſæpe accidit, ut aves quæ alas habent ad alte volandum, demiſſè volent, & nidos ſtruant in ſæpibus, & in cavernis dormiant; contrà ſtelliones ſine alis reptantes, per muros aſcendant ad tecta Palatiorum, quò aves illæ non perveniunt: ſic multi habentes adjumenta à ſtatu, repunt; contrà qui hujuſmodi carent* (in ſtatu imperfectiori) *gratiæ collaborantes, perveniunt ad faſtigium Chriſtianæ perfectionis, & ſuam habitationem in ejus culmine ponunt, magnam cum cœleſti Rege familiaritatem obtinentes.* Qua ſimilitudine diſertè docet, eos qui in ſtatu perfectiori ſunt, & plura adjumenta habent, quandoque minus perfectè vivere; quàm ii, qui in ſtatu minus perfecto, gratiæ Dei cooperando, & mediis, quæ ſuppetunt, utendo; ut indies videre eſt. d An verò religio ſeu ſtatus auſterior, perfectior ſit, & tibi ad ſalutem, & perfectionem convenientior, atque adeò tranſitus de una religione ad alteram faciendus; diſſertatione brevi Theologicâ expendemus. Divinè hoc argumentum tractat Doctor Angelicus, & reſpondet: e *Tranſire de religione ad religionem, niſi propter magnam utilitatem, vel neceſſitatem, non eſt laudabile: Tum quia ex hoc plerumque ſcandalizantur illi, qui relinquuntur: Tum etiam, quia faciliùs proficit aliquis in religione, quam conſuevit, quàm in illa, quam non conſuevit, ceteris paribus.* Deinde adfert ſententiam Neſtorii Abbatis, quam refert Caſſianus collat. 14. c. 5. f *Unicuique utile eſt ſecundum propoſitum quod elegerit, ut ſummo ſtudio, ac diligentia ad operis arrepti perfectionem pervenire feſtinet, & nequaquam à ſua,*

a Aug. lib. de bon. conjug. c. 21. b S. Ignat. epiſt. ad Philadel. c Greg. lib. 6. mor. c. 5.

d Diſſertatio Theologica, an conveniat tranſitus de una religione ad alteram. e S. Thom. 22. q. 189. a. 8. f Suarez to. 4. de religione l. 3. cap. 9. dub. 1.

quam elegit ſemel, profeſſione diſcedat. Et cap. 6. addit, ex hac mutatione ſequi diſpendium potius, quàm profectum: quia dum quis varias inchoat vias, per nullam earum ad terminum tendit. Unde concludit: g *multis viis ad Deum tenditur, & ideò unuſquiſque illam, quam ſemel arripuit, irrevocabili curſus ſui intentione conficiat; ut ſit in qualibet profeſſione perfectus.* Baſilius etiam in conſtitutionibus monaſticis, *h* monet Prælatos, ne temerè, vel inconſideratè deſciſcentes alterius monaſterii fratres ſuſcipiant: *Siquidem hoc facere*, inquit, *ſumma confuſio eſt, diſſolutio, atque perverſio ſpiritualis ædificii*; Quod latè proſequitur. Bernardus verò ne quidem ob graviſſimas difficultates, quas ſubditus habet cum Superiore, aut alia exorta incommoda, tranſitum etiam ad arctiorem religionem probat; ubi enim pluribus difficultatibus ſatisfecit, ſic tandem concludit: i *De cetero, nulla liceat occaſione monacho locum, cui profeſſus eſt, citra ſuam mortem deſerere, ſuo dumtaxat arbitrio. Alioquin prævaricator eſt, damnationem habens; quia primam fidem irritam fecit.* Tum objectiones tentatorum diſſolvit: *ſed vos pergitis amplius ſciſcitari, & dicitis: Quid ſi non poteſt niſi cum rancore perpetuo animi, ibidem manere, ob minus videlicet regularem, minúſve amabilem Abbatis electionem?* quibus reſpondet: *ſubit animo nunc illud de Evangelio,* k *quod de conjugii lege docenti, diſcipuli Domino reſponderunt: Si ita eſt, inquiunt, non expedit nubere. Magnæ revera anguſtiæ: ſi tenuerit exoſam, nihil oneroſius. Si dimiſerit invitam; nihil inchriſtianius.* Quodſi maritus uxorem quamtumvis moleſtam, non poteſt deſerere, nec religioſus etiam ſponſam, quam duxit, ob quamcumque difficultatem. Unde ſic proſequitur: *An non ſimili neceſſitate conſtringitur, qui nec deſerere valet locum; ne frangat votum? nec manere in loco, ne cum rancore vivat, & vitam perdat?* Tum alteram eorum quæſtionem apta ſimilitudine diſſolvit: *Quæritis, quid è duobus monacho tutius ſit, reſidere in proprio monaſterio ſub irregulariter electo, cum rancore: an ad quietius vivendum, aliò migrare? Quod haud ſecus accipio, quàm ſi requirar, quanam morte perire conſulam eum, qui ſeipſum fortè perimere vult, incendio, an præcipitio. Revera namque & uritur, qui in odio manet, & qui frangit propoſitum, in præceps ruit. Venit nunc quoque in mentem Sapientis elogium:* l OCCASIONEM QUÆRIT, QUI VULT RECEDERE AB AMICO. Pergit porrò *ſed dicitis, quis obediat ſcienter indigno? Fratres non legiſtis, & in veſtra, & in Veritatis regula:* m *ſuper cathedrā Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi; quæ dicunt facite; ſecundum autem opera illorum nolite facere.* Plus dico; fingatur, *n* quod in monaſterio iſto ſit aliqua occaſio proxima & mortalis peccandi, quæ non poſſit, manendo in tali religione, vitari: vel officium, aut occupationes religionis, tali perſonæ occaſiones offerre cadendi; quod non eſt morale: ſunt enim alia: aliàs frequentiſſimè deberent relinquere ſuos ſtatus. Aperiat ergo talis perſona fragilitatem ſuam,

g Caſſ. cit. c. 6. h Baſil. in conſtit. monaſt. c. 34. i Bern. lib. de præcepto, & diſpenſatione. k Matth. 19.

l Prov. 18. m Matth. 25. n Suarez cit. dub. 2.

& pe-

& periculum Prælatis ſuis,ut hujuſmodi occaſionem removeant, quod moraliter ſemper facere poſſunt, & debent: ipſe verò religioſus ex parte ſua, quam poteſt, & debet, diligentiam adhibeat,ut religiosè vivat juxta ſuam profeſſionem. Sed quid ſi ad auſteriorem ordinem, ubi arctior diſciplina,tranſire velit? Nec hoc ſanctiſſimo ac ſapientiſſimo huic Archimandritæ probatur, ſubdit enim: o *De religioſis, ac bene ordinatis monaſteriis nullus profeſſorum meo conſilio, ne arctioris quidem vitæ deſiderio, ſine licentia ſui ſenioris egredietur. Accipite manifeſtiùs in exemplis, hujus ſententiæ rationem. Fortè vult aliquis de Cluniacenſibus inſtitutis* (laxioribus) *ad Ciſtercienſium ſeſe ſtringere paupertatem, eligens præ illis nimirum conſuetudinibus, magis regulæ puritatem: ſi me conſulit, non conſulo.* Imò alibi dicit, ſe illos admitti cupientes, non admiſiſſe, ſed ad propria remiſiſſe, p *& ad alium ordinem migrare deſiderantibus,noſtrum,* inquit, *eis diſſuaſorium conſilium obviavit, ac ne ſuas deſererent cathedras effeci.* q Ex mente igitur iſtorum Patrum, imprimis colligimus, hujuſmodi tranſitum, etiamſi fiat titulo majoris perfectionis, periculoſum eſſe, & raro aut nunquam eſſe conſulendum. r 1, *propter ſcandalum ipſorum, quos deſerit* (ut etiam D. Thomas) 2, *certa pro dubiis relinquere, tutum non eſt*: quî enim ſciet in altera religione arctiori ſe perfectius victurum, & auſteritates, aliáſque difficultates graviores devoraturum, qui in ſua minores ferre non valet, id eſt, non vult? 3, *ſuſpectam habeo levitatem: quia id ſæpe, quod facilè volumus, antequam probemus, experti jam nolumus: uno prope momento idipſum cupientes, & reſpuentes, tam leviter, quam irrationabiliter ſemper, quod non habent, cupientes; & quod habent, faſtidientes. Quales utique non paucos frequenter experimur.* Quod & aliæ religiones, & Societas longo uſu experta eſt, ſ ſuos, cùm plures annos in arduis miſſionibus exegiſſent, laborum Indicorum tædio, ſpecie receſſus, ad contemplationem in oras meliores remeâſſe, & ad Carthuſianos tranſiſſe, quos vel non perſeveraſſe, vel adeò turbulenter, & ſegniter, ut nullo ſuo profectu, ceterorum monachorum pacem, diſciplinámque perturbarent, eventus docuit; quò factum, ut Gregorius XIII. litteris Apoſtolicis, degentibus in India, tranſitum ad Carthuſiam obſtruxerit; Exinde etiam noſtris omnibus, quemadmodum quibuſdam aliis religioſis, hic tranſitus obſtructus eſt. Sic non paucas frequenter ſanctimoniales inquietas, viri religioſi experti ſunt, quæ de uno monaſterio ad aliud commigrarunt, & omnia perturbârunt. Et virgines Deo ſacratas, ſuo virginitatis ſtatu non contentas, ubi ad clauſtrales ſe receperunt, calidis lacrymis ſortem priſtinam deplorâſſe, non unam expertus ſum, & plures mecum. Ejuſmodi enim accidere ſolet, quod morbidis; qui tædio ducti, aut duritiem lecti in-

o Bern. cit. p Bern. apologia ad Guielm. Abbat. q Suarez cit. r Bern. lib. de præcept. & diſpenſ.

ſ Cleſſonius Carth. Sachinus hiſtor. Societ. part. 4. lib. 6. n.243.

cuſantes, de uno ſtrato in alterum transferri volunt, & morbum circumferunt; quibus competit illud Lipſii: *cura ut alius ſis, non ut alibi*; nec tibi contingat, quod evenit viro cuidam Luſitano Societatis noſtræ; *t* qui quod ingenio, & doctrina magis, quàm ſpiritu & virtute præſtaret, diſpenſatione à Gregorio XIII. Pontif. impetratâ, ut ſanctum PP. Auguſtinianorum inſtitutum complecti poſſet, admiſſus eſt, & Theologiæ tradendæ præfectus, evaneſcere cœpit in cogitationibus ſuis, ac tandē amore mulierculæ captus; ſuperior ſcandalum veritus, dum noctu apud eam extra monaſterii clauſtra verſatur, brachio ſæculari comprehendi juſſit, & dignis pœnis exceptum, carceri mancipavit; quo effracto, profugus in latrones incidit, à quibus truculentè confoditur; quæſitum corpus, ut ſepulturæ mandaretur, fœdè à canibus diſcerptum reperitur; quales cataſtrophæ innumeræ ſunt. Alterum eſt, ut homines illos inquietos, ſorte, & ſtatu ſuo minimè contentos, atque ad perfectionem tranſire volentes, argumentis convincamus. Quæro ab illis primò, *v* quæ religio judicanda ſit perfectior, cùm omnes in ſubſtantialibus, id eſt, in tribus votis conveniant; in reliquis autem ſe habeant, ut excedens & exceſſum: nam una, inquit doctiſſimus Suarez, *x* excedit in paupertate; alia in auſteritate habitus, vel cibi; alia in diuturna contemplatione, vel aſſiſtentia chori; alia in amplitudine, & perfectione obedientiæ; alia in excellentioribus operibus charitatis. *y* Præterea contingit unam religionem eſſe quoad hoc ſecuriorem alia, quòd majorem ſolitudinem & ſeparationem à converſatione hominum profitetur, & ideo pauciores occaſiones peccandi in ea eſſe videntur; & nihilominus alia poteſt eſſe perfectior, quia revera in ea ſunt majora media ad conſequendam excellentiam ſanctitatis: *Quæ igitur illarum erit præferenda, ad hujuſmodi tranſitum*? rurſus contingit unam religionem ex vi ſuæ inſtitutionis, & regulæ, eſſe perfectiorem & ſtrictiorem aliâ; & nihilominus de facto, meliùs & faciliùs tendi ad perfectionem in ea, quæ de ſe videtur inferior, quia integrè ſervat ſuum inſtitutum, & in altera remiſſè vivitur, &c. Quam ergo præ ea, quam profeſſus es, perfectiorem tu judicas? denique poteſt accidere religionem ſecundum ſe omnibus eſſe perfectiorem; tamen huic perſonæ non eſſe accommodatam ad creſcendum in perfectione. Nam ut Gregorius ait: licet diuturna contemplatio ſecundum ſe melior ſit; multis non eſt melior propter naturam inquietam, & improportionatam. Idémque dici poteſt de auſteritate vitæ, & ſimilibus proprietatibus. Sunt qui ſe omni dubio expedire exiſtimant, dum eam Religionem præferendam ducunt, quæ arctior eſt: vocant autem arctiorem illam, quæ in exterioribus obſervantiis corporis aſperior, & rigoroſior eſt: atque ita Navarrus affirmat, Ordinem Carthuſienſem

t Ribadin lib. de apoſtat. n. 5. v Quæ religio perfectior. x Suarez cit. dub. 2.

y Leſſius de jure & juſt. lib. 2. c. 4. dub. 13. n. 100.

eſſe

eſſe arctiorem omnibus Ordinibus mendicantibus: z *Carthuſiani*, inquit; *notabiliter omnes mendicantes præcedunt vitæ auſteritate*, quam maxime ponit in ſilentio, & clauſura. Quod ſi hoc verum, quod tentati illi ſentiunt, omnibus ad Carthuſiam convolandum erit. Sanius, ac ſanctius Divi Thomæ judicium eſt: *a* excellentia, & perfectio Religionis *non attenditur ſecundum ſolam arctitudinem; ſed principaliter ſecundum id, ad quod religio ordinatur; ſecundariò verò ſecundum diſcretionem obſervantiarum, debito fini proportionatarum*. Ex ſola autem auſteritate majorem perfectionem non deſumendam probat Suarez hoc ſimili: qui vovet opus perfectius, v. g. diuturnam orationem, non poteſt illud cōmutare in opus auſterius, v. g. in jejunium, ſolum propter auſteritatem. Quare, inquit, dum de arctiore religione quæſtio eſt, *b* non intelligendum eſt de arctitudine tantum agi quoad corporis auſteritates, ſed abſolutè, quoad totam regulam. Quod rectè ſenſit Paludanus, dicens: c *Arctior dicitur religio, non quæ majoris auſteritatis, ſed quæ eſt perfectioris, & majoris meriti* Sic nulla eſt religio ſimpliciter perfectior altera, quæ non ſit etiam ſimpliciter perfectior quoad totam regulam, idque ob generalem rationem virtutis, quæ verſatur circa difficile; & ideo ſtatus, qui ex vi ſua majorem perfectionem in exercitio virtutum requirit, difficilior eſt ex ſuo genere. Quò itaque ſe vertent, ſorte ſua non contenti? niſi ad illud Pauli, & divini decreti: d *Unuſquiſque in vocatione, qua vocatus eſt, in ea permaneat*, & de neceſſitate faciat virtutem. Vir nobilis, Italus, in teſſeram gentilitiam aſſumpſit alveum luſorium, in quo jactu quamtumvis infauſto, & ſiniſtro, quo teſſeræ unitatem referunt, dexterè utendum docuit, hoc lemmate, tabulæ luſoriæ inſcripto: *Si malè cecidi, corrigar arte*; quod peritis luſoribus familiare eſt. Hoc artificium & nobis uſurpandum eſt. Nam ut Stobæus Sermone 103. vita, res eſt ludo teſſerarum ſimilis: non eadem cadunt ſemper, neque eadem vitæ cuique obtingit ſors. Accedit illud Socratis: aleæ ſimilis eſt vita, quidquid evenit, veluti ſortis teſſeram rectè diſponere oportet, juxta illud, quod Gentilis gentilibus tradidit documentum, omnibus Chriſtianis uſurpandum:

e *Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris;*
Si illud, quod eſt maximè opus, jactu non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Quid aliud ſacræ paginæ, quid Theologorum placita, quid ſanctorum Patrum ſuffragia aliud inculcant, quàm quod non forte, aut ſorte, ſed divinâ providentiâ vobis obtigit, id arte, hoc eſt, divinâ gratiâ illuminati, virtute propriâ, & induſtria ut corrigatis. Nullus ulli mortalium jactus tam infauſtus obtigit, aut ſors tam iniqua cecidit, quin

z Navarrus conſil. 51. Suarez cit. a S. Thom. 22. q. 189. art. 8. & q. 188. a. 6.
b In quo arctitudo religionis conſiſtat.
c Paludanus in 4. d. 38. qu. 3. n. 17.

d 1. Cor. 7. e Terentius in Adelph. act. 4. ſcena 7.

ejuſdem ſtatus ac conditionis homines illa rectè ad ſalutem, & dexterè ad perfectionem uſi ſint; ut in omnibus morbis acutis, & diuturnis videre eſt, in Jobo, Tobia, Ezechia: in lege gratiæ, nephriticis, calculi, & podagræ doloribus divexati, optimè uſi ſunt; Luduvina, Coleta, Henricus Imp. Gregorius Nazianzenus, Gregorius Magnus, aliíque innumeri, *f* quibus in omni morborum ac calamitatum genere, unicum remedium fuit, patientia, ac divinæ voluntati acquieſcentes, de neceſſitate virtutem fecerunt. Ita Gregorius Pontifex maximus, his podagræ pedicis ſe incluſum patienter ferebat, ut peccatorum vinculis in altera vita injiciendis eximeretur: *g Ecce*, inquit, *jam biennium pænè expletur, quod lectulo teneor, tantiſque podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus feſtis, uſque ad horarum trium ſpatium ſurgere valeam. Mox autem cum gravi compellor dolore decumbere, ut cruciatum meum poſſim interrumpente gemitu tolerare. Unde fit, ut qui quotidie in morte ſum, quotidie repellar à morte.* Quid inter hos acutiſſimos, ac diuturnos dolores ſanctiſſimus Pontifex querelarum apud Deum, aut homines? adeò nihil repoſuit, ut dixerit: *Nec mirum, quia peccator gravis, talis corruptionis carcere diu teneor incluſus, &c.* Quantò veriùs, & æquiùs quique veſtrum, qui hoc morbo conflictamini, uſurpare, & de neceſſitate facere virtutem poſſetis; ne, ut inquit idem Doctor, *h* ſi inviti patimini, *de tormentis ad tormenta tranſeatis.* Nôrat hoc magnus ille orbis Domitor, & major ſui, Carolus V. Imperator, cui podagra laboranti, cum aulici ipſi intimi, fomenta leniendo dolori quædam adhibenda ſuggererent, reſpondit, non alio remedio in hoc malo quàm *patientia opus eſſe.* Idem in paupertate, & omni adverſitate, quovis in ſtatu remedium eſt, ut ſi malè cecidit, corrigas arte, & patientia. Si inter conjuges ſors malè cecidit, corrigant arte. Si inter Religioſos, & Sanctimoniales, corrigant arte & patientia. Sic pauperes, ſic ſervi, & ancillæ, ſic opifices, quibus ſervilis ſors obtigit, corrigant arte: non enim aliud à te ſummus ille Imperator, in cujus manibus ſortes noſtræ ſunt, à te exigit; ſed *i utere* SORTE *tua*, tu mercatoris, tu medici, tu cauſidici, tu judicis, tu Præſidis, tu Prælati; ſed bene, ut muneris tibi à Deo decreti partes, rectè, ac ſincerè agas, nec aliud agere ſatagas. Quod Epictetus in enchiridio verè aureo, Chriſtiana axiomata plura complexus, ſimilitudine comœdiæ inculcat: *k Actorem eſſe fabulæ talis, qualis magiſtro probata fuerit, te memento: ſi brevis, brevis; ſi longa, longæ. Si medicum agere te voluerit, fac eam quoque perſonam ingenioſè repræſentes; ita ſi claudum, ſi Principem, ſi plebejum: hoc enim tuum eſt, datam perſonam bene effingere; eam autem eligere, alterius: utere* SORTE *tua.* Expertus non raro ſum, quàm importunæ ſint parentum, ac puerorum quereræ, dum magiſter pro comœdia exhibenda, partes diſtribuit: hic queritur, ſe partem habere ruſtici, ille quod nimis bre-

f Raynaud. heteroclita ſpiritual. lib. 1. Part. 1. pag. 414. g Gregor. lib. 8. Epiſt. 35. h Gregor. lib. 9. Epiſt. 25.

i Virg. lib. 12. k Epict. c. 23.

brevem, tres, quatuórve lineas, fruſtraneos hic parentes ſumptus facere. Altera mater indignatur filium ſemper morionem agere; cùm tamen partes aptiſſimè, pro capacitate cujuſque diſtributæ ſint. Detur puero viri conſularis, ſed balbo, pars quadraginta, aut quinquaginta verſuum; ſtupido ac bardo perſona Regis, nónne omnibus ludibrio erunt, & ſpectatores id indignum judicabunt? ſed talem agat quiſque partem, *qualis magiſtro probata fuerit.* Ita agitur in hoc vaſtiſſimo orbis Theatro: ſummus ille, ac prudens magiſter Deus, cuique ſuas partes diſtribuit: hic mendici, alter Regis: hic famuli, alter Domini: ille militis, alius monachi: hic ægri, alius ſani partes agit; & hoc tantum exigit, ut *datam perſonam* quiſque *bene effingat*: ſi mechanici, ſi ſervi, ſi mercatoris, ſi medici, ſi juriſperiti, ſi monachi pars obtigerit, *fac eam perſonam ingenioſè repræſentes.* Idem eſt in partibus muſicis: Phonaſcus, huic partem ſuperioris, alteri tenoris aut contratenoris, illi partem Baſſi diſpertit; ſi Baſſus velit ſuperiorem canere, ſuperior tenorem, &c. diſcordia ſumma erit. Similiter ſi ſervus velit eſſe dominus, ſubditus ſuperior, miles cauſidicus, monachus conjugatus, confuſio ſumma oriatur, neceſſe eſt. At ſi quiſque ſuas partes bene agat; fieri poteſt ut baſſus placeat præ ſuperiore, morio præ Senatore, ruſticus præ Rege, ut indies cernere eſt. Idipſum in divinis uſuvenire docet Hieronymus: *Cernis*, inquit, *quod Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, non ideo ſint beati, quia Epiſcopi, vel Presbyteri vel Diaconi* (partes, & officia egerunt) *ſed ſi virtutes habeant nominum ſuorum, & officiorum. Alioquin, ſi Diaconus ſanctior Epiſcopo ſuo fuerit, non ex eo quod inferior gradu, apud Chriſtum deterior erit.* Quod Cardinalis Bellarminus aptè ad rem noſtram comprobat: *l* Stephanus, inquit, diſcipuli perſonam egit benè; Judas autem perſonam Apoſtoli egit malè. Itaque contingere poteſt, & ſæpe, ni fallor, contingit, ut Rex, & Pontifex, Juriſconſultus, & Theologus æternis cruciatibus adjudicentur; cocus verò, & Regis mancipium, & alius neſcio quis imperitus, & plebejus, æternis præmiis affecti, beatis Angelorum agminibus aſſocientur; nec immeritò, cum ſublimes illi, perſonas ſuas non bene repræſentarint; alii autem ſuas, licet viles & abjectas, præclarè, & eleganter egerint. Non enim ſola ſors Antonii, Macarii, Pachomii, Franciſci, cœlo inſerit: venit eodem ex caſtris Mauritius, ex curia Ivo, ex frequenti medicorum concurſatione Coſmas & Daminus, ex aula Ludovicus, ex caula Iſidorus. E cælibatu ſæculari Petronilla, Thecla, Pudentiana, Praxede: ex matrimonio Eliſabetha, Felicitas. Omnes ſortes bonæ ſunt, à manibus Dei temperatæ, & immiſſæ; quibus ſi rectè utaris, illud Pſaltis Regii uſurpare poteris: *m* SORTES *ceciderunt mihi in præclaris.* Reſtat nunc, ut diabolica quorundam mortalium curioſitas, qui perversè, & ſacrilegè ſortes de futuris mittere ſolent, retundatur, & qua ratione non licitè dun-

l Bellarm. Conc. 38. in feſto S. Iacob.
m Pſalm. 15. v. 6.

taxat;

taxat; ſed & ſalubriter, ac laudabiliter, per pias ſortes, futura inquirere & cognoſcere poſſitis, aperiam.

§. II.

Utrum divinatio SORTIUM *ſit illicita?* Sanctus Thomas 22. quæſt. 95. art. 8.

NOtandum, inquit 1. *n* SORTES *proprie dicuntur, cùm aliquid fit; ut ejus eventu conſiderato, aliquid occultum innoteſcat.* Sunt autem tres ſortium ſpecies, ex fine petitæ: *diviſoriæ*, *conſultoriæ*, *divinatoriæ*. *o* *Diviſoriæ* ſunt, quando indicio ſortium quæritur, quod cuique tribuendum: ſive illud ſit res poſſeſſa, ſive honor, ſive pœna, ſive functio aliqua. *Conſultoriæ*, quando inquiritur ſortibus divinum Conſilium, ut ſciatur in negotio obſcuro, quid agere debeat. *Divinatoriæ* ſunt, quando per eas inquiritur de divinis eventis, quidve futurum ſit, quid ſibi, aut alteri obventurum, ſive in rebus à nobis remotis, & incognitis quid geratur? notandum 2 *p* directionem ſortium poſſe exſpectari vel à cœlo, vel à caſu, vel à dæmone, vel à Deo. Qui ſortes ducit, & putat eas gubernari à cœlo, tanquam à cauſa, hæreticus eſt, quia tollit hominis libertatem: hæc enim corruit, ſi hujuſmodi actus ad ſortes requiſiti, eorúmque eventus, neceſſariis ſtellarum diſpoſitionibus ſubjiciantur. Si à cœlo, tanquam à ſigno, ſuperſtitioſus: quia aliquando diabolicam ſuggeſtionem, & implicitum cum dæmone pactum involvit; in quo ſuperſtitio *fundatur, quod diabolo, aut creaturæ tribuatur, quod ſoli Deo competit, arcana nôſſe.* *q* Si à caſu, & fortunâ, non peccat, modò duæ conditiones concurrant: prima, neceſſitas aliqua: nam ſi rem caſui, aut fortunæ, abſque ulla neceſſitate exponit, ut minimum incurret vitium levitatis, & vanitatis. Secunda, ut omne periculum injuſtitiæ tollatur, & qui ſortiuntur, æquali jure nitantur. Si à diabolo, non ſolum ſuperſtitioſus, ſed & impius eſt, qui à dæmone petit rerum notitiam, ſoli Deo reſervatam; proindéque diabolo tacitè tribuit divinitatem. Si à Deo, aut mittit ſortes, ad id impulſus Spiritu divino, aut proprio; ſi divino, rectè agit, ſi proprio, etiam non peccat, dummodo tamen ex doctrina D. Thomæ hæ quatuor circumſtantiæ concurrant. *r* 1. neceſſitas inducens ad ſortes; alioquin ſi ſine *neceſſitate recurrat ad ſortes, videtur ad Dei tentationem pertinere.* 2. *reverentia* ex parte hominis ad ſortes recurrentis, quo pacto Apoſtoli, præmiſſis orationibus, *miſerunt ſortem ſuper Matthiam.* 3. proportio ex parte actus. v. g. ſacra Euangelia ad ſortiendum de rebus temporalibus non adhibeantur. 4. diſpoſitio ex parte materiæ, ut ſcilicet non fiat circa materiam prohibitam. His poſitis, prima Theologorum ſententia eſt, quod SORTES DIVISORIÆ *ſ* in pleriſque rebus licitæ ſint, ſi eventus exſpectetur à caſu, vel fortuna: *Sicut ſi aliqui non valentes aliquid concorditer dividere, velint* SORTIBUS *ad diviſionem uti,*

n Quid ſors, & quotuplex. o S. Thom. cit. Leſſius de jure & juſt. lib. 2 cap. 43. dub. 9. p Mendoſa l. 1. Reg. c. 10, n 20.

q S. Thom. cit. art. 1. r S. Th. 22. q 95. art. 8. ſ Sortes diviſoriæ, S. Thom. cit.

quaſi

quaſi fortunæ exponentes, quis, quam partem accipiat. Sic inter fratres & ſorores; hæreditates, & alia bona communia, ſæpiſſime ſorte dividuntur, aut ex pacto ſorti exponuntur, ut ejus ſit res, vel electio, cui ſors, & caſus faverit. 2. in functionibus; ubi de honore, vel periculo agitur; ut quando arx expugnanda, urbs invadenda, ſorte inter milites diverſarum nationum decidi ſolet, quæ natio agmen ducat, primos impetus faciat, primas, & potiorem partem ſibi vindicet. Sic divus Auguſtinus ſcribit, ſorte eligendum ſacerdotem tempore peſtis, & perſecutionis, dum diſceptatio inter miniſtros Eccleſiæ, quis eorum ceteris fugientibus, manere debeat in oppido, ut fidelibus res ſacras adminiſtret: t *Si inter Dei miniſtros ſit diſceptatio, qui eorum perſecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium, ne morte omnium deſeratur Eccleſia; ſi hæc diſceptatio aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant,* SORTE ELIGENDI SUNT. Quod alibi docet, ſi eleemoſyna facienda ſit uni è duobus, nec conſtet uter eorum dignior ſit, ſi in utrumque dividi non poſſit, unum ex his ſortitò eligendum: u *Si tibi,* inquit, *abundaret aliquid, quod optares dari ei qui non haberet, nec duobus dari poſſet: ſi tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua neceſſitudine ſuperaret, nihil juſtiùs faceres, quàm ut* SORTE *eligeres, cui dandum eſſet, quod utrique dari non poteſt.* Tertiò in litibus dirimendis, maximè de rebus ſecularibus, ſtante partium ancipiti jure, non minus conſultò res ſorti, quàm cauſidicorum arbitrio, ſæpe non æquo, committitur L. *Si cum ambo. ff. de judiciis*; idque ex judicio Salomonico: x *Contradictiones comprimit* SORS, *& inter potentes quoque dijudicat.* Præda quoque, contentionis vitandæ cauſa, militari ſorte dividi conſuevit, quò ſpectat illud Virgilii:

y *Si verò capere Italiam, ſceptriſque potiri*
Contigerit victori, & prædæ ducere SORTEM.

Quartò in pœnis, & ſuppliciis, z ut cùm rei mortis, & Princeps, ut clementiam in ſancienda diſciplina adhibeat, vult aliquos punire, aliis ignoſcere, reos ſuper tympanum aleâ ſortiri jubet, quod in caſtris uſitatiſſimum: ſic ſub Joanne Auſtriaco, orta militum ſeditione, quibus duorum, triúmve menſium ſtipendium debebatur, inter factioſorum capita, *militari ſortitione* ſecernuntur octo, ex quibus eodem fortunæ, & ſortis arbitrio, quatuor neci adjudicantur. a Idem practicatum à Ferdinando Toletano Albæ Duce, qui quemvis ex confœderatis captivum, illico in furcam agi juſſerat; ſemel dum plures ſimul in manus veniſſent, ſtatuit, inter ſe ſortes mitterent, ut ex omnibus duo, ſuſpendio pœnas penderent. b Ubi hoc memoratu dignum accidit: inter hos Anglus, felici jactu ſe omni metu liberarat; quidam verò Hiſpanus, hoc periculoſę plenum opus aleæ nimium quantum re-

t Auguſtin. Epiſt. 180 ad Honoratum. S. Thom. cit. v Aug. lib. 1, de doct. Chriſt. c. 28.

x Proverb. 18. v. 18. y Virg. lib 9. Æneid. z Delrio diſq. mag. lib. 4. c. q. ut. a Famian. Strada de bello Belg. an. 1578. b 1. c. ſcat der geſontheyt c 9.

formidabat; quare Anglum exiguâ pecuniæ ſummâ induxit, pro ſe rurſus ſortiretur, & aleam ſubiret. Fecit ſemel, iterúmque pro alio; ſed dum toties dubiam illam ſortem ſubit, parvo impendio, ſuſpendium ſibi emit. c In hac tamen ſortitione militari ſervandum, ut ſit par ſortientium reatus, alioqui iniqua ſortitio, quoad minus nocentes. Sic tempore tempeſtatis, licet ſortiri ex omnium conſenſu, quis navi ejiciatur, uti in Jona factum legimus: d *Miſerunt* SORTES, *& cecidit* SORS *ſuper Jonam*. Hic paululum vos auribus, animíſque attentos velim Auditores, quique omnes unâ Eccleſiæ navi vehimur, ſolicitè diſquiramus, qui fiat, navim illam tot, támque turbulentis fluctibus, & ſævis tempeſtatibus jactari: aut ſi lubet, hoc noſtrum Belgium, ingentis inſtar myoparonis, aut bellici navigii, in rubro prope ſanguinis Oceano, maximis calamitatum turbinibus, ab annis ſeptuaginta horrendè quaſſatum conſideremus. Quid cauſæ? quem tam immanis tempeſtatis, præſentíſque, quo etiamnum involvimur, diſcriminis, auctorem eſſe exiſtimatis? ſi ſors jacienda eſt, non unum hic Jonam, ſed plures me reperturum vereor, qui præcepto Domini adverſantes, & à facie ejus profugi, ſcelerum ſuorum pondere, navim, qua ipſi navigant, peſſum ire, & ſubſidere ſinunt; nec ſe auctores agnoſcunt; ſed cum de publicis præſertim calamitatibus agitur, hic ducum imperitiam, ille militum ignaviam, alter pecuniæ, quæ nervus belli, defectum: alii aliam omnis mali cauſam comminiſcuntur, omnes culpam in alios conferunt: Sacerdotes, infamem vivendi licentiam Laicorum incuſant; hi Sacerdotum in cultu divino incuriam: nobiles, civium etiam hoc miſerrimo tempore commeſſationes, & compotationes, atque intolerandum in filiarum ornatu luxum: cives ècontra, nobilium in communi congreſſu, loquendi & agendi lubricitatem, ac luxuriam, in ædibus ſacris irreverentiam: mercatores, militum extortiones, ac tyrannidem: milites, mercatorum fraudes, impoſturas, & injuſtitias. Denique nemo ſe conſcium agnoſcit, nemo in ſeipſum deſcendit, nemo proſpicit fatalem illam ſortem aliquando jaciendam, qua in mare igneum, in ſtagnum picis & ſulphuris præcipitandus ſit. Quare errare non poſſumus, ſi nos ipſos ſinguli auctores mali ſtatuentes, de eo à nobis, à ſociis, à civibus, à conprovincialibus noſtris amoliendo, ſincera pœnitentia, vitæque emendatione, propriæ conſcientiæ calculo damnati, cogitemus. Sed cœptum proſequamur. Quotieſcumque ergo non apparet ratio, cui alter alteri in aliquo commodo, vel incommodo debeat præferri, licitè res ſorti committi poteſt. Nam ut rectè Auguſtinus in Pſalm. 30. e *In manibus tuis* SORTES *meæ*, ſic ait: SORS *aliquid mali non eſt, ſed res in humana dubitatione, divinam indicans voluntatem*. f Officia tamen, etiamſi ſæcularia ſint, regulariter non ſunt diſtribuenda, g ſed conferenda maximè idoneis; ſi tamen plures ido-

c Delrio cit. d Ionæ 1. v. 7.

e Aug. in Pſal. 30. f Leſſius cit. Delrio.
g Officia ſorte non diſtribuenda.

idonei, & pænè pares, poterit res ſorti committi. Quod in electione ad beneficia Eccleſiaſtica, lege cautum eſt. Argumentum hoc fusè proſequitur Philo *diſertiſſimus Judæorum* (ut eum compellat ſanctus Hieronymus) qui ſic diſſerit: h *Quibuſdam placet* SORTITÒ *creari Principes, nullo ſanè ſubditorum commodo*: SORS *enim ad felicitatem, non ad virtutem attinet. Itaque ſæpe accidit, ut ad principatum* SORS *eveheret, quos vir bonus non ferret in ſubditorum numero.* Quod à ſimili potenter confirmat: *Nam ſi Domini*, inquit, *non omnes vernas, emptitióſque aſſumunt in famulatum* (nec vos ſorte, ſervos vel ancillas in familiam) *ſed ſolos morigeros, obſequentéſque &c. Quantò minùs decet dominium integrarum civitatum, gentiúmque,* SORTI *committere, lubricæ rei pendenti à fortunâ inſtabili? certè in ægrotis curandis,* SORTIUM *nemo meminit: nec enim* SORTE *capiuntur medici; ſed peritiſſimus quiſque eligitur. Non* SORTE *decernitur, quis gubernaturus puppim aſcendat; ne forte aliquis imperitus, vel in tranquillitate, ac ſerenitate aſciſcat naufragium; ſed quæritur aliquis, qui artem gubernandi à juventute didicerit. Et civitates magnas, populoſas, plenas habitatoribus, & curam rerum privatarum, ac publicarum, quam merito quis artem artium, & ſcientiam ſcientiarum dixerit, committemus incertæ rei, fortunæque, rejecto veritatis examine?* Quam hoc indignum, & iniquum, nemo non videt. Magis probandus mos ille, quem Athenæus ſuo ævo in uſu fuiſſe ſcribit, *i* quo ſuus cuique locus in convivio, ſorte aſſignari ſolebat. Quæ conſuetudo ſi modò in praxi eſſet, non tot exulceratis animis, & amariſſimo ſtomacho, ac felle pleni, è ſuaviſſimis epulis, omnium cupediarum ſuavitatibus refertis abſcederent; non alia de cauſa, quam quod iis poſtpoſiti fuiſſent, quibus ut ipſi ſibi imaginabantur, digniori loco, præferendi erant. Quod alteras ſortes ſpectat: k *Conſultoriæ* regulariter ſunt illicitæ, niſi quando conſilium humanum non ſuppetit, vel niſi Deus inſpiret illis utendum: quia ſine neceſſitate velle, ut Deus ſuam voluntatem peculiari modo, ſeu miraculo manifeſtet, pertinet ad Dei tentationem, ut docet D. Thomas cit. Imò etiam eſt periculoſum, quia facilè dæmon ſe immiſcebit, & hominem decipiet. Unde meritò hic uſus reprehenditur à Sancto Auguſtino Epiſt. 119. ad Januarium, ubi ait: l *Hi verò qui de paginis Evangelicis* SORTES *legunt, etſi optandum eſt, ut hoc potius faciant; quam ut ad dæmonia conſulenda concurrant; tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo, ad negotia, & ad vitæ hujus vanitatem, propter etiam vitam, loquentia oracula divina velle convertere.* Hunc ſortiendi modum per apertiones librorum, ut ex ſententia, in quam inciderent, quid ſibi agendum eſſet, intelligerent, gentilibus in uſu fuiſſe comperio. *m* Sic olim Romani libros Poëtarũ, quos fatidicos putabant, oracula petituri, conſulebant. Adrianus Imperator conſulens Virgiliũ,

h Philo lib. de creatione Principis, ſub initium. i Athenæus lib. 8.

k Sortes conſultoriæ, Leſſius cit.
l Aug. Ep. 119. c. 20. ad Ianuarium.
m Ælianus.

ſortitus

ſortitus eſt illa Carmina ex lib. 6. Æneid.

Noſco crines, incanáque menta
Regis Romani; primam qui legibus urbem
Fundabit Curibus parvis, & paupere terra,
Miſſus in imperium magnum.

n Clodius verò Albinus, conſulens eundem Virgilium de ſuo fato, incidit in hos verſus libro eodem:

o *Hic rem Romanam, magno turbante tumultu*
Siſtet equos, ſternet Pœnos, Gallúmque rebellem.

Alexander Severus adhuc puer, cum eundem Virgilium fortè ſortitò aperiret, oraculi cauſa, obtulit ſe locus ille;

p *Te manet imperium cœli, terræque mariſque.*

Et cum ad artes liberales animum appelleret, fortuitò obtinuit illa carmina vatidica:

q *Excudent alii ſpirantia mollius æra,*
Tu regere imperio populos Romane memento.

Quibus verbis imperium illi portendebatur, ut Elius Lampridius ſcribit. Ejuſmodi ſortitiones è codice apud Tiraquellum de jure primogenitorum q. 17. n. 67. & apud Bulingerum lib. de ſortibus, videre eſt. In ſpeciem piè, & ſanctè; ſed revera impiè, fideles id aliquando æmulati ſunt, ex ſacris paginis ſortes ducentes, & temerè Deum de futuris, iiſque frivolis eventis conſulentes, ac tentantes. Sic Heraclius apud Cedrenum: *Cùm aperuiſſet intemerata Euangelii, invenit ea ſibi concedere, ut in Albania hybernaret.* r Gregorius verò Turonenſis, quàm malè hæc ſors consultoria ceſſerit, exponit: De Chramni in Clotarium patrem arma moventis bello, edoceri divinitus cupientes clerici Divionenſes, poſitis tribus ſuper altare libris, nimirum prophetiis, epiſtolis Apoſtolicis, & Euangeliis, oraverunt ad Dominum, ut ſacrorum illorum apertione, quid futurum eſſet, detegere dignaretur. Aperto primùm libro Prophetarum, illud obvenit triſte ex Iſaiæ 5. *Auferam maceriã ejus, & erit in direptionem, pro eo quod debuit facere uvas, fecit labruſcas.* Poſtmodum apertis Pauli Epiſtolis, occurrit illa ſententia, ex 1. Theſſal. 5 *ipſi enim diligenter ſcitis Fratres, quod dies Domini, ſicut fur in nocte ita veniet, & cum dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus illis ſuperveniet interitus, ſicut dolores parturientis, & non effugient.* Ad extremum, reſerato Euangeliorum codice, illud obvenit: ſ *qui audit verba mea, & non facit, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam, deſcendit pluvia, advenerunt flumina, flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & facta eſt ruina illius magna.* Non cecidit ex his verbis quidquam in terram. Omnia exactè adimpleta ſunt, & eventu comprobata. Hanc conſuetudinem D. Auguſtinus, & S. Thomas condemnant, quod per illam divina oracula ad res temporales convertant; imò ut res ſuperſtitioſa prohibita eſt jure. *c. aliquanti.* &

n Iulius Caſar in vita Clodii.
o Virg. lib. 6. Æneid p Ibid. q Ibid.
r Greg. Turon. lib. 4. hiſt. Franc. c. 16. Vid. Raynaud Heteroclita ſpiritualia. lect. 3. punct. 2. n. 7.

ſ Matth. cap. 7. v. 27.

c. ſi *quis Clericus*: hi etenim divina rimari, & curioſa, quæ nec virtutem, nec ſalutem ſpectant, ſcrutari volunt, cùm

t Prudens futuri temporis exitum,
Caliginoſa nocte premat Deus.

Imò in re iniquiſſima conſulunt aliquàndo ſorte Dominum, ut Merovæus Chilperici Regis Francorum Filius, contra illud Catonis Chriſtiani:

Quid Deus intendat, noli perquirere SORTE:
Quid ſtatuat de te, ſine te deliberat ipſe;

Sed vel ſic obventuram ſibi infelicitatem agnovit. Tenebatur ille regnandi libidine; quare Chilperico Patri adhuc, & nimium diu ſuperſtiti, varias parabat calumnias, & ſtruebat inſidias; ut verò ſciret Domino revelante, num regnum adepturus eſſet, tres è ſacris voluminibus libros, videlicet *Regum*, *Pſalmorum*, *& Euangeliorum*, Beati Martini tumulo impoſuit, ut quid ſibi eſſet eventurum, oſtenderet. *u* Traduxit deinde alterum triduum jejuniis, vigiliis, precibus; Atque ad ſancti tumulum reverſus, impoſitóſque libros aperiens, in eo quidem qui *Regum* erat, primus paginæ, ſorte deductæ, verſiculus fuit: x *Pro eo quod dereliquiſtis Dominum Deum veſtrum, & ambulaſtis poſt Deos alienos, nec feciſtis rectum ante conſpectum ejus; ideo tradidit vos Dominus Deus veſter in manibus inimicorum veſtrorum.* Pſalmi autem verſiculus in altero libro primus occurrit: y *Veruntamen propter dolos, poſuiſti eis mala: dejeciſti eos dum allevarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitates ſuas.* In tertio codice Euangeliorum, illud è paſſione Dominica ſeſe obtulit: z *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Atque ita ſua dignum impietate Merovæus accepit vaticinium, quod fuiſſe veriſſimum fatalis exitus comprobavit. Sed his miſſis, ſaniora, & multo ſalubriora ac ſanctiora vobis pandam oracula, quæ vos in ſortem *a* Sanctorum certò aſſerendos vaticinabuntur; ſi nempe ſacras paginas, pios codices, vitas Sanctorum, hoc animo conſulatis, ut pravos mores emendare, virtutem ſectari, ſalutem æternam, non bona fluxa & caduca, non proſperos fortunæ eventus, divina diſponente providentia, conſequi valeatis. Sic Æthiops ille eunuchus *b*, librum Iſaiæ conſulens, illum locum ſibi maximè opportunum offendit: c *tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt.* Nec minus feliciter Auguſtinus, hærens in ſuperſtitione, & ſordibus Manichęorum, hac felici ſorte emerſit, de qua ipſum audire juvat: *d Ego*, inquit, *ſub quadam fici arbore ſtravi me, neſcio quomodo* (quis non fortuitò dicat?) *& dimiſi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile ſacrificium tuum. Et jactabam voces miſerabiles: quamdiu, cras, & cras? Quare non modò? quare non hac hora finis turpitudinis meæ?* Cúmque ſic ſecum luctaretur, & & quem exitum ſors habitura

t Horat. lib. 3. carm. Ode 29. u Greg. Turon. l. 5. hiſt. Franc. c. 14. x 2. Paral. c. 7. y Pſal. 72. v. 18.

z Matt. 26. v. 2. a Sortes Sanctorum, conſulendo ſacros codices. b Act. 8. v. 27. c Iſa 53. v. 7. d Aug. l. 8. conf. c. 12

eſſet

eſſet, Deum conſuleret: *Ecce inquit, audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, & crebrò repetentis, quaſi pueri, an puellæ, neſcio: tolle lege, tolle lege: ſtatimque mutato vultu, intentiſſimus cogitare cœpi, utrumnam ſolerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid: nec occurrebat omnino, audiviſſe me uſpiam. Repreſſóque impetu lacrymarum, ſurrexi, nihil aliud interpretans, divinitus mihi juberi, niſi ut aperirem codicem, & legerem quod primum capitulum inveniſſem. Audieram enim de Antonio, quod ex Euangelica lectione, cui fortè ſupervenerat, admonitus fuerit, tanquam ſibi diceretur, quod legebatur: vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & veni ſequere me, & tali oraculo, confeſtim ad te eſſe converſum.* Hic nunc mecum animum advertite, quid ſit etiam fortuita, ut nobis videtur, ſacrorum codicum, divino inſtinctu, conſulere oracula: ſic porrò pergit: *Itaque concitus redii ad eum locum, ubi ſedebat Alipius, ibi enim poſueram codicem Apoſtoli, cum inde ſurrexeram. Arripui, aperui, & legi in ſilentio capitulum, quò primum conjecti ſunt oculi mei:* e *non in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: ſed induite Dominum JESUM Chriſtum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiſcentiis.* Quod ubi ut oraculum accepit, ſic ait: *nec ultrà volui legere, nec opus erat; ſtatim quippe cum fine hujus ſententiæ, quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.* Quid, quod eadem conſultoria ſors, Alipio optima è cœlo auguria declarârit, & ſalutem animæ curârit. Cùm enim veniſſet ad Alipium, *ille quid in ſe ageretur, quod ego neſciebam, ſic indicavit: petit videre, quid legiſſem? oſtendi, & attendit ultrà quam ego legeram, & ignorabam quid ſequeretur. Sequebatur verò:* f *infirmum autem in fide aſſumite. Quod ille ad ſe retulit, mihique aperuit.* Atque hac fortuita lectione, quam *ad ſe retulit*, ſine *ulla cunctatione* conjunctus Auguſtino, in alium mutatus eſt. Et Auguſtinus g *homo cœleſtis, imago divinitatis, Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyſſus ſapientiæ, par Angelis evaſit.* Sic Sanctus Ignatius, Ordinis noſtri Parens, ex vulnere ſaucius, cum temporis fallendi gratia, libros peteret, qui Heroum equeſtria, & id genus profana continerent, neque illi domi uſquam eſſent; oblatos duos melioris argumenti codices accepit: *h* unum quo Chriſti Domini geſta; alterum quo Sanctorum præclara facinora notabantur; effectúmque hac fortuita lectione, ut ſubitò in rerum à ſe lectarum imitationem exarſerit, & talis ac tantus, quantus ab univerſo orbe agnoſcitur, virtute, & ſanctitate eluxerit. Sic (ut delectum habeatis) Sanctus Columbanus ſub prandium è curia domum reverſus, ubi tumultuari cœpit cibos imparatos, objectum ſibi ab uxore codicem Sanctorum, calido cerebro arripuit, & inde alium cibum eſuriens, miraculum ſanctitatis exſtitit. O ſi nos ſic quoque fortuita ſanctorum librorum lectione, aliquando feliciter ſortiamur bo-

e Rom. 13.

f Rom. 14. g Poſſidon. Epiſt. ad Macedon. h Ribadon. in vita.

bonam mentem, vitam, mores, & beatitatem perpetuam! Quemadmodum Bernardus ille de Quinta valle, *i* qui non prius à S. Franciſco, cujus inſtitutum ardentiſſimè expetebat, in ſocium adlectus eſt, quàm conſulturus Dominum, cum eo in Eccleſiam ingreſſus manè, præmiſſa ibidem oratione, ter Evangeliorum librum aperuiſſet, trino expoſcens teſtimonio, ſanctum Bernardi propoſitum confirmari. Quod & factum: nam in prima libri apertione illud occurrit: k *ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* In ſecunda: l *nihil tuleritis in via.* In tertia verò: m *qui vult venire poſt me, abneget ſemet ipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*; quam cum eſſe regulam ſuam dixiſſet Franciſcus, & in eam conſenſiſſet Bernardus, is ſtatim à S. Franciſco admiſſus, ſimul ſocius, ſimul & primogenitus ejus filius; *tam*, ut Bonaventura loquitur, *prioritate temporis, quam privilegio ſanctitatis effectus.* Si vos Adoleſcentes, & adoleſcentulæ, de ſtatu vitæ conſulturi, pro ſibyllinis, aliiſque obſcœnis libris, ſacros ac pios libros lectitare, & cum Alipio lecta ad vos, ad animum referre velitis, facilè quò inſtinctus divinus, & is in cujus manibus ſortes veſtræ ſunt, impellat, cognoſcere poteritis. Quod S. Athanaſius de pſalterio obſervat, cum ait: n *In pſalmis illud miri eſt, quod qui eos legit, non tanquam alius ea diceret, aut de alio dicerentur, ita accipit, & perlegit; ſed tanquam de ſeipſo ſermo fieret, ita mentem ad Deum dirigit.* Et mox: *in ſumma, quilibet pſalmorum eâ formâ verborum conceptus eſt à Spiritu ſancto, & ita temperatus, ut in illis motus affectuum noſtrorum animadvertamus, omniáque illa putemus de nobis referri, ac noſtra, & ipſorum eſſe verba: unde fit, ut memores noſtrorum affectuum, noſtra in melius commutemus.* Vos verò, cujuſcumque ſtatus, ac conditionis eſtis, opifices, mercatores, Cauſidici, Senatores, Nobiles, Eccleſiaſtici, Religioſi, ſi in quovis morbo animi remedium, in dolore, & afflictione ſolatium, in perturbatione quietem, vobis obventuram expectatis, conſultoriâ ſorte, libellum aureum *o* Thomæ Campenſis arripite, & fortuitò, ut inciderit, aperite, nec unquam ſpe veſtra fruſtratos comperietis; quod experientia comprobatum, S. P. N. Ignatius in ſeipſo conteſtatur, de quo Orlandinus: p *Ubi etiam fortuitò aperiret, quæ præſenti neceſſitati convenientia erant, occurrebant.* De eadem fortuita libelli hujus apertione, & lectione, cum ingenti ſpirituali proventu, exſtat illud teſtimonium Hermanni Hugonis, ſcribentis in hæc verba: q *Multos dicere frequenter audivi ſolitos, ſe ex libello Thomæ A Kempis* (fortuita lectione) *quærere in mærore conſolationem, neque fere unquam falli.* Tentate & vos, probate, & effectum experiemini.

§ Supereſt tertiũ ſortiendi genus, quod

i Bonavent in vita S. Franc. l. 1. c. 3. k Matt. 19. v. 21. l Matth. 6. v. 8. m Matt. 16. v. 24. n S. Athanaſius Epiſt. ad Marcellinum.

o Lectio fortuita Thomæ A Kempis commendatur. p Orlandin. lib. 5. hiſt. Societatis. §. 9. q P. Herm. Hugo lib. de Origine ſcribendi c. 29.

quod ſpectat r *ſortes divinatorias*. De quibus ſic Doctor Angelicus pronuntiavit: ſ SORTES DIVINATORIÆ *non carent dæmonum ingeſtione*; *ex quo talis divinatio erit ſuperſtitioſa*, & *illicita*. Duplex, inquit Sanchez, & Leſſius, t eſt rerum occultarum cognitio; una ex divina revelatione, quæ prophetia dicitur: altera ex diabolica, quæ divinatio appellatur, éſtque ſpecies ſuperſtitionis. Unde Origenes, *immortali ingenio*, ut Hieronymus loquitur, v *Divinatio eſt quædam operatio dæmonum, in miniſterio præſcientiæ*; *quæ artibus quibuſdam*, *ab his*, *qui ſe dæmonibus manciparunt, nunc per* SORTES, *nunc per auguria*, *nunc ex contemplatione umbrarum*, *comprehendi videtur*. *Hæc autem omnia*, ſubdit D. Thomas, x *operatione dæmonum fieri non dubito*; probátque ex illo Auguſtini: y *quidquid procedit ex ſocietate dæmonum*, & *hominum*, *ſuperſtitioſum eſt*; *ergo divinatio eſt ſpecies ſuperſtitionis*. Dicitur autem divinatio, z quaſi actio divina, & Deo propria, *qui ſolus in ſua æternitate videt ea*, *quæ futura ſunt, quaſi præſentia*: unde dicitur Iſa. 41. *annuntiate quæ ventura ſunt in futurum*, & *ſciemus*, *quia dii eſtis vos*. a Quare *ſi quis hujuſmodi futura prænuntiare*, *aut prænoſcere quocumque modo præſumpſerit* (niſi Deo revelante) *manifeſtè uſurpat ſibi*, *quod Dei eſt*, & *ex hoc aliqui Divini dicuntur*, *quaſi quod Deo pleni*: *divinitate enim ſe plenos ſimulant*, & *aſtutia quadam fraudulentiæ, hominibus futura prænuntiant*. Sic, inquit Leſſius, b divini vocantur, qui occultum furem indicant, qui res perditas oſtendunt, qui cauſas occultas mortis, vel morbi animalium aperiunt: c *Divinatio autem ſemper eſt peccatum mortale*. Primò propter expreſſam ſocietatem cum dæmone, quę per ſe grave crimen eſt, ob duas cauſas. Prior eſt, quia eſt ſocietas, & amicitia cum profeſſo, & perpetuo hoſte Dei; ac proinde redundat in injuriam, & contemptum Dei, (ſicut in republica ſocietas, & commercium cum hoſte Principis, eſt crimen læſæ majeſtatis) Altera eſt, quia exponit ſe periculo apoſtaſiæ à Deo, & damnationis æternæ: facilè enim diabolus, Deo permittente, hominem, qui ſocietatem ipſius flagitat, ſuis artibus à Deo avertit, ſibíque obſtringit, ita ut rarò contingat elabi, ut experientia docet. Unde bene dixit Cajetanus, d quod *ſicut conſuetudo cum Angelis in hac vita*, *eſt inchoatio quædam æternæ beatitudinis*; *ita commercium cum dæmonibus*, *eſt initium quoddam æternæ damnationis*. Error hic craſſiſſimus eſt, quod quidam proteſtentur, nullum ſe cum dæmone pactum habere, omne ejus commercium execrari, ſed iis tantum ſignis, ut ipſi dicunt, in ſe non malis, uti, ad quæ effectus conſequatur. Quos ut ad ſaniorē mentem reducam, argumentis Theologicis confutabo. Thomas Sanchez, qui hoc ſplendidiſſimo elogio, † *Doctoris graviſſimi*, *eruditiſſimi*, *atq; illuſtriſſimi* condecoratus fuit, tradit e pa-

r Sortes divinatoriæ. ſ S. Thom. 22. q. 98. art. 8. t Sanchez in præcepta l. 2. c. 38. Leſſius de jure l. 2. c. 43. dub. 5. n. 22. v Hieron. de ſcript. Eccl. x S. Thom. cit. y Aug. lib. 2. de doct. Chriſt. c. 23. z Leſſius cit. a S. Thom. cit. art. 1.

b Leſſ. cit. c S. Thom. cit. Leſſ. cit. n. 27. d Cajet. q. 95. a. 4. e Sanchez in præcep. l. 2. c. 38. n. 18. † Alegambe in bibliot. ſcript. Societ.

ctum

ctum cum dæmone duplex eſſe, implicitum & explicitum. *Explicitum* quidem, quando expreſſis verbis invocatur dæmon, cum eóve pactum initur; aut quando ipſomet facto, & actione hæc fiunt: ſi videlicet quis ſciens dæmonem per aliquod ſignum occulta docere, illud ea docendus uſurpet, & facit illud, quod novit dæmonem pro ſigno, ſeu teſſera ſuæ opis, & efficientiæ conſtituiſſe. *Tacitum* autem, & *implicitum* eſt, quando quis cognitionem ſoli Deo reſervatam, mediis vanis, & indebitis procurat: quamvis enim præter ejus intentionem ſit, dæmonem invocare; eo ipſo tamen, quo quis hæc media intentat, quibus libentiſſimè ſe dæmon permiſcet, vult à dæmone, vanorum inventore edoceri. Nec refert his adhiberi res ſacras, & verba pia: tum quia ingenti blaſphemia ad peſſimum finem applicantur: tum quia plerumque incantationes à Deo accipiunt, & cum dæmone finiunt: ſicut enim oſculari Chriſtum, ſecundum ſe, res fuit digniſſima; in propoſito tamen Judæ facto, nequiſſima & perverſiſſima, quia ad malum finem directa: ita & figura crucis, aliæque ceremoniæ, ac preces, quarum interventu, Chriſtum velut Judæ oſculantur; ſic ſacroſancto illo verbo: *conſummatum eſt*, quibuſdam præſtigiis adhibitis, quidam abutuntur ad luxationes equorum curandas: Et illo verſiculo pſaltis: *in camo, & fræno, maxillas eorum conſtringe*, ad ſopiendos canes. *f* Quæ implicitè diriguntur ad dæmonem, qui etiam in rebus ſacris ſua ſigna inſtituit, ut facilius homines decipiat. Hinc deducitur, inquit Sanchez *g*, dæmonem his vanis ſe immiſcere etiam ignoranter exercenti illa, & proinde præter ejus intentionem expreſſam, ut fallat, ſuadeátque in his vanis fiduciam collocandam. Nam eo ipſo quo his ſignis utuntur, quæ nullam vim naturalē ad finem illum habent, dæmonem in inſidiis latitantem advocant: Quemadmodum latro in ſilva viatori ſe adjungit, & latroni ſocio in inſidiis latenti ſignum dat lingua peregrina, vel alio ſigno, aut ſibilo ut viatorem ſclopo trajiciat. Sic Cornelii Agrippæ commenſali accidit, *h* qui omnis doli ignarus, dum curioſitate ductus, Hero abſente, libros ejus necromanticos volvere cœpit, à dæmone ſtrangulatus eſt: ſic reperti in ſcholis innocui adoleſcentes, qui ſe mutuò artes, ut putabant ludicras, & pueriles, edocebant, vertendi cribrum, ut ſcirent, quis ſociorum, aut domeſticorum rem quampiam ſuſtuliſſet, & intentum ſortiebantur: aut certis verbis prolatis, nihil ſignificantibus, valido impetu manum, aut pectus cultro impetebant citra ullam læſionem: Alii trifolium certo loco circumferentes, feliciter ſemper talos jaciebant; nullo tamen explicito cum dæmone pacto inito; ut re jam aperta, & errores ſuos execrati, faſſi ſunt; ignari prorſus implicitum pactum involvi, dum his ſignis utuntur, ad quæ dæmon artes ſuas operatur, ut hac ratione eos infatuaret, & in partes ſuas traheret. Apertè verò Magos, ac dæmonis adminiſtros conſulere, quàm impium, & facriſ-

f Leſſ. de jure l. 2. cap. 44. dub. 3. n. 13. g Sanchez cit.

h Delrio l. 2. q. 29. ſect. 1.

crilegum ſit, & ſacris paginis *i*, & divinis, humaniſque rationibus, ac horrendis tragœdiis compertum eſt. Unam, eámque recentiorem ad omnium terrorem, & omnis commercii diabolici execrationem, induxiſſe ſufficiat. *k* Anno decimo ſeptimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum, in Belgio noſtro exemplum accidit, eò magis deplorandum, quò in perſona illuſtriori. Audite rem verè calamitôſam, & miſeram. *l* Erat vir primæ prorſus nobilitatis, prædives, ſpecioſus, liberali indole, venuſtis moribus, apud omnes gratioſus in paucis, inſuper linguarum plurium egregiè peritus; ut nihil prorſus ad eum commendandum deſiderari videretur. Is cum paris nobilitatis viro, de illuſtri Comitum germanorum ſtirpe, jam pridem ſimultates habuerat: & Sereniſſimorum Alberti, & Iſabellæ, Belgii Principum mandato, patriæ limitibus certis incluſus, properare in Germaniam ad ulciſcendum coràm de hoſte non poterat; quæſivit ergo viam, qua abſens poſſet. Audierat, cùm in ducatu Luxemburgico, ſito ad orã Trevirenſem, ageret, à quodã venationis ſocio, inter venandũ, neſcio quid de incantore aliquo, & venefico: illius igitur, ut ſuo inflammato in iras animo faceret ſatis, familiaritatem ſumma aviditate, ac deſiderio ambiit. Erat hîc, de quo in vulgus fama necromanticæ artis aliàs uſurpatæ manârat, opilio, *Henricus* nomine, paſſim *Scheffer Heyn* dictus, idiomate patrio (uti ex actis judiciariis Malbergenſibus, quibus quarto Januarii an. 1623, ſcriptus capitis reus, accepi, inquit hiſtoricus) homo inſigniter nequam, qui ſe peritum artis hujus ſimulabat. Hunc ergo quæſitum, ubi invenit ille, quem diximus ultionis cupidum, vir generoſus & potens, tria, ſibi futura ut putabat uſui poſtulavit: *Primò, haurire peregrini ſermonis cognitionem plumam: ſecundò artem nôſſe, ictu certo, & infallibili telum vibrandi; alienorum verò ictus telorum illæſo corpore ſuſtinendi. Tertiò denique, dexteritatem habere, abſentis corpori vulnus infligendi lethiferum, & certo faſcino omnium, cùm ita luberet, oculos declinandi.* Hæc ubi Henricus opilio peti à ſe, & inſtanter peti per virum talem, ac tantum advertit, quod res erat, aperuit, eſſe ſe artis illius prorſus ignarum, popello rudi, & novarum rerum avido, impoſuiſſe duntaxat; at ille hæc dicenti non credere, ulterius urgere, minari etiam, ſi tergiverſari, & occultam habere ſcientiam ſuam perrexerit. Ad hæc opilio, qua territus minis, qua præmio propoſito motus, ubi ſe nonniſi ægrè eluctaturum videt, addicit operam, cúmque ſic velit, ejus ſe obſecuturum deſiderio ſpondet. Diem ſtatuit, locum deſignat, montem quemdam, quem ementito nomine *Veneris montem* nuncupabat, non ita remotum, ſacris illis, ut ajebat, artibus peridoneum. Hac ſponſione recreatus vir nobilis, futuro magiſtro ſuo, viginti quatuor daleros imperiales impertit, & eum in conſtitutum diem dimittit. Domum reverſus opilio, accepta jam ſponſionis arrha angebatur vehe-

i Reg. 31. v. 4. 4. Reg. 1. v. 4. k Ioan. Bapt. V. Weaſ in Ionam. c. 1. lect. 12. n. 29 p. 145. l Terribilis tragœdia.

vehementiùs, quod rei illius,cujus erat ignarus, alteri magiſterium addixiſſet. Ergo ut,qua poteſt dexteritate, ſeſe expediat, *Theodorum van Overwijler* ruricolam, hominem prorſus ſimplicem (qui & ipſe undecima Januarii ejuſdem Anni, quo ſocius ejus *Henricus*, Malbergæ in Provinciali Concilio Luxemburgi damnatus ad reſtem,dedit ſui ſceleris pœnas) ſocium ſtropharum adſciſcit,illi quid agatur exponit; urgeri nempe ſe à viro magno,& indicabat non ignotum nomen, ad procurandum ei dæmonis familiare colloquium, intentare minas,tormenta, mortem, ni fecerit. Modum nullum occurrere, quo à ſe amoliatur importunum hominem; velit proinde venire in fraudis partem, ſimul & lucri: atque tantiſper dum peracta ſit fabula, dæmonis perſonam ſuſtinere, & quæ ante à ſe reſponſa acceperit, hoſpes ignotus, & abditus, ex trunco deſignatæ arboris reddere. Placet propoſita Theodoro induſtria,ad quam opem ſe collaturum, data liberaliter dextera,addicit, promittítq; ſuam ad ſtatutum diem præſentiam. Is ubi advenit, ex condicto delectam communi conſilio ſedem, inter arborum denſa, dæmon hic viſibilis occupat; adeſt quoque cum magiſtro ſuo opilione nobilis diſcipulus, novæ ſcientiæ hauriendæ, plus quàm credi poſſit,avidus, ſub ſolis occaſum. Porrò opilio deſignato jam antè cum ſocio ſuo Theodoro, loco opportuno in proximo, ibidem orbem bacillo depingit in pulvere, cujus ſe diſcipulus continere limitibus debeat, quem nec citra vitæ periculum valeat pertranſire. Patet ille, & magiſter magicum ementitus carmen, editíſque neſcio quibus peregrinis vocibus, dæmonem ciere ſe fingit, eique novum in ſpeciem diſcipulum offert,anhelantem ad ejus alloquium. Tum verò abditus arborum frondibus ſimulatus dæmon: *Ecquid*,inquit, *à nobis ille?* magiſter verò clientis ſui petitionem proponens, ſimul de pretio tractat: quod dæmon ipſam ejus animam eſſe dum cupit, gallum gallinaceum alter offerens, en vivam,& ſpirantem exclamat: cui primùm nequaquam acquieſcere velle fictitius dæmon; auri tamen, quam alterius rei ſitientior, oblatum tandem pro animæ pretio nummum admittit argenteum,poſtulans unà in amoris perennaturi ſymbolum, ſibi oſculum dari: quod dum pro ſuo magiſter diſcipulo dandum ſimiliter negat, neſcio quid aliud illi inſuſurrans in aures: Apollo ruſticus obmuteſcit, & peractâ fabella, utrimque receditur. Prælibatio hæc infelicis operis, & colloquii fraudulenti, in novo hoc opilionis diſcipulo, æſtum & deſiderium non modò non extinxit; ſed amplius accendit: quippe qui exinde eſſe importunior magiſtro ſuo cœpit; eaſdem ſibi guſtare delicias, ut liceret iterum.Quem etiam in finem,ejuſdem directionem ſecutus,oppignorato dominio quodam ſuo,ingentem vim auri corraſit, quo onuſtus ad diem præſtitum accurrit, jam planè edoctus,& credens iſtis & artibus, & opibus dæmonem vinci, & petitas acquiri ſcientias poſſe. Ergo ad fatalem acceſſurus locum, quærit infelix diſ-

diſcipulus, num vel obeſſe corona precatoria, vel mucro poſſint: atque ubi intelligit, nihil opus armorum, retentis tantum roſarii calculis precatoriis, ceterum exarmatus iter ingreditur malè ominatum. Nemus erat ad quod ibatur, & ſatis, ut dixi, vicinum; hic ut antea, rurſus erat deſcriptus in terra circulus, in quem ſe novus ille ſtudioſus, ſed non virtutum, jubetur recipere, oculos obvolvere faſciâ, veſtem lineam, certum quoddam ſacci genus, denſum ſatis, tum ne quid videat, nec commovere ſe poſſit, induere: totum corpus ſupinum in nuda humo, tanquam ſic melius ſit auditurus oracula, extendere. Exequitur omnia, nimium in damnum ſuum obediens. Ubi jam concluſus eſt undique, atque ita conſtrictus, ut ſe movere amplius non poſſit, circumcurſat ductor, & magiſter Henricus opilio, & quiddam denuo tam diu immurmurat, donec ſumptâ in manus ſecuri, quam fictitius dæmon inter dumeta abdiderat, diſcipuli ſui in terra jacentis frontem ſic feriat, & diſſecet, ut ei unico ictu vitam adimat, relicto duntaxat ſpatio ſuſpirandi ſemel, ſimul & exſpirandi. O caſum infelicem! ô exitum luctuoſum! hic utinam propoſitus, & infixus ſit firmâ, & frequenti recordatione eorum mentibus, quos artes magicæ pridem dementârunt, iíſque quà falſam, quà veram dæmonis hoſtis noſtri capitaliſſimi familiaritatem aucupantur; tum ſe beatos arbitrantes, cum ea didicerint, quorum ignorationem magis, quàm cognitionem ambire oportebat, Tales cum Juda m *ſortiuntur* SORTEM *miniſterii ſui.*

m Actor. 1. v. 17.

Quare ad alias ſaniores, & ſanctiores ſortes tranſeamus.

§. III.

Divina Patroni menſtrui n *ſortitio, ut* IN PARTEM o SORTIS SANCTORUM *venire mereamur.*

MIſſis impiis, ac ſacrilegis diabolicæ ſuperſtitionis ſortibus, ad alias vos ſortes jaciendas paucis adhortabor, è quibus nunquam non felix augurium, fortunam beatam, in periculis præſidium, in neceſſitate patrocinium, in miſeriis ſolatium, in omni afflictione auxilium, denique ſalutis æternæ fauſtum, fortunatúmque auſpicium ſortiri poteſtis: ſi eum, qui ſortitò quotmenſibus occurrit, tutelarem patronum, ſingulari cultu proſequi, ejúſque virtutem, in qua eluxit, æmulari ſtudueritis. Praxis hæc ſanctos tutelares ſorte educendi, initium ſumpſiſſe videtur à familia Franciſci Borgia, de quo Scotus in vita: p *Erat ſolenne familiæ Borgiæ, vetere inſtituto, ut è divorum numero aliquem quotannis* SORTE *duceret. Servabat religiosè hunc modum puer etiam tum Franciſcus; Divi nomen cui obveniſſet, is profeſto die, duos mendicos vicatim collectos, alebat; feſto verò, binis bini mares, fæminis fæminæ ad menſam miniſtrabant.* q *Ex hoc fonte manavit pia, ſolenniſque ſocietatis conſuetudo, ut ſingulis menſibus, Sanctorum nomina è ſitula educantur, diſtribuantúrque ſingulatim, quo die votis conceptis, religioſèque per-*

n De ſortitione Patroni menſtrui. o Coloſſ. 1. v. 12. p Andreas Scotus in vita, c. 1. q Lib. 4. c. 4.

ſe-

ſolutis, opem ſui quique Divi implorant Ad ſodalitates parthenicas, & ad varias religioſas utriuſque ſexus familias, imò & in ſæculares indidem ea conſuetudo profluxit. *r* Portuenſes eo ſtudio feruntur in hanc ſortitionem Sanctorum, ut eos non pigeat leucas quatuor, aut quinque emetiri, ne exſortes ſint. Ad Limenſem ſodalitatem, die cœlitibus omnibus ſacro, ad divos fortuitò capiendos, convenêre ſupra mille quingenti. *ſ* Gratum ſibi eum eſſe uſum monſtravit non rarò Deus, editis operibus ſupra naturæ vim prodigioſis, quibus confirmaret pium ſtudium erga Sanctum, qui menſtruâ illâ ſortitione obtigerat. *t* Cæſarauguſtæ Anno 1598. ſodalis pontem, cui Iberus ſublabitur, trajiciens, ſubita equi efferatione in extremum vitæ diſcrimen adductus eſt; ſed cùm in D. Auguſtini cultum (is illi Divus tutelaris eo menſe obtigerat) coronam legeret, in præſentiſſimo diſcrimine, Divi auxilium eſt expertus: nam equo excuſſus, cùm ob pontis anguſtiam, in fluvium dejiciendus, & mergendus videretur, *v* tranſverſam pergrandem trabem ſine damno ſubiiſſe deprehenſus eſt, mirantibus omnibus, nec dubitantibus, quin adveniſſet cœleſte auxilium: ita enim loci anguſtiæ, equi ferocia, & diſcriminis magnitudo ſuaſerunt. *x* Alius ſodalis apud Braſilos, in urbe, cui *flumini Januario* nomen eſt, Anno 1590. capite multipliciter contuſo, & ſaucio, per totum præterea corpus multis vulneribus confoſſus ab hoſtibus, ad divi Barnabæ, qui illi eo menſe obvenerat patronus, auxilium in ſumma illa neceſſitate confugit: tū vaſto ſe flumini credidit, Sancto, quem rogarat, velut prætenſa manu nantē adjuvante, & vitam, ac ſanitatem pollicente; nec vana fuiſſe promiſſa, eventus docuit. Ejuſmodi innumera ſunt. Quid, quod hæc ſortitio Divis adeò accepta ſit, ut etiam vel reluctantibus, ſeque aſpernantibus auxilio fuerint; in quo genere nihil illuſtrius, quàm quod celebris Eccleſiaſtes, in cultum, & venerationem divi Matthię commemorat, *y* de viro militari, cui ſorte obtigerat in ſcheda nomen glorioſiſſimi Apoſtoli Matthiæ. At ille reſpuebat ſemel; iterumque oblatum, eò quòd ſucceſſiſſet Judæ, optaſſétque nomen majoris alicujus Apoſtoli. Contigit in præſenti periculo naufragii, cum navis fluctibus obrueretur, ad eam ſublevandam, ut in Jona, ſortem mitti, quæ cùm in militem cecidiſſet, in tabula exponitur, in qua dum fluctuat, conſpicit venerandum virum ſuper undas ambulantem ad ſe accedere, qui hiſce verbis illum percunctatur: *Vellésne illi obſequium, & honorem impendere, qui de his periculis te liberaret? reſpondit miles: quamdiu viverem, ei fideliter, tanquam domino ſervirem.* Tum ait: ego ſum Apoſtolus Matthias, quem pro Patrono habere contempſiſti; nunc autem bonum pro malo tibi reddam: extendit manum ſuam, & ipſum de periculo mortis eripuit, atque in civi-

r Lechnerus de bono ſodalit. lib. 2. c. 6. n. 2. ſ Ibid. t Theophyl. Raynaud. Heteroclita Spiritualia ſect. 3. punct. 2. nu. 5. v Patroni menſtrui in vitæ diſcrimine auxilio ſunt. x Ibid.

y Meffret Serm. de S. Matthia.

tatem tranſtulit, præcipiens ut ibi ſocios exſpectaret, qui poſt multos dies, eò appulſi, ipſum non ſine ſtupore agnovere: *Ille autē S. Matthiā in ſumma reverentia habuit præ omnibus Sanctis, & ei omnibus diebus vitæ ſuæ ſervivit.* Ex quo augurium, & conjectura non inanis eſt, quantum Sancti ambiant Deum in ſe, peculiari cultu à nobis coli, cùm vel in ſe minus propenſis opitulentur, ut hanc *ſortem Sanctorum* illuſtriorem reddant. Ad quod confirmandum, conſimile eſt, quod Ulyſſiponæ accidit: z ridebat adoleſcens petulantius rationem illam ſortilegam, cujus flagitii cùm ab uno ſodalium ſeverius corriperetur: *Age*, inquit, *ſchedulam unam mihi hoc menſe Rhadamantus aliquis ex urna moveat apud vos, & ſi quidem Sancti, quem tutelarem veneror, nomen mihi exierit, eâ ſyngraphâ ſua, me ſodalitati veſtræ ſpondeo acceſſurum. Ergo dies aderat, demittuntur in urnam nomina* (ut illic moris erat) *eo ipſo nomine, quo optaverat, & cogitaverat ſcheda elata eſt. Accepit omen, & Albo Mariano nomen dedit.* Quis non videat, quantum hæc ſancta, & divina ſortitio, Deo placeat, qui ejuſmodi ſortes temperat, atque ipſis divis arrideat; qui ſi etiam in eos benevoli ſint, qui deridiculo has ſortes Sanctorum habent; quid non ſperandum, & impetrandum illis, qui peculiari cultu, veneratione, imitatione, tutelarē ſuum menſtruum proſecuti fuerint? nec minus frequenter Sodales Mariani divos ſibi ſorte delectos in morbis, a ac periculis animæ, præſentes, & propitios experti ſunt, quod ſanè beneficium tantò excellentius, quantum divina humanis, æterna caducis, anima corpori antecellant. *b* Neapoli adoleſcens ſortitus animam malam, pactum cum dæmone, & inferno pepigerat, dum ſorte ſibi patronâ, menſtruum ſanctum, Hieronymum ſortitus eſt; ſcire vultis, quam *c* SORTES illæ *ceciderint ei in præclaris*? nocte inſequenti per quietem, divum truci vultu, digitum in fornacem incenſiſſimam intendentem conſpexit, ac niſi reſipiſcat, & animum mutet, ſedem perpetuam eâ in fornace comminantem. Qui illi confeſtim experrecto, ad aliā vitæ rationem inſtituendam, ſtimulus fuit, & ex faucibus orci ereptus eſt. Ibidem, alius acceptâ ſchedâ, cùm à dęmone ſomno excitatus eſſet, & per vim ſe lecto extrahi ſentiret, imploratâ Sancti ſchedæ inſcripti ope, liberatus eſt, obverſata ſubitò ob ejus oculos muliere, quæ dæmonem fugavit, facta præſidii, quo ſe per ſchedam adoleſcens munierat, mentione. Compello vos, ſi in ejuſmodi anguſtiis, ac præſentiſſimo æternæ damnationis diſcrimine, quis veſtrûm ſe conſtitutum cerneret, nónne omnibus divitiis, & mille mundis ſeſe ille eripi libens exoptaret? quámque prolixis precibus, profuſis eleemoſynis, magnis corporis afflictationibus, ſalutem animæ complures conſecuti ſunt, hanc nonnulli hac Divi ſortitione impetrarunt; qui ut & tibi propitietur, *d* an ſatis eſſe putas Divum menſtruum accepiſſe, reverenti oſculo ſalutâſſe, nomen inſpexiſſe: mox ubi domum ven-

z Lechner. de bono ſodalit. lib. 2. c. 6.
a In periculo animæ præſto ſunt.

b Raynaud. cit. Lechner. cit. c Pſal. 15
d Praxes colendi Patronum menſtruum.

ventum eſt, obvio libello abdere, aut pulpito, velut captivū includere, aut etiam cōtemptim, ut vilem chartam abjicere, menſem elabi ſinere, nec menſe toto vel ſemel nomen Sancti aſpicere, imò ne meminiſſe quidem accepti? hoc non eſt honorare, non eſt hoc colere cœlites, ſibíque propitios reddere: ſatius eſſet hoſpitem hunc è cœlo nunquam domo admittere, quàm ſic habere negligenter, irreverenter, & turpiter abjicere. Aliud ſibi poſtulat menſtrua ſortitio: cultu aliquo peculiari, illo menſe colendi ſunt: ut eſt, pridie jejunare, facere aliquam pœnitentiam; die ipſo feſto, animo ſacra exomologeſi expiato, diviniſſimo epulo accumbere: vitam, & acta pervolvere: parvum Roſarium in ejus honorem recitare, aliquam eleemoſynam elargiri, viſitare templum, exornare imaginem, loqui de Sancto, nihil ejus amore negare; aliáque pietatis exercitia, à variis piè uſurpata æmulari. Ita S. Eduardus nihil in honorem S. Joannis petenti negabat. Alexander Hallenſis rogatus nomine Mariæ, ut mundum deſereret, Ordinem S. Franciſci ingreſſus eſt. Altera non minus pia praxis eſt, quam refert Drexelius. *e* Novi ego, inquit, qui ex nominibus divorum, quos unquam per menſtruam ſortitionem acceperant, ſyllabū, & Litanias confecerunt, quos & ipſi ſingulis menſibus ordinatè percurrerunt, & in extrema mortis lucta, ſibi ab aliis prælegi petierunt. Conſimilis pietas in alio eluxit Neapoli: *f* ſeptuagenarius duos poſtremos vitæ Annos ſodalitio conſecraverat, atque hos ſolum ſe vixiſſe dictitabat, amiſiſſe reliquos. Hic moriens mandavit ſuis, ut ſchedulas menſtruas diligenter aſſervatas, filo colligatas, collo appenderent, quas & ſecum ad Judicem, & ſepulchrum deferri volebat, ſperans illos in via æternitatis duces; apud Judicem verò Patronos, ac præſidio fore, fuiſſe inquit Raynaud. non vacua ſigna monſtrarunt. Accedit in hac ſortitione, *g* certam virtutem eo menſe peculiariter exercendam, tibíque hic, & nunc maximè neceſſariam; illum *patientia* hoc menſe admonet, aſperius aliquod dictum, moderatè ferre: injuriâ quadam laceſſitum, hoc ſibi occinere, *patientia*. Jacturam bonorum, aut liberorum paſſum, alióve malo, aut morbo correptum, inclamare jubet: *Patientia patientia*. Alteri, cui *caſtitas* obvenit, ut pudicitiæ, ac integritati caſtimoniæ ſtudeat, nullos impuros codices, aut obſcenas tabulas domi detineat: caſtos oculos, caſtum os, caſtas manus habeat, ſuadet. Et ſic de ceteris, ut fusè Drexelius *h* proſequitur. Tum ſacram gnomen, *i* aut ſententiam Sacræ Scripturæ, aut è ſanctis Patribus depromptam; velut ſalutare documentum è cœlo tranſmitti; quæ tametſi fortuitò, ac temere cuipiam obtingere videatur; ſi tamen Numinis, ac Dei Matris providentiam ſpectes, non offertur cœco caſu, aut fortunâ, ſed deſtinato, certóq; conſilio; idq; multorū experimento compertū, non potuiſſe pro eo, quo tum in ſtatu, mentíſque affectu verſabantur, opor-

e Drexel. de cultu cælitum lib. 2. c. 9.
f Lechner. de bono ſodal. l. 2. c, Rayn. cit.

g Virtus peculiaris exercenda.
h Drexel. cit. §. 1. i Sententia quæ ſorte obvenit, multis ſaluti fuit.

oportuniores, & ſalubriores evenire ſententias. De Anna Caroli Auſtriaci Filia, Ferdinandi II. ſorore, Sigiſmundi III. prima uxore, Uladislai Poloniæ Regis matre, legimus, *k* eam *tutelarem ſibi, in menſes ſingulos alium, pro Sodalitatum Deiparæ Sacratarum more*, SORTITÒ DELEGISSE; *cui dum inſcriptam ſententiam acciperet* : MEMENTO HOMO QUIA PULVIS ES, *&c. ceu mortis commonita, omnibus ſe muniit ad obitum ſacramentis, ac diſceſſit è vita, Anno* 1598. *pietatis, religionis, innocentiæ, clementiæ, modeſtiæ, caſtimoniæ, verbo, virtutis ſpeculum.* Utinam & vos, eam quæ obtingit ſententiam, ut divinum monitum, quo de rebus agendis, aut evitandis docemini, acciperetis! Sapienter mortalium ſapientiſſimus olim pronuntiavit : l *Mala aurea in lectis argenteis, verbum in tempore.* Hugo Cardinalis in rem noſtram: m *Mala aurea ſunt fructus ſententiarum, & exempla Sanctorum aurea.* Selazar expreſſius: *Verbum dictum in tempore, accipio ſententiam opportunitati aptatam*, quæ licet brevis, ei cui obtigit, plus attulit non rarò emolumenti, quàm ſi omnia Toſtati Præſulis Abulenſis volumina evolviſſet. Paucæ ſæpius voculæ in tempore opportuno, miras in animis hominum metamorphoſes, & converſiones fecerunt. Ante annos certè non multos, *n* Ingolſtadii quidā ex morbo, per conceptum Religionis votum liberatus, immemor accepti beneficii volutabatur in carne & ſanguine; Conſilium Religionis ineundæ, per corvinum crocitatum differens in tempus, quò exſaturatam libidinem faſtidiret. Hoc ſolum boni retinuit, quod Virginem Matrem, & Marianæ congregationis cœtum non penitus deſerverit; quo factum, ut ſtato die cum ceteris, menſtruum ſanctum acceperit, & quidem ſorte prorſus divinâ: nam ſententia, dum ille ante crucifixi ſignum ex more flectit genua, è mellifluo Doctore hæc pronuntiatur: *o Quid tardas ipſum, quem jam dudum conceperas, ſpiritū parturire ſalutis? nil mortalibus vel morte certius vel incertius hora mortis. quomodo vivere potes, ubi mori non audes*? audiit hæc juvenis tacitus quidem; ſed quaſi fulmine ictus, monitorem è cœlo, à quo ſortes temperantur, agnovit, nec effluxit lux altera, quin voto ſatisfaceret, & salces ſæculo illideret, iiſque ſe aggregaret, quos diu fugerat, victurus illic, ubi mori non trepidaret. En tibi vel unica ſententia, ſorte objecta, apud juſtum juvenem tantum evicit, quantum vicenæ, aut centenæ conciones deſtinatò in eum directæ non potuiſſent. Oratores quamtumvis in dicendo potentes, eloquentes, ſpiritu ferventes, multorum annorum ſpatio, inveterata odia animo infixa, eradicare non valuerunt, valuit autem verbum breve, ſed efficax in tempore prolatum. Barii in Appulia Anno 1604. *p* è ſodalitio Mariano unus aliquis, gravi injuriâ laceſſitus, inimici cædem meditabatur. Interea menſtruâ ſorte, ſententia hæc forte Antiſtitis Hipponenſis in manus

k Oliva Iagellonia. Stengelius de divin. judiciis Tom. 1. c. 35. num. 11. l Proverb. 25. v. 11. m Hugo hic. n An. 1606. Raynaud. cit, n. 11. Drexel. de cultu cælit. lib. 2. c. 9.

o Bernard. Epiſt. 105. p Raynaud. ibid. Lechnerus de bono ſodal. lib 2. c. 6.

deci-

decidit: q *Dicit aliquis non poſſum diligere, inimicum, quem quotidie velut hoſtem patior crudeliſſimum. O quicunque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, & non attendis quid tu feceris Deo!* hac quaſi divinitus ſibi à Judice immiſsâ deterritus, ſecum cœpit volvere, qua ratione poſſet animum reconciliatum, inimico ſignificare, & in gratiam redire. Ut Deo plenius, vel ob conceptam facinoris illius voluntatem ſatisfaceret, in ipſo foro, & magno civium cœtu, ad inimici genua procidit: *Et quid,* inquit, *hominum leges jubeant, non ignoro; ſed me tibi Deus pacem, amicitiámque offerre imperat: tanto Imperatori repugnare non potui.* ſimul ubertim lacrymans, pedibus oſcula impreſſit, omnibus ad tam novum ſpectaculum attonitis, ipſóque imprimis hoſte, qui in ſupplicis amplexus ruit, ſibíque Oreſti, eum poſt hac Pyladem futurum affirmavit. En qualis, quantúsque ex hac fortuitâ ſortitione menſtruâ fructus exiſtat, ut qui ea rectè utuntur, verè in eos cadat ſacrum illud augurium: r *Inter Sanctos* SORS *illorum eſt.*

q Auguſtin. Serm. 5. de S. Stephano.

r Sap. 5. v. 6.

TRES DIES ANTECINERALIUM VULGO BACCHANALIUM,

Solenni Sacramentorum uſu, & feſto pietatis cultu celebrandi,

Cum Indulgentiis plenariis.

DIES PRIMUS BACCHANALIUM.

COECUS *quidam ſedebat ſecus viam, mendicans.* Luc. 18. v. 35.



Cui lumen ademptum. Virg. 3. Æneid.

ARGUMENTUM.

REctè ac ritè BACCHANALIA inter ſacra feſta nume-

numeramus, non quòd rubricis inter ephemerides ab hererodoxis expreſſa; ſed quia Eccleſia, Judæorũ ſabbata, Neomenias, & feſta Tabernaculorum; atque infanda Gentilium Lupercalia, Floralia, BACCHANALIA, ad Divorum ſolemnia, & cultum veri Numinis traduxit. Quare, ut de vobis uſurpare poſſim, quod olim Chryſoſtomus de Antiochenis, *f Feſtum ſathanæ feciſtis feſtum Spiritus Sancti*; dum cœci mortales Baccho & Veneri litant, ſympoſiis, epulis, crapulæ, ac omni licentiæ vacant, vos ad divinas epulas, & nobiliores latices ſanguinis Chriſti hauriendos invito, cœcitate eorum, abjectâ, qui hiſce diebus, Andabatarum more, in præceps ruunt. Hæc autem cœcitas mentis, oculorum orbitate longè miſerabilior, quam omnis peccator ſponte ſua incurrit: quia *peCCata eXCœCant Cor, & oCVLos MentIs.* Quod ut maximè deplorandum, & execrandum, zelus Sanctorum hiſce potiſſimum diebus ſeſe in prolixis precibus, profuſis lacrymis, graviſſimis corporis afflictationibus exeruit, ut Chriſtus cœcos aliquando illuminet, *& videant.*

§. I. COECUS *quidam ſedebat ſecus viam, mendicans.* Luc. 18. v. 35.

§. II. *Ambulabunt ut* COECI, *quia Domino peccaverunt.* Sophoniæ cap. 1. v. 17.

§. III. *Orationibus, aliiſque pietatis officiis, ac corporis afflictationibus Deus placandus, & propitiandus,* UT VIDEANT.

TRES DIES ANTECINERALIUM VULGO BACCHANNALIUM

Solenni Sacramentorum uſu, & feſto pietatis cultu celebrandi,

Cum Indulgentiis plenariis.

DIES PRIMUS BACCHANALIUM.

Cœcus quidam ſedebat ſecus viã, mendicans. Luc. 18. v. 35

MIrabitur quis fortè, & cavillabitur, inter Feſta Sanctorum, & divina ſolennia, *Bacchi* feſta cenſeri: *Floralia*, *Fontinalia*, *Saturnalia*, *Bacchanalia* in Eccleſia celebrari. Quiſquis is eſt, mirari, & cavillari deſinet, ſi ritum, & morem Eccleſiæ atque hoc quod præ omnibus habeo, inſtitutum ſpectârit. Divinum prorſus Sancti Spiritus adinventum fuit, infanda, ac profana omnia falſorum deorum fana, quin & infeſta ſacrilegorum deorum feſta, ad geſta Sanctorum, ac Deiparæ, & Chriſti ſolemnia, ad cultum ſummi Numinis, omniúmque Chriſtianorum fructum, traducta fuiſſe. Januarius menſis primus à Jano nomen ſortitus, quem multi ſolem putârunt, ideò geminum, quaſi utriuſque januæ cœleſtis potentem: qui vel oriens aperiat diem, vel occidens claudat. At verò Chriſtiani ab eo auſpicantur Annum, qui & mortalibus verum lumen infudit, & primus ac ſolus januam ſalutis aperuit jam tum, cùm recens, aperire ſibi cœpit venas ſanguinis: Celebrarunt gentiles *Februaria*, & *Lupercalia*, ob acceptum, ut quidam putant, beneficium lactis à lupa, quo conditor urbis alitus dicitur *Romulus*, multis luminibus, & funalibus, ad obſcœnam, & profanam luſtrationem colluſtrata. *t* Unde contra Heterodoxos, qui Catholicos ſugillant, feſta ab Ethnicis, ad cultum divinum aſſumpta, nil aliud repono, quàm hæc venerabilis Bedæ verba: *u Hanc luſtrandi conſuetudinem, bene mutavit Chriſtiana religio, cùm in menſe eodem die, S. Mariæ, plebs univerſa cum Sacerdotibus, ac Miniſtris, hymnis modulatæ vocis per Eccleſias, pérque congrua urbis loca procedit*: ac Lupercalia hæc Romuli, à lupa enutriti, in ſolennitatem Virginis, quæ filium Dei, Conditorem Orbis, lactavit ubere de cœ-

t Gretzerus de feſtis, lib. 2. c. 3.
u Beda libro de temporum ratione c. 10.

lo pleno, ſanctè commutavit. VIII. Kalendas Aprilis x *Hilaria* feſta matris deorum Romæ celebrata, non ſine communi lætitia, quod Soli cum incremento lucis accederet: potius nobis vera ſunt *Hilaria* Magnæ Dei Matri, ac Virgini dicata, cum lætiſſimo ad nos æterni Solis acceſſu. Immane, quantum illa inter ſe feſta diſcrepent: cum veteres *Hilaria* Magnæ Deum Matris celebrantes, Veneri ſacra facerent; nunc contrà ille dies Virgini Matri ſacer, nullum locum dat Veneri; imò hoc maximè die, quo filius Dei è Virgine incarnatus, conſecrata eſt virginitas. Mitto alia innumera gentiliū ſolennia, divino Numini, ipſisque divis conſecrata, ut ſcitè, & eruditè per ſacros Faſtos demonſtrat Joannes PaptiſtaMaſculus. y

Sic & Judæorum feſtivitates, ac ſolennitates, Neomeniæ, Encæniorum, Azymorum, Tabernaculorum, Sabbatorum, Eccleſia, ad ſacros cultus tranſtulit. Ita D. Thomas: z *Sabbatum, quod ſignificat primam creationem, mutatur in diem Dominicum, in quo commemoratur nova creatura, inchoata in Reſurrectione Chriſti. Similiter aliis ſolennitatibus veteris legis, novæ ſolennitates ſuccedunt. Unde Phaſe, ſuccedit feſtum Paſſionis Chriſti, & Reſurrectionis. Feſto Neomeniæ, ſuccedit feſtum Beatæ Virginis, in qua primò apparuit illuminatio Solis, id eſt, Chriſti, per copiam gratiæ. Feſto Tubarum, ſuccedunt feſta Apoſtolorum. Feſto tabernaculorum, ſuccedit feſtum Conſecrationis Eccleſiæ.* His poſitis, ſupereſt unum maximè execrandum, ac deteſtandum ſacrilegium, abolitis & antiquatis gentilium, ac Judæorum feſtivitatibus, inter Chriſtianos reperiri, qui & Floralia, & Lupercalia, & Saturnalia, & Bacchanalia, longè impudentiùs, quàm olim gentiles, celebrare non erubeſcunt. Dum triduo illo, quod ſolenne quadraginta dierum jejunium antecedit, Chriſtiani videntur paſſim à Chriſto ſuo, ad Bacchum, & Venerem, palàm, & apertè deficere; adeò poſito pudore, ſenſúque omni Religionis, in omnem licentiam crapulæ, commeſſationis, laſciviæ, flagitiorum, veluti furialibus acti tædis, ſeſe effundunt; cùm ex inſtante jejunio, quod ad remedium ſcelerum ab Eccleſia ſanctiſſimè inſtitutum eſt, ſcelerum captent anſam, & ad virtutem per flagitia ſeſe comparent: quaſi hæc ad illam gradum facerent. Quod ſi olim Deus per Prophetam clamitet: a *Neomeniam, & Sabbatum, & feſtivitates alias non feram.* Et paulò pòſt: *Iniqui ſunt cœtus veſtri. Calendas veſtras, & ſolennitates veſtras, odivit anima mea;* quæ nihil in ſe mali continebant: quomodo feret, & non graviſſime oderit impias & impuras bacchantium ſolennitates: & iniquos ac obſcœnos in omnem licentiam, & laſciviam Chriſtianorum cœtus? Quare ut & feſta Bacchanalia, in ſacros faſtos referantur, non ſine myſterio, hodierna die funeſtum Chriſti patientis nobis Eccleſia proponit ſpectaculum: b *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophe-*

x 25. Martii. y Ioan. Bapt. Maſculus, encomia cœlitum. z S. Thom. 12. q. 103. art. 3. ad 4.

a Iſaiæ 1. v. 13. 14. b Luc. 18. v. 32.

tas, de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur. Ut in memoriam illis revocet, ſanam illam, ac ſanctam doctrinam Pauli, Filium DEI rurſus per eorum ſcelera crucifigi; in quem locum Cornelius: c Peccator iterum crucifigit Chriſtum, quia novo peccato, novam dat cauſam crucis, & mortis Chriſti: facit enim rurſum id, propter quod Chriſtus crucifixus eſt. Quare niſi Chriſti mors tam efficax fuiſſet, ut ad omnia omnino peccata ſe extendiſſet, oporteret Chriſtum toties mori, & crucifigi, quoties peccant homines. Atque ita docet Theologorum Princeps: d *Peccator quantum in ſe eſt, dat occaſionem ut iterum Chriſtus crucifigatur: & ſic contumelia fit Chriſto.* Tum ut à ſcelere revocet, ad alia prorſus ſancta *Fontinalia*, & divina invitat *Bacchanalia*: ut *hauriant aquas de fontibus Salvatoris*: ut non Baccho temulenti, ſed ſacro muſto ſanguinis Chriſti ebrii, & divino epulo paſti in deliciis delectentur cœleſtibus. Atque ita fiet, quod ævo ſanctiſſimi Antiochiæ Antiſtitis accidiſſe legimus: Chryſoſtomus qui ad populum die quodam *Bacchanalium* magno affluxu, & fructu dixerat, die inſequenti, eandem concionem proſecutus, hiſce verbis exorſus eſt: e *Heſternum diem, cum eſſet feſtum Sathanæ, feciſtis feſtum ſpiritus: quia multo cum animi ſtudio recepiſtis ea, quæ à nobis dicebantur. Qua quidem ex re, nobis geminum accrevit lucrum, quod craterís participes fuiſtis; non mero, ſed ſpiritali doctrina redundantis: cùmque ceteri choros ducerent diabolo, vos eò quod hoc in loco verſabamini, præbuiſtis vos ipſos organa, vaſáque Spiritui ſancto.* Quod ut & vobis contingat, bacchantium Chriſtianorum cæcitatem, inſaniam, & crapulam, tribus hiſce diebus depingam, ut videre, ſapere, & cœleſtibus deliciis paſci valeatis.

c Corn. à lapide ad Hebr. 6. d S. Tho. in Epiſt. ad Heb. c. 6. e Chryſoſt. ex Luca. 16. de Lazaro conc. 1. homil. poſt calend.

§. I.

Cœcus quidem, ſedebat ſecus viam, mendicans. Luc. 18 v. 35.

PLinius, *in opere pulcherrimo naturalis hiſtoriæ*, ut Hieronymus loquitur f, rimatur & miratur illam raram, ac præclaram corporis humani fabricam, atque in ea, pretioſiſſimam partem, *oculum* pronuntiavit: qui ad ſtellas firmamenti, quod à ſuperficie terræ, diſtat milliaria belgica ad ſeptemdecim milliones, triginta, ſexaginta millia, nongenta, octoginta ſex, momento, ſi volet, evolet: g *Nihil emiſſione oculi velocius eſt, qui ſtatim, eodémque momento objectum ſuum, ſenſu ſuo ad ſe attrahit; at ſermonis operatio, lento ſimilis gradui.* Pythagoras, h *oculos, ſolis januas* appellavit: Inter Chriſtianos Doctores Chryſoſtomus, *oculum*, membrum quoddam ait *ſpecioſiſſimum*. Huic aureo ſtylo æquandus Chryſologus: i *Oculus eſt animæ feneſtra, ſpeculum mentis, lumen corporis, membrorum dux.* Quæ, & quanta hic non commoda, & encomia oculi? k *Oculi membra carnis, feneſtræ ſunt mentis,* per quam, quidquid in mundo vanitatis, amœnitatis, & rarita-

f Hieron. in Iſai. l. 15. c. 54. g Tyrius diſſ. 1. p. 10. h Pythagor. l. 11. i Chryſol. Serm. 12. k Aug. in pſal. 41.

tis, proſpectat, & contemplatur. Feneſtram in foro Romano habuiſſe ſub Auguſto, ſub Nerone dum ludos ſuos fecit, millibus æſtimabatur: quia orbis in urbe, in foro Romano exhibebatur. Qui volet, hîc Tertulliano, Chryſoſtomo Salviano, Cypriano, atque è Neotericis, Mariana, Lipſio, aliiſque auctoribus, luxum ſpectaculorum inducat; quibus omnibus privatur, cui feneſtra non eſt, id eſt cœcus, cui oculi, & *animæ feneſtra* non eſt. Excellentius encomium, divino ſuo dignum ingenio, adfert Theologorum Princeps Aquinas: l *Eorum, quæ in nobis ſunt membrorum, honorabilior eſt oculus: hic enim corpus gubernat, hic ornat viſum, & quod Sol eſt in orbe terrarum, hoc eſt oculus in corpore*; quo nihil ad cōmendationem dici poteſt illuſtrius. Quare Gregorius Nyſſenus, quem, teſte Epiphanio, m *omnes Patrum Patrem appellant*, non ſine myſterio diſcutit, & diſquirit, cur divina ſapientia, cœleſtis ſponſus, laudaturus ſponſam ſuam, cujus pulchritudinem à vertice ad imos talos contemplatus fuerat, ab oculis ſpeciem illius, velut à nobiliori, corporis organo, auſpicatus ſit, dū ſic primum illam deprædicat: *oculi tui columbarū.* Ad quæ verba, ſic ingenioſè ludit, dicens: n *Orditur hæc encomia de membris præcipuis: quid enim inter membra noſtra, præſtantius eſt oculis, qui nobis omnium operum magiſtri ſunt, & duces?* meritò ab oculis orditur ſponſæ encomia, in cujus organi artificio, tunicis, membranis, muſculis (de quibus integra extant volumina) omnes Philoſophi, & Phyſiologi, non ſolum ſtupore defixi hærent, ſed & pulchritudinem omnes admirantur, & venerantur. Oculum exigua tunicæ retiformis tabula præcelſos montes, ſublimes turres, ampliſſimas urbes, amœniſſima hortorū viridaria, cum ſuis floribus, coloribus, multò excellentius, quàm ullus Zeuxis, vel Apelles magno molimine, & longo artificio, momento expreſſa referre, quis ſatis aſſequatur? colores hujus vivæ, ac perfectiſſimæ in oculo picturæ, ſunt ab ipſiſmet rebus hauſtæ ſpecies: penicilli verò ſunt illi puriſſimæ lucis radii, ut jure D. Aſterius Epiſcopus dixerit: o *Oculus in creaturis admiratione ſanè dignus eſt. Hic & Deum mihi interpretatur, qui omnem cognoſcit creaturam.* Quod cœlo lucidiſſimus ille mundi oculus Sol, & nocturna lunæ fax eſt, hoc microcoſmo, ſeu homini, parvo mundo oculi ſunt. Obſcurum, triſte, informe, abſque hoc gemino ſidere, vaſtum illud cœlorum theatrum eſt; nec minus triſtis, & informis omnis venuſtas humana eſt, oculorum luce deſtituta; ſic etenim D. Ambroſius, p *clariſſima, & ſplendidiſſima lucerna Eccleſiæ*, ſuaviſſimo diſſerit eloquio: q *Quam deformes, inquit, ſunt vultus cæcorum!* Et quod mirum, *ſi vultus hominis abſque oculis deformis eſt, quando ipſum cœlum ſine Sole non habet ſuum decorem? triſtes ſine Sole dies ducimus: noctes ſine luna non placent; ipſi enim ſunt quidam mundi oculi; detrahe ſtellarum* lu-

l S. Thom. Catena in Ioan. c. 9. v. 6. m Epiph. Synod. 7. act. 6. n Greg. Nyſſ. orat. 7. in cant.

o Aſterius in Catena Corderii. Luc. 18. hom. de cœco. p Nicolaus 1. Epiſt. 6. q Amb. lib. 6. de Noe & arca.

lumina, & quadam eſt in cœlo ipſo cæcitatis deformitas. Superba, ac præcelſa Regum Palatia, ſint pario marmore, jaſpide, aut ſi libet, obrizo etiam auro, & gemmis diſtincta, ſi Sole, mundi oculo deſtituantur, obſcura antra, & tetri carceres videbuntur. Haud aliter inquit idem Doctor: r *Carcer eſt totum corpus, tenebroſo inhorreſcens ſitu, niſi oculorum illuminetur aſpectu. Quod ergo Sol, & Luna in cœlo, ſunt oculi in homine.* Quidquid in pavis, pſittacis, phaſianis: quidquid in hortis, in floribus, fontibus, montibus, viſu delectabile: quidquid in metallis, in gemmis, margaritis, pretio æſtimabile: quidquid in picturis, periſtromatis, aulæis, in omnibus denique rebus humanis aſpectabile eſt, id omne ſine oculo, fruſtraneum eſt; ut rectè ſenſit ſanctiſſimus & ſapientiſſimus Præſul Aſterius: ſ *Si oculus non eſſet, ſine teſte creatura ſeneſceret, nemine vidente Dei ſapientiam, & virtutem, ac mirabilia ejus.* Hæc etenim omnia viſibilia, ut ſpecula ſint, per quæ ad inviſibilia, & omnium creatorem, mentis oculo perduci poſſumus, non plus proſunt, juxta communem parœmiam, quàm ſpeculum cæco.

Teſtem hujus ſummæ calamitatis, exhibent nobis ſacræ paginæ, venerandum ſenem Tobiam, qui oculorum orbitatem tam gravem ducebat, ut nullum ſolatium humanum admitteret: *Quale*, inquit, *mihi gaudium erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* uſuram oculorum, atque eorum commoda, nemo meliùs, quàm carendo didicit: Quò enim hoc membrum excellentius, elegantius, jucundius, & ad uſus humanos magis neceſſarium, eò ejus carentia gravior, & jactura acerbior: *cæcitas*, inquit D. Auguſtinus t, *oculorum vitium eſt*; ac ipſo vitio, excellentius oſtenditur ceteris membris. Quale gaudium, quod ſolatium cæcus habere poteſt, ſi ipſe, ſi liberi, ſi famuli, pretioſis varii coloris veſtibus induantur? Parum hoc: nec conjugem, nec filios, aut filias, à famulis, & ancillis dignoſcit. Si domus omni ſupellectile ſplendidè ornata ſit? ſi villas, ſi agros, & prædia ampliſſima, & paſcua uberrima, & pecora plurima poſſideat? cum nihil horum videat, nec diſcernat. Fruſtra ſunt ingenioſiſſimæ omnium artium tam liberalium, quàm mechanicarum adinventiones: fruſtra ingentes illi cum omni apparatu nautico myoparones: fruſtra inſtructiſſimæ variarum mercium officinæ: fruſtra innumeri omnium ſcientiarum codices, & locupletiſſimæ bibliothecæ. Cùm ex his omnibus nullum vel minimum cæco emolumentum, vel oblectamentum accidat. Veriſſimè Seneca:

u *Viſu carentem magna pars*
veri latet.

Sit quis optima corporis valetudine, viribus polleat & robore, ſi cæcus ſit, quale illi gaudium de his, quod exercitium, quis uſus? Sampſon virtute, & gloria Heros invictus, omnium terror, quicum collatus Alcides imbecillis, & imbellis eſt; x qui *dilaceravit leonem, quaſi hædum in fruſta*

r Amb. lib. 6. hexam. c. 8. ſ Aſterius apud Photium in bibl.

t Aug. lib. 12. de civit. c. 1. u Seneca Oedipus. x L. judicum c. 14. v. 6.

ſta diſcerpens, nihil habens in manu ſua. Quid ad ſui, ac ſuorum gloriam laudabilius? quid ad poſterorum memoriam illuſtrius? y *mandibulam aſini, qui jacebat, arripiens interfecit in ea mille viros.* z Septem funes, velut rudentes nauticos *rupit, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtuppæ tortum putamine, cùm odorem ignis acceperit.* Labores Herculis, quos Poëtæ commenti ſunt, pueriles ludi ſunt, ad illius facinora: omnia ab iis mendaciter ficta, ab illo laudabiliter facta ſunt. At quò tantus ille decrevit gigas? a ubi *Philiſtini eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt,* cæci inſtar jumenti, cujus vel miſeranda conditio ipſos tangit commiſeratione mortales, b *molere fecerunt, ſicut fit de equis cæcis.* Quique antea hoſtibus terrori erat, nunc oculis orbatus, ludibrio eſt: *fecerunt* enim *ut ante eos luderet,* atque unà, ut inquit Hugo, c *& illuderent ei.* Has inter miſerias, hæc inter opprobria, quale ei gaudiū, quod ſolatium eſſe poterat? Emortuum eſt, inquit Ambroſius, omne Capitanei robur, vigor omnis, & valor exercitus elanguit, ſi oculorum careat ductu: omnis ars, & induſtria, lumine oculorum ſublato: omnis denique militaris ordo turbatur, & ſumma corporum, ac animorum confuſio oritur, ſi viſu, & uſu oculorum deſtituantur: d *Quid agat fortitudo, niſi oculo duce utatur ad prælium? Quid fuga, ſi deſit obtutus?* Id probè nôrat potentiſſimus

y Iudic. 15. v. 15. z Iudic. 16. a Lib. I. Iudic. c. 16. b Hugo hic. c Hugo Card. cit. d Amb. l. 6. hexa. c. 9.

Babyloniæ Rex Nabuchodonoſor, de quo vates Jeremias e Nabuchodonoſor capta Jeroſolyma, fugientem Sedeciam Regem inſequi, & comprehendi juſſit: *Oculos quoque Sedeciæ eruit, & vinxit eum compedibus, ut duceretur in Babylonem.* Supplicium profectò omni morte atrocius: miſerius longè miſero ſic animam trahere, quàm tradere; ut tragicè Seneca de Oedipo:

f ——— *Itáne tam magnis breves*
Pœnas ſceleribus ſolvis? atque uno omnia
Penſabis ictu?
——— *iterum vivere, atque iterum mori*
Liceat, renaſci ſemper: ut toties nova
Supplicia pendas. Utere ingenio miſer.
Quod ſæpe fieri non poteſt, fiat diu.
Mors eligatur longa: quæratur via,
Qua nec ſepultis miſtus, & vivis tamen
Exemptus erres.

FODIANTUR OCULI. Quod genus ſupplicii, omni quantumvis cruenta morte, quia lenta, duxit truculentius. Ipſa Barbaries nihil immanius excogitare potuit. Teſtantur, niſi veriùs deteſtantur incorruptæ nunciæ veritatis hiſtoriæ, quod Baſilius Orientis Imperator, an tyrannus, non ſine nota dedecoris ſempiterna præſtitiſſe memoratur à Sigonio l. 7. & Horatio Turſelino l. 8. Epit. hiſt. Dum anno Chriſti 1003. Imperium tenuit, avaritia & crudelitate infamis, verſis in Bulgaros armis,

e Ierem. c. 39. v. 7. f Seneca Oedipus.

victo-

victoria tumidus,& militari elatus inſolentia, quindecim hoſtium captivorum millibus juſſiſſe dicitur oculos erui, uno ſingulis centuriis luſco duce relicto. Quo ſpectaculo adeò miſerando, Regem Bulgarorum ad mortem compulit. Tam atrox monſtruoſæ crudelitatis portentum conſideranti, videre mihi videor, noſtrarum animarum inimici truculentiſſimi ingenium, moréſque repræſentari. Cur non trucidavit Baſilius hoſtes ſuos? aut cur tanti flammam furoris, inimico ſanguine illum dixeris non reſtinxiſſe? niſi ut ipſa humanitatis ſpecie, immitior, atque immanior ſæviret in eos, quos tanto proſequi odio profitebatur? Eadem planè ratione, qui nobis infenſiſſimus eſt ſtygius tyrannus, ſolet excæcatis ſenſibus, ad omnem libidinem, & impietatem pronis, intellectum,qui dux eſt,non omnino excæcare:neque enim fidei orbat lumine, neque omnem omnino irati Dei metum adimit ſępius.Experimentum teſtor quotidianum: nefarios homines, in omne ſcelus cœco more irruentes, audimus de religione, de ſua beatitudine, aliiſque hujuſmodi tam piè in ſpeciem loquentes, ut non immeritò dici debeant,nequaquam omnino excæcati. Atque hinc immaniora ſunt ſcelera. Ad miſeram oculorum orbitatem tot millium militum exhorreſcimus,& ipſa morte acerbiorem pœnam ducimus; plurium tamen mortalium millia, deteriori & acerbiori cœcitate percuſſos, nec plangimus,nec ut *videant* rogamus. Sacri Regum annales referunt plagam, qua vindicis Dei manus percuſſit exercitum Regis Syriæ, g qui *miſit equos, & currus, & robur exercitus,* ut caperent Eliſeum, *qui cum veniſſent nocte, circumdederunt civitatem*: Eos autem ut, diluculo facto, vidit vir Dei,*oravit ad Dominum* (non ut immiſſis leonibus, aut urſis, vel fulmineo Angeli gladio, aliáve plaga eos ſubitò deleret; ſed quid longè ipſa repentina morte gravius illis imprecatur: *percute, obſecro, gentem hanc* CÆCITATE; *percuſſitque eos Dominus, ne viderent.* In quem locum D Ambroſius: h *Rogavit Eliſeus ut percuteret eos Dominus* CÆCITATE, *quò ingrederentur, nequaquam videntes. Audiſtis certè milites, qui circumfuſi eſtis,quia ubi perfidia* (ubi avaritia, ubi luxuria, ubi ira, & invidia) *ibi* CÆCITAS *eſt. Meritò igitur cœcus erat exercitus.* Cæca omnis reſpublica, omnis communitas, quæ non monoculum ſolum, ſed cœcum habet ducem, prætorem, Prælatum, patrem familias. Nec minor fuit illa Numinis exacerbati Iſraëlitico populo,per Moyſen facta comminatio: i *Percutiat te Dominus* CÆCITATE, *ac furore, & palpes in meridie, ſicut* CÆCUS *palpare ſolet in tenebris,& non dirigas vias tuas*; quaſi nulla plaga graviori eos punire poſſe videretur. Hac in cauſa audiendus medicorum Coryphæus Galenus, *k* qui in exemplum adduxit. Adrianum Imperatorem: is cum ſervi ſui oculum ſtylo vulneraſſet, atque eruiſſet, eum ad ſe vocavit, fecítque poteſtatem,ut pro illa calamitate, munus peteret. Cùm autem ille miſer, & cœcus tace-

g 4. Reg. 6. v. 14. h S. Amb. de obitu Theodoſii. i Deut. 28. k Galenus lib. de cognoſcendis & curandis animæ morbis.

taceret, rurſus hortatus eſt Adrianus, ut quidquid vellet, peteret. At ille negavit ſe aliud quidquam flagitare, & optare, niſi unum oculum, quem amiſerat, reſtitui: *Domine Imperator, ut videam.* Quale enim illi gaudium eſſe poterat, è quovis munere oblatò; cum unius oculi jactura, ne totius mundi pretio æquari poſſit; Compello vos, enarratis hactenus cæcitatis corporeæ incommodis, & vel graviſſima unius oculi jactura, quid exiſtimandum ſit de miſerrimo cœcorum ſtatu, qui oculos mentis amiſerunt? ediſſeret Auguſtinus: l *Cùm magnum malum homines putent oculorum corporalium* CÆCITATEM, *quia lux iſta retrahitur: Quantam ergo pœnam patitur, qui ſecundis rebus peccatorum ſuorum eò perducitur, ut non ſit Deus in conſpectu ejus, & contaminentur viæ ejus omni tempore; id eſt, cogitationes, & conſilia immunda ſint.* Hominem cœcum, nemo non miſerum, & mendicum dicit juxta vulgare proverbium: *een blint Man een arm Man*; & paucos video, qui cæcitatem animæ agnoſcant ac plangant; quin invenire eſt, qui eos cœcos felices, ac fortunatos æſtiment, quod oculati ſint ad terrena, licet cœcutiant ad cœleſtia, & æterna. Hipponenſis Antiſtes: m *Quotuſquiſque eſt, qui intelligat infelicitatem hominis, cujus cor jam* CÆCUM *eſt? Tollantur illi oculi corporis, omnes homines miſerum dicunt: perdat oculos mentis; ſed tamen circumſtent omnia temporalia, felicem appellant. Sed quî? qui ſimiliter oculos mentis perdiderunt.* CÆCUS à CÆCIS: Qui, ut illuminentur, & Deum precentur *ut videant*, quàm miſera mentis cæcitas ſit, ex dicendis patebit.

l Aug. in Pſal. 6. m Aug. in pſ. 68.

§. II.

Ambulabunt ut CAECI; *quia Domino peccaverunt.* Sophonias c. I. v. 17.

n MIſera, ac miſeranda civitas illa, ac reſpublica, in qua omnes incolæ, à minimo ad maximum cæcitate percuſſi ſunt, quorum nemo lucem ſurgentis auroræ, aut ullos vultus ſuorum; nec ullas colorum varietates, aut rerum aſpectabilium amœnitates contueri poteſt; ſed Andabatarum more palpantes, quæ pericula effugiant, quæ incurrant, ignorant. Qualem rempublicam multorum millium cœcorum alit Japonia. Eſt & antiqua civitas *Ceraſtis*, o dicta quondam cœcorum oppidum, ex eo quod ejus conditores locum extruendæ urbi opportunum eligere neſciviſſent. Ab eo diſtabat Bizantium ſeptem ſtadiis, non amplius; opportuna felixque ſedes, & ipſa ſoli natura, & benigna quadam clementioris cœli indulgentia; ſed incolarum hebetudine, & cęcitate factum, ut urbi ędificandę locus iſte in oculos non incurrerit. Quiſquis es peccator, civis es, & Ceraſtis incola civitatis: cum enim oculo mentis captus eſſes, importunam, inſalubrem, inimicam ædificandæ civitati plagam tibi delegiſti. Debueras à cœlo, & in cœlo jacere fundamenta; ea in terras abjeciſti. Debueras erigere cœleſtē Jeruſalē, amœnam Sion, quæ tibi pacis locus eſſet, & quietis ęternę

n Cęcit. ment. o Lud. Froy. anno 1595. Sandęus medic. Evan. l. 2. comment. 21.

domici-

micilium;ſed contrà,Babylonem fundaſti; extuliſti, à qua tibi confuſio, & chaos æviternum. Debueras ea moliri, quæ non tempori ſervirent, ſed aſſurgerent æternitati; ſecus tamen feciſti: magno niſu,labore magno, & inſano,humiles & abjectas caſas ſolo eruiſti, quæ vix hyemem ferent, & fædam hujus auræ mortalis tempeſtatem. Factum illud cæcitate, vitióque mentis. Tolerabile hoc videri poſſet, unam in Japone, cæcorum rempublicam, unam in orbe Ceraſtim reperiri, ſed quis non illud parodoxum duxerit, quod dicturus ſum: *p* univerſum hunc terrarum orbem, cæcorum habitaculum eſſe? infantes omnes cæcos naſci: mortales omnes miſeranda cęcitate percuſſos in lucem effundi. Sic graviſſimus Doctorum tradidit Auguſtinus: q *totus mundus* CÆCUS EST; *ideo venit Dominus illuminator, quia diabolus fuerat* EXCÆCATOR; *omnes* CÆCOS *naſci fecit, qui primum hominem decepit.* Confirmat Doctor Angelicus ejuſdem D. Auguſtini tract. 44. In Joannem, teſtimonio: r *Genus enim humanum eſt ille* CÆCUS: *hæc enim* CÆCITAS *contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus.* Quò factum, ut auctore generis humani excæcato, omnis poſterorum ſoboles cæca naſceretur; quia,ut inquit Ariſtoteles, *cæci naſcuntur à cæcis.* Quàm verò miſeranda, & deploranda hæc cæcitas ſit, alibi exponit: ſ *naſcimur,* inquit, *omnes* CÆCI; *quia naſcimur omnes peccatores.* Hæc porro cæcitas in ſacris baptiſmi aquis, cœleſtis gratiæ radio tollitur; ſed, ô malum? in aliam plerumque, & graviorem labimur; dum in aliud ſcelus devolvimur.Iſtud enimverò ſacrum Sophoniæ declarat oraculum: t *ambulabunt ut* CÆCI, *quia Domino peccaverunt.* Cæcus eſt omnis peccator, cujus mentem, ceu animæ pupillam, lethale ſcelus extinxit: *Quia peccatum*, inquit Hugo Cardinalis, *u* EXCOECAT *mentem hominis.* Nunc ſi lubet,mecum hiſce tribusLupercalium, ac Floralium diebus, bacchantium, potantium, tripudiantium,rixantium, duellantium, luxuriantium turbam, ubique gentium attendite, & nemo non veriſſimum illud Auguſtini fatebitur, x *Totus mundus* CÆCUS EST. Paradoxum hoc videtur, cùm homines oculatos, ambulantes, negotia tractantes, pecunias numerantes, epulantes, potitantes, ſaltantes, & nos oculati contueamur. Mirari quis deſinet, ubi Philonem ad mores præclarè diſſerentem audierit: y *Cæcum,* inquit, *hominum vulgus, quod etſi videtur ſibi acutè cernere, luminibus tamen planè orbatum eſt; niſi fortè non eſt* CÆCUM, *dum mala bonis præfert, juſtis injuſta: turbulentas & impuras corporis voluptates, tranquilliſſimis, puriſſimiſque gaudiis: mortalia, & caduca bona, immortalibus.* &c. *Ergo ſolus bonus* (juſtus, pius) *videt; quamobrem & Prophetas, priſci nominabant, videntes. Ut iſti* (avari,luxurioſi,temulenti) *ſi quid vident, oculis animæ ad ima depreſſis, terrarum ſolum in-*

p Omnis peccator cæcus. q Aug. hom. 43. ex lib. 50. hom. r S. Thom. in Ioan. c. 9. ſ Aug. tract. 42. in Ioan.

t Sophoniæ. 1. v. 17. v Hugo Card. in pſal. 37. x Aug. cit. y Philo ad illud Gen. 15. ſuſpice cœlum. Pererius hic v. 5. diſp. 1.

tuen-

tuentur, terrenorum cupidi. De ejuſmodi libet exclamare:

O cæcas hominum mentes! ô pectora cæca!

Hanc autem ingentem omnium cæcorum colluviem, in ſcenam ducere, infinitum foret. Suffecerit, ſi tria z genera cæcorum potiſſimùm vobis ob oculos poſuero. *Primi* ſunt, qui canem ſequuntur ducem: *Secundi*, qui ſcipione, aut baculo greſſus dirigunt. *Tertii* ſunt, quos puer, aut nepotulus manuducit. In prima claſſe ſunt avari, *a* qui ab aureo Cupidine excœcati ducuntur à cane, id eſt pecunia, quæ vulgò *den hont* vocitatur, quod ipſi non minùs auro, quàm canis pingui offæ inhient. Chyſoſtomus: b *Avarus* CAECUS EST: *amor námque pecuniarum in pupillam mentis, quaſi quidam malignus humor influxit, denſámque nebulam prorſus operatus eſt,* ut lumen cæli, æternas divitias, atque ipſius divinitatis abyſſum, contueri non poſſit. Huic affine eſt Divi Ambroſii pronuntiatum: COECA *eſt avaritia, non videt quæ divinitatis ſunt; ſed cogitat, quæ cupiditatis;* ut rem domeſticam amplificent, ut lucrum faciant, ut annuos cenſus augeant, ut aurum, & argentum accumulent; hîc omnes Aquilæ viſu acutiſſimo, hîc omnes centum oculis Argi ſunt. At ut divinæ gratiæ augmentum; ut virtutum theſaurum, cæleſtium bonorum cumulum acquirant, hîc talpæ, hîc noctuæ ſunt; *d* quia CAECA *eſt avaritia.* Bernardus Pipini Frater, Caroli Magni Nepos, *e* conjurationis reus, impetravit, ne ſibi, quemadmodum ceteris ejuſdem factionis, oculi ſtilo ferreo eruerentur; ſed aureâ pelvi, Solis radiis oppoſitâ, in eandem continenter fixam, oculorum aciem intendens, ad fulgorem auri excœcatus eſt. Quot hodierna die cœcos videre eſt, quibus auri fulgor, pelvis, aut patera aurea, torques aurea, maſſa aurea, juſtitiæ Soli oppoſita, ita mentis oculos expunxit, ut nec quid juſtum ſit videant, nec quid rectum percipiant, nec quid æquum, diſcernant? non alia de cauſa, quam quòd apud Eccleſiaſticum legimus: *f* dona EXOECANT *oculos judicum.* Hanc miſeram orbitatem, ut Deus orbe pelleret, plus vice ſimplici ingeminat: g *Non accipies munera, quæ etiam* EXCOECANT *prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum.* Idem inculcat & exaggerat Deuteron. 16. h *Munera* EXCOECANT *oculos Sapientum, & mutant verba juſtorum.* Quod ut ad mores ſuaviter, & fortiter deducam, ex eo quod propoſui, cœcos quoſdam duci à cane; occurrunt mihi primum iniqui Cauſidici, qui in curia latrant, & vili lucello excœcati, ducuntur à cane, id eſt, pecunia; credo quod aurea ſibi offa objectâ, fiant tanquam canes muti, non audentes in adverſam partem latrare. Quis nunc *juſtitiam*, non perverſa ratione, *cæcam* dixerit? Et hi coclites diſcernunt, hi cœci ſententiam ferunt, hi cœci rempublicam regunt, cœci exercitus ducunt. Quot cœca judicia: quot cœci ictus, & conflictus, dum judices, duces, auro excœcati? quî fit, impunè graſſari ſcelera? non

z Tria cœcorum genera. a 1. Avari cæci. b Chryſoſt. hom. 23. in Matth. c Amb Ser. 59. d Amb. cit. e Pontanus Attica Bellar. part 2. c. 27. mira.

f Eccl. 20. g Exodi. 23. h Deuteron. 16.

non eſt, qui plectat, non eſt qui animadvertat: non eſt, qui cernat. Exemplum ingens eſt, quod narrat Scribanius in politico Chriſtiano: *i* paucis annis in uno regno, ſepties mille cædes duello factas, nec enormitatem, judicum oculos incurriſſe, quos munera excæcârant: ſubdit enim, tres auri milliones in judices profuſos, ad impetrandas duellorum condonationes. Unde ille nobilis, in civem tenuem, litem tam iniquam evicit? Judex auro excœcatus, æquum, an iniquum ſit, non ſpectat, non videt. Neſciunt avari judices, quòd, quantum auri in crumenam, tantum ſceleris in animam admittant. Nam ut Caſſiodorus: k *Cùm vendunt aliena crimina, ſua faciunt eſſe peccata.* Quî fit, cauſam Prelati, viri potentis, tam citò reddi expeditam? l *pretio tollitur ipſa mora.* Non ſpectatur jus eorum, quorum lites ad decennium ſuppreſſæ.

Qui caret argento, fruſtra utitur argumento.

Quî fit, illum facilem acceſſum ad Principem habere, per omnes officiales quaſi cœcos tranſire? & quod amplius, Principis aurem habere?

Audito nummo, quaſi viſo Principe ſummo,
Diſſiliunt valvæ, nihil auditur, niſi ſalve.

Hæc & ſuo ſæculo cantavit Juvenalis:

m *Curia pauperibus clauſa eſt.*

Sed veriſſimè Sapiens: † *Donum homini dilatat viam ejus, & ante Principes ſpatium ei facit.* Quia quis, qualiſve intret, & egredi-tur, miniſtri excœcati non v-dent. Quî fit, hunc âſinum c-ronatum in ſubſellia erepſiſſ- in pulvinis ſedere? cauſam n- ſtis?

n *In pretio, pretium nunc eſt, d- cenſus honores.*

Aptus an ineptus, probus vel in-probus ſit, ſe & ſuos perdat, n- ſpectatur à cœcis. Hæc qui audi- quis non videt, quanta præ om-ni cæcitate corporis, commiſer-tione digni ſint, qui oculos me-tis amiſerunt? huic calamitati occurratur, audiant, quàm ſal-bri medicina SanctusEpiphani- Cyri Epiſcopus mirabiliter uſ- eſt, ut Joannem Jeroſolymit-num à cæcitate mentis curare- o Cùm enim hic ingentem arge-ti ſuppellectilem, ac vaſoru- multitudinem ſibi comparâſſe- nec, ſæpius ab Epiphanio mon-tus, ſententiam mutaret, Jeroſ-lymam profecturus Epiphaniu- omnem illum vaſorum appara-tum, per ſpeciem convivii exh-bendi, à Joanne accommodatun- ingenti pretio diſtraxit, coll-ctámque inde pecuniam, paup-ribus eſt elargitus. Quod ubi c-gnovit Joannes, poſt horas ve-pertinas correptum Ephipha-nium vehementius urgebat, - fraude interceptum argentum, ſ-bi reſtitueret. Hîc Epiphani- benignè reſpondere, opportun- tempore ſe repræſentaturum. Ill- contra acriùs inſtare, ſuúmqu- argentum in præſentia flagitar- Tum verò Epiphanius divin- Spiritus impulſu, in avari, ac im-pudentis hominis os expuit, *con-*

i. Scribanius politico Chriſt. lib. 2. c. 41. k Caſſiodor. lib. 6. Epiſt. 21. l Propert. l. 3. eleg. 13. m Juvenal. Sat. 3. † Prov. 18.

n Ovid. lib. 1. faſtor. o Benedict. Iuſtinian. in 1. ad Tim. c. 3. v. 3. Sa- medicus Evang. l. 2, c. 21 in notis.

tinuóqu-

tinuoque luminibus captum COECÆ *veluti noctis tenebris involvit.* Rei miraculo ceteri omnes attoniti; Joannes verò perterritus, totóque animo vehementer commotus, ad Epiphanii pedes abjectus, argentum liberaliter remiſit, & cęcitatis pœnam deprecari cœpit. Quod & ceteri qui aderant ſummis precibus contendebant: Epihanius autem non antè annuit, quàm gravi oratione hominis avaritiam caſtigaſſet; ita prius unius tantum oculi uſu reſtituto, mox etiam alterius, hominem non minus à mentis, quàm corporis cæcitate liberavit. Quod ſi reviviſceret nunc Epiphanius, inquit Juſtinianus, quid illi animi futurum credimus, dum hujus noſtri ſæculi non ſolum Antiſtites, & Eccleſiaſticos, purpura, & auro, gemmiſque, ut ille, fulgentes videret, ſed & qui è tenui ceſpite in curiam irrepentes, è pauperum ſanguine, oſtro & omni pretioſa ſuppellectile inſtructos cerneret. Hi meritò in os conſpuendi, ut cæcitate corporis, oculos mentis aperiant.

Alia cæcorum turba eſt, qui ſcipione, aut baculo greſſus dirigunt, *p* quos ſuperbia, & ambitio excæcavit; hi ut dignitatis pedum geſtent, aut baculo centurionis, vel chiliarchæ nitantur, rationis lumen amittunt; quos inter & illi cenſentur, qui Atlante, ſeu Chriſtophoro, quaſi ſcipione fulti, ad honores ſibi viam ſternunt: & ad divinos, & æternos honores, caligant. COECA AMBITIO, clamat Bernardus, q *magis imis, quàm ſummis delectari*: aperit Deus valvis bipatentibus cœleſtem illam regiam, offértque æternos honores, & COECA AMBITIO *non videt.* In rem præſentem ſcitè Doctor Seraphicus: r *Contingit* COECITAS *ſuperbiæ, vanitate: Superbus dicit, quia dives ſum, & locuples, & nullius egeo. Ecce magna ſuperbia. Propter hoc ſequitur: & neſcis, quia tu miſer es, & miſerabilis, & pauper, &* COECUS? tum ſubdit: COECITAS *autem ſuperbiæ, oritur ex inflatione Auguſtinus: tumore meo ſeparabar abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos,* ut te Domine, & lumen cœli videre non poſſem.

ſ *O quantum pectora* COECÆ *Noctis habent!*

In exemplum adducit Sedeciam: *t* COECITAS SUPERBIÆ *ſignificatur in Sedecia Rege* EXCÆCATO, *ſicut dicitur 4. Reg. 25.* EXCÆCATUS EST, *quia regia dignitate elatus, alii ſubeſſe noluit.*

v In tertia claſſe ſunt cœci, quos puer, aut nepotulus manu ducit: parentes nempe, præſules, magnates, qui affectu cęco natorum, aut nepotum ducuntur, ut fuſius 2. parte *x* hujus operis deducemus. Ea verò maximè pernicioſa, ac periculoſa hujus cæcitatis calamitas eſt, *y* quòd nemo tenebras ſuas videat, nemo cæcitatem ſuam agnoſcat: Eis namque uſuvenit, quod de fatua ſua ancilla, ad Lucilium ſibi familiarem, ſcribit Seneca: z *Harpaſtem uxoris meæ fatuam, ſcis hæreditarium onus in domo mea remanſiſſe. Hæc fatua* SUBITO DESIIT VIDERE. *Incredibilem tibi narro rem; ſed veram:*

p ☽. Superbi & ambitioſi, cœci. Bernard. Epiſt. 78. ad Suggerium Abbat.

r Bonavent. Dom. quinquag. conc. 3. ſ Ovid. l. 6. Metam. t Bonav. cit. v 3. Affectu natorum & propinquorum cœci. x Ioan. Euang. y Peccator cœcitatem ſuam non videt z Sen. Epiſt. 50.

neſcit

neſcit eſſe ſe COECAM. Se quam optimè videre aſſerit, cùm nihil videat, & illudi ſibi putat, ſi quis ad ducendum manum porrigat, aut de offendiculo admoneat: a *ait domum tenebroſam eſſe*; rogat feneſtras, & januas ſibi aperiri, & ne quis domeſticorum obſiſtat lumini. *Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat*; hoc quod in illa ridemus, indies videmus, multos hoc ævo, illi fatuæ & cæcæ, ſimiles reperiri cæci ſunt; & tamen cæcos ſe eſſe neſciunt: imò videntes ac bene oculatos ſe credunt. Filium domeſticum helluari, pergræcari, bona dilapidare, non vident. Filiam in tenebris petulantius cum proco agere, choreis & vanitatibus vacare: ancillam cum herili famulo conſueſcere, non vident. Ecquis hæc audiens, dicat *domum tenebroſam eſſe?* pergit porrò, *nemo ſe avarum eſſe intelligit, nemo cupidum*: nam avari ſe parcos, ſe providos ducunt, & ad rem domeſticam attentos dicunt: atque à vitio prodigalitatis ſe quàm remotiſſimos, ac Parſimoniæ ſtudioſos eſſe, laudi vertunt. Ambitioſi, & honorum cupidi, ad altiora, & ſublimiora ſemper nitentes, ingenuæ, altæque indolis eſſe, nec aliter jam homines vivere jactitant, hinc illæ voces: *Non ego ambitioſus ſum; ſed nemo Romæ aliter vivere poteſt*; quòd tot famulos, pediſſequos, equos, rhedas habeam, *non ego ſumptuoſus ſum; ſed urbs ipſa magnas expenſas exigit*. Quòd atria acupictis periſtromatis, menſæ ſplendidiſſimis epulis, conclavia pretioſis chryſendetis adornentur: *Non ego ſumptuoſus ſum*, dicet; ſed officium

a Ibid.

meum, ſtatus & dignitas, in qua conſtitutus, talem ſplendorem exigit cui temulentia, & crapula, inſtar Polyphemi, rationis *lumen ademptum*, non ego, inquit, ebrioſus ſum; ſed ſociis, amicis, occaſioni indulgendum fuit. Hoc mentis oculo exſtincto, ſi in rixas, contentiones, in vulnera, & cædes proruperit: *non ego* me compos eram, vinum fecit, qui egerim ignoro. In hos Sapiens b *Cui væ, cui rixæ, cui foveæ, cui ſi ne cauſa vulnera, cui* SUFFUSI OCULORUM? (alii legunt, ſuffo ſio) *nonne his, qui commorantur i vino, ſtudent calicibus epotand* Nam ut inquit Hugo Cardinali c *nimius vini potus, tam oculos inte riores, quàm exteriores* EXCOECAT Sic & ira hominem excæcat, & in præcipitium abripit, & ea fa cere ſuadet, quæ oculo ment præditus numquam cogitare d *Et hæc ira videre non permitt* Interim ut cœcos nôris, dicet ira cundus, inquit Seneca: e *Non e meum vitium, quod iracundus ſim* ſed ancilla ſtupida, pueri diſco vicini invidi, uxor garrula mi caput obtundit. *Incredibilem re narro, ſed veram, neſcit ſe eſſe* CO CUM. Quod & Judæis olim acc dit, dicentibus: f *numquid & n* CÆCI *ſumus?* implexa, ad ha videtur Chriſti reſponſio: *Si* C CI *eſſetis, non haberetis peccatu* Quomodo hoc congruit cum e quod omnis peccator cæcus doctè & diſertè hic Sanctus Th mas: g *Id eſt, ſi vos* CÆCOS *dice tis, & ad medicum recurreret nunc ergo quia dicitis, videmus, p catum veſtrum manet: quia en*

b Prov 23.v.29. c Hugo Card. d Chryſ. hom. 30.ad popul. e Sen cit. f Ioan.9.v.44. g S.Thom. hic.

dice

dicendo, videmus, medicum non quæritis, in CÆCITATE *veſtra manetis.* Quæ primæ Veritatis comprobat teſtimonio: *Chriſtus dicit: ego veni, ut, qui non vident, videant, id eſt, qui ſe non videre confitentur, & medicum quærunt, ut videant: & qui vident,* CÆCI *fiant. Id eſt, qui ſe putant videre, & medicum non quærunt, in ſua* CÆCITATE *permaneant.* Quod ſi peccator cæcitatem ſuam videret, ſeſe cæcum agnoſceret, & cum cœco clamaret: *Domine ut videam*, brevi ſanaretur: *Ecce enim qui à nativitate non viderat, jam videt anima in corpore; qui verò videre videntur,* EXCÆCATI *ſunt intellectu.*

Maxima autem cœcorum turba, *h* quos libido, & turpis amor excæcavit. Quemadmodum porrò caſtus ac virgineus amor, mentis aciem exacuit, & oculos animi limpidiſſimos reddit; ita laſcivus amor, cœcus ille Cupido, omnem rationis uſum, id eſt mentis viſum eripit, ut nec ipſum ante ſe inferni barathrum apertum conſpiciat; quod acutè vidit Chryſoſtomus: i *Ab impudicæ libidine capitur anima, ſicut nube, & caligine corporei oculi; ita cum eripuerit menti perſpiciendi facultatem, nihil ſinit videre ulterius, non præcipitium, non ipſam gehennam;* Quî enim videret, qui ratione, ceu oculis orbus eſt? hanc ſuam cæcitatem queritur Pſaltes regius: k *Comprehenderunt me, iniquitates meæ, & non potui, ut viderem.* Quod Paraphraſtes apud Corderium exponit: l *Ex iniquitatibus, inquit, meis in tantas incidi calamitates, ut caligarem, neque lumen intueri poſſem.* Deſcripſimus vobis ſupra, miſeram fortiſſimi Sampſonis orbitatem; ſed hæc oculorum cæcitas exigua, aut nulla eſt, ſi cum ea, quam cæca libidine captus mentis oculis incurrit, conferatur: hanc pro indignitate ſua, meritò exaggerat Abulenſis Antiſtes, & hoc tam miſerando ſpectaculo commotus, ſic lamentatur: *m* admiranda Samſonis calamitas! ô Judaici populi graviſſima infelicitas, & opprobrium; fortiſſimus ille virorum, atque toti ſæculo ſpectandus, ipſóque nomine terribilis Samſon, qui leones ſæviſſimos, facili manus ictu domuerat: magnos hoſtilis exercitus cuneos fundens, inauditam omnibus ſæculis ſtragem egerat? & quod mirabilius eſt, tanta facilitate, ut facilius ſibi agere, quam nobis cogitare foret. O nimis plangende vir, ſola prudentiâ caruiſti, & miſerabilis mulierculæ pulchritudine tractus, in extremam decidiſti ſortem; ita ut cunctorum, quos legerim, miſerior factus, turpiter ab hoſtibus *utroque privatus lumine*, in æternum totius populi Hebræorum opprobrium, molam aſinariam molere cogaris. Nec ſatis hoc fuit, niſi ut inſanus effectus, & libidine excæcatus, turpiſſimi ſcurræ typum gerens, coram hoſtili caterva, in tui deluſionem ludere cogereris. Quis enim ſufficienter tantam calamitatem lugere queat? imò quis dignè cogitare valeat? hujus miſerandæ conditionis, non aliam cauſam, quam cæcam libidinem aſſignat Gregorius: n *Plerumque,* inquit,

h Luxurioſi cæci. i Chryſ. hom. 1. in 1. ad Corinth. k Pſal. 39. v. 13. l Corderius hic.

m Toſtatus in lib. Iud. quæſt. 35. Sararius in Iudic. cap. 16. quæſt. 19. n Greg. lib. 7. moral. c. 13.

prius

prius oculus contemplationis (rerum cœleſtium,ac æternarum) *amittitur : & poſt per carnis deſideria, hujus mundi laboribus animus ſubjugatur ; prout teſtatur Samſon ab Allophilis captus, qui poſtquam oculos perdidit,ad molam deputatus eſt: quia nimirum maligni ſpiritus , poſtquam tentationum ſtimulis intus aciem contemplationis effodiunt , foras in circuitum laborum mittunt.* Quod ſi omnibus libidine excœcatis,cum Samſone, oculi corporis eruerentur , quot cæcos , & cæcas hac in urbe, & ubique cernere liceret ? propè o *totus mundus cæcus eſſet* ; nimirum impudicis illis ganeonibus, & ſcortis facit dæmon , quod corvi cadaveribus , quorum oculos primum invadunt ; fodicant,eruunt ; qua ſimilitudine utitur Hugo Victorinus : p *Corvus eſt diabolus , qui in cadaveribus primum oculos petit : quia in hominibus carnalibus , intellectum diſcretionis extinguit , & ſenſum mentis evertit.* Infamem Cupidinem , Veneris filium , non fruſtra priſci vates cæcum finxerunt , & pinxerunt : ad quem alludens recens Poëta,puerum formoſum ſed luſcum , ſororem verò ejus monoculam fortè contemplatus,ſic cecinit :

Luſce puer,lumen quod habes concede ſorori :
Sic tu COECUS *amor,ſic erit illa Venus.*

Ambroſius : q COECA *eſt omnis libido,&,quod ante ſe, non videt.* Ante ſe habet juvenis,puella,& conjugatus libidine cæcus , immane illud peccati lethalis ſpectrum, ac turpitudinis monſtrū,nec videt.

r *Quid deceat non videt ullus amans.*

o Aug.cit. p Hugo Victorinus lib. de Beſtiis c.35. q Amb.lib.deAbrah.c.6

Ante ſe habet pudorem & verecundiam , quæ ſcelus inſequitur, ac premere facit , *nec videt.* Ante ſe habet infamiam familiæ , & notam toto orbe divulgandam, *nec videt.* Ante ſe habet inferni præcipitium,& æternas flammas, *nec videt* Unde hoc? cauſam ſubdit Cyrillus ille Alexandrinus : ſ *Sibi ipſi,* inquit,OCULOS ERUIT, *& deſtitutus lumine mentis , in foveam iniquitatis* (& inferni) *agitur præceps.* Miſeranda ſanè conditio pueri , aut etiam viri oculis capti,ſine duce ad ſubterraneam fornacem properantis , & præſentiſſimum vitæ periculum incurrentis ; at quantò deterior illius ſors , qui longè præſentius animæ diſcrimen incurrit ? hoc de eo,qui fædas oblectationes ſectatur,S.Gregorius pronuntiavit: t *Anima perverſa dum in præſentis vitæ delectationibus ſe* (& Deum) *deſerit, quid aliud , quàm clauſis oculis ad ignem vadit ?* hæc ſumma cæci miſeria eſt,quod quò vadat non videat : præſens in quod ruit præcipitium, aut periculum,

v *Inſano nemo in amore videt.*

Cæca eſt omnis libido, hac præſtrictus non videt , quæ ſupra ſe ſunt , quæ ſurſum ſunt , delicias illas cœleſtes , quibus virgines cum Agno perfruuntur , non videt. Cæcus in fædas irruit pulchritudines , & viſionem lucis æternæ , ſpecioſi præ filiis hominum, non ſpectat. Miſeram hanc cæcitatem deplorat Mediolanenſis Antiſtes x in Theotimo , qui cùm graviter ex oculis laboraret , à medicis illi voluptas

r Tibull. ſ Cyrillus Alexand. lib.6. in cap.21. Ioan. t Gregor. hom.3. in Euang. v Tibull.lib.2.eleg.14.

carnis

carnis interdicta eſt, ni oculis omnino privari mallet. At ille libidini indulgens, cùm oculos ſibi extingui perſentiſceret: *Vale*, inquit, *amicum lumen.* Quam verè ille cum Ethnico illo Rege Lyſimacho exclamaret: heu quantum boni, brevis voluptatis cauſa perdidi. Conſimilis omnium ejuſmodi cœcorum, ex infernali ſcrobe comploratio; quantos voluptatum torrentes, qualem omnium deliciarum Oceanum, quantum bonum, imò omne bonum, brevi & bruta voluptate perdidimus! ô numquam ſatis execranda, ac deteſtanda cœcorum conditio! in æternum non videbunt lumen. Huc ne & vos cœci proruatis, intonat Auguſtinus: y *Væ* COECIS OCULIS, *qui te non vident, ſol illuminans cœlum & terram. Væ caligantibus oculis, qui te videre non poſſunt. Væ avertentibus oculos, ut non videant veritatem. Væ non avertentibus, ut videant vanitatem. Neque enim oculi aſſueti tenebris, ſummæ Veritatis radios intueri poſſunt.* Tandemne hic longior ſim, laſcivum amorem, mentis oculos eruere, Deus aliquando cœleſti prodigio, etiam corporis cœcitate manifeſtavit. Nam dum z Algarius Anglorum Rex, virginem Oxonienſem inſequeretur, ejuſque pudicitiæ inſidiaretur, derepente oculis captus eſt; verùm jam facti pœnitens, ſuámque cæcitatem deplorans, eadem virgine Deum pro eo deprecante, viſum recepit; qui jam per veram pœnitentiam oculos mentis receperat. Optandum ſanè ut omnes infames proci, & laſcivæ lupæ, hac ſalubri plagâ percuterentur, & pœnitudine ducti, cum cœco clamarent: *Domine ut videam.* Geneſ. 19. Cum turpes, ac fædi Sodomitæ irruere in ædes Loth niterentur, Angeli, quos ille ſub habitu peregrino, hoſpitio receperat, a *percuſſerunt eos* COECITATE *à minimo uſque ad maximum, ita ut oſtium invenire non poſſent.* In quæ verba Ambroſius: b *Hic mirabilis Angelorum declaratur poteſtas, ut offuſa impuris* COECITATE, *non reperirent domus oſtia; ſed etiam illud oſtenditur, quia* COECA EST OMNIS LIBIDO, *& ante ſe non videt.* Quod his impuris Sodomitis, id indies omnibus libidine excæcatis accidere ſolet, ut oſtium ſacri tribunalis, ſellæ confeſſionalis, oſtium ſalutis, quod ſæpe tranſeunt, & ante faciem ſuam habent, non videant. Tales nec oſtium cœli reperire poterunt. Utinam hujuſmodi homines ſanctiori, ac ſalubriori cæcitate percutiantur; qua non ita pridem adoleſcens quidam blaſphemus perſtrictus, viſum animæ recepit; de quo Jarricus de rebus Indicis ſic narrat. c Non procul Pequin, regia Sinarum urbe, Jacobus Pontoya è Societate JESU conciones ad populum ferventer, & frequenter habebat; cui non ſemel petulantius illudere cœpit adoleſcens: imò & blaſphemo ore in ſacra Chriſtianæ legis myſteria debacchari. Non tulit inultū ſcelus, quod ſpectabat è cœlo Numē: adoleſcentē enī ſalubri remedio ad frugē reduxit: demiſſis quippe in terram oculis, planè cœcus nihil omnino cernebat, elevatis autem ad ſuperna, ac cæleſtia,

x Ambr. in Lucam c. 4. y Aug. ſoliloq. c. 34. z Polydorus lib. 4. hiſt. Angl.

a Gen. 19. v. 11. b Ambr. lib. de Abraha c. 6. c Iarricus l. 6. hiſt. Indicæ.

R acutè

acutè omnia intuebatur. Ita ad terrena hæc, & humana cœcus: ad cœleſtia & divina oculatus erat, adeò ut & fidei lumine colluſtratus, Chriſto nomen dederit. Ea mentis cæcitas exoptanda, ad ea quæ mundi & carnis ſunt; at illa miſeranda, ac deteſtanda, qua quidam, ut cœci ſolent, à cane, id eſt, pecunia, vel à carne, & bruto affectu ſe duci ſinunt, eíque alligati tenentur; quorum miſeram ſervitutem Carthagienſis Antiſtes deplorat: d MAGNA COECITAS, inquit, *auro alligatum teneri, & poſſideri magis, quam poſſidere*; magna cœcitas, carni & ſanguini alligatum teneri, nec videre, nec ſapere, quæ cœleſtia ſunt. e Quouſque ô cœca, & peccatrix anima differes aperire oculos tuos? donec fatali manu mortualem cereum prenſes? non ſatis ille te illuminabit, tenebroſum & terrificum æternitatis iter ingreſſurum, oculis mentis dudum extinctis, & corporis in morte caligantibus. Tales Hugo Cardinalis ſimiles dicit Heli, qui *non poterat videre lucernam Domini, donec extingueretur*. Ipſum audite: f *Quidam*, inquit, EXCÆCANTUR *honoribus* (divitiis, deliciis carnis) *& tales ſignificantur per Heli, de quo* 1. Reg. 3. CALIGAVERUNT OCULI EJUS, *nec poterat videre lucernam Domini, id eſt, honorem mundi, donec extingueretur, id eſt, donec amitteretur*. 4. Regum 6. qui à Rege Syriæ ad capiendum Eliſeum in civitate Dothain miſſi fuerant, cœcitate percuſſi, arbitrati ſunt ſe recto itinere procedere; ſed cùm eſſent in terra hoſtili, g *aperuit Dominus oculos eorum, & viderunt ſe eſſe in medio Samariæ*, in poteſtate Regis Iſrael, in medio inimicorum ſuorum. Quæ illis tunc mens, quæ conſternatio? quæ trepidatio? væ tibi peccator, qui tamdiu in tenebris hujus mundi cœcus palpas, & erras, donec tandem te invenias in terra hoſtili, *in medio Samariæ*, quæ *cuſtodia* interpretatur, donec ſiſtaris Regi Regum, & horrendæ inferorum dæmonum cuſtodiæ tradaris. Tunc ſerò aperientur oculi cœcorum, & horrendum vociferabuntur: h *Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis*. Verum enimverò licet hæc miſeranda cæcitas ducat ad damnationem, ſolatio tamen eſt, quod Angelico divinus Doctor calamo ſuppeditavit: i *Excæcatio*, inquit, *ex ſua natura ordinatur ad damnationem hominis, qui* EXCOECATUR; *ſed ex miſericordia Dei* EXCOECATIO *ad tempus, ordinatur medicinaliter ad ſalutem eorum, qui* EXCOECANTUR. Hoc teſtatur ille planè cœcus Auguſtinus, ad multum temporis in peccatorum ſuorum cæcitate verſatus, hiſce verbis: k COECUS *eram, &* COECITATEM *amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis inde me eduxit? ubi eram homo* COECUS, *ſedens in tenebris, & in umbra mortis, quia accepit manum meam, ut inde me educeret? ô verè, Domine, tu es Deus meus, qui eduxiſti me de tenebris, & umbra mortis, & advocaſti me in admirabile lumen tuum, &* ECCE VIDEO: Tum viſu cælitus recepto, veterem ſuam cęcitatem, ac tenebras deplorat, ac deteſtatur: *Væ, væ cæcitati illi, in qua vi-*

d Cyprianus. e Parænefis ad cæcos, ut videant. f Hugo in Ioan. c. 9. g 4. Reg. 6. v. 20.

h Sap. 5. v. 6. i S. Thom. 12. q. 79. art. 4. k Auguſtin. ſoliloq. c. 33.

dere

dere non poteram lumen cœli. Gratias tibi ago illuminator, & liberator meus, quoniam illuminaſti me, & cognovi te. Serò cognovi te veritas antiqua, ſerò te cognovi veritas æterna. Idem Dominus, qui manum cœco quondam porrexit Auguſtino, ut eum de tenebris eriperet, & confiteretur nomini ſuo; paratus eſt & tibi ſuccurrere, l *non eſt abbreviata manus Domini*, ſed ad medicum animarum accedas, m & cæcitatem tuam fatearis, atque ardens acquirendæ ſanitatis deſiderium oſtendas, neceſſe eſt, ut cœcus ille quem Chriſtus aſcendens Jeroſolymam juſſit adduci ad ſe, eúmque percunctatus eſt: n *Quid tibi vis faciam?* Perappoſitè quærit Ambroſius, quorſum hæc interrogatio? o *Interrogat*, inquit, *ut credamus, non niſi confitentem poſſe ſalvari: Et eſt argumentum, quod non ſufficit cordis contritio, niſi addatur oris confeſſio.* p Hoc oſtium, hęc feneſtella confeſſionalis, hodie quærenda, & invenienda eſt, ſi lucem gratiæ recipere velis: q *Confitere te* COECUM, *ut illuminari merearis.* Cœcum illum à nativitate, de quo Joannes cap. 9. mirabili cataplaſmate Redemptor noſter ſanavit: r *Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus.* Quis non obſtruendos potius oculos luto, quam aperiendos exiſtimarit; *nam lutum ſolet magis excœcare.* ſ Nullum emplaſtrum aptius ad cæcas mortalium mentes illuminandas, quàm propriæ vilitatis, & fragilis luti, ex quo formati ſumus, reminiſci. Ita Hugo Cardinalis: t *Moraliter* COECUS *à nativitate, id eſt ille, qui excedit per ſuperbiam de nobilitate ſtirpis ſuæ, illuminatur per duo, per ſputum & lutum, ſi apponat ad oculos ſuos: conſiderare enim debemus vilitatem noſtram, quæ ſignificatur per ſputum: & fragilitatem, quæ ſignificatur per terram. Hæc duo ſunt collyrium oculorum, ut homo ſe videat, & cognoſcat.* Unde ſolerter S. Mater Eccleſia, ut cœcos hos illuminet, poſt triduum, cinerem aſpergit, & memoriam luti, ex quo conditi, ingerit. Tum, quod ſupereſt, libenter & gaudenter curret ad natatoriam Siloë, ut in ſanguine Chriſti per ſacramentum pœnitentiæ lotus, viſum recipiat? exultet, & ſequatur Dominum.

l Iſaiæ c. 59. v. 1. m Ioan. cap. 9. v. 6. n Luc. 18. o Ambroſ. in Luc. cap. 18. p Hugo hic. q Aug. in Pſalm. 65. r Ioan. c. 9. v. 6. ſ S. Thom. hic in catena.

§. III.

Orationibus, aliiſque pietatis officiis, ac corporis afflictationibus Deus pro peccatoribus placandus & propitiandus, UT VIDEANT.

PSaltes Regius v *zelus domus tuæ* (quæ à bacchantibus, ſaltantibus deſerta) nec non honoris, & gloriæ tuæ, quæ conculcatur, *comedit me*, viſcera mea exuſſit: *Et opprobria exprobrantium tibi*, id eſt, injuriæ, & blaſphemiæ, quæ tibi irrogantur, *ceciderunt ſuper me.* Hic animarum, vel potius gloriæ, & honoris divini zelus, quidam amoris Dei ignis eſt, támque æſtuans, & ardens, ut qui eo inflammatur, non ſatis ducat, Deum à ſe coli, & amari; ſed & ardentiſſimè cupiat, ut in-

t Hugo Cardin. in c. 9. Ioan. v Pſalm 68. v. 10.

finita illa Bonitas ab omnibus cognoſcatur, colatur, diligatur. Unde ſequitur; ut ſcelera, & flagitia in Deum ſuum commiſſa, aduſq; intima animæ ſuæ penetralia perſentiſcat: atque ille Divini zeli ignis viſcera adurat, & conſumat. Talis exarſit zelus in magnis Dei amicis, & viris ſanctitate eximiis. Audi ut ſuum prodat Jeremias: x *Et factus eſt in corde meo, quaſi ignis exæſtuans, clauſúſque in oſſibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens: audivi enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu.* Hoc unum rogat, quod cœcus hodie, y *Domine ut videam.* Suum verò Elias ſic deſcribit: z *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum Filii Iſraël.* Suum denique Pſalmographus teſtatur, dicens: a *Defectio tenuit me pro peccatoribus, derelinquentibus legem tuam.* Et alibi: *tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei,* tam vehementem ſcilicet Sancti, ſuo in corde dolorē, & amaritudinē ſentiebant, quod effuſis habenis peccatores legem Dei proculcarent, & violarent, ut interno animi dolore, etiam corpus marceſceret, & contabeſceret: b *Vidi,* inquit, *prævaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua nō cuſtodierunt.* Ut quid hoc? *Domine ut videant.* Quid, quod adeò hic ignis Prophetam aduſſerit, ut oculi in lacrymas toti effluxerint: c *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Quemadmodum ſi ignis alembico roſarum, aliarúmq; redolentium herbarum ſubjectus, facit eos in ſuaviſſimos liquores exſtillare; haud aliter in ſuaviſſimas amoris lacrymas, totus colliqueſcebat Auguſtinus, dum æterni Numinis majeſtatem contemptui, & ludibrio eſſe videret: ſic etenim ad Comitem quemdam de ſalutaribus monitis conſcripſit: d *O mi frater! numquid ferreæ ſunt carnes noſtræ, ut non contremiſcant; vel etiam ſenſus noſter adamantinus, ut non molleſcat, vel etiam minimè evigilet ad illa Chriſti in judicio verba:* e *Ite maledicti in ignem æternum? Quare non dicimus cum Jeremia Propheta: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei?* Quid porrò plorari ſalutarius, quàm, quem Apoſtolus plorabat, animarum interitum? f *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Quo loco Gloſſa habet: *Quis infirmatur in fide, vel in aliqua virtute, & ego non infirmor? id eſt, non doleo de eo, ſicut de meipſo? Quis ſcandalizatur in aliqua moleſtia, & ego non uror igne compaſſionis?* Hoc zelo accenſus Seraphicus Franciſcus, g *Nemora replebat gemitibus, loca ſpargebat lacrymis, pectora manu tundebat, & quaſi occultiùs ſecretarium nactus, confabulabatur cum Domino ſuo. Ibi quoq; fratribus ipſum piè obſervantibus, aliquoties auditus clamoſis gemitibus apud divinam clementiam pro peccatis interpellare.* Pergit vitæ Scriptor fideliſſimus & ſanctiſſimus D. Bonaventura: h *Cùm cerneret animas Chriſti Jeſu Sanguine pretioſo redemptas, inquinari aliqua ſorde peccati, tanta miſerationis tene-*

x Ierem. 20. v. 10. y Luc. 18. z 3. Reg. 19 v. 14. a Pſ. 118. 53. 138. 139. b Pſ. 118. v. 158. c Ibid. v. 136.

d Aug. l. de ſalutarib. monit. ad quendam Comitem c. 55. e Matth. 25. f 2. Cor. 11. 29. g Bonav. in vita c. 50. h Idem. C. 8. vitæ.

ritu-

ritudine deplorabat, ut eas tanquam mater in Chriſto quotidie parturiret. At quorſum hæc? *niſi ut videant* Quemadmodum enim filius, qui patrem ſuum ex corde diligit, eum laudari, honorari, & ſupra omnes dignitatum gradus exaltari, ſummopere deſiderat: atque in eo omnem ſuum honorem, votum, & gaudium ſuum reponit; ita è contra, ſi quæ injuriæ, offenſæ, aut calumniæ irrogentur, non minus iis afflictatur, & contriſtatur, quam ſi propriæ forent; imò graviùs. Teſtis mihi eſt ejuſdem ſanctiſſimi Ordinis, Jacoponus, qui hiſce lupercalibus diebus ante crucem proſtratus, cœcam mortalium licentiam ac infamem luxuriam animo volvens, in hæc amariſſima ſuſpiria effuſis lacrymis prorupit: *amor non amatur, amor non amatur*; ille, qui tanto pretio hominem emit, & redemit, *non amatur*; ille, qui tot beneficiis, & illiciis te ſibi devinxit, *non amatur*; ille, in quo omne bonum, *non amatur*; ſed contemnitur, illuditur, flagellatur, & rurſus crucifigitur: dum Venus amatur, Bacchus adoratur, turpes cupidines, & concupiſcentiæ, quæ tibi pro idolo ſunt, amantur, & adorantur. Hæc cauſa gemituum, & lacrymarum. S. Chromatius Aquileienſis Epiſcopus, quem S. Hieronymus *ſanctiſſimum & doctiſſimum* appellat, ſic diſſerit: i *Vis ſcire pium luctum ſanctorum? Jeremias cùm populi peccata fleret, ita ait*: k *ut flumina aquarum tranſierunt oculi mei, ſuper contritionem plebis meæ. Et iterum: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei* Confirmat idipſum exemplo Pauli: *Sanctus quoque Apoſtolus quoſdam Corinthiorum, luctu ſimili deflet, dicendo*: l *& veniam ad vos, ut lugeam multos ex his, qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam in immunditia, quam geſſerunt, & fornicatione.* Has autem amariſſimas Sanctorum lacrymas benignus Dominus, amore ſui pro peccatoribus fuſas, liquidiſſimis cœleſtis conſolationis miſcet deliciis. Hinc ſubdit: *Ejuſmodi ergo luctum, Dominus perpetui gaudii conſolatione compenſat, ſecundum quod Eſaias retulit, dicens*: m *Date his qui lugent Sion, gloriam pro cinere, unctionem lætitiæ lugentibus, pro ſpiritu mæſtitiæ, amictum gloriæ.* Hunc amictum gloriæ, & quidem purpureum, martyribus proprium, miro, & multis inaudito divini zeli actu, B. Magdalena de Pazzis ſibi promeruiſſe traditur à Puccino ejus Confeſſario, qui ſic ſcribit: *n eò* quòd illa, octo circiter annos nata, ob audita verba quædam injurioſa contra proximum cum Dei offenſa, totam noctem inſomnem, ob hanc cauſam, flens traduxiſſet, poſt annos circiter ſexdecim, divinitus intellexit, ob hunc actum doloris de peccato alieno, Deíque offenſa, in cœlo præparatum eſſe veſtimentum rubrum, flammeum. Unde hanc praxim ſibi ut gratiſſimam tradidit illi cœleſtis ſponſus, divino epulo refectæ, dum eum complecteretur ſinu cordis ſui: o *ut inſtar turturis gemeret, eiq; compateretur, quod tã parũ ſit cognitus, & amatus*

i S. Chromatius conc. 2. S. beatitud. k Ierem. 8. 21. & 9. v. 1.

l 2. Cor. 12. ult. m Iſa. 61. v. 3. n Puccinus 4. part. vitæ c. 3. o Puccinus 4. part. vitæ c. 79.

à creaturis: quòd ille, cujus converſatio non habet amaritudinem, nec tædium convictus illius; ſub cujus lingua mel, & favus, non guſtaretur ab hominibus &c. Hinc plena zelo valde commendabat ſuis monialibus, *p* ut ardenter orarent pro ſalute animarum, & converſione peccatorum; & hoc exercitium dicebat valde Deo gratum; nec hoc tantum, ſed etiam propriæ ſaluti proficuum. Quod ſi quis objiciat, propria, ex lege ordinatæ charitatis potius plangenda peccata, quàm aliena; reſponſioni ſerviet pium illud documentum, quod ante mortem ſpiritualibus ſuis filiabus per modum teſtamenti legavit, B Angela de Fulginio: *q Dico vobis, quod plus recepit anima mea de Deo, quando ploravi peccata proximi, quàm mea. Et mundus ridet de hoc, quod dico, quod homo poſſet plorare peccata proximi ſicut ſua, vel plùs quàm ſua: quia videtur eſſe contra naturam. Sed caritas, quæ hoc facit, non eſt de hoc mundo.* Hac ratione ſanctimoniales, ac vos omnes, quibus in Indias excurrendi, aut concionandi, aut controverſias tractandi, facultas non eſt, *cooperari poteſtis in ſalutem animarum*; *r* quod S. Dionyſius docet, *omnium divinorum diviniſſimum eſſe.* *ſ* Beata Clara de Monte Falco cùm audiret aliquem in peccato mortali exiſtentem, ſubitò ad Chriſtum in cruce pendentem converſa, flebat inconſolabiliter, & è profundo cordis ſuſpirans, dicebat: Ergóne perditum eſt pro hac anima, quidquid pro ea toleravit meus Dominus? Et non valens id ferre, proſternebat ſe in terram, & pro illius converſione peccatoris orabat: *Domine ut videat.* Si hæc ardens zelo Dei anima, vel unicum miſeri peccatoris lapſum, tam amare fleverit; quid hiſce diebus nobis faciendum, quibus innumeri mortales, more cœcorum, in omnium vitiorum volutabrum, & in apertum æternæ damnationis ruunt exitium? Ad pias has zelantis animę lacrymas, invitat nos, ipſius Chriſti lacrymantis exemplo, Patriarcha Venetus: t *Non poteſt non dolere de alienis, qui veraciter plangit ſua peccata. Sanum membrum in corpore poſitum, ſi languentibus ceteris non auxilietur, ſupervacuè locum occupat. Sic & fideles quique in Eccleſiæ corpore conſtituti, ſi peccantes fratres agnoſcant, otiosè vivunt, ſi flendo, aut compatiendo* (vel orando) *de delinquentium perditione non doleant. Sic Mediator noſter ſuper perituram civitatem lacrymatus eſt, quæ eò magis plangenda erat, quò ſe minimè flebilem agnoſcebat. Quotquot igitur charitatis ſuccenſi ſunt face, proximorum, tanquam propria deflent ſcelera.* Ecquis non fleat ſuper civitatem hanc? Quis non ploret eos, qui ſe minime plorandos agnoſcunt? Quis non fleat cæcitatem eorum, ut videant, qui ſe minime cœcos arbitrantur? Tales pro converſione peccatorum lacrymæ maxime decent, Sacerdotes, ut recte monet Propheta Joel: *v Plangite Sacerdotes ululate miniſtri Altaris*; quod ſanctiſſimus Antiſtes Auguſtinus ſe factitaſſe, palàm fatetur: *x Gemimus plerumque in peccatis fratrum noſtrorum & vim patimur, &*

p Idem c. 33. q In vita c. 23. n. 257. r S. Dionyſ. de cœleſti Hierarch. ſ Pergilius in vita. 2. part. c. 4.

t Laur. Iuſtinian. faſc. amoris c. 14. v Ioe. 1. v. 13. x Au. Ser. 44. de verb. Do-

tor-

torquemur animo. Hi fuerunt gemitus, hæc ſuſpiria, hæc jacula ignita ex Sancti Ignatii pectore evibrata, cœlum contemplantis, & infrà colluviem flagitioſorum plorantis. Nam cum Barcinone litteris dans operam, oraret in domo Joan. Paſchalis, & ſplendore cœleſti prodeunte ex facie, & cubile colluſtrante, elevaretur ad quinq; cubitos à terra, identidem ingeminabat: y *O Domine, cor meum! ô dilecte mi! ô ſi te homines noſcerent, numquam peccarent!* Deplorabat ſui temporis perverſum in Eccleſia ſtatum B. Laurentius Juſtinianus (quòd commutatus color optimus primitivæ Eccleſiæ) noſtro tempori non meliori, valde convenientem: z *Orat aſſiduè Eccleſia, ſi quo modo ad præteritum, in præſenti, ſe poſſit reformare decorem; quamquam in ſua pænè ſupplicatione deficiat, impoſſibile arbitrans, ſe poſſe eſſe, quod fuerat. Nec abs re, agnoſcens Propheticum illud in ſe completum:* † *omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum: undique adulteria perpetrantur, fiunt ſtupra, ſacrilegia, homicidia, rapinæ, furta, deceptiones, & horum ſimilia ſuperabundant: in ore hominum mendacia, perjuria, juramenta, detractiones, vaniloquia, impudicáque verba. Gemit mater Eccleſia perditionem iſtorum, & veluti proprios deplorat filios, éſtque mœror Eccleſiæ vehemens*; ac tandem concludit: *cùm tam innumerabilium filiorum ſpiritualem deploret interitum, & vix reperiantur, qui condoleant.*

y In proceſſu canoniz. lib. 2. c. 13. Lancicius opuſc. 11. c. 7. z B. Laur. Juſtinian. tract. de compunct. & complanctu Chriſtianæ perfect. col. 8. † Pſal. 13.

Quæ juſta S. matris noſtræ querela, ut ceſſet; Societas zelo Jeſu ſui accenſa, Ignatiano ſpiritu, epularibus hiſce ante cineres diebus, mundi genio prælicenter effuſo, obviam ivit, exquiſito templorum ornatu, ac pio muſicorum concentu: tum fervidis ad populum concionibus, ac ſolennibus trium dierum precibus, cum indulgentiis plenariis indictis. Primus hic zelum ſuum exeruit P. Oliverius Manaræus: a tempore S. P. Ignatii, dum Laureti degeret, intellixit hiſce Bacchi feriis, comœdiam publicam omnino infamem, & obſcœnam apparari; quàm ut impediret, omnem lapidem movit; ſed dum nec oratione, nec ratione, nec comminatione diſturbare poſſet, conſilium cœpit plenum religionis, & ſanctæ induſtriæ: orationem 40 horarum in Sacello Lauretano inſtituit, quod exquiſito, ac magnifico apparatu adornavit, eóque populum adeò pellexit, ut foro deſerto, actores ſibi comœdiam, nemine applaudente, exhibuerint: & pro infami ſpectaculo, & lavernionum choragio, omnes ad celebritatem ſacræ ædis affluxerint. Alterum hic recentius producam exemplum magnificentiæ Romanæ. b Anno 1640. Sodales Parthenii primariæ congregationis aſſumptæ Virginis, ut feriis antecineralibus populum à profana licentia, ad pietatem, & devotionem avocarent, novem Florenorum millia in extemporaneam illius tridui ſolennitatem expenderunt. Moles erecta ſtetit in templo

a Barrii. Lannee S. devot. 3. feſto Antecineralium c. 7. b Imago 1. ſæculi ſect. l. 3. c. 9.

Farneſiano Societatis Jeſu, ad honorandum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, alta centum viginti palmos, lata octoginta, pulcherrimis ſtatuis, imaginibus, hiſtoriis, emblematibus, ad ſtuporem exornata: quæ omnia cùm ſupra quatuor millia flammarum, ac luminum illuſtrarent, nulla tamen flamma in oculos ſpectantium incurrebat. Hic res divina peracta eſt tanta pompa, & tam ſuavi Pontificiorum muſicorum concentu, ut nihil hic in terris ad majeſtatem deſiderari videretur. Rem divinam faciebat illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus, Alphonſus Gonzaga, Archiepiſcopus Rhodienſis: intererant Eminentiſſimi Cardinales numero ſeptemdecim, omnéſque propemodum Romanæ curiæ Prælati. Quorum pietate excitati ſubinde alii, Regúmque omnium ac Principum Oratores: acceſſerunt præterea ſupplicabundi varii Religioſorum Ordines, omnéſque totius urbis, quas vocant, Archiconfraternitates. Denique tantus fuit toto illo triduo promiſcuæ multitudinis ad ſacroſancta myſteria concurſus, ut non profana Bacchanalia, ſed cœleſtis curiæ encænia celebrari viderentur. Hæc qui vident, invideant; modò quod propoſiti mei, & Societatis noſtræ eſt, *cæci videant.* Ad quod, viri Apoſtolici, & flagrantes zelo animæ, collyrium ſe minus efficax adhibuiſſe arbitrantur, niſi potentiori remedio, per inſolitas, & inauditas pro peccatoribus, corporis afflictationes, occurrant; quod Deus ipſe, ad omnem luxum, & licentiam extirpandam, mandâſſe olim legitur. Levitici c. 23: Deus Hebræorum ſub graviſſima corporis & animæ perdendæ comminatione, populo præcepiſſe legitur, ut decimo Septembris die, ſeveram agerent pœnitentiam, ſéque jejuniis, flagellis, aliiſque corporis cruciatibus affligerent: c *Decimo die menſis hujus ſeptimi, affligetis animas veſtras in eo: omnis anima quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populo ſuo.* Cur obſecro gens Hebræa eo potius tempore, quàm alio, tã dirè ac durè in ſe animadvertere jubebatur? quia nimirum tempus meſſis, & vindemiæ, quo granaria frumento, & torcularia vino redundabant; ea propter in omnem temulentiam & luxuriam effuſi, Dei ſui obliti inſaniebant, ſeſe ingurgitabant, & cæco, ac bruto more debacchabantur: d *Conſidera,* inquit Oleaſter, *qualiter Dominus voluerit diſſolutam temperare lætitiam; ut in eo menſe inſtituerit* FESTUM AFFLICTIONIS, *quo homines ſolent ob futuram copiam inſanire: quando areæ frumento implentur, & vino torcularia redundant.* Non alia de cauſa Eccleſia quoque, menſe Septembri, quatuor temporum jejunia indixiſſe perhibetur; ut nimirum homo eo tempore, quo omnibus ad vitæ annonam ſpectantibus abundat, corpus ſuum affligeret, & abſtinentiæ fræno coerceret, ne e *impinguatus & dilatatus* contra Deum *recalcitraret.* Verum enimverò, ſi ulla anni tempeſtate lautitiarum, rerum omnium abundantia altilium, volatilium, ferarum, cupediarum copia: Maſ-

c Levitici 23. v. 26. d Oleaſter. in c. 32. Deuteron. e Deuteron. 32. v. 15.

ſici

ſici, Falerni, Rhenani, Hiſpani, Rubelli, omnis generis, & ſaporis vini affluentia eſt, hiſce potiſſimum diebus, quibus univerſali ritu, Baccho, & Veneri ſolennia celebrantur, reperire eſt. Unde ſanctus Iſidorus peropportunum remedium, hoc tempore Quadrageſimalis inediæ ab Eccleſia inſtitutum aſſerit, quo cæca gentilitas Jano Deo, in ſano bacchantium ritu, ludis, choreis, obſcœnis ſpectaculis, ſolennia celebrabat; viri muliebri habitu, & contrà, promiſcuè laſcivientes, larvati diſcurrebant, quæ ubi non minori inſaniâ, & majori longè nequitiâ, ac perfidiâ à Chriſtianis agitabantur: f *Sancti Patres conſiderantes maximam partem generis humani eodem die hujuſmodi ſacrilegiis, ac luxuriis inſiſtere: ſtatuerunt in univerſo mundo per omnes Eccleſias publicum jejunium: per quod cognoſcerent homines, in tantum ſe pravè agere, ut pro eorum peccatis neceſſe ſit omnibus Eccleſiis jejunare;* ut Deus tot Chriſtianorum flagitiis graviſſimè irritatus, placari, & cæci mortales oculos aperire, & inſanias ſuas videre, ac deteſtari queant. Hunc in finem incredibile eſt, quantum ſeſe ferventes zelo Dei animæ, hoc tempore afflixerint. Sancta Gertrudis hac Bacchanalium Dominica, hæc nobis ſcripta reliquit: g *Dum cantaretur introitus Dominicæ Quinquageſimæ:* ESTO MIHI IN DEUM PROTECTOREM, *dediſti mihi intelligere, quod tu, ô unio cordis mei, à diverſis hominibus convitia, & perſecutiones paſſus, per verba prædicti introitus expeteres à me domicilium cordis mei, ad requieſcendum in eo. Hinc per illos tres dies* (Bacchanaliorum) *quoties ad cor meum redii, videbaris mihi ad ſimilitudinem languentis, ſupra pectus meum decumbere. Per totos etiam illos tres dies, nihil inveſtigavi, quo tibi gratiorem refectionem poſſem miniſtrare, quam ut orationibus, ſilentio, & cæteris afflictionibus, pro emendatione mundanorum hominum inſudarem pro tuo honore.* Præluxit olim in eo, vir deſideriorum: h *In diebus illis*, inquit, *ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: panem deſiderabilem non comedi: & caro, & vinum non introierunt in os meum: ſed neque unguento unctus ſum, donec complerentur trium hebdomadarũ dies.* Vos ſaltem per hos tres dies paululũ genio ſubtrahere, & carnem affligere ſtudete. Talis zelus erat beatæ Magdalenæ de Pazzis, de qua Auctor vitæ: i Sæpe noctu proripiebat ſe ex lecto, & ibat ante SS: Sacramentum, ibique proſtrata in terra, amarè deflebat Dei offenſas, & petebat ſalutem animarum, *præſertim tempore Bacchanaliorum*, quo & augebat pœnitentias, & preces, pro peccatoribus, aliáſque Moniales ad hæc excitabat. Addit Puccinus, ejus Confeſſarius: k Quod *orans in raptu pro converſione cujuſdam peccatoris clamabat: ô ſi aliquando dæmones non haberent occaſionem moleſtandi me viſione peccatorum humanorum! ô verbum! quàm libenter paterer quodvis genus martyrii, dummodo eum viderem converſum; ſed non eſſet mihi martyrium, verùm Paradiſus.* Hoc autem pro converſione peccatorum

f S. Iſidorus de Eccl: off. lib. 1. c. 40.
g Lib. 2. c. 14. inſin. divin. piet.

h Daniel. c. 10. v. 2. i Puccinus 4. part. vita c. 24. k Ibid.

ſe affligandi exercitium, quàm Deo gratum ſit, Pater Cæleſtis, Catharinæ, virgini Senenſi, declaravit his verbis (quæ Lancicius ex autographo Italico, cùm aliæ verſiones omnes diſcrepent, ſic vertit:) l *Valde mihi placet, filia chariſſima, deſiderium volendi portare omnem pœnam, & laborem, uſque ad mortem, in ſalutem animarum. Unde quò quis plus ſuſtinet, plus demonſtrat quod me amet: & amando me, plus cognoſcit ex mea veritate: & quantò plus cognoſcit, plus ſentit pœnam, & dolorem intolerabilem ex offenſa mei.* Quod ardenter amantis eſt, de injuria amici graviter affligi, ut ille verè cecinit:

Sentit amicorum vulnera, quiſquis amat.

Tum ſubdit: *Tu petebas ſuſtinere, & puniri defectus alienos ſupra te, & tu non advertebas, quod tunc peteres (id petendo) amorem, & lumen, & cognitionem veritatis; ſiquidem jam tibi dixi, quod quantò major eſt amor, tantum creſcit dolor & pœna: unde cui creſcit amor, creſcit & dolor*, de dilecto ſuo offenſo. Quamvis autem opera pietatis, pœnitentiæ, charitatis, ſemper Deo grata ſint; magis tamen ei accepta ſunt eo tempore, quo alii ex perverſa ſæculi conſuetudine, ut fit in Bacchanalibus, aut publicis encæniis, divinum Numen, ſuis ſceleribus graviùs laceſſunt. Qua de re præclara exſtat hiſtoria apud ſanctam Gertrudem. *m* Apparuit enim ei Dominus Jesus, ſedens in throno gloriæ ſuæ, & ſanctus Joannes Evangeliſta ſedebat ſecus pedes Domini ſcribens. Tunc iſta interrogavit eum, quæ ſcriberet? cui reſpondens Dominus ait: ego ſingula obſequia, heſterna die, à congregatione iſta mihi impenſa, & adhuc per duos dies ſubſequentes (erant dies Bacchanaliorum) impendenda, in hac facio charta diligenter annotari, in illum finem, ut cum ego (cui Pater omne judicium dedit) unicuique poſt mortem ſuam fideliter reddidero menſuram bonam, pro ſingulis laboribus operum ſuorum bonorum, & ducam eos cum hac charta, ut & ipſe ex omnipotentiâ paternæ benignitatis ſuperaddat eis menſuram coagitatam, & ſupereffluentem, pro beneficiis iſtis, mihi in hac perſecutione (qua nunc à mundanis infeſtor) benignè impenſis.

Gratitudinem ſuam benignus Dominus confirmat exemplo Davidis, qui quamvis omni tempore vitæ ſuæ, non prætermiſit benefactoribus ſuis, congruis beneficiis reſpondere; tamen cum appropinquaſſet dies mortis ejus, & commiſiſſet Regnum in manu filii ſui Salomonis, dixit ei: *n* Filiis Gerzellai Galaaditis facias gratiam, eruntque comedentes in menſa tua; quia occurrerunt mihi, cùm fugerem à facie fratris tui Abſolonis. Quia ſicut à quolibet magis acceptatur beneficium exhibitum in adverſitate, quàm in proſperitate; ſic & ego magis accepto fidelitatem illam, quæ mihi exhibetur iſto, quo mundus plus peccando me infeſtat. Unde per beatum Joannem, omnia, & ſingula pietatis, & charitatis opera, quæ hiſce Bacchanalium diebus, à fidelibus exe-

l Lancicius opuſc. 11. c. 7. Dialog. S. Catharin. c. 5. m Gertrud. lib. 4. c. 16. inſinuat. divin. piet.

n Lib. 3. Reg. c. 21.

cita,

cita, diligenter exarari curabat, Cùm igitur ad divini numinis cultum, & gloriam, nihil excellentius excogitari queat, quàm injurias illi à ſceleratis inferendas, avertere, & omni conatu impedire; Societas tantis acta ſtimulis, contra nefariam illam larvatorum, potatorum, ac ſcortatorum licentiam, palàm ſe communi huic furori multis in locis primùm objecit, non in templis, quæ tunc vacua erant, ſed in compitis urbium, ac plateis, arguendo, increpando, cœcam Bacchantium in omne flagitium proterviam. o Gandiæ ſex è noſtris, pridie Cinerum, vertice ac pedibus nudi, longo fune è cervicibus pendente, duo etiam nudata terga flagellis cruentantes, ceteri cum cruce, & Calvariâ in manibus, obiere concionabundi celeberrimas urbis vias. Ab aliis, alia tentata, pro loci, ac populi genio magis perverſo, non pœnitendo exæſtuantis licentiæ temperamento. Ardens hic noſtrorum zelus, ad ipſos etiam Sodales ſeſe extendit. p Anno 1653. Bononiæ, feria quinta pinguiore, Sodales propè quingenti, ſaccis horridi, quinq;-partitam aciem inſtruxere: præibant in primo agmine centum ſub crucis vexillo, trabali omnes cruce onuſti. Mortis erat ſecunda centuria, ſeu Sodalium, mortualem Calvariam præ ſe portantium. Tertia ſub extremi judicii ſignis proceſſit. Quarta ſub inferni labaro, flammeis ſaccis ardens, & minax. Quintam cœleſtis Archiſtrategus ducebat, quæ fuit Beatorum. Quæ quà per urbem ſe ferebat ſupplicatio, eundo creſcebat vis populi, ab inchoatis ejus diei illecebris, ad meliora traducti, mirumque in modum attenti, ac permoti ad vibratas breves è Sacris litteris appoſitè, ac ſeverè, miſerabilitérque ſententias, ad ſacrum illud ſilentium, & vivam extremorum imaginem; denique ad Patris è Societate in locis magis conſpicuis conciones, loco, tempori, ſpectaculo attemperatè accommodatas. Unde veſperi ad nos affluens cum reduce vivæ illius concionis pompa, vis magna mortalium ſeſe in templum, prægrandis inſtar torrentis, infudit. Cujuſmodi confluxus nunc per orbem terrarum, hiſce diebus, ad hæc noſtra ſolennia eſt. Hactenus orationes, lacrymas, eleemoſynas, corporis afflictationes, quibus zelo Dei plenæ animæ, hiſce diebus divinum Numen placare ſtuduerunt, paucis enarravimus; ſed hæc parva, ac minuta videbuntur, ſi cum iis, quæ dicturus ſum, comparentur. Zelus non eſt qualecumque deſiderium; ſed, ut definit ſanctus Thomas: q *eſt effectus amoris proveniens ex intenſione amoris; quem qui habet, movetur contra illud omne, quod repugnat bono amici, illúdque repellit, & ea, quæ ſunt contra honorem, vel voluntatem Dei, repellere ſecundum poſſe conatur, juxta illud* 3. Reg. 19. *Zelatus ſum pro Domino exercituum.* Hic divini honoris zelus, & effectus amoris, in quibuſdam adeo vehemens fuit, r ut humano judicio inſana, & prorſus impoſſibilia, impotenti in Deum amore ſecta-

o Imago 1. ſect. lib. 3. c. 9. p Litt. Annuæ Venetæ 1653.

q S. Thom. 12. quæſt. 28. art. 4. r Exceſſus zelantium pro Peccatoribus.

rentur; quod fieri poſſe patet ex illo Ariſtotelis: ſ *Voluntatem eſſe impoſſibilium, ut immortalitatis*; & in eximiis ſanctis, ſtupendo divini amoris exceſſu, manifeſtum fuit. Hos inter ſeraphicus Doctor Bonaventura, t non unam vitam dare; ſed tot mortes ſubire optabat, quot ſunt animæ creatæ, ut vel unicam perituram Deo lucrifacere poſſet. Qualis, & quantus Moyſes fuerit zelator, ex eo manifeſtum eſt, quod non ſolùm omnem penuriam, omnem injuriam, omnem preſſuram, & perſecutionem tolerare paratus eſſet; ſed & Beatorum albo expungi, & inferorum cruciatibus addici præeligeret, quàm populum ſuum, quamtumvis ſceleratum, & ſacrilegum, perditum videret. Hinc ardens illa oratio: u *Obſecro, peccavit populus iſte peccatum maximum, fecerúntque ſibi deos aureos; aut dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Quis ex vobis exurgat Moyſes, qui dicat: *Obſecro Domine, peccavit populus tuus peccatum maximum, fecerúntque ſibi deos alienos*: hi Bacchum, illi deum Ventrem: alii Plutum, alii Venerem, & infamem Cupidinem adorant: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro vitæ?* quæ ut impoſſibilia, & incompaſſibilia ſint, tam ardentem Dei zelotem, viſione beatifica privari, & cruciatibus inferni addici, ut Origenes, Chryſoſtomus, Ambroſius exponunt x: tamen animarum periclitantium zelus, & amoris exceſſus, ut *peccatores videant*, tanti meriti eſt, ut Chryſoſtomus aſſerat, z hunc actum Deo gratiorem, quàm ſi quis graviſſimas in ſe ſuſcipiat auſteritates; per omnem vitam jejunet, in dura cubet, totámque ſubſtantiam effundat in ſinus pauperum: nam licet Moyſes magna & mirabilia prodigia operatus ſit, dum populum Iſrael è ſervitute Ægyptiaca liberavit, tamen, magno teſte Chryſoſtomo, hac ardentiſſima precandi pro delictis populi ratione, & ſui oblatione; omnium quæ fecit operum, longè maximum, præſtantiſſimum, ac Deo gratiſſimum exercitavit: a *Nullum*, inquit Gregorius, *omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum.* Huic non inferior, ferventiſſimus Pauli zelus, qui & ad hunc Divini amoris exceſſum devenit, ut optârit *b anathema eſſe à Chriſto pro fratribus*, hoc eſt, à Chriſto, quem ardentiſſimè amabat, ſeparari; imò & in gehennam detrudi præoptabat potius, quàm anima periret. Chryſoſtomus: c *Quid ais, ô Paule, à Chriſto, qui à te deſideratur: à quo te nec cælorum Regnum, nec gehenna ſeparabat, neque ea quæ videri, neque ea quæ cogitari poſſunt; ab hoc nunc precaris anathema eſſe?* & carere æterna beatitudine, & inferni tormentis addici: *Optabat*, inquit, *in gehennam mitti, & judicium obire perpetuum pro eorum ſalute, à quibus fuerat lapidatus. Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat pro fratribus*, id eſt, vitam hanc mortalem;

ſ Ariſt. 3. ethic. c. 2. t Barrii ſolitud. pag. 645. u Chryſoſt. hom. 16. in Epiſt. ad Rom. c. 9. Exod. 32. v. 31. x Corn. hic.

z Chryſoſt. hom. 79. in Gen. a S Gregor. lib. 1. in Ezech. hom. 12. b Ad Rom. 9. v. 3. c Chryſoſt. hom. 16. in Epiſt. ad Rom.

quam

quam charitatem narrat Nierenbergius *d* in Patre Joanne Gonżaler exarſiſſe, qui videns hominem peccatorem ſine ſenſu, & abſque peccatorum confeſſione, animam acturum, obtulit inter celebrandum vitam propriam, pro anima moribundi, fitque voti compos: nam peracto ſacrificio certus divinæ acceptationis, ad hominem reviſit, reperitque ad mentem rediiſſe, & quod plus eſt, cum deteſtatione ſcelerum: audit confeſſionem, & impertitâ abſolutione, Joannes domum reverſus, lethali morbo corripitur, brevíque inflammatam charitate animam, Deo in holocauſtum, pro peccatore converſo, obtulit. Quæ oblatio vitæ temporalis, ut nobiliſſima ſit; longè tamen altiùs eos conniti, qui fruitionem vitæ æternæ, ac ſummæ beatitudinis, unius peccatricis animæ converſioni poſtponunt, ſeque inferorum flammis, ut eam illis eripiant, voluntarias victimas litare parati ſunt, apud omnes in confeſſo eſt. Quis ſatis admiretur, & appretietur ecſtaticum illud divæ *e* Catharinæ Senenſis deſiderium, quo dilectum Sponſum ſuum rogabat, ut poni poſſet ſuper os inferni, ut vel objectu corporis ſui, peccatoribus aditum obſtrueret? hos animos, hos auſus virgo, ſtupenda quadam viſione concepit: *f* precibus ſuis & lacrymis Catharina à Deo impetrârat ſalutem feminæ peccatricis, cujus animam vidit cœlos aſcendentem tanta venuſtate, ſplendore, ac pulchritudine conſpicuam, ut nulla lingua humana explicare queat: audivítque Chriſtum hæc ſibi dicentem: vides filia mea, quàm juſtum ſit hominem quidlibet perpeti, ad unam animam ſalvandam, & creaturam tam nobilem æternis tormentis eripiendam, ob quam ego tanta ac talia perpeſſus ſum. Quid vobis facere par eſt, ne tam nobilis anima, tanti redempta in æternum pereat? hæc verba, & hæc pulchritudo animæ, ita inhæſit menti Catharinæ, ut poſtea faſſa ſit beato Raymundo, Confeſſario ſuo: Pater, ſi vidiſſes pulchritudinem animæ unius, pro certo habeo, quod libenter centum mortes ſubires, ad unam ſalvandam; hæc porrò eſt illa numeris omnibus abſolutiſſima Dei imago, Coâ Apellis venere, eburneâque Phidiæ Minervâ longè nobilior, quam à tartareo incendio vindicatam, ac ſervatam, divinus artifex magis voluit, quam Adonidem ille apud Cypros. Hæc illa venuſtiſſima Rachel, cujus gratia non quatuordecim dumtaxat anni, ſed 33, perpetuis laboribus, exantlati, vix paucorum dierum videbantur, præ amoris magnitudine. Hæc illa ovis perdita, quam tanto labore, ſudore, & ſanguine bonus Paſtor è faucibus lupi eripuit. His aliíſque ſtimulis ſancta Thereſia concitata, in hæc ardentia divini amoris deſideria prorupit: *g* *Quale mihi damnum, aut cur conqueri debeo, licet uſque ad extremum judicii diem pœnas*

d Nierenberg. doctrinæ aſcet. pag. 50. e In vita. f Pennequin amour divin. part. 3. c. 28.

g Marchant, virga Aaronis Tom. 4. lect. 1.

purgatorii ſuſtinere me oporteat, modò per illas conſequar, ut vel unica animula ſalvetur? quanto ergo magis, ſi agatur de plurium animarum lucro, id vereri nequaquam deberem. O ſi veſtris oculis divina illa metamorphoſis objiceretur, qua anima peccatrix, Chriſti ſanguine lota, candore gratiæ perfuſa, & veſtitu charitatis aureo amicta condecoratur, nullos non pro ejuſmodi converſione cruciatus, jejunia, flagella, tormenta ſuſcipere reformidaretis. Teſtis iterum beata Magdalena de Pazzis, *h* quæ ex deſiderio magno juvandi animas, præter ordinarias afflictiones, & pœnitentias, quibus ſe enecabat, petebat à Deo infirmitates, pœnas & tribulationes, & omnia mala pœnalia, quæ peccatores merebantur, & obtulit ſe Deo etiam ad ferendas inferni pœnas, ſi hæc eſſet ejus voluntas, pro animabus. Deus autem ſæpe eam exaudivit, immittendo graves dolores & infirmitates, quæ per hebdomadas & menſes durabant; & dicebat, hæc pati, eſſe ſibi ſolatio; & vocabat id pœnam glorioſam. Sic Sanctimoniales clauſtro ſeptæ, ſic vos viri, & fæminæ, vos juvenes, & puellæ, Deo animas lucrari, & gratiſſimum ei ſacrificium offerre poteſtis orando, plorando, afflictando vos, *ut cæci videant*, & lumine vobiſcum perfruantur æterno.

h. In vita 4. part. c. 99.

DIES

DIES SECUNDUS ANTECINERALIUM SEU BACCHANALIUM,

Intelligite INSIPIENTES *in populo, &* STULTI *aliquando ſapite.* Pſal. 93. v. 8.



INSANIRE *libet.* Virg. Ecl. 3.

ARGUMENTUM.

DE ſtultis olim ſapientiſſimus mortalium: *i* STULTORUM *plena ſunt omnia*; quod ut paſſim parado-

i Eccl. 1.

xum

xum habeatur, cùm in omni genere hominum, viros ſolertes, induſtrios, catos, reperire ſit; hoc tamen *Bacchanalium* tempore, neſcio quî fiat, ut cuilibet inſanire libeat; quando & in ſago, & in toga, & in curia, Catones reperire ſit,

k *Qui Curios ſimulant, & BACCHANALIA vivunt:*

Hæc autem à gentilibus urbe & orbe proſcripta, à Chriſtianis aſſumpta, & ritu duplici celebrari, eminentiſſimus doctrina & ſanctitate Cardinalis Bellarminus pro rei indignitate, graviſſimè execratur. Dixerit olim & verè Poeta:

Semel INSANIVIMUS *omnes*,

cum primo humani generis parente, qui pomo paradiſum vendidit; ſed filios caſu ſtulti parentis edoctos, luce gratiæ ad ſaniorem mentem redactos, rurſus non ſemel, ſed ſæpius, ſed ſemper, & ſponte inſanire, quis tolerandum putet? Hac tamen ſtultorum navi omnes ebrio, avari, ſi ſuperbi, luxurioſi, larvati navigant. *InanIs ILLa MVnDI ſtVLtItIa*, qualis illorum, qui arcu, inani utero inſetro, ſe oblectant. Hos ut confundant, alii ſancta quadam inſania, *ſtulti* facti ſunt *propter Chriſtum.*

§. I. QUASI PER RISUM STULTUS OPERATUR MALUM. Prov. 10. *ut ebrioſus, avarus &c.*

§. II. *Tertia ſtultorum claſſis eſt, quos ſuperbia, & ambitio dementavit, qui* DICENTES SE SAPIENTES, STULTI FACTI SUNT. Ad Rom. 1. v. 21.

§. III. *Supereſt Actus ultimus, qui hiſce diebus ſolemniſſimus, & totus ex larvatis, perſonatis & morionibus conſiſtit.*

§. IV. *Quinam* STULTI PROPTER CHRISTUM? 1. Cor. 4. v. 10.

k Iuvenal. Sat. 2.

DIES

DIES SECUNDUS ANTECINERALIUM
SEU
BACCHANALIUM.

Intelligite INSIPIENTES *in populo, &* STULTI *aliquando ſapite.* Pſal. 93. v. 8.

Cynicus ille Philoſoph. l *ſtulti ſapiens imitator,* dum jam ſupremum ſpiritum duceret, hoc teſtamenti tabulis cautum volebat, ne ſe ſupinum, quemadmodum ceteros mortales; ſed pronum, dorſo cœlum verſus tumularent; hanc nonnemini tam inſolentis ſepulturæ cauſam ſciſcitanti, reſpondit: *Univerſam orbis machinam inverſam eſſe* m; *confidere ſe tamen, aliquando mundum adeò perverſum, rurſus convertendum; tum porrò aliis in terram pronis, ſe os, oculóſque in cœlum erectos habiturum.* Quod olim Diogenes de ethnicis, id enimverò non ſine gemitu, & fremitu, hoc perditiſſimo ſæculo fatendum eſt. univerſum orbem Chriſtianum perverſum, & inverſum eſſe. Inverſi mores, veſtes, amores, jus, ratio, totus homo inverſus. D. Bernardus, n *ad cujus laudem minus eſt, quidquid ab homine dici poteſt,* ejuſmodi homines deſcribens: o *more,* inquit, *joculatorum & ſaltatorum, qui capite miſſo deorſum, pedibuſque ſurſum erectis, præter humanum uſum, ſtant manibus, vel incedunt, & ſic in ſe omnium oculos defigunt.* Sic indies in triviis videre eſt, quoſdam erectis in cœlum plantis, vertici inſiſtere: qui dum jure ridentur, indignum eſt, plurimos eſſe, qui imitentur, ut Poëta Belga cecinit:

Die daer haer voten ſteken op,
En ſtaen op d'aerde met den kop,
Syn wy die van ons ſin berooft,
In d'aerde vroeten metten hoft:
En geven aen het hoogſte goet,
Schier niet, alſt hol van onſen voet.

Hæc inverſa cerebella, inverſi ſenſus, inverſi mores, inverſus mundus, numquam clariùs videndus, ridendus, & deſpiciendus eſt, quàm hiſce tribus Bacchanalium diebus: Numquam enim plures in orbem calices vertuntur, numquam plura capita in ſympoſiis, in choreis, in rhedis, per gyrum *a la mode* vertuntur; quin & menſæ, & terra, & tecta, omnia deniq; hiſce Bacchi nepotibus invertuntur; hos uti Rom. Philoſophus ſuis coloribus depinxit: p *adjice,* inquit, *illam* igno-

l Ovid. 2. faſt. m De verkeerde Werlt. n Henric. à Gandavo de ſcript. Eccl. o Bernard. Epiſt. 87.

p Seneca Epiſt. 83.

ignorantiam ſui, *dubia*, *&* *parum explanata verba*, *incertos oculos gradum errantem*, VERTIGINEM CAPITIS, *tecta ipſa mobilia*, *velut aliquo* TURBINE CIRCUMAGENTE TOTAM DOMUM. Hanc ex inſana temulentia vertiginem Poëta Aquinas quoque luſit:

q *Cum perfuſa mero ſpumant unguenta falerno*,
Cum bibitur concha, *cum jam* VERTIGINE TECUM
AMBULAT, *&* *geminis exſurgit menſa lucernis.*

Sed hoc maximè deplorandum, & execrandum; nemo ſibi cerebrum inverſum, nemo ſe mente captum, nemo ſe inter *ſtultos, qui in circuitu ambulant*, cenſeri exiſtimat. Quapropter ut ſuam quiſque ſtultitiam, & inſaniam intueri ſéque prorſus ſtultum, ac fatuum fateri queat, utar ingenioſo tractu pictoris: r hunc cum Antwerpiæ mercator quiſpiam poſceret, ut ſe ad vivum delinearet, duodecim aureorum ſummam pollicitus; ſi picturam ex arte, ſibique ſimillimam expreſſiſſet: hominem ad unguem adumbravit, atque ut ovum ovo in tabula ſibi ſimilem reddidit Mercator quamvis ſe in effigie amaret, ut genio erat tenaciori, ne pretium condictum ſolveret, artem & induſtriam pictoris illuſit, dicens, nihil in hoc ectypo, ſui prototypi agnoſcere, atque adeo ſuam ſibi tabulam aſſervaret, nihil ad ſe ſpectare. Pupugit non leviter pictorem (cui ejuſmodi imagines nulli uſui ſunt) Mercatoris reſponſio, & artis exploſio; quare ut ſ *facit indignatio verſum*, t *miſeriſque venit ſolertia* rebus, ingenio non minus, quàm penicillo promptus, ubi hominem pacificè à ſe dimiſerat, vultum in tabula, cucullo morionis, nolulis hinc inde dependentibus, optimis coloribus cinxit, & pinxit, atque ita publicè venalem tabulam expoſuit: in hanc omnium tranſeuntium oculi conjecti, & digiti extenti, cum mille ſannis, & ludibriis: quàm aptè hic morio mercatorem illum refert, en ille mercator ſtultus. Qui rumor, ut ad aures ejus pervenit, irâ fremens ad judicem compellare, injuriarum agere: comparet pictor: pactum initum exponit, rejectam à mercatore tabulam, aſſerere, quod non referret, liberum ſibi eſſe hiſtriones & moriones pingere; hanc autem picturam illum vere aſſimilare vel non? ſi non, nihil habere illum, quod de injuria queratur, aut ſibi attrahat; ſi ex communi omnium judicio, imò & ipſius proprio, qui de injuria expoſtulavit, hominem expreſſi, pretium, quo convenit perſolvat, & ſibi tabulam habeat. Sic æquiſſimè judicatum, atque ipſe mercator ſeipſum, quem antea noſcere nolebat, habitu ſtulti, & morionis depictum, agnoſcere convictus, & confeſſus eſt. Haud aliter nos hodie homines (t) ebrios, mente captos: avaros, fatuos: ſuperbos, inſanos: amantes, amentes: atque omnem peccatorem, ac Bacchantium populum, ſtultum ac fatuum eſſe, more ſtultorum, & fanaticorum adumbrabimus, ut ſeipſos intuentes, inſaniam & amentiam ſuam intueri, & fateri poſſint,

q Iuvenalis Sat. 6. r Democritus ridens ſ Iuvenal. t Ovid.

(t) Sat, ſot, vreck. geck, overſpelder, of merſpelder.

ex

ex voto Pſaltis Regii: u *Intelligite* INSIPIENTES *in populo*, *&* STULTI *aliquando ſapite.*

Eminentiſſimus doctrina, & vitæ ſanctimonia Cardinalis Bellarminus, x inſana hæc Bacchi Orgia, ab Ægyptiis primum celebrari cœpta, deinde à Græcis, ac Thebanis frequentata; tandem trans Alpes Italiam, ipſámque orbis caput Romam invaſiſſe tradit. Quod de Saturnalibus, menſe Decembri Romæ celebrari ſolitis, ſcribit Seneca: *y December eſt menſis, cùm maximè civitas deſudat: jus luxuriæ publicè datum eſt: ingenti apparatu ſonant omnia; adeò ut non videatur mihi erraſſe, qui dixit olim, menſem Decembrem fuiſſe nunc annum*; hæc porrò feſta non ad Decembrem duntaxat; ſed & ad Januarium, & Februarium, ac annos integros, compotationibus, ſcortationibus, fædis ludis, & obſcænis ſpectaculis agebantur. Verùm, ſi beato Auguſtino credimus, z ubi Senatus Romanus hanc inſaniam, & effusâ licentiâ juventutem omnem corrumpi, virgines proſtitui, omnia jura divina & humana violari animadvertit, poſt aliquot annorum ſpatium, ita illorum ſacrorum, vel potius ſacrilegiorum turpitudinem erubuit, ut urbe, & ditione ſua, publico edicto ſanctè & ſeverè proſcripſerit. At quis credat hanc amentem furiam, has Mænades, inſana hæc Bacchi feſta, poſt Chriſti tempora, à Chriſtianis, omni cultu, ac celebritate excepta fuiſſe? ita inquit Bellarminus (qui Romæ vixit, & ſcripſit, & in Belgio dixit) neque petitâ venia ab Epiſcopis, neque ſapientum conſilio exſpectato, iterum bacchanalia catalogo feſtorum adſcribere, & dies feſtos (clauſis officinis, ac ſi Paſcha eſſet) agere ac celebrare cœperunt. Verum talis moderatio primis temporibus adhibebatur, ut Bacchi *feſtum*, omnino *ſimplex* eſſe videretur: non totas noctes ludebant, non per plateas diſcurrebant, non larvas induebant, non choreas ducebant, non aliud denique faciebant, quod Chriſtianum, hoc eſt ſobrium hominem dedeceret: ſolùm enim parumper animos relaxabant, & ſi quid ad ſolitas epulas, & potiones addebant, omnino modicum erat. Et ſi quidem hoc malum non longiùs progreſſum fuiſſet, neque fines cujuſdam moderatæ remiſſionis tranſiviſſet (tametſi laudandum, ac probandum non erat) tamen utcunque ferri, ac tolerari potuiſſet. Verùm poſt aliquot annos, *feſtum ſimplex ſemiduplex evaſit*; *poſtmodum etiam duplex. Acceſſerunt veſperæ duplices, acceſſit octava*, acceſſit ſolemnitas quædam peculiaris; denique præter vigiliam, & jejunium, id omne, quod habent cetera feſta celebritatis, acceſſit. Jam verò ita celebre factum eſt, ut ſe hominem non putet, qui his diebus multò liberiùs, ludis, joco, cibo, potui, quàm alioqui ſoleret, non indulgeat. Tandem concludit: *Atque ad id jam inſaniæ in toto penè Chriſtiano orbe deventum eſt*, ut non immeritò Mahumetanis, & Agarenis, ludibrio ſimus: Ecce inquiunt, qualis eſt natio Chriſtianorum: nunc uſq; ad fauces ventrem, & ſtomachum replent: nunc

u Pſalm. 93. x Bellarm. conc. 20. Dquinquag. y Seneca Epiſt. 18. z Bellarmin. cit.

nunc ineđiâ ſemetipſos cruciant. *Hodie tanquam inſani bacchantur per urbes*, poſt duos dies cinere caput aſpergent, templáque, & aras religioſiſſimè frequentabunt. Spectâſſe illum hic exiſtimem, ad illam Chriſtianorum inſaniam in ruborem noſtrum, ab ipſis Turcis irriſam, vituperatam, ac damnatam, quam eruditiſſimus ſacrarum litterarum interpres, ad illa verba Jeremiæ: *Recordata eſt Jeruſalem dierum afflictionis ſuæ, &c. Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbatha ejus*, uberrimis digniſſimam lacrymis commemorat: *a* Riſit, inquit, & ſubſannavit Legatus Turciæ; Bacchanalia Chriſtianorum: dum enim Romæ (ſeu, ut alii, Pariſiis, apud Regem Galliæ) circa hæc tempora commoratus fuiſſet, ubi ad Imperatorem ſuum rediit, rogatus quid novarum rerum apud Chriſtianos ſpectaſſet? vidiſſe ſe ajebat omnes Chriſtianos toto triduo inſanos, adeóque de poteſtate mentis dejectos, per omnes urbium plateas undique circumcurſâſſe: quos niſi vidiſſet, eoſdem non crederet, quos deinde feria 4. Cinerum ad ſobriam mentem redactos, cinere aſperſos caput, *mira metamorphoſi, ex ſtultis ſapientes*, ex petulantibus modeſtos, ex laſcivis caſtos, conſpexerat. Jurâſſes omnes helluones, lenones, lurcones, moriones, larvatos, lymphatos urbe exulâſſe, & alium populum verè Chriſtianum ſubintrâſſe. Quod ne urbi noſtræ, ac orbi Chriſtiano dedecus inuratur, ut ipſis Turcis, Mahumetanis, Agarenis, & vicinis, ac hic ſtantibus hæreticis ludibrio ſimus, non eos duntaxat

a Fabri feria 4. Cinerum. conc. 5.

ſtultos proponam, qui lymphati, ac larvati, bacchantium more, & ore, hiſce lupercalibus diebus circumcurſare conſueverunt; ſed & crapulâ, ac temulentia de ſede mentis dejectos: avaros auro incubantes, inſanos: carnis amantes, amentes: iracundos, mænadum inſtar furentes: ſuperbos omnes, ſtultos: omnem denique peccatorem, ſtultum eſſe contendam, ut tandem aliquando *ſapere, ac noviſſima providere* condiſcant.

§. I.

Quaſi per riſum, Stultus *operatur malum.* Proverb. 10. v. 23.

JUre quis paradoxum dixerit, & incredibile duxerit illud Principis oratorum: Stultorum *plena ſunt omnia*; cùm & in foro mercatores, in lycæo Philoſophos, in curia Cauſidicos, in Senatu Conſiliarios, in Regno Dynaſtas, & Miniſtros reperire ſit, qui & ſcientiâ & prudentiâ & rerum agendarum peritiâ, atque experientiâ polleant quàm plurimum; nihilominus prima & infallibilis veritas ſic de ſtultis per Sapientem diſſerit: *b* Stultorum *infinitus eſt numerus*; quaſi verò, ubi oculi inciderint, nil niſi ſtultos, & amentes contemplentur: domus, plateæ, forum, curia, gymnaſia, monaſteria, urbes, regiones, orbis univerſus, ſtultorum plenus eſſet. Quod profectò nemo quiſquam demirabitur, aut inficiabitur, qui omnes *ſapientiâ* mundi, & carnis imbutos, quæ *ſtultitia* eſt apud Deum

b Eccl. 1.

hoc eſt

eſt, c peccatores omnes, fatuos, & amentes in animo ſuo judicârit. Nihil frequentius in ſacris litteris, quàm ut peccatores, ſtultitiæ vocabulo notentur. Exempla ſunt in promptu. Deuteronomii 33. d *Hæccine reddis Domino, populе* STULTE, *&* INSIPIENS? Huſſæus vates: e *Vidi* STULTUM *firmâ radice, & maledixi pulchritudini ejus ſtatim.* Pſaltes Regius: f *Vir* INSIPIENS *non cognoſcet, &* STULTUS *non intelliget hæc.* Et alibi: g *Dixi iniquis, nolite iniquè agere.* In Hebræo: *Dixi* STULTIS, *nolite* STULTESCERE. Eccl. 27. h *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol: nam* STULTUS *ſicut luna mutatur.* Iſaias cap. 19. STULTI *facti ſunt Principes Taneos.* Jeremias cap. 4. i STULTUS *populus meus, me non cognovit.* Diſertiſſimè Sapiens, Proverbiorum cap. 24. k *Qui cogitat mala facere,* STULTUS *vocabitur.* Ex quibus manifeſtò colligitur, ſtultitiam non eſſe illam tantum, qua homines aliena à mente loqui, vel abſona à ratione agere conſuevêre; ſed qua ſcelus, aut peccatum facere meditantur, ut Doctor maximus exponit: l *Ne putares* STULTUM *æſtimandum fuiſſe eum, quem hebetem, tardúmque ingenio videres, palàm oſtendit, quia ille* STULTUS *ſit vocandus, qui vel cogitatione peccati ſuggeſtioni conſentit; tametſi acer ingenio videtur exiſtere*: ſua itaque quemque vitia, ac peccata, de ſede mentis deturbant, ac ſtultum reddunt. Quod ab ipſo eloquentiæ Principe didiciſſe non pudet, qui oratione in Piſonem, ſic diſſerit: m *Sua quemque fraus, ſuum ſcelus, ſua audacia, à ſanitate, ac mente deturbat.* Quę ut prolixiùs proſequamur, cùm teſte Seneca, n *omnes* STULTI *mali ſint*, ſtultorũ inter ſe, & malorũ proprietates cõferem9.

o Ac primùm quidem Doctor Angelicus: p STULTITIA *importat hebetudinem ſenſus ſpiritualis*; FATUITAS *verò totalem ejus privationem.* Non intelligit ſtultus, quid divinum: nullos actus fidei, ſpei, charitatis, religionis, contritionis elicere poteſt: nullum ſenſum pietatis habet. Secundò docet Romanus Philoſoph. q *nec infantes, nec pueros, nec* MENTE LAPSOS, *timere mortem*; ſtulti, & amentes, nil timent. Idem peccatori accidit, ut rectè D. Chryſoſtomus annotavit, dicens: r *Initium, inquit Eccleſiaſt. ſapientiæ, timor Domini; quod ſi ita eſt, malus, qui Dei timorem non habet, ſine dubio non eſt ſapiens; qui hac vera caret ſapientia,* STULTISSIMUS EST. Qui mortem æternam non timet, STULTISSIMUS *eſt*: qui ignem inferni inextinguibilem non timet, STULTISSIMUS *eſt.* Tertiò, habet hoc inſuper peccator, cum ſtulto, & phrenetico commune; quod in miſera ſua veſania geſtiat, & gaudeat, ſibíque applaudat, ut idem Antiochenus Præſul copioſè exponit ad illa verba Apoſtoli: *Mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes*; ubi ſic diſſerit: ſ *Oſtendit in ipſa voluptate, ſupplicium reſidere. Quod ſi minimè perſentiunt; ſed delectantur, nil mirum tibi ſit: etenim qui*

c Omnis peccator ſtultus. d Deuter. 33. v. 6. e Iob. 5 v. 3. f Pſal. 91. v. 7. g Pſal 74. v. 5. h Eccleſ. 27. v. 13. i Ierem. 4. k Proverb. 24. v. 8. l Hieron. in Proverb. c. 24. v. 8.

m Cicero, orat. in Piſonem. n Senec. lib. 5. de benef. c. 15. o Proprietates ſtulti, & peccatoris. p S. Thom. 22. q. 8. art. 6 q Sen. Epiſt. 36. r Chryſoſt. hom. 40. in c. 5. Ioan. ſ Chryſ. hom. 4. in c. 1. ad Rõ.

IN-

INSANIUNT, *ac* PHRENESIM *patiuntur, ii certè multas, & eas miſerandas in ſemet injurias dum inferunt, ob quæ facta aliis lacrymas cient, ob ea rident ipſi, & inſoleſcunt.* Quod ſi hi veſani, & phrenetici, aliis lacrymas movent, quantò uberioribus digni ſunt, qui ſuâ malitiâ, & voluntate inſaniunt? quantò veriùs flendi, quos hiſce diebus bacchantes, cachinnantes, ſaltantes, potitantes ſtultorum more conſpicimus? de ejuſmodi Seneca: t *Hilari* INSANIA INSANIUNT, *ac per riſum furunt.* Longè profectò hos miſeriores dixeris, quos voluntaria vexat inſania. Neque ſatis me dixiſſe arbitror ad comprobandam apertam veritatem, niſi attulero, quid in hac re ſenſerit Socrates, cujus ſententia plurimi facienda, utpote hominis in obſcura errorum nocte cæcutientis. Prædicabat is magnificè non minùs, quàm verè: v *Neminem ſcienter peccare*; rebatur quippe ſanitatem mentis, cum peccato non poſſe conſiſtere. Nemo ſanæ mentis, aureo uno cœleſtes theſauros, quò fur non appropiat, vendet. Nemo niſi ſtultus, pro brevi, & momentaneâ voluptate, ſeu lentis ſcutellâ, ingentia cœli patrimonia, & æternas delicias libens vendat. Amens ſit neceſſe eſt, qui ut iracundiæ ſuæ obſequatur, & de hoſte vindictam ſumat, vindicis Dei manum incurrere non reformidat. Hæc amentia voluntaria, & ſtultitia malitiæ, non excuſat à peccato, aut ſupplicio, à Deo vindice infligendo. In quem finem memorare lubet, quod Neapoli accidiſſe lego. x Accuſabatur ſicarius de illato lethali vulnere; cùm autem aditus omnis intercluderetur ad amovendum à reo crimen; tandem, ut judicis animum flecteret, qui perſonam agebat Procuratoris, & crimen minueret, ſicarium amentiæ accuſavit, & ut ſe ſtultum ſimularet, fortè induxerat. Judex verò extemplo hoc prudens reſponſum ſubjecit: *Et neſcis mei muneris eſſe, non eos qui ſapiunt, ſed qui* DESIPIUNT, *inflicto ſupplicio, ad meliorem frugem, & ſaniorem mentem revocare?* Deturbant quidem de ſanitate mentis flagitia; ſed quia voluntaria, culpam non minuunt, & pœnâ non eximunt: atque in ejuſmodi affectatam veſaniã exardeſcit vindex Deus. Infelix illa inſania, quæ dejicit de ſtatu mentis; non tamen à culpa excuſat. Quod docuit D. Hieronymus in illud Jeremiæ: Quia STULTUS POPULUS MEUS; ubi ait: *y* STULTUS *factus eſt populus, non natura, ſed ſtudio voluntatis* dementis; ſic omnis peccator ſtultus, non neceſſitate, ſed voluntate, qua veram ſapientiam, hoc eſt, timorem Domini, inſanis ſuis cupiditatibus poſtponit. Subinde moriones ob impudentius factum, regis indignationem incurrerunt; ſed rurſus reconcilitati, & ſupplicio exempti, quia natura, non ſtudio voluntatis ſtultè egerant. Morio Henrici IV. Galliarum Regis, qui non ſemel in ſcenam datus, cùm, neſcio quo, impudentiæ tractu, Regem offendiſſet, in carcerem conjectus eſt; quo ut ſe expediret, conſultum fuit, ut ſe mortuum ſimularet: in ſandapilam itaque compoſitus: omnes mo-

t Seneca de vita beata c. 22. v Cœlius Rhodig. in lib. 29. lect. antiq. c. 13. x Boterus lib. 1. de dictis memor.

y S. Hieron. in Ierem. c. 4. v. 22.

riones ad exequias convenêre, cúmque funebris pompa efferretur, ſub id tempus, quo Rex ad ſacram ædem pergeret, ſciſcitatus quid ageretur; qui portabant funus, ſteterunt, dicentes: morionem ſuum efferri. Quod ut audiit, optarem, inquit, centum piſtolis illum ad vitam revocare poſſem: quo audito, ſimulatus mortuus è loculo proſiliens, ad pedes ejus advolutus, dixit: vivo Rex, gratias habeo pro 100 piſtolis, & magis, quàm antè, in deliciis fuit: quia *naturâ*, *non voluntate* ſtultè egerat. At tu, qui malitia ſtultus es, apud Deum z *inexcuſabilis es*, *ô homo*. Atque hæc hactenus in genere, omnem peccatorem ſtultum eſſe; juxta illud Euſebii Emiſſeni: a *Semper malitia cum* STULTITIA *conjuncta eſt*. Nunc cùm ejuſmodi STULTORUM *infinitus ſit numerus*, ne in infinitū procedamus è quaque claſſe, ut ad particularia deſcendamus, quoſque ſuis cucullis, & coloribus depictos inducemus.

Veteres olim Romani 16. Februarii celebrabant Februaria, quæ & Quirinalia, & Fornacalia dicebantur; ſed Plutarchus in ſuis problematis, ſignificantius illis nomen impoſuit, appellans b *feſtum ſtultorum*. Hac in claſſe, primùm cenſendi, qui hiſce diebus c Baccho conſecrant; bibones, & helluones, quíque rationis lumine extincto, ac vertigine acti, dies & noctes pergræcantur: ſi enim omnis mentis impos, ſtultus eſt; ebrius, & ſtultus eſt. Poëtarum commentum, morale documentum eſt, Polyphemum, virum giganteum, unum oculum in fronte geſtaſſe, quem dum Ulyſſes vino nigro, inebriaſſet, titione ardente extinxit: jacuitque

d *Monſtrum horrendum, informe,*
ingens, cui lumen ademptum;

Hoc enimverò de oculo mentis, ſeu lumine rationis, quæ ebrietate extinguitur, rectè dici, quis non videat? ſic porrò Seleucienſis Antiſtes: e *Homo ſe mentis lumine privat per ebrietatem*; quia ubi vinum ingreditur, ſapientia egreditur. Hic ſenſus, & ſententia omnium Theologorum eſt. Sanctus Thomas Doctor doctorum: f *Ebrietas*, inquit, *eſt peccatum mortale, quia homo volens, & ſciens, privat ſe uſu rationis, quo ſecundùm virtutem operatur, & peccata declinat*. Eruditè priſci, ut Carneades refert, g pingebant navim hederâ coronatam, navis medio ſedentem Bacchum inter potatores, aulœdos, fidicines, turbam hominum lætiſſimam; cùm tamen nec malum haberet, nec velum, nulli illic eſſent remiges, nulli remi, gubernator nullus; quàm vicina exitio, inter ſyrtes, & charybdes? Talis non inuſitato vocabulo, *tempeſtas commeſſationum*, hominem devehit, ac miſerè jactat, crimine, ac diſcrimine ſummo. De quo ſacrum proverbium: h *Et erit ſicut dormiens in medio mari, & quaſi gubernator amiſſo clavo*, quem ebrius, æquè ac ſtultus amiſit. Quot viri fortes ac validi, inſtar Polyphemi, qui in acie hoſti terribiles, hoc lumine rationis privati,

z Ad Rom. 2. v. 1. a Emiſſen. hom. de S. Blandina. Eccl. c. 1. b Plutarch. problem. 89. c Ebrii, ſtulti. Sot, ſat.

d Virgil. 3. Æneid. e Baſil. hom. contra ebrios. f S. Thom. 22. q. 150. art 2. in corp. Leſſius de jure lib. 4. c. 3. dub. 3. g Carneades apud Philoſtratum. l. 3. de imag. h Prov. 23.

vati,victi,ac vincti,& pueris non ſecus ac ſtulti,& moriones, ludibrio fuére? Quot gubernatores, quot Navarchi in hoc mari, & Euripo vini, clavum mentis & clavem oris amiſerunt? Quot Patresfamilias, tot hîc gubernatores, & navarchos intueor, quibus navis familiæ in portum ſalutis dirigenda eſt. E quibus, ſi quis ſero veſpere,aut intempeſta nocte, madido velo, & amiſſo rationis clavo, ad propria,multa vertigine, & ſigmate deductus revertatur, periculum naufragii præſens incurrit: *i* naufragium bonorum, naufragium in fama,naufragium in pace domeſtica, quódque præcipuum, naufragium animæ,& ſalutis æternę:atq;hunc curſum tenens,recta ad ſtyga enavigaturus eſt. Nunc unum hîc vos interrogo: Ecquis certiùs, ac ſecuriùs navim dirigeret, navarchus ſtultus,an ebrius? *die ſot is,of die ſat is*? A quo auriga quis veſtrûm vehi præeligeret,à ſtulto,vel ab ebrio? Exiſtimem ambos, æquè habiles fore,ut currum evertant: exiguum enim inter utroſque diſcrimen Attende,ſi libet,hujus,& illius greſſus,mores, actus, loquelam. *k Adjice illam ignorationem ſui,dubia,& parùm explanata verba,incertos oculos,gradum errantem, vertiginem capitis,&c.* hos inter ſe non diſcernes. Hoc optimus Magiſter morum Seneca tradidit, qui ut ebrietatis vitium urbi, & orbi eliminaret,inter cætera præcepta ſuggerit: l *dic, quàm turpe* (quàm ſtultum) *ſit,plus ſibi ingerere,quàm capiat, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram: quàm multa ebrii faciant,quibus ſobrii erubeſcant:*

i Naer Cales, met Scip van S. Reyn uyt k Seneca.Ep.83. l Seneca cit.

nihil aliud eſſe ebrietatem, quam VOLUNTARIAM INSANIAM;quæ profectò longè magis deteſtanda, & deploranda, quàm naturalis ſtultitia, & commiſeratione magis digni voluntariè ebrii, qui Deum graviter offendunt, quàm ſtulti, qui peccare non poſſunt: *Extende*,inquit, *in plures dies illum ebrii habitum: numquid de* FURORE *dubitabis? nunc quoque non eſt minor*, *ſed* BREVIOR INSANIA. Si quis indies ſe ad ebrietatem ingurgitet,*numquid de furore dubitabis?* Eſtque eo deterior furor, & pejor inſania; quod jam ſobrius,rurſus ſe,in eandem ſponte præcipitet. Quanta in familia crux,& cruciatus,puerum habere ſtultum, filium fatuum: quanta miſeria uxori, virum,qui per intervalla intemperiis agatur, impos mentis ſit, & totus inſaniat. *m* Pariſiis domus fuiſſe legitur, ubi omnes liberi, ſtulti naſcebantur; at longè gravior miſeria, acerbior cruciatus, (quem pauci non curant) filium habere,qui intempeſta nocte temulentus domum divertit: maritum habere, qui indies propè ebrius, tempeſtatem commeſſationis excitat, omnia turbat & deturbat: in conjugem, liberos, famulos, ancillas debacchatur. Nôſtis quod remedium huic malo ſagax mulier adinvenit? cùm adverteret maritum omnia bona abligurire, & nullo non die potum redire,ollas, & caccabos confringere, viciniam omnem inſanis clamoribus replere: ſemel occaſionem nacta,quatuor Alexianos advocavit,qui hominem jam altè ſtertentem, & *ſomno, vinóque ſe-*

m Binet.conſolat.ægror. c.9.§.4.

pul-

pultum, cum ſtorea, in qua jacebat, efferunt, & in ergaſtulum compingunt. Utque voluntariæ huic mariti inſaniæ uxor ludos daret, veſtes ſecum abſtulit, juſſitque ſtrato ejus imponi tunicam ſtulti, cum cucullo. Dictum, factum. Ebrius ubi crapulam edormierat, experrectus, palpat, circumſpicit, ubi gentium eſſet ignarus, ad feneſtram advolat, nullum effugium reperit, in antrum ſe compactum videt: veſtes quærit, non niſi morionis habitum conſpicit: atque è regione alios ſtultos, per cancellos proſpectantes advertit. Tum vociferari, tumultuari occepit; ſed fruſtra. Quid ageret? cum aliter non poſſet, ſtultum induit; jámque 24 horis vinum & crapulam digeſſerat, dum cænula illi porrigitur, poſt quam non opus lavare manus, ex pane arcto, & aqua brevi: jurabat, pultitabat, pejerabat per omnia ſacra & profana, per omnes Deos, & diras, ſe velle uxori ſuæ loqui: cui memorantes alii nunc eam domo abeſſe, nunc impeditam, denique dixiſſe nihil ſe cum ſtulto, furioſo marito, negotii impoſterum habere velle, imponebant. Tandem ad ſe, & ſobriam, ac ſanam mentem reverſus, inſanam ſuam temulentiam execrari, & ſanctè conteſtari, nunquam in omni vita ſe inebriaturum. His aureis promiſſis liber emiſſus; ab omni vino poſthac temperavit, veritus ne ſtultus, & furioſus, rurſus potus in carcerem conjiceretur, nunquam eximendus. Hos maritos, filios, famulos temulentia amentes, quos vulgus, & non rarò ipſi parentes rident, plus flendos, quàm mortuos, innuit D. Auguſtinus: n *ipſos*, inquit, FATUOS *videmus quos vulgo* MORIONES *vocant, ad cordatorum delicias adhiberi, & in mancipiorum æſtimatione, pretioſiores eſſe cordatis; tantum valet carnalis affectus etiam minimè* FATUORUM *delectatione alieni mali: nam cum homini jucunda ſit aliena* FATUITAS; *nec ipſe tamen talis eſſe voluiſſet: & ſi ſuum parvulum filium, à quo garriente talia pater lætus expectat, & provocat, talem præſciret futurum eſſe, cùm creverit, nullo modo dubitaret miſerabiliùs lugendum eſſe*(fatuum) *quam mortuum.* Cur ergo parens non magis lugendum ducat filium ebrium, quàm mortuum, cùm ebrius fatuus, & voluntarius inſanus ſit? Mitto hic, quanta iſtæc inſania ſit, ita temulentia, & ingluvie excedere, ut per plures dies, & ſtomachi, & capitis, & viſcerum doloribus, nauſea, cruditatibus, variiſque morbis divexentur, nec niſi longa inedia, ptiſana, julapiis, aliiſque amaris potionibus curandi ſint; ut horum morum peritiſſimus Doctor Mediolanenſis rectè monuit: o *uno die bibunt multorũ dierũ labores*, & dolores, quos Plinius p prolixo elencho enumerat. Huc ſpectat illud Senecæ: *ebrietas unius horæ* HILAREM INSANIAM, *longo temporis tædio penſat.* Quàm ſtultum eſt, hîc pauco tempore genio indulgere, epulari quotidie ſplendidè, optimo vino ad fauces ſeſe ingurgitare, & tantillo inſanæ voluptatis, eligere ardentiſſimam in æternum ſitim tolerare, & cum Epulone

n Aug. tom. 7. lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione c. 35. o S. Amb. lib. de Elia cap. 12. p Plinius lib. 24. cap. 22.

S in

in tormentis vel unicam ſtillam refrigerandę linguæ velle emendicare? Hæc expendite, & ſapere ab his ſtultis diſcite: nam ut monet rectè Doctor Seraphicus: q *ſapiens per alterius* STULTITIAM, *interdum fit eruditior.*

In alio ſtultitiæ extremo verſantur avari *r*, quibus nullum vinum meliùs ſapit, quàm quod in aliena menſa gratis propinatur. Viridi ceſpite caminus fumat, ne citò concremetur, interim oculos præ fumo extillant ſuos. Sapientior morio ille, qui uno faſce ſe totum annum calefaciebat, ſurſum, deorſúmque eum humeris ad ſudorem uſque geſtando. Sic ille apud Plautum:

ſ *Quod quiſpiam ignem quærat, extingui volo.*
Tum aquam aufugiſſe dicito, ſi quis petet.
Quin & folles infernè occludi jubet, ne aër expiret.

Nonnulli uſque eò profuſi, ut ubi par ovorum elixum eſt, aquam pauperi elargiri non vereantur, & ut Ambroſius ait: t *quando eis ovum appoſitum, queri ſolent, quod pullus eſſet occiſus*, qui inde proditurus. De his plura feſto S. Matthæi. Unam hîc eorum inſaniam proſequor. Ariſtoteles, illuſtri Auguſtini teſtimonio, v *vir excellentis ingenii*, lib. 2. Rhetor. c. 16. divitiæ, ait, *nihil fere aliud ſunt, quàm* FELIX AMENTIA: quibus dum mortales impotenter inhiant, quid mirum, eos amentes eſſe? Puerum, ut præfatus ſum, quandoque capite in verſo conſiſtere vidiſti, quò à tranſeuntibus nummum impetret: hoc avaritia facit in viris, quorum rationem invertit, ut ille cecinit: x *ſtultitiam patiuntur opes.* Idem argumentum proſequitur Seneca, dum quærit: y *quam tu nunc vitam dici exiſtimas* STULTAM? Reſpondet, eorum, *quos cœca cupiditas in nocitura, certè numquam ſatiatura, præcipitat.* Quis non *vitam* eos tum *exiſtimat* STULTAM, qui noctes & dies in ſudore vultus ſui laborant, ut pecunias acervent, & quamvis arcas auro oppletas habeant, non audent unum teruncium in uſus proprios expendere: ſed trepidi & anxii, ad omnem ſtrepitum, auro ſuo incubant? Ridendus meritò è genere morionum Achæus Callicon: z hic cum fortè vidiſſet Herum molli pulvino, plumis fulto indormiſcere, fictile vas, pulvinaris loco, capiti ſuppoſuit; verùm quia duritie offendebatur, paleis & plumis implevit, ut molliùs cubaret. *Riſum teneatis amici:* nonne æquè ſtultè tibi agere avari videntur, qui mollem culcitram auro replent, pecuniarum ſaccis indormiunt, & minus requiem, quàm Callicon capere poſſunt? Qualem Euclionem Venuſinus Vates deridet:

a *congeſtis undique nummis,*
Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Quis non ejuſmodi vitā dici exiſtimet ſtultam? Sapienter Romanus Philoſophus ſordidum argyrophilum hæc percunctantem inducit: b *Quid inter me* STULTUM,

q Bonavent. lib. de ſex aliis in prologo. r Avari, ſtulti, vreck, geck. ſ Plautus in aulularia. t S. Amb. lib. de Nabuthe. c. 4. v S. Aug. lib. 8. de civ. c. 12.

x Horat. l. 1. Ep. 18. y Seneca Ep. 15. z Beyerlink theat. litt. S. pag. 353 a Hor. Ser. l. 1. Sat. 1. b Sen. de vita beata. c. 2.

TUM, *& te ſapientem intereſt, ſi uterque habemus, quod volumus? plurimum: divitiæ enim apud Sapientem virum in ſervitute ſunt; apud* STULTUM *in imperio*; nec ſe ab iis poſſideri magis, quàm poſſidere animadvertit; quod ſanctiori ſtylo comprobat D. Cyprianus: c *Nec intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia; auro ſe alligatum teneri; porrò teneri* vinculis, nec ſe vinctum intelligere, an non prorſus inſani eſt? Rem ingenioſo apophthegmate exponit Joannes Boterus, quo Mediolanenſis eques deriſus eſt. *d* Hic legati perſonam gerens apud Florentinam Rempublicam, ditior ſanè, quàm ſapientior, torques ſuos aureos diebus ſingulis permutabat: Cúmque id Nicolaus Nicolinus animadvertiſſet, eo, quo pollebat ingenii acumine, cohibere ſe non potuit, quin ſtatim diceret ad explodendam vaniſſimi hominis dementiam: STULTIS RELIQUIS *una tantum catena ſufficit, ut in officio contineantur; hic eò uſque proceſſit* DEMENTIÆ, *ut vix pluribus teneri poſſit.* Mutato nomine, de te fabula narratur: parum enim eſt aurea, an ferrea catena vinciaris. Sed pergo porrò. Quis non manifeſtæ inſaniæ hominem arguat; qui vitam perdere malit, quàm è millenis aureis unum expendere? Quod Stobæus de Hermocrate ſcriptum reliquit: *e* hic cùm ex morbo decumberet, rationes ſubduxit, quantum ſibi in morbum, & medicos eſſet erogandum, ſi convaleſceret, cúmque nimii ipſi ſumptus viderentur:

Nunc mihi mors votum: dixit, & obriguit.

S. Aſterius, f *multos,* inquit, *ipſe novi, qui ſi medicina è pharmacopolio petenda, animam potius exhalent, quàm crumenam ſolvant.* Hanc ſordidiſſimam avaritiam vel ipſi gentiles intolerandæ inſaniæ arguerunt. Horatius hominem uſque eò auri tenacem, ut ne quid in potionem medicam expendere auderet, ſic notavit:

g *Quiſnam igitur ſanus? qui non* STULTUS. *Quid avarus?*
STULTUS ET INSANUS *Quid, ſi quis non ſit avarus?*
Continuò ſanus.

Sed miſſis profanis auctoribus, propoſitum ſacrarum litterarum, ac Sanctorum Patrum auctoritate ſtabiliamus. Regius Vates nomine ſtulti, & inſipientis, avarum deſcribit, qui genium ſuum defraudat, & pauperrimam ducit ſervitutem, ut poſt mortem acervi pecuniarum ad hæredem devolvantur, quem h *ignorat utrum* STULTUS, *an ſapiens* futurus ſit; Sic etenim ait: i *ſimul* INSIPIENS, *&* STULTUS *peribunt, & relinquent alienis divitias ſuas*; ſtulti planè, & inſipientes, quibus ſæpe nec proles, nec propinqui. *Quid tam* STULTUM, exclamat Salvianus l. 3. de Eccl. Cath. *quàm ut de ſuo aliquis non conſulat ſibi, & ut alium divitem faciat, ſeipſum damnet?* Quódque magis inſanum; hi ſtulti à conſimilibus prudentes nuncupantur, & laudantur; quaſi parſimoniæ ſtudioſi, attenti ad rem, in futurum proſpicientes, qui pomulum pro futura ſiti reſervant, liberis ſuis hæc axiomata tradant: *rap aen den Hoet, traegh aen de Beurſe*: celeres

c S. Cyprianus l. 2. Ep. 2. d Ioan. Boterus. lib. 1. dict. memorabilium. e Stobæus Serm. 10.

f S. Aſterius hom. de avaritia. g Horat. ſer. l. 2. Sat. 3. h Eccleſiaſt. c. 2. v. 19. i Pſal 48.

incapite aperiendo, tardi in burſa aperienda: anguſtis caminis larga cubilia extruuntur: *enghe ſchauwen, doen groote camers bouwen*, Et illud, ſi quis indies filum neat, annuè amiculum creat: *een drayken daeghs geſponnen, is een hemeken t' jaers gewonnen.* Et quamvis ſolaria frumento, cellaria vino redundent, famulis & ancillis os occludunt: *binden den ſack toe, eer hy half vol is*; ne micam mucidi panis in ſinum pauperis elargiuntur. Talis inter prudentes ſæculi, habitus ſtultus ille, de quo S. Lucas cap. 12. qui tantis opibus abundabat, ut neſciret, quid iis ageret, quò reconderet: *Et cogitabat intra ſe dicens: quid faciam? quia non habeo, quò congregem fructus meos. Et dixit: hoc faciam: deſtruam horrea mea, & majora faciam.* Quàm multi etiamnum hunc hominem catum, prudentem, circumſpectum, providum dictitarent, & æſtimarent, qui *habebat multa bona in annos plurimos?* Interim k *ſtultiſſimus virorum* exſtitit, qui unquam in terris fuit, ut patet ipſius æternæ Sapientiæ teſtimonio: l STULTE *hac nocte repetunt animam tuam à te, & quæ paraſti, cujus erunt?* in quem locum S. Thomas: m STULTE! *audi conveniens* TUÆ STULTITIÆ *nomen quod tibi nullus impoſuit; ſed ipſe Deus.* Si hic avarus Euclio, ipſius Dei judicio ſtultus nuncupetur, & judicetur; omnes ejus ſequaces ſtultos dicendos, & habendos, ac eadem fatali ſententia, STULTE *hac nocte, &c.* perſtringendos, in comperto eſt. STULTE, *hoc nocte*, hac hora, qua minime putaſti, *repetent animam tuam* à te, atque ex omnibus horreis, & cellariis, frumento, & vino redundantibus: ex cenſibus annuis, ex prædiis, ex fundis, ex ciſtis, & ſaccis auro & argento oppletis, nihil tecum auferes; & quæ tanto labore, & ſudore cum jactura animæ, & ſalutis tuæ, æterni, & ſummi boni, *præparaſti, cujus erunt?* ejus, qui morti tuæ inhiat, & vitæ fortè inſidiatur: ejus, qui bona tua tam ſtudiosè quæſita, tam anxiè ſervata, tam dolenter amiſſa, profuſo luxu, & prodigâ licentiâ brevi abliguriet, & dilapidabit. Ut pluribus n alibi dicemus.

Scitè Cardinalis Bellarminus: o Si conetur aliquis ſiſtere curſum fluminis, & multum laboret in aggeribus obſtruendis, *ſtultiſſimus ab omnibus judicabitur*: nam ſi ex una parte tranſitum obſtruat, & curſum impediat; alia via flumen erumpet, & nihilominus curret. Haud ſecus *ſtulti ſunt* omnes homines, qui flumen illud rerum ſæcularium retinere, atque à curſu impedire nituntur. Et quot ſunt, qui hoc agunt? numerari non poſſunt: p STULTORUM *infinitus eſt numerus.* Quid enim aliud cupiunt omnes avari ſuis uſuris, fraudibus, dolis, quàm aggeres facere, & flumen aureum, & argenteum retinere? *ſed* STULTI *ſunt*: nam dum ipſi uno in loco aggeribus uſurarum, & fraudium, exitum obſtruunt, per alia multa loca flumen erumpit; aliquid rapiunt fratres, aliquid miles, multum lites: ſæpe merces non diſtrahuntur, ſæpe naufragio hauriuntur, ſæpe etiam domi putreſcunt. Denique cùm omnia aſſervarint, mors cui nemo ter-

k Prov. 30. l Luc. 12. m S. Thom. hic.

n Feſto S. Matthæi. o Bellarm. conc. 10. in nativitate Dom. p Eccl. 1.

terminos poſuit, omnia abſumit. In hanc intolerandam inſaniam meritò inſurgit ſanctus. Valerianus: q STULTITIÆ *genus eſt, alios feciſſe lucrum, & ſibi paraſſe ſupplicium: nam ita dicit Apoſtolus: qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* O r *Stulti* mortales, *aliquando ſapite*, & eripite vos è laqueo diaboli, & ſupplicio ſempiterno. Dicit fortè quis veſtrûm cum ſtulto illo Euangelico: *Quid faciam? quia non habeo quò congregem*; Baſilium rectè conſulentem audiat: ſ *Quæris horrea? habes horrea, ſcilicet ventres pauperum*; in quem ſenſum divus Ambroſius: *Habes apothecas, inopum ſinus, viduarum domos, orphanorum, & infantium ora.* Denique ad ſaniorem mentem revocet vos ſevera illa, & vera Divi Auguſtini commonitio: t *Quæ eſt iſta aviditas concupiſcentiæ? cùm ipſæ belluæ habeant modum: tunc rapiunt, quando eſuriunt: parcent prædæ, cùm ſenſerint ſaturitatem. Inexplebilis eſt ſola avaritia divitum, ſemper rapit, & nunquam ſatiatur: nec Deum timet, nec hominem reveretur: non patri parcit, nec matrem agnoſcit, nec fratri obtemperat, nec animo fidem ſervat: viduam opprimit, pupilli rem invadit, liberos in ſervitutem revocat, teſtimonium falſum profert, res mortui occupantur; quaſi non & ipſi, qui hoc faciunt, moriantur.* Tum exclamat: *Quæ eſt iſta, rogo,* ANIMARUM INSANIA, *amittere vitam, appetere mortem: acquirere aurum, & perdere cœlum?* quod ſi auri ſacra fames, & ardor habendi inſatiabilis ſit, *quæ* EST ISTA INSANIA, ea appetere, quæ famem explere nequeunt? v *ſi avari ſumus, vitæ æternæ eſſe debemus avari, & talem vitam deſiderare, quæ non habet finem.* Si ſapere velimus, ſummi, & æterni boni, quod ſolum ſatiat, cupidi & avari eſſe debemus. Unde idem Doctor concludit: x *Quid tibi ſufficit, cui Deus non ſufficit?*

q S. Valerianus hom. 20. r Pſalm 93. ſ Baſil. hom. de divite. t Auguſtin. Serm. 25. de verbis Dom.

v Idem in Pſalm. 90. Serm. 3. x Idem Sermon. 29. de verbis Dom. y Superbi, & ambitioſi, ſtulti.

§. II.

Tertia ſtultorum claſſis eſt, quos ſuperbia, & ambitio dementavit, qui DICENTES SE SAPIENTES, STULTI FACTI SUNT. *Ad Rom.* I. v. 21.

SI quis veſtrum morotrophium aliquando adiit, aut cum ſtultis ſe oblectavit, is facilè advertit, y ſtultorum neminem humiliter de ſe ſentientem, demiſsè de ſe loquentem; ſed hic ſe è proſapia Farneſiana Cardinalem, ducem de Medina: alter è priſcis Cethegis, & primis patriciis, parentem exercitum duxiſſe contra Ottomannum, ſe de facto ducenta millia ſub ſignis habere: alius perſuaſum habet ſe Papam eſſe, & ideo omnibus grandi crucis ſigno bene precatur, & Jubileum ampliſſimum elargitur: alius ſe Cæſarem dictat, ſancit leges, diplomata mittit, quæ ſi riſu exceperis, baculo pro ſceptro ferit. Nec his limitibus contenti: fuêre, qui ſe Archangelos, qui ſe deos deprædicarent: novi Prælatum, qui ſe filium Dei ſanctè affirmabat, quem peritus medicus Deum Patrem ſe ſimulans, calice

prȩſentis potionis oblato,& ſumpto, ad ſaniorem mentem reduxit. At longè majori, & miſeriori inſania omnes animo ſuperbos faſtu turgidos, ſpiritu inflatos laborare, & ſacrarum litterarum monumenta, & SS. Patrum teſtimonia, & rationum argumenta evincunt. Ejuſmodi ſtultitiæ aurâ afflatum ſuperbiſſimum Luciferum inducit vates Iſaias, qui ſe ſupra omnes creaturas erigebat, dicens: z *In cœlum conſcendã, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo*; volebat ſe Dei filium facere, crededat ſe Deo Patri parem eſſe; verum ô Lucifer, a *arrogantia tua decepit te*; ubi rectè Chaldæus vertit: *Inſipientia tua deduxit te.* Quis non veriſſimum illud aurei oris oraculum duxerit: b *Magnum eſt elationis malum: non poteſt eſſe ſuperbus, qui* FATUUS *non ſit*; STULTITIA *verò plenus eſt ſuperbus.* in hoc ſtultorum numero, ſuperbiſſimum Angelorum, meritò ſtatuit Cyrillus Alexandrinus, loquens de Lucifero: c *Adeò puerili* STULTITIA *laboravit, ut Deus eſſe vellet, & quæ ſupra naturam ſuam erant,* DEMENS *animo fingeret.* Adam fictus è luto in ſimilitudinem Dei, cùm omnia ſciret, ut plura ſciret, deſipere cœpit, & à ſpiritu ſuperbiæ edoctus illud: *Eritis ſicut dii*, mente captus, pomo Paradiſum vendidit. Unde ſic luſit Hermannus Hugo:

d *Et pater, & mater, generis primordia noſtri,*
Maxima STULTITIÆ *ſigna dedêre ſuæ.*

Credite, poſteritas fatali vendita pomo eſt,
STULTIUS *hac aliquid venditione fuit?*

Quomodo autem humani generis parens, omni rerum ſcientia inſtructus, in eam ſtultitiam & amentiam prolapſus ſit, quibuſdam curioſis ingeniis, inquit Auguſtinus, ſcrutari placuit: qui inter ſtultitiam emotæ mentis, & voluntatis perverſæ non diſtinguunt: e *Multi ſibi videntur acutè proponere quæſtionem, qui dicunt: ſi ſapiens factus eſt primus homo, cur ſeductus eſt? ſi autem* STULTUS *factus eſt, quomodo non eſt Deus auctor vitiorum. Quaſi verò natura humana præter* STULTITIAM *& ſapientiam, nullam mediam recipiat affectionem, quæ nec* STULTITIA, *nec ſapientia dici poſſit. Tunc enim homo incipit aut* STULTUS *eſſe, aut ſapiens, cùm poſſet, niſi negligeret, habere ſapientiam: ut vitioſæ ſtultitiæ ſit voluntas rea. Sic infans nec* STULTUS, *nec ſapiens dici poteſt: eſt enim* STULTITIA *rerum appetendarum, & vitandarum non quælibet, ſed vitioſa ignorantia. Unde neque animal irrationale* STULTUM *dicimus: quia non accepit, ut ſapiens eſſe poſſit*; hac quæſtione diſcuſſa, ſubdit: *Superbia avertit à ſapientia*, qua ſola, dum ſimilis Deo eſſe, & ſapere vellet, ex Monarcha orbis, miſerum mancipium; & ex ſapientiſſimo ſtultiſſimus factus eſt. Unde alibi quærit? f *Quis eſt ergo ille* STULTUS, *qui tanquam luna mutatur, niſi Adam? anima quippe humana recedens à Sole juſtitiæ, eo magis magiſque obſcuratur*; & quò magis ſuperbi terris lucere ſtudent, cœlo obſcuriores redduntur.

z Iſaiæ 14. a Ierem. c.49. b Chryſ. hom 39. ad populum. c Cyrill. Alex. lib. 1. de adorat. d Hermannus Hugo pia deſid. lib. 1. embl. 2.

e Aug. Tom. 1. de lib. arbitrio. l. 3 c. 24.
f Auguſt. Epiſt. 119. ad Ianuarium c. 5.

Quàm

Quàm multi, potiſſimum qui è vili limo effecti, è tenui conditione emerſerunt, ſplendidius induti, rheda vecti, famulis ſtipati, ſe ſupra ſe, ſupra vulgus, ſupra nobiles, & magnates efferunt: dedignantur propinquos agnoſcere, vicinos ſalutare: neſciunt an pedibus, an capite ambulent. Quid ſtultius; g *Fortuna*, inquit Bernardus, *quos nimium fovet*, STULTOS FACIT. Alios lingua manifeſtos facit: non alius illis ſermo, quàm de nobilitate avita: ille Comes contingit ex parte proavi, ille Marchio ratione uxoris: ille Baroni cognat9 German9: filia nupta Nobili tali, illuſtri ſtemmate, nulli cedere debet; dum interim hujus parens vel avus (ut lippis & tonſoribus notum) vel auriga, vel vietor, vel piſtor, aut braxator, vel *hoc, quod dicere nolo*, fuit. Quid ſtultius? nónne hi diſcurſus ſimiles ſtultorum, quos ſupra commemoravi? h *Si ſingula verba*, ait Chryſoſtomus, *arrogantium in medium adduxero, cognoſci non poterit, verbáne ſint* STULTI, *an arrogantis: ita unum atque idem in utroq; vitium eſt.* Hoc typho ſuperbiæ, pleræque ſtultæ mulierculæ laborant, è quibus unam omniū riſui exponit Soretta lib. 9. c. 2. n. 9. Mulier, inquit, ambitioſa, cujus maritus per aureos gradus ſibi viam ad dignitatem ſtraverat, ut ab omnibus *Domina* compellaretur, finxit ſe catellum perdidiſſe, & conducto præcone, curavit in foro, in vicis, & triviis proclamari: *Periit catellus talis coloris, ſi quis invenerit, dirigat ad* DOMINAM N. *uxorem* DOMINI N. *habitantem in tali platea.* Quæ odia, rixæ, pugnæ, duella inter leviculos, & mundi ſtultos non orta ſunt, quòd debitis ſibi, ut putabant, titulis non compellarentur, aut ſalutarentur, in quos Claravallenſis apis ſic ſtylum, & aculeum ſtringit, Epiſt. ad Francos: k *Illi te dare diſcrimini*, INSANIÆ EST, *non virtutis, non audaciæ, ſed* AMENTIÆ *potius adſcribendum*; à qua ut avocet, ſubdit: *Habes nunc fortis miles, habes bellicoſe, ubi dimices*, abſque periculo, ubi & vincere gloria, & mori lucrum, pro cauſa Dei pro fide, pro vera & æterna gloria. Sed de his aliàs. *l*

Alii, quos litteræ ad inſaniam redegerunt, putant ſe ſolos, & ſupra omnes ſapere: ceteros omnes Philoſophos, Theologos, Mathematicos, Medicos, Juriſperitos, ut fungos, ſtolidos, blennos, bardos, deſpiciunt. Quid ſtultius? m *Qui ſibi placet*, inquit Auguſtinus, STULTO HOMINI *placet*; exaggeratiùs Bernardus: n *Qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit*, STULTO *ſe diſcipulum ſubdit*; adeò ut veriſſima ore omnium ventiletur parœmia, STULTOS SEIPSOS LAUDARE; quod irrefragabile Doctoris gentium confirmat teſtimonium: o *Dicentes ſe ſapientes*, STULTI *facti ſunt*. In quem locum S. Thomas adducit illud Hieremiæ 10. p STULTUS *factus eſt omnis homo ſcientia ſua, de qua ſcilicet præſumebat.* Tales illi, qui jactant memoriam ſuam, ingenium, talenta naturæ, parum gnari, quod Ariſtoteles pronuntiavit: q *Nullum magnum ingenium eſſe, ſine mixtura dementiæ.* Unde cuidam ſe jactanti,

g Bernard. lib. 2. de conſid. h Chryſ. hom. 20. ad Rom.

k Bern. Epiſt. 322. ad Francos l Vide lux Evang. part. 1. Domin. 10. poſt Pent. m Auguſtin. in Pſal. 122. n Bern. Ep. 87. ad Ogerium. o Ad Rom. 1. v. 22 p S. Thom. in Epiſt. ad Rom. cit. q Ariſt. & Seneca, de tranq. animi in fine.

quod univerſam Theologiam propugnaſſet, falsè, & ſapienter reſponſum eſt: non bene ſtuduiſſe *in capite firmiter.* Exclamare hic libet cum Seneca: r STULTISSIMUM *ſuperbia malum*! Huic malo Hipponenſis Doctor medicinam apponit: ſ *Sapientes & prudentes, dicentes ſe ſapientes,* STULTI *facti ſunt. Habes remedium à contrario: ſi dicendo te ſapientem,* STULTUS *factus es, dic te* STULTUM, *& ſapiens eris. Dic, ſed intus: dic, quia eſt ut dicis. Si dicis, noli coram hominibus dicere, & coram Deo non dicere*; nam paſſim dum quis ſeipſum laudat, dicunt *morionem ex manica proſpicere.* Quadrat hîc, quod alibi luſimus:

Credite, ſi vultis, mundus ſcatet undique STULTIS:
Navis STULTORUM *navigat omne forum.*
STULTUS *pro Chriſto, mundo eſt ſapientior iſto;*
Hoc quicumque capit, plus Salomone ſapit.

Quæ ſic vernaculè ſonant:

Den ſot kijckt uyt de mouw, en wort voor dwaes geacht
Die hier ſijn ſelven prijſt, en kittelt dat hy lacht.
Die s'werels ydelheyt, en alle ſotterny
Met Salomon verſoeijt, ſal wijſer ſijn als hy.

Sanè & Chriſtianè gentilis Philoſophus: *Si quando* FATUO *delectari volo, non eſt mihi longè quærendus: me rideo.* In aulis Principum moriones ſunt ad delicias & oblectamenta Dominorum: ſi tibi volupe eſt cum fatuo agere, non apud Anticyras quærendus eſt non tantum eſt apud te, ſed tecum, imò in te; quia es ipſe tu: nam ut inter ſapientes ſanctiſſimus, & inter Sanctos ſapientiſſimus Auguſtinus: t *Nihil eſt* STULTIUS, *quàm ſi ſeipſum quiſque palpet, ac ſeducat.* Alii jactant vires, formam ſuam, ac liberorum, quodque ſtultius; opera ſua bona, velut tubâ enuntiant, ut plauſum populi aucupentur, & Sancti nuncupentur; in quos appoſitè Antiochenus Præſul: v *Attende, & videbis nihil humilitate altius, nihil arrogantiâ depreſſius, nihil* STULTIUS, *quàm cum Phariſæo ſe laudare.* Quid tam demens, quàm Dei improbari judicio, ut ab hominibus lauderis? an non delirantis animi conſilium eſt, incerta mortalium ſuffragia, futiles hominum opiniones, errantis vulgi exiſtimationem, præferre veris, & æternis honoribus, ac gloriæ immortali? inanis umbra, ventus volans, aura inconſtans, & habetur, & creditur meritò fallax hominum opinio: huic operum ſuorum inſani hi, victimas ſuas mactant. Qua ſuper re, juvat Chryſoſtomo prębere aures: x *Dic obſecro, ſi quis ventum ſectaretur, vel cohibere attentaret, nonne diceremus illum* INSANIRE? *quid autem eſt tenere umbram, neglecta veritate? ſi quis mulierem ſuam odio habeat, umbram autem ejus amplectatur: vel ſi filium averſetur, & umbram interim ipſius diligat, quæreſne aliud* INSANIÆ *certius indicium?* conſiſte parumper, & examina hujuſmodi ventos captantium, & umbras amantium ſtudia, *quæreſne aliud* INSANIÆ *certius indicium*; neſcio unde vulgò receptum ſit, omnes ſuperbos, jactabundos, milites glorioſos,

r Seneca lib. 2. de benef. c. 13. ſ Auguſtin. Serm. 48. de temp.

t Aug. in Pſ. 55. v Chryſoſt. hom. 66. in Matth. x Chryſoſt. hom. 29. in 2. ad Cor.

molendinum habere; quòd, niſi auram, & ventos captent, ſine iis nil molunt, nec moliuntur; quod ſcito emblemate Poëta recens, expreſſit depicto molēdino contractis velis, hoc lemmate ſubjecto:

y ——— *deſiſtunt, poſſe moveri.*

Seneca ad mores pulcherrimè, & acerrimè: z *Magna pars ſanitatis eſt, hortatores* INSANIÆ *reliquiſſe. Hoc ut eſſe verum ſcias, aſpice, quantò aliter unuſquiſque populo vivat, aliter ſibi.* De iis agit, *quorum monſtrari, & conſpici fructus eſt. Quis eam, quam nulli oſtenderet, induit purpuram? Quis poſuit ſecretam in auro dapem? Quis ſub alicujus ruſticæ arboris projectus umbra, luxuriæ ſuæ pompam ſolus explicuit? nemo oculis ſuis lautus eſt, ne paucorum quidem, & familiarium; ſed apparatum vitiorum ſuorum, pro modo turbæ ſpectantis expandit. Itaque irritamentum eſt omnium, in quæ* INSANIMUS, *admirator & conſcius.* Si hæc aura ſpectantium, admirantium, & laudantium afflârit; molunt, & vertuntur egregiè. Ejuſmodi molendinum inflatus ille cucurbita, Diogenes habuit, qui cum ſe collotenus, gelidiſſima hyeme, fluvio immergeret, ſpectatoribus mirantibus, & commiſerantibus; Plato ſapienter hominis ſtultitiam irridens, dixit: *ſi vultis miſereri, abite.* Apertè innuens, ubi ventus ille popularis auræ, & plauſus ceſſarit, molendinum hoc quieturum, & à vertigine ceſſaturum. Cuiq; prope ſuum molendinum eſt, cùm nemo fere inani gloria careat,

a *Et ſua* STULTITIÆ *quemlibet aura rotet.*

Infinitus ſim, ſi ſingula ſtultorū capita, quorum infinitus eſt numerus, recenſere, aut in medium producere voluero; b iracundos oculis mentis, corporíſque objicite, & nihil à ſtultis, & furioſis differre deprehendetis. Unus hic prope audiendus Seneca, *qui* ut Lactantius loquitur, c *morum, vitiorúmque publicorum deſcriptor veriſſimus, & accuſator acerrimus,* lib. 1. de ira c. 1. ſic ait: d *Quidam è ſapientibus viris, iram dixerunt,* BREVEM INSANIAM; ubi ocellus Belgii Lipſius adducit illud Priſci Catonis: e *iratum ab* INSANO, *non niſi tempore diſtare.* Ut autem hanc nobis adeò noxiam inſaniam deteſtemur, hoc monitum Novato fratri ſuo tradit: f ut ſcias *non eſſe ſanos,* quos ira poſſedit, ipſum illorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebra & vehementia acta ſuſpiria: ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine: labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſermo præruptus, & comploſæ ſæpius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnáſque minas agens, fęda viſu & horrenda facies. *&c.* Quis hoc adeò tetrum, ac rabidum monſtrum inſano & furioſo non ſimillimum, ac longè deteſtabilius dixerit? in quod non aliud, quàm vehemens ira, hominem convertit, ut ſapiēter Sapiens teſtatur Eccl. 7. v. 10. *Ira in ſinu*

y Ovid. Metam. z Seneca Ep. 94. ab finem. a Herm. Hugo pia deſid. l. 1. dub. 2.

b Iracundi, inſani. c Lactant. divin. inſtit. l. 3. c. 9. d Seneca lib. 1. de ira c. 1. e Lipſ. hic f Seneca cit.

VIRI STULTI *requieſcit.* Campenſis ſic vertit: g *Solent fere eſſe ſtulti, qui proni ſunt ad iram.* Doctè & diſertè Hugo Cardinalis: h *Ira in ſinu* STULTI *eſt, quaſi leo in ſpelunca ſua. Unde*(prudenter monet) *non eſt ambulandum inter* STULTOS (hoc eſt iracundos) *ſicut nec inter ſpeluncas leonum; periculoſum eſt leonem dormientem excitare; ſic* STULTUM *ad iram provocare.* Ex quibus patet iracundũ ab inſano non differre. Alterum ab homine ſtulto argumentum adfert Seneca; quod is non agnoſcat, in quos peccet, quos lædat, aut injuria afficiat: amici ſint aut propinqui, noti aut ignoti, ſuſque déque habet: i *ſic*, inquit, *immodica ira gignit* INSANIAM; *in omnes perſonas hic exardeſcit affectus: nec intereſt, ex quàm magna cauſa naſcatur; ſed in qualem perveniat animum.* Quod probat apta & obvia ſimilitudine: *Sic ignis, non refert, quàm magnus, ſed quò incidat: nam etiam maximum, ſolida non receperunt: rurſus arida, & corripi facilia, ſcintillam quoque fovent uſque in incendium. Ita eſt mi Lucili; iræ exitus,* FUROR EST, & vehemens inſania. Scintilla, vel ſtilla videri poſſet, quæ animum Caji Caligulæ Imp. in ſacrilegam inſaniam egit: *k* hic die quadam feſtiva indixerat ſpectacula, ad quæ non ſolum populum, ſed & nobilitatem omnem ſolenniter convocârat. Dum omnibus ad ludos habendos ſplendidiſſimo apparatu, & pretioſiſſimo choragio comparatis, cœlum tonare, fulgurare, & in denſiſſimas pluvias reſolvi, ſpectaculum diſſolvere, omnemque pompam diſturbare. Qua repentina aëris intemperie, Imperator mentis impos, & ira furens, Deum cœli in duellum provocat, exclamans: *aut tolle me, aut ego te*: atque his dictis ſagittarios ſuos in cœlum tela vibrare juſſit, quæ relapſa ſubjectorum capita graviter ſauciabant. En quò dementiæ, & furoris, ira hominem præcipitet. l *Iratus cœlo quod obſtreperet pantomimis; quódque commeſſatio ſua fulminibus terreretur, ad pugnam vocavit Jovem.* QUANTA DEMENTIA? *putavit aut ſibi noceri ne à Jove quidem poſſe; aut ſe nocere etiam Jovi poſſe.* Nec gentiles duntaxat, ſed & Chriſtianos complures in corporis animíque traxit exitium. Quare m *magis videndum eſt, quàm multis ira per ſe nocuerit* (pluribus ſanè, quàm amentia ſtultis) *alii nimio fervore rupêre venas, & ſanguinem ſupra vires elatus clamor egeſſit, & luminum ſuffudit aciem, in oculos vehementius humor egreſſus, & in morbos graviores recidêre.* Tum ſubdit: *nulla celerior ad* INSANIAM *via. Multi itaque continuaverunt iræ furorem, nec quam expulerant mentem, unquam receperunt; ſed ira, furor brevis,* perpetuus manſit, & continua inſania; hanc verò quis credat, non pauci indies incurrunt, leviſſima de cauſa turbati, & de ſtatu mentis dejecti: n *parum agilis eſt puer, aut tepidior aqua potui, aut turbatus torus, aut menſa negligentiùs poſita: ad iſta concitari,* INSANIA EST. Quid interim in familiis frequentius? parum ſedulus, aut celer ſervus, aut ancilla eſt; vinum tepidius, caro crudior, condimentum inſipidum, menſa negligenter ſtra-

g Campenſis lib. 2. de ira. h Hugo Card. in Eccleſiaſtic. cit. i Seneca Ep. 18. k Dio Caſſius in Caligula.

l Seneca lib. 1. de ira in fine. m Lib. 2. de ira c. 35. n Lib. 2. de ira c. 35.

ta, lectus incompoſitus, vitrum fractum, cochlear amiſſum, herum & heram in furias agit: *ad iſta concitari*, INSANIA EST. Vultis minutiora, & multò leviora, gravis iræ fomenta? o *tuſſis alicujus, aut ſternutamentum, aut muſca parum curiosè fugata, nos in rabiem agit: aut verſus calix, aut clavis negligentis ſervi manibus elapſa.* p Certè calix fractus in eam rabiem egit Pollionem, ut famulum murænis devorandum objecerit. Quæ omnia, ut experientia veriſſima comprobet, libet Divi Hieronymi confirmare teſtimonio: q *ſi cibus*, inquit, *inſulſior fuerit, contriſtamur. Calix frangitur; menſa ſubvertitur, verbera reſonant, & aqua tepidior, ſanguine vindicatur.* Quis non videat, quod *ad iſta concitari*, INSANIA *ſit?* Aliud hîc occurrit non minoris amentiæ argumentum; hos quandoque qui ob ollam fictilem, aut calicem vitreum fractum furunt, & in rabiem aguntur, ſubinde eò uſque abripi, ut in res ſuas proprias bilem expleant, & omnia ipſimet vaſa confringant: r *quid eſt* DEMENTIUS, *quam bilem in homines collectam, in res effundere? atque ut his iraſci* DEMENTIUS *eſt, quæ anima carent, ſic & mutis animalibus; quia nulla eſt injuria, niſi à conſilio profecta.* Quid equus deliquit, quod ab irato ferociter calcaribus impetatur? Quid pſittacus, quid falco, quòd durius habeatur? Quid canis, aut felis, quod vapulet? *his iraſci* STULTUM *eſt.* Denique ut hîc finem imponam: ſ *mortem liberis, egeſtatem ſibi, ruinam domui imprecantur. Et iraſci ſe negant, non minus quàm* INSANIRE FURIOSI. Hos inter inſanos, & furioſos, meritò cenſendus ille nobilis Sileſius, t qui cùm invitaſſet convivas, & condicto die, ac apparatu omni facto, venire recuſâſſent, irâ in rabiem actus, in hæc furibundus verba prorupit: *Veniant igitur dæmones, ſi nullus hominum mecum eſſe poteſt.* His dictis abit in templum, ubi Paſtor concionem habebat, & ut bilem concoquat, aliqamdiu auſcultat. Adſunt interim ex orco nigri, & proceri equites, jubéntque ſervo, ut herum advocet, & invitatos adeſſe hoſpites ſignificet. Servus totis oſſibus tremens, ac pavens ad Eccleſiam convolat, & rem hero ſuo indicat. Ille neſcius conſilii, paſtorem conſulit, qui ut tota familia ædibus exeat, ſuadet: Et ecce dum ſinguli exire properant, infantem obliviſcuntur in cunis dormientem. Itaque dæmones incipiunt commeſſari, bacchari, vociferari, & per feneſtras in formis urſorum, luporum, & ſimilium belluarum proſpectare, & pocula vino repleta, atque aſſas carnes monſtrare. Hæc omnibus ſpectantibus, exclamat Nobilis: ah ubi infantulus meus? Et mox ex dæmonibus unus, ulnis ſuis infantem ad feneſtram geſtat, eúmque parentibus oſtentat. Adſtabat unus ex ſervis, hero fideliſſimus, qui omnibus velut ſemimortuis, à Paſtore accepta benedictione, Deo ſe commendans, domum ingreditur, & in nomine Jesu, poſtulat ſibi reddi infantem, quem apprehendit, & inter medios ma-

o Idem ibid. p lib. 3. de ira. c. 20. q Hieron. ad Euſtoch. de virgin. r Seneca lib. 2. de ira c. 26. ſ Ibidem c. 26. c. 35.

t Selveccer. in gen. fol. 159. Stengelius judic. divin.

lignos ſpiritus extulit; ipſi verò diaboli, cum aliquot diebus illic partes ſuas egiſſent, evanuerunt. Quis autem poſthac ędes illas, quas tales hoſpites incoluerant, inhabitare auſus ſit, ignoro. Hoc tragico eventu Dominus inſanam ſuam imprecationem deteſtatus, ſapere doctus eſt; cujus exemplo, utinam & illi ſapiant, qui ad iracundiam proni, nihil frequentius, quam dæmonem in ore habent, cui & ſe, & domeſticos ſuos damnabili inſania devovere conſueverunt. Atque hos ſtultos paucis depinxiſſe, & perſtrinxiſſe ſufficiat.

Alia, ad quam feſtino, non minus frequens, amantium, fornicantium, & adulterantium, maximè inſanientium turba eſt: quia v *amantes, amentes*, ut jam videbimus. x Comœdi, & moriones, vulgo *Camerſpelders* nuncupantur, quòd in cubiculis inſanias ſuas exhibere ſoleant. Quibus ſimiles mœchi, & adulteri, *Overſpelders*, quos inſana & y *veſana libido* exagitat, in cubilibus & impudicitiis inſanire, & ad offertorium ſine lumine venire conſueverunt. Hos inter, quis credat? ſapiens ille Iſraeliticæ gentis Rex David numerandus eſt; de quo S. Chryſoſtomus: z *Quid Davide ſapientius, qui dicebat: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*; at ubi ſtultus amor in Berſabæam ipſum infatuavit, exclamavit: a *omnis ſapientia devorata eſt*: jámque ad ſaniorem mentem redactus, facti pœnitens, enorme adulterii crimen ſtultitiam vocat, dicens: b *Deus tu ſcis* INSIPIENTIAM MEAM, *& delicta mea à te non ſunt abſcondita*; ubi opportunum illud Divi Baſilii: c INSIPIENTIAM *quoque*, STULTUM SUUM FACTUM *nominat*: *omne enim peccatum per* STULTITIAM *fit*. Amantes, amentes eſſe, ſacri ac profani auctores luculenter teſtantur. Huic propoſito favet ſenex ille Gabaonita, *d* qui volens cives ſuos à libidine revocare: *Nolite*, inquit, *fratres, nolite facere malum hoc, & ceſſate ab hac* STULTITIA. Cùm Ammon Filius David inceſtâ libidine ſuam e *Sororem ſpecioſiſſimam, vocabulo Thamar, adamaret, & deperiret eam valde, ut propter amorem ejus ægrotaret*, ad ſolatium ægri ſoror adhibita, quam dum ad flagitium invitat; illa hominem emotæ mentis, & amore inſanum videns, ſanctè, ac ſapienter *reſpondit ei: noli frater, noli facere* STULTITIAM HANC: *ego enim ferre non potero opprobrium meum: & tu eris, quaſi unus de* INSIPIENTIBUS ISRAEL. Quis non ſtultitiam dixerit, qua major inveniri non poteſt, Regis filium, Regni Principem, cui nulla Regia ſtirpe filia in conjugem deeſſe poterat, adeò inſanire, ut & patris gratiâ, & fratris ex eo ira, & proprii honoris fama, & æterno dedecore, & animæ corporíſque jactura poſthabitâ, libidine furens illam oppreſſerit?

f *Quid decet*, INSANO *nemo in amore videt*.

Platone judice, amor eſt amentia, & omnis amans, amens eſt. Sit tibi in oculis adoleſcens amore amaſiæ captus, & totus amens videbitur; hunc ubi vehemens amor

v Luxurioſi ſtulti. amantes, amentes. x Camerſpelders, Overſpelders. y Virg. z Chryſ. hom. 43. in Ep. 1. ad Cor. a Pſ. 105. v. 27. b Pſal. 68.

c Baſil. hom. in pſ. 37. d Iud. 19. v. 23. e Lib. 2. Reg. c. 13. f Tibull. l. 2. eleg. 14.

mor

mor invaſerit, nec pudor retinet, nec timor cohibet, nec periculum retardat, nec mors ipſa revocat, nec ipſum, in quod ruit, inferni barathrum remoratur. Quid facias? amens eſt. Hujuſmodi miſerandas inſanias non paucas, hoc perditiſſimo ſæculo accidere comperimus, qui cum manifeſto vitæ periculo, non rarò cum corporis, animæque exitio, inſanas ſuas libidines explere non verentur. *Denique finem faciam, ſi hoc adjecero*, g *nec infantes, nec pueros, nec mente lapſos, timere mortem*; libidine amentes, nec æternam. Non ſolus Ammon inter regales epulas fraterna manu occubuit; plures in ipſo concubitu obtruncati, in æternum periêre; quorum catalogum contexere poſſem: nō pauci corrivales impuro filiæ amore inſanientes, alter alterum ad duella provocarunt, & corpus ac animam occiderunt: nec fulmina Vaticana, nec familiæ notam, nec bonorum proſcriptionem, nec æterna tormenta metuentes.

Quid decet, INSANO *nemo in amore videt.*

Quanta ſtultitia ob vile ſcortum, ob Helenam adulteram, decennale bellum à partibus tanto æſtu geri? ridet ipſe gentilis Poëta hanc inſaniam.

h *Fabula, qua Paridis narratur propter amorem*
Græcia Barbariæ lento colliſa duello,
STULTORUM REGUM, *& populorum continet æſtus.*

Omnia complexus fuero, ubi ſapientiſſimum mortalium, inſano amore mulierum, ſtultiſſimum evaſiſſe oſtendero. D. Auguſtinus initia cum exitu componens, ſic ait: i *Salomonis initia, deſiderio ſapientiæ flagraverunt: quam cùm amore ſpirituali adeptus eſſet, carnali amiſit.* In eundem ſenſum Sanctus Bernardus: † *uti Samſon*, inquit, *vires, ſic Salomon ſapientiam amiſit, & ex toto* DESIPUIT; Eadem utriuſque cauſa, libidinibus inflammatus, & infatuatus animus. Turpiſſimam ſapientiæ jacturam Eccleſiaſtes ipſe deplorat: k *& ipſa longius receſſit à me, multò magis, quam erat.* Quid opus multis teſtibus? ipſi de ſe Salomoni credamus, qui ſeipſum ſummæ fatuitatis damnans, dixit: l STULTISSIMUS SUM VIRORUM, *& ſapientia hominum non eſt mecum.* Verè ſtultiſſimus erat Salomon, ſi liceat cum Theologis loqui, non ſpeculativè, non theoricè, ſed practicè; ſciebat meliora, probabátque, deteriora ſequebatur, faciebatque, quod ſolent homines ſtultiſſimi. hinc S Ambroſius, & Hieronymus, *infatuatum* appellant. Unde Euſebius: *Libidinis mantiſſa* DEMENTIA *eſt, additur concupiſcentiæ* INSANIA: *nam evertit mentem cupido, ut dixerit Stoicus: ſapere, & amare vix Deo conceditur.* Quot viri ſecundùm ſæculum ſapientes, Salomonis veſtigia ſecuti, amore mulierum infatuati ſunt? quot juvenes ingenio florentes, Philoſophiæ ac Juriſprudentiæ ſcientia præſtantes, everterunt ſenſum ſuum, & libidine in puellam inſanierunt? & ex ampla familia, ex ſumma opulentia, ex honeſtis & probis parentibus, in extremæ calamitatis, paupertatis, & ignominię pedicas

g Seneca Epiſt. 36. h Horat. lib. 1. Epiſt. 2. ad Lollium.

i Aug. lib. 3. de doct. Chriſt. c. 11. † Bern. Epiſt. 109. k Eccl. c. 7. v. 24. l Prov. 30. v. interp.

per-

pertracti ſunt; Ex his ille, de quo Salomon: pellicem m *ſtatim ſequitur quaſi agnus laſciviens, & ignorat, quod ad vincula* STULTUS *trahatur*; *ignorat ſtultus*, quia libidine dementatus, quod ad æterna ſupplicia, ferreis vinculis mancipandus, trahatur; *ignorat* STULTUS, quod brevi, & bruta voluptate à cœleſtibus, ſempérque duraturis deliciis pertrahatur.

Clauſulam hîc imponit ingenioſus, & religioſus, ſacrarum litterarum interpres, Didacus Stella: n Mirandum eſt, inquit, quàm inſanè, & quanta amentiâ homo audeat Deum offendere, cum videat ſe amittere, & perdere ipſum Deum, omne, & ſummum bonum: nam ſi homo ab Indis ad nos veniret, & ſtatim cùm portum attigerit, omne aurum, argentum, ac merces pretioſas tanto labore, tótque periculis quæſitas, uno jactu aleæ, aut ludo exponat, omniſque ſubſtantiæ jacturam faciat, *nonne hunc* AMENTEM, INSANUM, *& omni prorſus ratione carentem diceres?* Quæ igitur, obſecro, *major inſania, aut amentia eſſe poteſt*, quàm brevi quadam voluptate, ut Lyſimachus, & triduum peritura, omnis lucri, & tantorum meritorum, quæ tot laboribus parta, & omnium bonorum in cœlis jacturam facere? Aſpice igitur, ſi lubet, ô ſtulte peccator! & convincam *te amentiorem, & inſaniorem eſſe*, quàm ille qui ab Indis redux opulentas merces, brevi ludo expoſuit, & amiſit. Nam ille peritura perdidit, è quibus nil ſecum auferre poterat, & in promptu habet remedium paratiſſimum: poteſt enim ad Indos iterum tranſire, & ſibi majora bona comparare; at verò peccator, ob brevem, & levem voluptatem, in noxam mortalem lapſus, eò ſtatus & miſeriæ devenit, ut nullum opus facere poſſit, quod vita æterna ſit dignum; & niſi reſipiſcat, æternum pro brevi voluptate incurrat tormentum. Quanta inſania, pro gutta mellis, damnari velle ad mare fellis: pro momento turpis, & fædæ voluptatis, carere velle cœleſtibus deliciis? Quare *ô ſtulti, aliquando ſapite*, & & illud feriò, ne ſerò, expendite: *momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat*: aut illud Magni Auguſtini: o *libidinis momentum æternum parat animæ tormentum.*

Nunc ſi ſtultas p mulieres, & virgines fatuas in chorum duxero, non modò quinque, ſed & quingentas, & ſupra undecim millia enumerare potero, nec facilè finem invenero. Quot fæminæ ſtultæ cum maritis ſuis, ſtultæ cum ancillis, ſtultæ cum mundo ſuo muliebri, ſtultæ in liberis ſuis? Non una filios deprædicat morigeros, modeſtos, pios, obſequentes, ſuavitate regendos, nunquam ferula attingendos; interim nequiculi ſunt, diſcoli ſunt, petulci ſunt, filii prodigi ſunt, in popinis cum meretricibus conſumunt ſubſtantiam ſuam, & parentum: juvenes ſtultuli ſunt, de quibus Sapiens: q STULTITIA *colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam*; harum ſtultarum matrum experientiam habemus, & hac nimis edocti ſumus, quam ut ab

m Prov. 7. n Didacus Stella in Lucam c. 11.

o Aug. Serm. 250. de temp. p Mulieres ſtultæ, & virgines fatuæ. q Prov. 22. v. 15.

illis

illis regamur. Alia mater inſanit cum filia, cui nec in urbe gratiorem, ingenio & forma præſtantiorem ducit, &c.

Het ſotſten dat men vindt,
Is moeder met haer kindt.

Alia, quam *gloria vexat inanis*, inſanit, ut maritum in altiori gradu conſpiciat, rhedâ vehi poſſit, Domina compelletur: ſuadet, & inſtat, expendit 12 aut 18 millia florenorum, ut officium, & titulum ſibi coëmat; nec attendit, ut non ſemel comperi, marito paucos poſt menſes ſublato, numeroſam prolem, pauperem, & ad extrema redactam ſupereſſe. Quæ amentia? major illa uxoris Thomæ Mori, Angliæ Cancellarii: quæ dum maritum in cauſa fidei, inducere tentaret, ut ſimularet, ne liberos & familiam pauperem relinqueret: r ille Chriſtiana ſapientia præditus, hoc illi objecit: *ſtulta mercatrix*, egóne paucis, & perituris bonis, æterna poſtponam: brevi aliquot labilis vitæ annis, beatitudinem æternam commutabo: ſ *quaſi una de* STULTIS *mulieribus locuta es.* Atque harum infinitus eſt numerus.

Virgines fatuas vagas, & vanas omnino fatuas non attigero. Hoc forte mirandum, etiam inter ſanctimoniales, *virgines* non quidem ſæcularibus in inſania comparandas; ſed verè *fatuas* reperiri, è quarum manica tot ſtulti, & ſtultæ proſpiciunt, quot inordinatas paſſiones animo fovent. Novi, novi, inquit Paulus Barrii, t in monaſterio domicellarum, *unam in maniam incidiſſe*, & ne pergeret omnia perturbare, arctè concluſam fuiſſe: atque ita pax, tranquillitas, ſilentium, charitas, domeſticis reddita, ut monaſterium Paradiſus, & inhabitantes Angeli viderentur. Aliquo temporis intervallo, cùm ſanctimoniales commiſeratione ductæ, *hanc fatuam* jam ſibi reſtitutam crederent, aperto oſtio, per cœnobium inambulare permiſerunt, ſed malo ſuo edoctæ fuerunt: Porrò *ſtulta hæc*, ſi unquam inſanire, vociferari, curſitare, obvios verberare, omnia ſúſque déque perturbare, atque ita domus pacis, & cœleſtis converſationis, facta eſt confuſionis, & deſolationis. Unde hoc? niſi quia *ſtulta*, liberè evagari permiſſa eſt. Quò hæc vergant, facilè quis aſſequi poteſt. Non paucæ ſunt, quæ in anima, quam S. Bernardus interiorem domum vocitat, ſtultas paſſiones incluſas habent: ac quamdiu nulla ex iis foras prorumpit, omnia tranquilla ſunt. At ſi minimo digito, vel verbo, aut facto irritata, vel una exilierit, omni ſanctitate, modeſtia, humilitate deperdita, in iras, diras, inſanæ inſtar furiæ debacchatur. Cujuſmodi ſanè fatuis virginibus timendum, ne cœli januam clauſam inveniant. Comœdiam ſtultorum, quæ in tragœdiam deſinit, hactenus ſpectaſtis.

§. III.

Supereſt actus ultimus, qui hiſce diebus ſolemniſſimus, v *& totus ex larvatis, perſonatis, & morionibus conſiſtit.*

HOrum ſtultorum choragus, & incentor, ante annos bene multos exſtitit Prorex quidam, om-

r Stapleton. in vita. ſ Iob. 2. v. 10. t Barrii triduum Philagiæ 3. die de victoria paſſionum.

v Larvati, & perſonati, ſtulti.

omnino fatuus, in regno Neapolitano, x qui eò amentiæ devenit, ut ſub graviſſimis pœnis interminatus ſit, ne quis hiſce Bacchanalium diebus in publicum, niſi larvatus prodiret: cui ſtultiſſimo edicto, cùm omnes incolæ promptè obtemperaſſent, univerſa civitas Neapolitana deliràſſe, & in furias, ac inſaniam acta fuiſſe videbatur. His ita compoſitis, vir religiosè facetus, cynici illius Philoſophi habitum, & perſonam indutus, cum lucerna pleno die urbem circumcurſare cœpit, illud Diogenis inclamans: *Hominem quæro*; ſapienter innuere volens, cùm omnes morionum, aut variarum belluarum, luporum, urſorum, hircorum, ſatyrorum ſpecie concurſantes, ac bacchantes cerneret, nullum hominem, aut ſanæ mentis, nullum virum (quia habitu muliebri) nullam fæminam (quia habitu virili) ſe reperire poſſe. Hanc inſaniam jam olim æterna Sapientia, ut ex orbe proſcriberet, hoc prçceptum tradidit: y *Non induetur mulier veſte virili, & vir non induetur veſte fæminea, abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc*; quæ ſtultitia cùm hiſce diebus non infrequens ſit, quæſtio inter Theologos agitata eſt; an peccatum mortale ſit, ſi vir utatur veſte muliebri, & mulier virili? Leſſius de jure & juſtitia lib. 4. c. 4. dub. 14. ſic docet: Mortale eſſe videtur commutatio veſtium inter virum & fæminam, ut colligitur Deuteron. 22. v. 5. cauſam reddit S. Thom. Deut. 22. z *Non induetur mulier veſte virili, & vir non induetur veſte fæminea, ad declinandam luxuriam: nam per commiſtiones varias in veſtimentis* (quibus vir à fæmina diſtinguitur) *omnis inordinata commixtio excluditur; quod autem mulier induatur veſte virili, aut è converſo, incentivum eſt concupiſcentiæ, & occaſionem libidini præſtat.* Et 22. quæſt. 169. art. 2. ad 3. ſic docet; cultus exterior debet competere conditioni perſonæ ſecundum communem conſuetudinem; & ideo de ſe vitioſum eſt, quòd mulier utatur veſte virili, aut è converſo: *Et præcipuè, quia hoc poteſt eſſe cauſa laſciviæ, & ſpecialiter prohibetur lege*, omne autem quod cauſa laſciviæ, & occaſio libidinis, vel incentivum concupiſcentiæ eſt; à mortali excuſari non poteſt; quando verò citra peccatum fieri poſſit hæc veſtium commutatio, ſubdit: *Poteſt tamen quandoque hoc fieri ſine peccato, propter aliquam neceſſitatem: vel cauſa ſe occultandi ab hoſtibus; vel propter defectum alterius veſtimenti.* Addit Leſſius, vel cauſa honeſtæ repræſentationis; aut virginitatis ſervandæ ſtudio. Sic, ut pudicitiæ conſulerent, novimus virgines virili habitu latuiſſe: ut patet in Marina, quæ ſe Marinum: in Euphroſyna, quæ ſe Euphroſynum dixit, & inter Monachos Angelicè vixit; quales complures exſtitêre. Paucas è multis, & recentiores, è Chronicis PP. Capuccinorum induxiſſe ſufficiat. a Anno 1576. duæ Moniales profeſſæ, diſſolutionem Ordinis ſuç exoſæ, & arctioris vitæ ſtudio accenſæ, virili habitu Urbini inter Capuccinos laicos admiſſæ ſunt. Contigit ex his, altera

x Benedictus Fidelis, Domin. Quinquageſ. Serm. 3.
y Deuter. 22. v. 5.
z S. Thom. 1.2. quæſt. 102. a. 6. ad 9.

a Annal. Capuc. a. 52. pag. 806. Angelinus Gazaſis pia. hilar.

tera Sacerdoti in ſacro miniſtrante, à nobili Domina effæminatum quid in genuflexione, moribus, & vultu notaretur; quæ Superiorem admonet. Hic cùm eam rationibus conviciſſet, cella detentam, jubet alteram acciri, quæ à graviori labore accurrens, ſui oblita: heu Pater, inquit, quàm defatigata ſum: riſit Superior, dicens, jam antequam interrogata, fæminam te tuis verbis prodidiſti, dum defatigatam, non defatigatum te dixiſti. Tacuit, & erubuit. Ambæ per Epiſcopum monaſterio reſtitutæ, monaſterium reformârunt. Non abſimile eſt, quod Piceni accidit: *b* Puella ex parentum levitate ac impudentiâ, ſub virili habitu ad annum 22. jam proceſſerat, & ab omnibus honeſtus adoleſcens habebatur. Ferventiori ſpiritu ducta, mediocri litteratura imbuta, ſub nomine Joannis, inter Capucinos Clericos adſcripta eſt. Contigit ſecundo tirocinii menſe, adverſa valetudine illam conflictari, quo tempore Pontifex edictum excommunicationis in mulieres, quæ clauſtra monachorum ingrederentur, evulgârat: hinc anxia, Deum ardenter orabat, ne ſe ejici pateretur: annuit Deus, ac morbo ingraveſcente Superiorem advocat, & indicat, ut à cenſura, ſi quam incurriſſet, abſolvatur. Piè moritur, & illota tumulo conditur. Has, conſimiléſque ſanctas, D. Thomas, aliíque Theologi, hac lege Deuteronomii 22. lata, eximunt, non eas, de quibus hic agimus; in quem ſenſum Abulenſis id graviſſimè vetitum aſſerit: *c* quia nondum barbati viri, poſſent haberi fæminæ: ſicque libidinibus omnia miſcerentur. Adde, fraudibus, & damnis plurimis locum futurum, ob ſimile periculum, aut ſcandalum. *d* Lex hæc moralis eſt, inquit Lorinus, juríque naturali congruens, & ſervanda. Hæc autem clauſula: *Abominabilis eſt apud Deum, qui facit hæc*, manifeſtò declarat peccatum mortale. Quare ab hac inſania, exemplo brutorum dehortatur nos D. Ambroſius: *e* *Non induetur vir veſte muliebri &c. Nam ſi verè diſcutias, incongruum eſt, quod ipſa abhorret natura. Cur homo non vis videri, quod natus es? cur alienam tibi ſumis ſpeciem? cur mentiris fæminam, vel tu fæmina virum? ſuis unumquemque ſexum induit natura veſtimentis. Etiam in reliqui generis animantibus, alia ſpecies leonis, alia leænæ. In cervis quoq; quantum diſtat ſexus, tantum diſcrepat ſpecies, ut eas etiam eminus poſſis diſcernere; in avibus verò, etiam propria inter eas, & homines comparatio: in illis enim ſexum naturalia ipſa indumenta diſcernunt. Pavi mares ſpecioſi, fæminæ non item pennarum vario pinguntur decore. Faſianis quoque diverſus color, qui diſtinguat ſexus diſcretionem: quid in pullis? quam canora vox galli* (quam plumæ diverſæ à gallinis) hæc ubi enarravit, exclamat. *Numquid illa mutant ſpeciem ſuam? cur nos mutare deſideramus?* cur nos brutis brutaliores, & jumentis inſipientibus, inſipientiores, & inſaniores eſſe deſideramus? his, quis larvatos, humanam formam exutos, & belluinam indutos, non ſimillimos duxerit? In quos Mancinus noſter, agens de Chriſti facie

b Ibidem Annal. 43. n. 15. *c* Abulenſis in Deuter. cit.

d Lorin. in Deut. cit. *e* Ambroſ. Epiſt. 15. ad Irenæum.

facie obvelata, ſcitè retorquet illud Pſaltis Regii : f *Uſquequo facies peccatorum ſumitis?* quod ſi peccatores, non ſine crimine ſunt: quod ſi peccatores, & ſtulti, ſunt, quia ut præfatus ſum, omnis peccator ſtultus. Horum inſaniam deſcribere, ex vultu, & habitu nemo non ſacer Eccleſiaſtes facilè poterit; ſuffecerit mihi paucis indicâſſe has inſanias, ob enormem petulantiam, laſciviam, aliáſque protervias, urbibus, & regnis proſcriptas, & funeſto, ac tragico exitu à Deo punitas fuiſſe.

Vultis vindicem Dei manum? audite quæ de larvernionibus, & morionibus his, auctor egregius, Jacobus Bidermannus commemoret: *g* huc dementiæ venimus, ut belli nobis, formoſique non videamur, niſi belluis ipſis fiamus deformiores, & quaſi naturæ noſtræ nos pudeat, ſylvanos, ſatyróſque, jam dudum moribus, & vita; nunc etiam veſte, habitúque imitemur. Spectaculum Germania dabit, quod non aures modò noſtras perſtringet, ſed ipſos etiam propè oculos funeſtabit. Rem tragicam, quam non vidiſtis, auſcultate. Hyemare jam anni bruma deſierat, cùm calere bacchantium hilaria cœpere: & dies olim biduo circumſcripti, in menſtrui luxus licentiam eruperunt, quibus diebus, hodiéque, non aliter quàm ſi lege juberemur, certatim ubique potatur, eſtur, luditur. Quæ quidem veſania, ſi plebem ſolùm, imóſque hominum vexaret, licet convitio, probróque non careret, ferri tamen inter ævi noſtri dedecora, utcunque poſſet: atque in procerum certè, nobiliúmque aulis, tantò mos ille indignior habetur, quantò cum plurium pernicie horum vitia, exempláque vulgantur. Nam quod iſti plerumque faciunt, & quidquid delirant Reges, & regimen habentes, id multi rectè factum, ſapientérque credunt, & pruritu, neſcio quo, imitantur. Ex ea factione tres adoleſcentes produco, claro genere prognatos, & longa majorum imagine illuſtres: qui ut novis, ſuíſque exemplis Dionyſia infamarent, nihil operæ, impenſæque omiſerunt. Convenerat, ut Waldembergam, Eberhardi conſanguinei Toparchæ arcem peterent; ibi frænos cupidini ſuæ, per dies aliquot laxaturi; venêre ad condictum non ingrati hoſpites, & cùm ſanguinis reſpectu, tum temporis cauſa, lautè, opiparéque accipiuntur. Aderant omne genus cupediæ: aderant riſus, & joca: aderant hiſtriones, & ludicra: & nullus nec epulis interea, nec poculis modus; *ſciretis bacchanal agi.* Omnibus ad ſua ludicra, aliis ad alia, ut cuique viſum, intentis, tres ii juvenes primas ferre, palmámque ceteris geſtiunt præripere, nuſquam in ea ſcena otioſi. Qui ut choreas primi fortè inceperant, & aliquamdiu ſoli continuaverant, ex improviſo quartum ſui conſimilem, æquè capripedem, horridúmque conſpicantur. Ignari primum, quis ſuas ſibi copias auxiſſet, aut unde quarta ſe larva, tribus tam concinnè aſſimilaſſet, mirantur; admirationem pavor, & hunc, feralis quidam (ut in præſagiis ſolet) horror conſequitur; pergunt ipſi tamen audaces, orbemque

g Bideman. lib. 3. acroam. 7. An. 1572.

que ſaltatorium egregiè verſant; nunc pedum obſequio celeres, nunc brahiorum jactatu agiles, nunc corporum incitatione ſublimes. Sed nihil horum tam rarum illi, aut ridiculum incipiebant, quin illud & ſimius (ex orco larvatus) vaferrimè conſequeretur, & modò tripudians medium ſeſe ingereret modò præſultor chorum duceret, modò clauderet, modò curſim in orbem alios luſtraret ominoſus circulator; non potuit Mimus nimium placere, quem nemo agnoſceret: nec omen deerat mali eventus Sed infelicibus obſtabat pudor, ne cœpta prius deſinerent, quàm mortualis chorea inchoaretur. Interim iſte ut ſui monimentum relinqueret, inſperato epiodio flammam, quam uberem ſinu ferebat, excutit, eáque è tribus actoribus unum aſpergit, peſtéque ſulphurea involvit; & mox quaſi deſaltato jam cantico réque cujus causâ venerat, peractâ, ex hominum ore, oculíſque evaneſcit. Hæc principia, quæ porrò calamitas exceperit, jam nunc audietis, cùm prius quid in hoc tragœdiæ prologo exteri Scriptores ab indigenarum narratione diſcrepent, indicâro. Nam, ut alii erant in choreis occupati, alium inquiunt, ludentem alveolus fefellerat, teſſeráque longiùs projecta de menſa deciderat. Ibi puer Satyricus, qui Domino prælucebat facem, illicò tollere, & humi teſſeram, ubi ubi eſſet quæritare: diceretis Cleopatræ unionem, aut ſuum Polycrati annulum, aut aliud aliquid achate carius excidiſſe; ita graviter eſt advigilatum, ut inventa confeſtim arma redderentur: quæ enim, & cujus ea temporis jactura fuerat, ſi pediſequus remiſſior operi tam ſerio moram objeciſſet? aut quibus ille plagis ignaviam non luiſſet, ni telum, quod velitanti hero deciderat, attollere continuò maturaſſet? certè committendum puer haud putavit, ut operam in re maxima deſidem navaret: ſed illico rapta, ut dixi, face, teſſeram humi inter menſæ madentis fulcra, ſummâ quâ poteſt diligentiâ diſquirit: fortunatus ceterum, ſi parem ſolertiam in tæda circumagenda tenuiſſet. Nunc quid imprudens offenderit, auſcultate. In ea feſtinatione, dum faculā puer incautè verſat, raptímque modo hac, modo illac inclinat, proſilit ſcintilla, parvula quidem illa, & ſtricturæ ſimilis, quam è ſilice quondam excudimus: eóque magis neglecta, velut innoxia, dum ſuo ſe nidore mox proderet: nam ut in herum illa propter adſtantem incidit, reperto in veſte ſtupeâ alimento, paulatim convaluit, donec in haud dubiam flammam, violenta prorupit. Hîc multi, ut in ludo, cachinnum tollere, & aliqui rem non fortuitò oblatam; ſed dedita opera natum incendium credere, ut materies ſpectaculo eſſet. At non illi mens eadem, qui ſerpere in ſe peſtem, atque ad vivum graſſari jam ignes ſentiebat; ille manu, totóque corpore pugnare, & excuſſa, quam habebat, teſſera, ad flammam reſtinguendam omnia arma convertere, pedémque captum ſtudet incendio liberare. Sed peſtis contumacior, dicto citiùs, manum ipſam auxilio ſubeuntem, pedémque alterum, corpúſque totum furenti contagio involvit. Tum enimverò ululare infe-

infelix, & veſtem, quæ corpori tenax inhæſerat, nequidquam revellere: alii mutato riſu, queſtus, ac gemitus ciere: alii opem, & ſuppetias parare: alii aquam, fontémque poſcere: omnes omnia agere, nemo proficere. Jam humi abjectus adoleſcens uſtulabatur interea, & in luculento rogo Herculem Oetæum adſtantibus referebat: cùm eminus auditi mugientis clamores, movêre ſocios, ut laboranti collegæ, & ipſi auxilium portarent. Advolant ambo, atque uti erant perſonati, ſeſe inferunt, pérque turbam vi penetrant: & manibus injectis ſtupeam veſtem à fratre (nam duorum hic germanus erat) deripere, ignémque laborant defendere; quo tamen officio dum impensè funguntur, non modò cladem à ſocio non divertunt; ſed incauti eodem uterque incendio ſe ipſi involvunt: vix enim manu germanum ii contigerant, cùm exſiliens flamma alterum duorum, alterúmque corripuit, & inhærens laciniæ, momento per veſtem reliquam victrix evaſit: quæ veſtis ut tota floccis pendentibus, villíſque horrebat, pabulum igni, nutrimentúmque idoneum miniſtrabat. Ea res vel invitos coegit fratrem omittere, & de ſuo quemque periculo, vitáque dimicare. Quamquam hoc etiam ipſum iis ſerum erat, cùm populante flamma ſepti, tunicam moleſtam uterq; jam induiſſent. Audiſſetis hic trium adoleſcentum lamentabilē ſymphoniam, quâ concordes magnis clamoribus, cœlitum, hominúmque auxilium implorabant. Et ipſi etiā pro ſe quiſque manibus, pedibúſque contendebant; hic ſuam oris larvam abjicere, hic capitis galericulum & frontis cornua exuere, hic thoracem diffibulare, & floccos evellere, & perſonam deponere, totámque cum veſte peſtem, ſi qua poſſet excutere: ſed irrito omnia conatu. Hærebat enim pertinax ornatus; & impatiens divelli, corpus omne validè, preſſéque ſtringebat. O quoties tunc Satyros ii, Sylvanóſque execrati, ad humanam redire formam exoptabant? quoties talos ſuos, teſſéraſque exoſi, bacchanal omne, diris, & maledictis devovebant? quibus miſeri deſideriis, ne arderent, ardebant? quantis lacrymis, cùm latex alius non eſſet, flammas extinguere, artus rigare, æſtus temperare conati; nihil ne iſtis quidem proficere ſe ſentiebant? nempe ut modicum id remedium, ita malo jam ſuperante, ſerum, irritúmque erat. Poſtremò cum illis & manuum cutis, & digitorum ungues undique ambuſti defluerent; reſtabat, ut collapſi per pavimentum volutarentur, an ibi attritu ſaltem, affrictúque, flammam eliderent. Verùm, ut quidquid attigére, confeſtim ignis, liquente pice efferatus, inflammavit: ipſáque jam domus, ne quà ruinam traheret, ſibi metuebat. Quo factum proinde eſt, ut in tot ſpectatorum oculis, tres nobiliſſimi juvenes, priuſquam ſubveniri humanitus poſſet, lentis ignibus, quaſi per ludum in ſcena toſti, aſſatíque conflagrârint.

Hoc ſimiliq; habitu inſanientes, & facies peccatorum ſumentes, aliquando ſapere diſcant, ne æternis aſſentur, & torreantur incendiis. graviſſimum Antiſtitem ſeverè monentem audiant: h *Nónne iſti amiſerunt imaginem Dei,*

h Chryſolog. Serm. 155.

Dei, ſimilitudinem perdiderunt Chriſti, exuti ſunt indumentum, qui ſe formis ſacrilegis deformaverunt? ſed dicit aliquis, non ſunt hæc ſacrilegiorum ſtudia, vota ſunt hæc jocorum. Erras homo, NON SUNT HÆC LUDICRA, SUNT CRIMINA. Ad quæ abolenda, & omni republicâ, & regno proſcribenda, hâc parænesi hortatur: *Si quæ ſunt ergo viſcera pietatis in nobis, ſi qua eſt in nobis contemplatio humanitatis: ſi qua nos habet fraternæ charitatis affectio, abſtrahamus eos, qui ſic ad perditionem currunt, rapiuntur ad mortem, trahuntur ad tartara, feſtini ſunt in gehennam: abſtrahat ergo pater filium, ſervum Dominus, civem civis, homo hominem, Chriſtianus omnes, qui ſe beſtiis comparârunt, exæquârunt jumentis, aptaverunt pecudibus, dæmonibus conformarunt.*

Stimulo vobis, qui ad Reipublicæ clavum ſedetis, erit Hencus I. Galliarum Rex, *i* qui Anno 1539. vetuit, ne quis larvatus per urbem incederet, adjiciens bonorum omnium proſcriptionem aliáſque pœnas: & Senatus Pariſienſis An. 1551. prohibuit larvas vendi, aut deferri; ut hanc tam deteſtandam inſaniam regno, & finibus ſuis eliminarent. Sed nihil in hoc genere illuſtrius, quàm quod Regina Franciæ, numquam oblitterandum, poſteris reliquit. Hoc ſic Gramondus deſcribit. *k* Anno 1620, quo tempore Lutetiæ accingebat ſe Gallica nobilitas bacchanalibus, ante Quadrageſimam celebrandis, Idus circa Februarias gravi morbo correpta eſt Regina, conjux Ludovici XIII. perquàm acuta febri divexata, diu periclitata; donec publicis ſupplicationibus, quibus in purpura Parlamentum interfuit, placatus Deus reſtitueret uxorem Regi, Gallis Reginam. Poſtquam deſævierat morbus, *quindecim aureorum millia, quæ in larvatum tripudium deſtinaverat*, exſolvendo, quod in extremis nuncupârat, voto, in piam cauſam impendit, reſtitutæ pretium vitæ, quam in æternum perennaturam, inſanis his bacchantium ludis ſublatis meruerat, exemplo numquam ſatis laudando. Tanti porrò apud Deum valuit Larvatorum ſublatio, ut fuerit regii capitis, univerſæ Galliæ conſervatio.

Hæc de mundi ſtultis, & impiè delirantibus, ſatis. Nunc vertenda ſcena eſt, & iis, qui ſecundùm ſæculum in hac ſua amentia ſe ſapere putant, ſanctè & ſapienter ſtultos propter Chriſtum opponam: uſus conſimili in diſſimili negotio, Ludovici XII Galliarum Regis conſilio, *l* qui cùm bellum Venetis inferre vellet, referente quodam Venetorum prudentiam; ego verò, inquit, illis tot ſtultos opponam, ut neſciant, quò ſe vertant; ego autem non alio fine ſanctos ſtultos illis opponam, quàm ut ad saniorem, & ſanctiorem mentem ſe convertant.

§. IV.

Quinam STULTI *propter Chriſtum.* I. Corinth. cap. 4. verſ. 10.

NOn omnis ſtultitia ridenda aut

i Beyerlinck. theat tit. perſonati.
k Gramond. lib. 2. de hiſt. Gall. An. 1620. Mucinus de paſſione lib. 9. pag. 668.

l Fabri. Domin. 3. poſt Epiph. n. 7.

aut flenda eſt: viri ſapientes nonnunquam innoxiè, & ſanè deſipuêre. Venuſini vatis ſolers præceptio eſt:

m *Miſce* STULTITIAM *conſiliis brevem*;
Dulce eſt DESIPERE *in loco.*

Sic & vos hodie non omnes ſtoicos eſſe velim; aliquid honeſtæ relaxationi indulgere, & citra Dei offenſam Chriſtianè deſipere, non vetitum eſt: ſic enim ſapientiſſimus Eccleſiaſtes: n *Pretioſior eſt ſapientiâ, & gloriâ, parva & ad tempus* STULTITIA. Quid? quod ſtultitiam in loco, & tempore ſimulâſſe, plures pręſenti diſcrimini, & mortis exitio eripuit:

o *Brutus erat ſtulti ſapiens imitator.*

Vir oppidò ſapiens metu Tarquinii ſtultitiam ſimulavit: hic Reges exegit, Romam in libertatem aſſeruit, primus Conſul in acie occubuit: illius interitum urbs tota, toto anno luxit. Ulyſſes ne ad bellum Trojanum cogeretur proficiſci, amentiam ſimulans, impares animantes ſtivæ junxit, littus aravit, ſalem ſeminavit. Hi profectò viri ſapientes, ſtultos ſe haberi voluerunt ſuo bono, ut ſe periculis eximerent. Plures amentiam ſimulantes, ſe carceri, & morti eripuerunt; ſed ut profana mittamus, ſacri Regum faſti habent *memorabile quod ſit.* p David fugiens à facie, & inſidiis Saulis, ad Regem Achis ſe contulit, apud quem latere ſe poſſe ſperavit; aut ſi cadendum, maluit hoſtili dextera, quàm irata Saulis manu cadere. Idcirco ad hoſtes tranſiit, & Regi Achis ſe, ſuáque obſequia per optimates tradidit, ſtipendia, ſi placeret, ſub eo militiæ facturus. Placuit, ſed non diu. Mox orti ſermones ſpargebantur: *Nonne iſte eſt David Rex terræ? nonne huic cantabant per choros dicentes: percuſſit Saul mille, & David decem millia? poſuit autem David ſermones iſtos in corde ſuo, & extimuit valde à facie Achis, Regis Geth.* Ubi ſe proditum vidit, & de capite actum, conſilium capit in arena, atque hoc unum in mentem venit, ſimulare inſaniam. Os itaque fœdè diduxit, oculos huc illuc detorſit, ſpumavit, barbam ſaliva perpluit, manus in januam impegit, in terram corruit: *Viſo Achis hoc ſpectaculo, excandeſcens: quare,* inquit, *adduxiſtis eum ad me? an deſunt nobis* FURIOSI, *quod introduxiſtis iſtum ut* FURERET *me præſente. Hiccine ingredietur domum meam?* David igitur quamprimum, ut ſtultus, & phanaticus aula ejectus eſt, quod ipſi optatiſſimum: nam ita imminentem mortem declinavit, & aliò ſe fuga proripuit, ubi tutò ſibi, & ſaluti conſuluit. Sic ſanè, & ſalubriter ſanctis inſanire libuit, ut mille mortalis noxæ diſcrimina effugerent, & morti æternæ ſe, & ſuos eriperent. Hujus ſanctæ inſaniæ ſapientiſſimus Magiſter Bernardus: q *Audi* SANCTAM INSANIAM: *ſi dimittis, inquit Moyſes, eis peccatum, dimitte; ſin autem, dele me de libro vitæ.* Exodi 32. *Vis aliam; ipſum audi Apoſtolum: optabam, inquit, anathema eſſe Chriſto, pro fratribus meis. Nonne quædam mentis bene affectæ, ſana quædam videtur* INSANIA, *cùm impoſſibile ſit effectu, habere fixum in affectu, pro Chriſto anathema velle eſſe à Chriſto?* Tum ad eos qui in-

m Horat. lib. 4. carm. ode 11. n Eccleſ. 10. v. 1. o Ovid. lib. 2. faſt. p Lib. 1. Reg. c. 21. v. 14, & 15.

q Bern. tract. de natura divini amoris c. 3

dies

dies ſanctè inſaniunt, deſcendit: *Quæ major, quæ magis* INOPINATA INSANIA, *quàm hominem relicto ſæculo, deſiderantem, & ardentem inhærere Chriſto, pro Chriſto rurſum neceſſitate obedientiæ, & charitatis fraternæ inhærere ſæculo: tendentem in cœlum ſemetipſum mergere in cœnum? hic eſt Benjamin adoleſcentulus, qui in mentis exceſſu, nec ſuum aliquid ſentit; ſed eum ſolum, in quem totus exceſſit.* HAC INSANIA INSANI ERANT MARTYRES, *inter tormenta ridentes. Cur hîc non dicam, quod in fervore laſciviæ ſuæ laſcivus Poeta dicebat;* INSANIRE LUBET. *Quæ major, inſania*, r quàm juvenes generis nobilitate illuſtres, opibus affluentes, ſpretis mundi deliciis, & divitiis, voluntariam paupertatem, omnémque vitæ monaſticæ rigorem amplecti? Quæ magis *inopinata inſania*, quam filias forma præſtantes, molliter ac ſybariticè enutritas, mille petitas procis, *relicto ſæculo*, & ſpretis omnibus carnis voluptatibus, & mundi vanitatibus, intra religionis clauſtra, in ſacco, & cinere, ſe vivas tumulare; ſ Sancta Ulphia nobili domo nata, incredibili pulchritudine, in paucis amans virginitatis; quam ut illibatam ſervaret, & in tuto collocaret, amentiam finxit; & ſic procorum oculos, amores, inſidias eluſit: utque virgo eſſet, fatua videri, & haberi voluit; ſed vel hoc ipſo inter prudentes numeranda. Qui ſtultitiam mundi ſectantur, homines vani, & inſani, hos viros religioſos, ac ſanctimoniales *ſtultos propter Chriſtum*, ut fatuos & amentes exſibilare conſueverunt; ut olim Principes hujus ſæculi, ſubſannabant Prophetam Domini, dicentes: t *quid venit* INSANUS ILLE *ad nos?* Hujuſmodi mundi ſtultis ſerviet reſponſio, Hieronymi ad Aſellam, ſæcularem Dominam: v Tu tales miſeros arbitraris; nos te putamus miſerabiliorem. Tu ſtultos, nos ſapientes illos reputamus; te autem inſipientem: *Tibi placet lavare quotidie: alius has munditias, ſordes putat. Tu attaginem ructas; ego faba ventrem impleo. Te delectant cachinnantium greges, me Paula, Melaniáque plangentes. Tu aliena deſideras, illæ contemnunt ſua: te delibuta melle vina delectant, illæ potant aquam frigidam ſuaviorem.* Ac tandem concludit: *tu tales miſeros putas, nos te miſerabiliorem putamus: par pari refertur, & nobis invicem* INSANIRE *videmur*; ſed *diſpari prorſus ſtultitia, tu ſecundum ſæculum, & in animæ exitium, nos ſecundum Chriſtum, & animæ ſalutem.* Sic alibi Paulam Romanam inducit ſanctè inſanientem: x hæc *Gracchorum ſtirps, ſoboles Scipionum, Martiæ Papiriæ matris Africani vera & germana progenies*, cùm Româ, liberis, propinquis, facultatibus relictis, in Bethlehem ſeceſſiſſet, ibique abjecta, pietati tota vacaret, ſtultitiæ inſimulata fuit, unde ait: *Novi ſuſurronem quendam, quaſi benevolum nuntiaſſe, quod præ nimio fervore virtutum, quibuſdam* VIDERETUR INSANA, *& cerebrum illius dicerent confovendum. Cui illa reſpondit: Theatrum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus: nos* STULTI *propter Chriſtum.* Tale ſpectaculum ſe præbuit Pſaltes Regius, dum poſita purpura, ac

r Stulti propter Chriſtum voluntaria paupertate, & ſui contemptu. ſ Bollandus 31. Ian.

t 4. Reg. 9. v. 7. v Hieron. Epiſt. 99. ad Aſellam. x Hieron. Ep. 27. ad Euſtoch. de Epitaphio Paulæ.

diademate, omníque cultu regio, lineo amiculo indutus, ſaltavit ante arcam; quem Michol ut ſtultum, & phanaticum irriſit: y *Proſpiciens per feneſtram, vidit Regem David ſubſilientem, atque ſaltantem coram Domino & deſpexit eum in corde ſuo, & egreſſa in occurſum David, ait: quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur unus de ſcurris. Dixítque David ad Michol: ante Dominum, qui elegit me, ludam, & vilior fiam, pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis.* Bernardus hanc prudentem Davidis ſtultitiam collaudans, qua Michol pro ſtulto illum exploſit, ſic ſcribit ad Ogerium: z *Ludam, & vilior fiam. Ludam ſcilicet, ut illudar. Bonus ludus quo Michol iraſcitur, & Deus delectatur. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum; ſed Angelis pulcherrimum ſpectaculum præbet. Bonus inquam ludus, efficimur opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.* Tum ſtudia eorum, qui ſtulti propter Chriſtum, inducens, ait: *Nam revera, quid aliud ſæcularibus, quàm ludere videmur, cùm quod ipſi appetunt in hoc ſæculo, nos per contrarium fugimus? non eſt hic ludus puerilis joculatorum, & ſaltatorum; non eſt de Theatro, qui fæmineis, fœdiſque anfractibus provocet libidinem, actus ſordidos repræſentet; ſed eſt ludus jucundus, honeſtus, gravis, ſpectabilis, qui cœleſtium ſpectatorum delectare poſſit aſpectus. Hoc caſto & religioſo ludo ludebat, qui dicebat: ſpectaculum facti ſumus Angelis, & hominibus: nos* STULTI *propter Chriſtum. Hoc ludo & nos interim ludamus, ut illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat qui exaltet humiles*, a *&* STULTA *mundi elegit, ut confundat ſapientes.* Hoc religioſo ludo ludebat Franciſcus, dum propè nudus, fune collo injecto, ſe ad ſaxum, quo facinoroſi puniendi, pertrahi curabat, indéque cunctis audientibus, ſe carnalem, & guloſum proclamabat, teſte Bonaventura *b*. Seraphici hujus Patris, non degener filius Jacoponus, juriſconſultiſſimus; *c* cujus lectiſſima conjux, cùm ſpectaculo intereſſet, rupto pegmate obtrita eſt, atq; etiamnum ſpiranti, dum Jacoponus diffibulare conatur, ecce ſub luxu pretioſæ veſtis, horridum deprehendit cilicium; hæſit ille attonito ſimilis, jamque animo verſans, quomodo illa ſæculo illuſerit, & ipſe mundo ludos exinde dare inſtituit, & bonis omnibus in egenos diſtributis, totus in eo fuit, ut omnibus deridiculo, deſpicatuique eſſet, & ſtultus pro Chriſto haberetur. *d* Tuderti, cùm ludi ſolemnes publicè ſummo populi concurſu celebrarentur; accenſus ingenti fervore (quem nonnemo furorem principio interpretabatur) ſeſe pubetenus denudavit, inſtratóque tergo clitellis jumentorum, poſtilena fræni vice, ori impoſita, manibus pedibúſque, quadrupedum ritu, proreptans, in confertam ſeſe ſpectantium turbam intulit; quo ſpectaculo tam inuſitato, pleriq; omnes attoniti, & propè exſternati, inter ſe intuentes, nihil, ut ſi elingues forent, collocuti, atque à foro dilapſi, ædes ſuas repetiverunt,

y 2. Reg. 6. v. 16. & 20. 21.
z Bern. Epiſt. 87, ad Ogerium.

a 1. Cor. 1. v. 27. b Bonav. in vita c. 6.
c Wadingus annal. min. à 1298. n. 25. & Raderus in virid. part. 2. c. 3. d n. 50.

runt, itáque ludi finiêrunt; quo finem ſuum conſecutus eſt. Alterum non minus facetum ſanctæ inſaniæ ludum dedit. *e* Jacoponi Germanus filiæ nuptias parârat, ad quas propinqui, ac neceſſarii jam confluxerant. Frater veritus, ne Jacoponus more ſuo honores publicos *inſaniæ ſimulatione* corrumperet, conſanguineum miſit, qui etiam atque etiam rogaret, vellet eo die perſonam Sapientis ſibi ſumere, nec inſania ſua nuptiis obſtrependo, familiæ notam aſpergere. Jacoponus legato reſpondit: fratri meo renuntiato, quemadmodum ipſe ſua allaborat prudentia, ut familiam noſtram, genúſque eo apparatu illuſtret; ita me quoque idipſum *amentia mea* cogitare, molirique. Itaque rem aggreſſus eſt: veſtibus ſe exuit, *corpúſque perunctum, in diſcoloribus plumis circumvolvit*, monſtrúmque horrendum, & ſupra omnes peregrinas, & Africanas feras, in ipſa gaudiorum maturitate, floréque nuptiarum, inter ſuos comparuit; quod adeò diſplicuit cognatis, ut omni pompa nuptiali, lætitiaque ſoluta, digreſſi ſint. Quid omnes ſanctas inſanias comprendere refert? finio, ubi illud unum recenſuero: *f* Civis fortè Tudertinus par pullorum mercatus fuerat, quos cùm domum vellet mittere, Jacoponum conſpicit, eúmque ut ſibi pullis domum ſuam deferendis gratificetur, orat; qui ſe verò libenter facturum pollicetur: cape igitur, ait ille, defer obſecro, nec mihi imponas velim. Jacoponus excipit; mihi tu fidito, domum ſuam pullos feram. Fide data, rectà ad ædem ſacram Sancti Fortunati, in qua civis monumentum ſuum habebat, ſe confert, ſepulchrale ſaxum molitur, vel ſubtus caveam ingreditur, & pullos injicit. Civis ad ædes rediit, pullos Jacopono commiſſos deſiderat; circumventum ſe ratus in forum recurrit, conſpectóque Jacopono, quò pullos detuliſſet interrogat? ille: in domum tuam, atque ut locum demonſtraret, in templum deducit, & tumulo oſtenſo, ubi abdiderat: ô amice, inquit, nunquid hæc domus tua eſt, juxta illud Prophetæ: *g Sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Hæc mundi Sapientes, ut ridicula ſtultorum, & dementium facta illudunt, cùm ipſa æterna Sapientia, qui *h ſtultitiam fecit ſapientiam hujus mundi*, ſeipſum ut ſtultum, & phanaticum illudi paſſus ſit *i*. Unde ſapienter ſtultus Jacoponus, amicè à Chriſto rogatus, cur adeò ineptiret, & hanc ſtultitiam adeò adamaret? reſpondit pro lepore, ut ſolebat: *quia tu* STULTIOR *me fuiſti Domine:* verè, & ſapienter, cùm ipſe Paulus Chriſtum prædicârit *Judæis ſcandalum, gentibus* STULTITIAM *k*. Quis hanc non admiretur, dum ante Herodem *Verbum* Patris, infans conſtitit, & Æterna Sapientia illuſa eſt veſte alba. Hugo Card. *l Domini taciturnitatem reputavit Herodes* FATUITATEM; *ideo illudens illi, quaſi* FATUO, *induit eum veſte alba*, cujus figuram David geſſit. Hac veſte perridicula, ſibilis, & ſannis expoſitus fuit Jeſus, & non modo in aula; ſed eductus, omni plebi, ludo & ludibrio fuit, ut paulo pòſt mili-

e N. 31. f N. 32.

g Pſal. 48. v. 12. v. 20. h 1. Cor. 1.
i Cornelius à lapide in 1. Cor. 1. v. 25.
k 1. Cor. 1. l Hugo in Luc. c. 23.

militibus in purpura fuit. Nonne veriſſimè Jacoponus, & omnes Sancti, ſtulti propter Chriſtum pronuntiare poterunt: *Quia tu* STULTIOR *nobis fuiſti Domine.* Jeſus omnium ſannis, & ludibriis exponitur: Jeſus ut amens, & fatuus illuditur! huccine recidêre omnes *Theſauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei*? Jeſus, de quo illud non minus verè, quàm magnificè pronuntiatum: m *Et pluſquam Salomon*; *hic* pro fatuo reputatur. Jeſus, cujus etiamnum duodennis Sapientiam Phariſæi, & legis Doctores mirabantur, ut *ſtultiſſimus virorum* illuditur. O Domine Jeſu, exclamat Bernardus, *quantò pro me vilior, tanto mihi charior.* Hoc æternæ Sapientiæ exemplo, compluribus aliis inſanire libuit, quos inter Philippus Nerius: n feſto S. Petri ad vincula, quo ſummus ad illam ædem concurſus, hic ſanctus in area illius templi ſaltavit: per plures menſes inceſſit inverſa tunica, pellibus extus obverſis: invitatus à Cardinale Alexandrino, ollam lentibus coctis plenam attulit: domi albis calceis incedebat, & veſte clericali poſita, ſola rubra interula ad genua indutus, viſitantes excipiebat, etiam Cardinales. Maximè hoc inſulſum videri poſſet: Beato Felici Capucino, qui vinum emendicârat, fortè obviam factus, arrepto vaſe coram aliis inſtar guloſi potitabat. o *Vultis aliam inſaniam*? ſubinde bárbâ ad dimidium abraſa, proſiliit in publicum. Innumera hoc in genere Lancicius, qui virum novit, enumerat, quibus ſe, & inter alios, Cardinalem Baronium exercuit. Sed ut infinitus ſtultorum ſæculi, ita & infinitus Sanctorum ſtultorum propter Chriſtum eſt numerus. Quis non ſtultum illud factum arguat, quo Adolphus, p Comes Holſatiæ, jam in Ordinem Seraphicum aſcitus, cùm lac emendicaſſet, filiis ſuis ſummo nobilium comitatu occurrens, ac pudore ſuffuſus, ut eum reſtingueret, omne lac ſuper caput ſuum effudit? *Vultis aliam inſaniam*? q P. Michael de Govierno, eximius Societatis noſtræ concionator, cùm ſemel ad noſtros verba facturus eſſet, tunicam ſuam diſruptam ſartori tradiderat reſarciendam: quæ cum hora exhortationis non eſſet relata, de humilitate dicturus, ut exemplo fidem faceret, cum thorace, & femoralibus, in mediam noſtrorū coronam proceſſit. Nec minus ſanctè deſipuit P. Bernard. Colnagus r vir ſtupendis prodigiis clarus: quæ ut infuſcaret, ſtultitiæ umbram objecit: talarem exutus tunicam, centonibus ſe involvit, detritam, brevem, lacerámque collo lacernam injicit: humeris dein manticam imponit, & pannoſus, ridiculéque ornatus, fune cinctus, male petaſatus, ſtulto propior, quàm mendico, ceteris rei novitate attonitis domo in publicum prodit; frequentiores urbis plateas, eo quidem tempore, quo fora, compitáque commeantium multitudine fervebant, lento paſſu obambulat: ex aliis in alios vicos tranſit, contumeliis, ſanníſque os præbiturus. Ac tandem ad noſtram Profeſſorum domum ita ſquallidus, & geſtu, & inceſſu, oréque incompoſitus divertit, ut à noſtris

m Matth. 12. v. 42. n Lancicius opuſc. 8. c. 4. n. 26. pag. 639. o Bern. cit.

p Plat. de bono ſtatus Relig. q Nier. doct. aſcet. r Ioan. Paul. in vita l. c. 7. §.

quoque

quoque haberetur mente captus, divini potius amoris captivus. Nec defuêre expetita tot votis,& tam ambitiosè quæſita, vulgi ludibria : nam & promiſcuæ fæcis homines,alii ſibilo, & cachinnis ſordidè lacernatum excipere: alii luto,& rancidis pomis tergo impactis, largiter inſectari : & mediæ fortunæ cives, hi admirari; illi neſcio cujus culpæ reum exiſtimare. Multi quoque è domeſticis plus æquo rigidi cenſores, factum initio carpere; at ubi exitus aperuit, ad magnum divinæ gloriæ incrementum, & oppidò claram Societatis commendationem id ceſſiſſe, laudatores effecti mirabantur, quam mordacibus dictis ſugillaverant. Hæc hactenus allata, ut magis miranda, quàm imitanda ſint; eò tamen conducunt, ut qui eo ſpiritu ducuntur, ſapientiam mundi, eóſque,qui viros religioſos,ut cucullatos ſtultos explodunt, confundant; atque ut Bernardus ſapienter monet,ut & nos ſæculi pompam,& punctum honoris, & reſpectus humanos aſpernantes, mundo illudamus, parati, ut inquit *S.P.N.Ignatius, pro* STULTIS *haberi*, nullam ad hoc occaſionem, ne ſcandalo ſimus, dantes, ſed ubi malevolorum, & ſtultorum ſannis a[illegible]ur, pro Chriſto illudi ga[illegible]us. ſ *Hoc ludo & nos ludam[illegible] illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat is, qui exaltet, &* STULTA *mundi* confundat. Quantum verò hos ſtultos propter Chriſtum, DEUS exaltet etiam in hac vita, paucis perſtringam; quantum verò in cœlis gloria decorentur, patet in ſanctis, quos enarravi; atque ex ipſo,ut mox ſubjiciam; damnatorum, qui hos inſenſatos duxerunt, teſtimonio comprobabo.

ſ Bern. Ep. 87.

Stultos pro Chriſto jam plures audîſtis, unam alterámve etiam mundo fatuam, à Deo exaltatam,& inter Virgines prudentes habitam, ſuggerit Raderus noſter. *t* In cœnobio Thebaidos, ſupra 300 virgines degebant; quas inter,una, nomine Iſidora, amentiam ſimulabat Exercebat infima, & abjectiſſima munia, velut ſpongia, & purgamentum monaſterii. Ad hæc, verbis,verberibus,pugnis tundebatur: neq; cum aliis accumbere; ſed analecta legere illi licebat. Caput vili ſordidóque panno obvolvere, æternùm ſilere ſolebat. Erat id temporis Abbas Pitiron,Anachoreta, qui ſibi de rigore, ac vitæ ſanctimonia cùm applauderet, cœleſti monito ab Angelo edoctus eſt,in tali cœnobio unam eſſe diademate redimitam, quæ longè illum ſanctitate ſuperaret. Viſit cœnobium,rogátque omnes virgines ſibi ſiſti: adſunt omnes; at ille nullius caput diademate fulgere animadvertit. Sciſcitatur itaque an nulla ſupereſſet? unicam,inquiunt, fatuam in culina occupari; & hanc adduci imperat,vi protrahitur: qua conſpecta,Pitiron ad pedes ejus ſe abjecit,& illa illius advolvitur. Tum ille: vos, inquit, omnes ſtultæ eſtis, & illa me, & vos omnes ſanctitate exſuperat. Hic omnes attonitæ, in genua provolutæ, veniam rogant, ac quæque quàm indignè eam tractarit,confitetur: Sed Iſidora, quæ jam pridem laudes hominum, inſanias duxerat, fugam arripiens, in vaſtam ſolitudinem

t Raderus in Viridario de S. concluſis cap. 3.

T 2

tudinem ſe abdidit. Ubi orbe toto, ſingulari vitæ ſanctimonia luxit, meruitque inter prudentes virgines, ad nuptias Agni introire. Alteram addo, & concludo. v S. Berengariam, Ordinis S. Franciſci, virginem Luſitanam, quæ viliſſimis culinæ miniſteriis impendebatur, & totius domus peripſema habebatur: mortua Abbatiſſa, cùm eam dignitatem plures moniales ambirent, ſcripto ſingulæ ſuffragium dedêre huic Berengariæ, quia hanc ut ineptam, & fatuam, minimè eligendam arbitrabantur. Interim ut Commiſſarii calculos collegére, eam pluralitate vocum Abbatiſſam declarârunt: cui cùm nobiliores ſubeſſe, & obedientiam præſtare renuerent, accidit mirabile prodigium, ſepultæ illic in capitulo è tumulis ſurrexere, quæ ſeptem numero, ad pedes ejus ſupplices advolutæ, ſuperiorem agnovêre, & veneratæ ſunt; quo ſpectaculo cæteræ territæ ſeſe omnes ſubmiſere, manifeſtò cognoſcentes, quia x STULTA *hujus mundi* elegit Deus, ut confundat *ſapientes*. Erit aliquando illa dies magna, & amara valde: dies revelationis, quando mortui è tumulis ſuis tyranni, & potentes, ac amantes ſæculi reſurgent, & videntes Sanctos in gloria, horrendùm vociferabuntur: y *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus* INSANIAM. *Nos inſenſati*, qui rabiem noſtram ſanguine tot virginum, ac puellorum exſatiare, & Chriſtum è cordibus eorum auferre conabamur: quos ridentes in equuleis, ſaltantes in rogis, ut inſanos æſtimabamus: Ecce quomodo exaltati ſunt, quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt! *Nos inſenſati*, qui bruta temulentia & crapula torrentes voluptatis æternæ amiſimus, & in *ſtagnum ignis & ſulphuris* præcipites ruimus! *Nos inſenſati*, qui injuſto exigui, móxque perituri boni, lucro, ſummi & omnis boni jacturam fecimus! *Nos inſenſati*, qui pro brevi unius noctis delectatione, deliciis cœli (ubi dies una, hora una, momentum unum ſuper millia delectationis terrenæ) excluſi, in terribilium hunc tormentorum locum devenimus! *Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam*, ſtultos ducebamus, prudentes in Chriſto. Cæteris ſaltantibus, potitantibus, bacchantibus, ſacro ſe epulo reficere, templa frequentare, genium defraudare, *æſtimabamus inſaniam. &c.* Hæc ne & vos lugeatis, inſonat Sapiens: z *O gens abſque conſilio, & ſine prudentia! utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent!* quæ verba Doctor Seraphicus attenta, & ardenti meditatione expendens, omnium animis altè impreſſa eſſe voluit: a *Utinam*, inquit, *ſaperent damnatorum multitudinem, ſalvandorum paucitatem, & temporalium rerum vanitatem! intelligerent peccatorum multitudinem, bonorum omiſſionem, temporis amiſſionem: providerent mortis periculum, extremum judicium, æternum ſupplicium.* Qui hæc ſecum viva mente ruminarit, omnem mundi ſtultitiam irridebit, omnéſque illos fatuos lugebit, *qui tenent tympanum & citharam, & ludunt ad ſonitū organi: ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

v Wadingus in annal. minor. anno 1308. x 1. Cor. 1. y Sap. 5. v. 4.

z Deuteron. 32. v. 28. a Bonav. opuſc. de contemptu ſæculi.

DIES TERTIUS ANTECINERALIUM
SEU
BACCHANALIUM.

Delectare in Domino. Pſalm. 36. v. 4.



Veſcitur aurâ
Ætherea. Virg. 1. Æneid.

ARGUMENTUM.

MOrtales omnes gaudere, & voluptatibus frui deſiderant; at graviſſimè errant, & hallucinantur, qui neglectis veris, & ſinceris, hic fictas, fluxas, & amari-

amaritudine plenas ſectantur. Sic etenim Auguſtinus: b *Scimus, Fratres, quod omnis homo gaudere deſiderat, ſed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri. Rem bonam quæris; ſed non in regione ſua: ibi non eſt, ubi quæritur.* Omnes Sardanapali deliciæ, & Cleopatræ epulæ, c *plus aloes, quàm mellis habent*, gulæ porrò, & temulentiæ immerſi impendentem cervicibus ſuis, vindicis Dei rhomphæam habent, & acerbiſſimis intus conſcientiæ punguntur aculeis. De quibus chriſtianè gentilis Philoſophus: d *Ipſæ voluptates eorum trepidæ, & variis terroribus inquietæ ſunt: ſubitque, cum maximè exultantes, ſolicita cogitatio: hæc quamdiu?* mitto morborum agmina, & repentinas mortes, ut Siracides teſtatur: e *Propter crapulam multi obierunt, & plures quàm gladio.*

Alias vobis hodie epulas propono, alias delicias propino, f *quibus comparata omnis alia jucunditas, mœror eſt: omnis ſuavitas, dolor: omne dulce, amarum. Has gVſtate, qVonIaM DVLCes.*

§. I. RISUM REPUTAVI ERROREM, ET GAUDIO DIXI, QUID FRUSTRA DECIPERIS? *Eccleſ. cap. 2. v. 2.*

§. II. JUSTI EPULENTUR ET EXULTENT IN CONSPECTU DEI, & DELECTENTUR IN LÆTITIA. *Pſalm. 67.*

§. III. *Deliciæ menſæ Euchariſticæ, in qua hiſce diebus juſti ſplendidè epulantur.*

§. IV. GAUDETE IN DOMINO SEMPER. *Ad Philipp. 4. v. 3.*

b Auguſt. Serm. 30 de Sanctis. c Iuvenal, Sat. 6. d Seneca de brev. vitæ, c. 16 e Eccleſ. 37. f Bernard, Epiſt, 114.

DIES

DIES TERTIUS ANTECINERALIUM
SEU
BACCHANALIUM.

Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? Eccleſ.cap.2.v.2.

ARiſtoteles, teſte Plinio, g *vir immenſæ ſubtilitatis*, veriſſimum illud, omnium experientiâ comprobatum, tulit effatum: h *Omnes homines naturæ inſtinctu* DELECTATIONES *quærere*; nemo non, ut ſecundum genium ſuum, & ingenium vivat, delectationes, delicias, voluptates, & gaudium ſpectat. Eò videmus omnium ſtudia, induſtriam, & labores, nobilium, militum, mercatorum, cauſidicorum, opificum inſudare; quod Antiochenus Doctor, & magni Pauli diſcipulus, hoc aureo tradit oraculo: i VOLUPTATEM *enim quærunt*, & GAUDERE *cupiunt omnes, & propter hoc omnia faciunt, & dicunt, & negotiantur. Etenim mercator propter hoc navigat, ut pecunias congreget: congregat autem, ut habens repoſitas*, GAUDEAT. *Exercitus ductans propterea tractat arma, & agricola propterea terram colit, & artem quiſque ſuam propterea tractat. Dominationis cupidi, ideò cupiunt, ut gloria fruantur. Gloria verò frui volunt, ut* GAUDEANT; LÆTITIAM *quippe, quod dixi, amant omnes.* Hoc indies videre eſt; & ne longior ſim ſingulos recenſendo: opifices attendite, qui noctes, & dies in officinis per omnem hebdomadam reſudant, ut Dominicâ aut Feſtâ luce potitent, epulentur, ac multo labore, & ſudore parta abliguriant, & *gaudeant*. Idem in puellis, ac domicellis ævi noſtri animadvertere eſt, quæ aut fuſo trahendo, aut operi dentato, à ſummo manè in ſeram noctem intentæ ſunt, ut cycladem ſibi novam comparent, & ſplendidius indutæ glorientur, & *gaudeant*. Quò ſpectat aliò omnis his Bacchi feſtis, ludorum, ferculorum, conviviorum, in quæ totius anni cenſus, uno die expenduntur, apparatus, niſi ut *gaudeant?* vel ipſi mendici, qui ſtipe ſua honeſtè vivere poſſent, eam coacervant, ut ſemel genio indulgeant, & *gaudeant*. Ex hujuſmodi ſpectaculo verum & ſincerum gaudium ſectari didicit Auguſtinus, dum ait: k *Tranſiens per quendam vicum Mediolanenſem, animadververti pauperem mendicum, jam credo ſaturum*, JOCANTEM *atque* LÆTANTEM; & nos, inquit, nihil

g Plin.lib.18.c.34. h Ariſtot. lib. 7. Ethic.c.13. i Chryſ.hom. 18. ad popul.

k Auguſt.lib.6.conf.c.6.

volebamus aliud, *niſi ad ſecuram lætitiam pervenire, quò nos mendicus ille jam præceſſiſſet, numquam illuc fortaſſe perventuri: quod enim jam ille paucùlis, & emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ærumnoſis anfractibus, & circuitibus ambiebam, ad* LÆTITIAM *ſcilicet temporalis felicitatis.* Tum gaudium, & lætitiam hujus mendici expendens, ſubdit: *Si interrogarer, utrum me talem mallem, qualis ille eſt, an qualis ego eſſem? meipſum curis, timoribúſque confectum eligerem.* Rationem epiphonematis loco ſubtexit: *Quia intereſt,* UNDE QUIS GAUDEAT. *Gaudebat mendicus ille vinolentiâ, & ipſa nocte digeſturus erat ebrietatem ſuam; illud verum gaudium non erat; intereſt verò unde* QUIS GAUDEAT. Intereſt plurimùm an de terrenis, caducis, fluxis, & fictis bonis; an de cœleſtibus, æternis, veris bonis *quis gaudeat.* Non plus poteſt eſſe anima ſine delectatione, quam ſine reſpiratione. Quamdiu ſpiras, ſemper in aliquo, quo quieſcas, reſpiras. Itaque cùm delectari neceſſe ſit, debes delectari caducis, aut æternis: humanis, aut divinis: terrenis, aut cœleſtibus. Illa eſt mens D. Gregorii, cujus S. Iſidorus tantas tradit eſſe dotes in ſcriptis ab eo libris, ut, l *quanta myſteria ſacramentorum aperiantur in illis, quantáque ſint in amorem vitæ æternæ præcepta, vel quanta clareant ornamenta verborum, nemo ſapiens valeat explicare, etiamſi omnes artus ejus verterentur in linguas.* Hic ejus ſenſus, hæc aurea ſententia eſt: m *Eſſe ſine delectatione anima nunquam poteſt: nam aut infimis delectatur, aut ſummis.* Quid te abjicis ad infima, qui natus es ad ſumma? non modò quęris ſemper habere ſumma, ſed ambis ubique eſſe ſummus: nuſquam non primus. Cæſar tam erat intemperanter ambitioſus, ut maluerit in ignobili vico eſſe primus, quam in arce Urbis Romæ ſecundus. Nónne hæc eſt ſtultitia ſumma, velle in omnibus eſſe ſummum, præterquam in delectatione? unde exſpectandum ſummum gaudium, niſi in ſummo bono? quidquid uſquam ulli ſenſui, vel rationi, vel voluntati occurrit delectabile, numquid eſt ex eo, qui eſt ipſa delectatio, & qui fecit omnia delectabilia? quaſi vero plus te delectabit aliquid delectabile, quàm ipſa delectatio: n *Delectare in Domino*; ne timeas delectabilia carnis, & mundi amittere, quæ fucata, fallibilia, & falſa; ſuccedent vera, & ſolida gaudia; experto credite Auguſtino, qui eo momento, quo ſe voluptatibus, & mundi deliciis ſubduxit, exclamat: o *Quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt, carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat.* Scitis unde? quia pro ſenſualibus cœleſtes, pro brutis divinæ animo inſtillabantur: ſic enim ſubdit: *Ejiciebas eas à me, vera tu, & ſumma* SUAVITAS; *ejiciebas, & intrabas pro eis omni* VOLUPTATE *dulcior.* Fugaces, ac fallaces voluptates ſpernendo, nullum delectationis patieris damnum; accipies cum fœnore lucrum, teſte eodem Hipponenſi Præſule: p *Homini omni converſo ad Deum, mutatur delectatio, mutantur deli-*

l S. Iſidor. lib. de viris illuſt. m Sanctus Gregor. lib. 18. moral. c. 8.

n Pſ. 35. o Aug. lib. 9. conf. c. 1. p Idem lib. de catech. rudib. c. 16.

tiæ: non enim ſubtrahuntur, ſed mutantur in ſanctiores, in puriores: pro illicitis licitæ, pro turbidis claræ, pro ſordidis intaminatæ ſuccedunt Citò ſentit dulciores eſſe fructus juſtitiæ, quàm iniquitatis, & verius atque jucundius GAUDERE *hominem de bona conſcientia inter moleſtias, quàm de mala inter delicias.* Filius prodigus qui è cœno vitiorum, & harâ porcorum, ſe ad ædes, & menſam paternam contulerat, *à carne ad ſpiritum redierat, citò ſenſit dulciores eſſe fructus juſtitiæ, quàm iniquitatis.* Juvenis quivis, puella quæ à *carne ad Spiritum*, à vanitate ad veritatem, à mundo ad Religionem, à terra ad cœlum mentem erigit, *non perdit* LÆTITIAM *ſed mutat.* Quid aliud Pſaltes monet, dum dixit: *Delectare in Domino?* Quid aliud Paulus clamat, dum dixit: q *gaudete in Domino ſemper*? quid aliud Sapiens inculcat his verbis: r *Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed* LÆTITIAM & GAUDIUM? quo ut vos omnes frui poſſitis, atque ad illud unicè ſectandum, animos veſtros inflammem, fallaces ac fucatas primum mundi, & Bacchi voluptates; tum veras ac ſinceras ſpiritus delicias, in Deo repoſitas, comprobabo.

§. I.

Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? Eccl. c. 2. v. 2.

(ſ) RECurrerat fortè annua celebritate, feſta ac ſacra Belo lux, quæ publicis ludis, ſpectaculis, epulis, ſympoſiis, tripudiis, à Babyloniis agebatur; hac porrò potentiſſimus Aſſyriorum Rex Balthaſar: t *Fecit grande convivium optimatibus ſuis mille*; non conviviũ dixiſſes, ſed Amphitheatrum quoddam, in quod omnes ſenſuum cupiditates de palma certaturæ convenerant. Primum quidem ad oculi laſcivientis delicias compoſita cœnatio: Quidquid auri, argenti, & gemmarum conquiſierat, in ipſis abacis, chryſendetis, in amphoris, cantharis, pateris, ſimulachris, partim etiam in parietum ornamentis relucebat. Tum ſuæ exquiſitiſſimæ guſtui voluptates adinventæ: is enim ut expleretur, bellum cœlo, terris, & mari, ad internecionem uſque fuerat indictum, ut ex omnium animantium ſpoliis, una menſa conſurgeret: hîc non una Æſopi patina, ſed innumeræ: in quibus ſcarorũ jecinora; phaſianorum, & pavonum cerebella; linguæ phœnicopterorum; murenarum lactes, à Carpathio uſque, atque ultimo Oceano petita. Admodulabantur auribus pueri ſymphoniaci, ac omne genus muſicorum; & ne quid perfuſis hac delectatione convivis vacaret; nares arcanis exindè teſtulis emiſſa balſama, & odoriferi liquores, gratiſſimo ſuffitu reſpergebant. Denique ſine quibus hæc non ſolum Belo, ſed & Chriſtianorum Baccho ſacra ſympoſia vix celebrantur, aderant & veneres, & lectæ forma puellæ: *bibebant enim Rex, & optimates ejus, & uxores, & concubinæ illius*; omnia ludis, jocis, riſu, cachinnis perſonabant: nihil huic feſti-

q Ad Philipp. 4. r Sap. 8. ſ Pererius in Daniel, l. 6. c. 3. Salian. an. mundi 3516.

t Daniel, c. 5.

feſtivitati, & luxui barbaro abeſſe gaudii, lætitiæ, ac felicitatis credebatur; dum ecce jam ſecurè perpotatum, helluatum, pergræcatum, laſcivitum; dum hilaritas convivalis maximè ferveret, *in eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis*. Impio ac temulento Regi ſententia judicis quàm apertiſſimè denunciatur, voluitque Deus judicii ſui æquiſſimi, quàm plurimos habere teſtes. Aderant autem convivarum mille, ampliſſimum fæminarum gynecæum, tot famuli, famulæ, qui omnes ſpectatores, & teſtes vigilantiſſimam Dei vindictam in oculis habebant, & ſcripturam in pariete manifeſtò ſpectabant. Breve prorſus, ſed terribile epiſtolium, quo turbatiſſimum convivium: nam *facies Regis commutata eſt*, & in triſtem ac mortualem pallorem verſa; & *cogitationes ejus, conturbabant eum*; cor pavefactum, & attonitum; conſcientia mille angoribus, & doloribus lancinabatur, omnia, ſibi extrema reformidabat: *Compages quippe renum ejus ſolvebantur*; v interno timore, tremorem membris omnibus communicante: quæ ſigna ſunt naturæ quodammodo præſagientis imminentem ſibi mortem. Vehementiam pavoris auget, quod ſubditur: *Et genua ejus ad ſe invicem collidebantur*. Audite helluones, bibones, & ganeones: vos jam in conviviis ad pocula, totos pænè dies, totáſque noctes læti & hilares laſcivitis, futurarum rerum ſecuri, oblivioſo maſſico, & effuſo riſu æternitatem ſepelitis; ſed numquid inter ipſas epulas, & delicias ſcriptitantem manum illam non cernitis; jam movet digitos, jam ſcribit, brevi ſuam finiet ſcripturam. Deus ab æternis ſæculis ſuum moriendi diem, horam, momentum cuivis hominum præfinivit: conſtituit terminos non pretereundos. Fortaſſis hæc ipſa dies, aut hæc nox, hæc ipſa eſt hora, qua ſtricto ſiſtaris Judici; fortaſſe in hoc ipſo conviviali luxu, in hac ipſa ebrietate, temulentus ad tribunal Dei rapieris. Daniel ad Babylonium Regem accitus, invectivam omni Verrina, aut Philippica acriorem, coram omnibus exorſus, decretoriam ſententiam palàm expoſuit: *Mane. Thecel. Phares.* MANE, *numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud. Thecel, appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens. Phares, diviſum eſt regnum tuum &c.* Quibus prolatis, quanta, Deus immortalis, hic fuerit omnium conſternatio, quàm perturbata, in imminenti exitio conſilia, ubi rumor increbuit, jam hoſtes in vallo eſſe, jam Cyrum muros occupâſſe, quis ſatis aſſequatur?

x *Quis cladem illius noctis, quis funera fando*
Explicet, aut poſſit lacrymis æquare dolores;

Ea quippe *nocte interfectus eſt Balthaſar*, tota Babylon cum ſuis convivis, potatoribus, ſcortatoribus tradita in ruinam, & deſolationem; verſa eſt in luctum cithara, plauſus in planctum, riſus in fletum, gaudium in acerbiſſimum mœrorem. In rem noſtram diſertè, & divinè Rupertus: y quod in medio convivii, manus illa nocte apparuit, & jam temulentorum Regis optimatum, ejus

v Pereriꝰ hic.

x Virg. 2. Æneid. y Rupert. in Dan. c. 9

ſecu-

ſecuritatem viſione horribili fortiter conterruit, ſic ait: repentina & improviſa dies illa ſecuris, & contemptoribus Dei ſupervenit, (& omnibus hic bacchantibus compotantibus, & luxuriantibus) ipſo atteſtante, cùm dixit: z Sicut factum eſt in diebus Noë (quando perpetua quaſi Bacchanalia, & lupercalia celebrabantur) ita erit in diebus filii hominis. Edebant, & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, & venit diluvium, & perdidit omnes.

Audite hæc ebrii, audite temulenti, qui aſſidetis menſis, ridetis, canitis, laſcivitis, omnia vobis læta & ſecura ſunt; & quàm brevi hæc omnia gaudia peritura; & riſum ac organa, in vocem flentium convertenda, non attenditis. Calamo, & pedo gravem Antiſtitem auſcultate: a *Proſpera hujus mundi, aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam: certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidam quietem, rem plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem.* Non ſum Propheta, nec Filius Prophetæ, qui vobis inſtar Danielis hæc triſtia pandam oracula; ipſæ ſacræ paginæ pro me loquuntur. Nonne mortalium Sapientiſſimus, multis antè ſæculis, totam noctis hujus faciem, convivarum tumultus, Regis, atque omnium compotantium, gaudentium, ac ridentium cædes, in ſpiritu ſibi objecta explicare viſus eſt, dum exclamat: b *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* Hieronymus vertit: *riſum dixi amentiam;* quis autem verum gaudium amentium riſum duxerit? Lyranus *riſum* exponit *ineptam lætitiam,* quam reputat *errorem*, quia *convertitur in triſtitiam*, & fletum ſempiternum. Fidem, ſi libet, optimo magiſtro morum, Romano Philoſopho habetote, qui hæc ſibi de brevitate vitæ: c *ipſæ voluptates eorum* (de quibus hic agimus) *trepidæ, & variis terroribus inquietæ ſunt: ſubítque, cùm maximè exultantes, ſollicita cogitatio:* HÆC QUAMDIU? addite & illud: *quid poſt hæc?* ô ſi interiores animi latebras, & recondita conſcientiæ adyta introſpicere daretur eorum, qui hic epulis diſtenduntur, deliciis & voluptatibus affluunt, ducunt in bonis dies ſuos! quos non paſſionum variarum æſtus, & procellas: quàm inquietam & turbulentam timoris, anxietatis, amaritudinis, ſceleris plenam tempeſtatem conſpiceremus? huc forte oculos intendit D. Chryſoſtomus, dum dixit. d *Explica mihi* (epulonis, & helluonis) *iſtius conſcientiam: & videbis intus gravem peccatorum tumultum, perpetuum metum, tribulationem, & tempeſtatem.* Hic internus hodierna die epulantium, helluantium ac bacchantium, inter citharæ ſonos, *tumultus eſt*; hic inter oſcula & amplexus, *metus*; hæc inter lautitias, *tribulatio*: hæc inter pocula & ſympoſia, & ubi omnia læta ac tranquilla, videntur, *tempeſtas.* Quiſque eorum jure uſurpare poteſt illud Iſaiæ: e *Ecce in pace, amaritudo mea amariſſima*: quia pax foris & bellum intus: foris luxus, & intus luctus: foris dulcedo, & intus amaritudo.

z Matt. 24. a Aug. in pſ. 36. b Eccleſiaſt. c. 2. v. 2. c Seneca de brevitate vitæ c. 16. d Chryſoſt. orat. 1. de Lazaro. e Iſa. 38.

Quod obſervans D. Ambr. f *Peccator*, inquit, *quamquam foris abundet; deliciis diffluat, fragret odoribus* (ecce pacem, & proſperitatem exterius) *in amaritudine vitam exigit*; *quia* g NON EST PAX IMPIIS, DICIT DOMINUS. Vertit hoc cum ſeptuaginta D. Bernardus: h *non eſt gaudium impiis.* Summa maris tranquillitas & malacia, quandoque nautis ſubiti turbinis ac tempeſtatis præſagium eſt; ſic inter mundanas voluptates, & carnis delicias fluitantes, nôrint ſibi tum maximè à naufragio animæ timendum, dum omnia pacata, & tranquilla videntur. Hoc ſapienter monuit Hieronymus Heliodorum: i *Licet*, inquit, *in modum ſtagni, fuſum æquor arrideat* (dum oculis, & auribus, & palato, & omnibus ſenſibus gratiſſima quæque lenocinia arrideant) *intus incluſum eſt periculum: intus eſt hoſtis. Tranquillitas iſta, tempeſtas eſt*. Quemadmodum qui damnati ſunt capitis, neque ridere, neque gaudere, aut ſomno, aut cibo, aliáve re delectari poſſunt; quia mortis imminentis terror animo obverſatur; ita multò minus verum gaudium, ſincera voluptas, illorum mentibus ineſſe poteſt; qui Chriſtiana fide, & conſcientia dictante, certò nôrunt ſe ex æterna judicis ſententia ad mortem æternam, & gehennæ cruciatus damnandos, ſi in eo ſtatu repentino fato obruantur. Quod animadvertens Chryſoſtomus, ait: k *peccatori neq; ſomnus ſuavis; ſed terrore, & formidine plenus: neque cibus voluptatem præbet: neque amicorum colloquia talem refocillare, aut liberare ab anxietate poſſunt.* Hoc ingenioſo ad mores documento expreſſit Dionyſius Tyrannus, in Damocle, à quo fortunam ſuam auream deprædicari audierat, l quam ut experiretur collocari juſſit (Dionyſius Damoclem) in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, magnificis operibus picto: abacóſque complures ornavit argento, auróque cælato. Tum ad menſam eximia forma juvenes juſſit conſiſtere: eóſque ad nutum illius diligenter intuentes miniſtrare. Aderant unguenta, coronę: incendebantur odores: menſæ conquiſitiſſimis epulis extruebantur. *Fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari, ſeta equina appenſum demitti juſſit: ut impenderet illius Beati cervicibus.* Itaque nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenū artis argentum, nec manum porrigebat in menſam Jam ipſæ defluebant coronæ. *Denique exoravit tyrannum ut abire liceret, quod jam beatus nollet eſſe.* Tum illud Tullianum, verè Chriſtianum, epiphonema ſubjicitur: *Satíſne videtur declarâſſe Dionyſius, nihil eſſe ei beatum, cui ſemper aliquis terror impendeat?* Quot hiſce diebus, huic Damocli, inter conviviorum luxum, & omnium deliciarum apparatum, inquieto & anxio ſimiles reperiuntur? qui dum cum divite illo Evangelico, *epulantur quotidie ſplendidè*, inter ſaliares epulas, & exquiſita fercula, eorū imminet cervicibus Rhomphæa divinæ juſtitiæ, è tenuiſſimo humanæ vitæ filo pendens.

f Amb. lib. 1. offic. c. 12. g Iſa 57. v. 21. h Bern. ſerm. de obedient. & pacientia. i Hieron. Ep. 1. ad Heliodor. k Chryſoſt. hom. 20. in Gen.

l Cicero in quæſt. Tuſc. lib. 5.

Quam

Quam ob rem mirum non eſt, quod in tam gravi diſcrimine, unde ſemel tota pendet æternitas, quietè & lætè nequeant ori cibum ingerere: quod iis inter tot gulæ irritamenta exquiſitorum ferculorum, & cupediarum, ſapor ipſe deſipiat: quod denique, ut verè Chryſoſtomus, m *cibus eis non præbeat voluptatem.* De ejuſmodi convivio, in quo perturbatæ peccatoris conſcientiæ divinæ ultionis gladius impendet, ipſe dixit Ambroſius: n *Vides convivium peccatoris? interroga conſcientiam ejus. Intueris lætitiam? Introſpice ulcera, & vibices animæ ejus, cordiſque mœſtitiam*: gladio ſcilicet capiti ejus impendente inter dapes. Sic eum depingit Poëta:

o *Diſtrictus enſis, cui ſuper impia*
Cervice pendet, non ſiculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem.
Non avium; citharæque cantus
Somnum reducent.

Rea conſcientia, ut furialis Erynnis, ferro & flamma, & multiplici dracone cincta, tetróque illo apparatu circumſiſtit, ac terrifico ſuo aſpectu flagellum intentat. Adeſt domi, comitatur foris, non deeſt in lecto, ſævior in tenebrarum horrere. Ubique protervè ſe inſinuat, omnes importunè interpellat, nuſquam non audacter ſe ingerit, nunquam non oculis ſeſe objicit: inter mimos & hiſtriones comicos, cothurnis incedens, excitat tragœdias; inter ludiones illudit inſolenter, dum ludos ludit inſolentes. Licet in geniali convivio, in Pontificiis cœnis, volitet per triclinium, ſepta jocorum comitatu hilaritas; nulla tamen vel tunc eſt in fronte ſerenitas, in mente tranquillitas, in corde ſuavitas. Dum inter belluata aulæa canunt aulœdi fidibus, adeſt illa bellua, & aures infeſtat luctibus: dum illi delectantur fœdis feſcenninis, illa terret triſtibus elegiis: inter epithalamia proponit illis epitaphia. Pontificem Maximum audite. p *Quis unquam diem totum duxit in ſua delectatione jucundum? quem in aliqua parte reatus conſcientiæ, vel impetus iræ, vel motus concupiſcentiæ non turbavit? Quia* ergo *intereſt*, & multum intereſt, *unde quis gaudeat* q; ille verum, & ſolum, & ſolidum gaudium ſectatur, eóque perfruitur, qui delectatur in Domino, qui jugi ſecuræ conſcientiæ convivio epulatur, qui ſuaviſſimis divini amoris lacrymis potatur, & Euchariſticis deliciis ſaturatur; quod, quò maniſeſtius omnibus innoteſcat, & quas mundus, & quas Deus voluptates proponat, conferamus.

§. II.

Juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur IN LÆTITIA. Pſ. 67.

QUod Romanis olim monitum gentilis Philoſophus tradidit, aptiſſimum hiſce temporibus accommodatur Chriſtianis: r *His*, inquit, *maximè diebus, animo imperandum eſt, ut tunc voluptatibus ſolus abſtineat, cùm in illas, omnis turba procubuit. Certiſſimum argumentum fortitudinis ſuæ capit, ſi ad blanda, & in luxuriam trahentia, nec it, nec abducitur. Hoc multò fortius eſt*,

m Chryſ. cit. n Amb. l. 1. off. c. 12. o Horat. l. 3. Carm. Ode. 1.

p Innocent. l. 1. de contemp. mundi c. 20. q Aug. l. 6. conf. c. 6. r Sen. Ep. 18.

ebrio ac vomitante populo, ſiccum ac ſobrium eſſe: eadem, ſed non eodem modo facere. Licet enim ſine luxuria agere feſtum diem. Non adeò ſtoicus ſum, aut ſevero ſupercilio, ut omnem vobis hiſce diebus honeſtam refectionem, & corporis, ac animi relaxationem interdicam. Eadem, qui Bacchanalia ducunt, ſed non eodem modo facere: lautius epulari, moderatè genio indulgere, propinquos & amicos convivio adhibere, liberaliori hauſtu excipere, licere non diffiteor: *Licet enim ſine luxuria*, ſine temulentia, ſine crapula, ſine petulantia, ſine peccato, *agere diem feſtum*, quod SS. Patribus video probatum. Gregorius Nyſſenus: ſ *Moderata menſa ſufficit tibi. Ne te in illud luxuriæ pelagus demittas, ut convivia omni genere ciborum, inſtructa velis: illic enim grave naufragium fit, quo non ſcopulis ſub ſalo latentibus collideris; ſed in altiſſimam & obſcuriſſimam voraginem detruderis: in quam qui ſemel inciderit, nunquam emerget. Utere igitur, utere, ne abutaris. Sic enim Paulus etiam docuit: modeſta oblectatione te recrea, temperanter animum relaxa. Ne te deliciæ ſic obruant, ut nimia lætitia geſtias, & inſanias, voluptatibus* DEBACCHERIS, & Chriſtiano homine indigna committas. Verùm in perditos ſæculi ſui mores jure inſurgit Maſſilienſis Antiſtes Salvianus: t *Nobis gaudere & ridere non ſufficit, niſi cum peccato, atque inſaniâ gaudeamus: niſi riſus impuritatibus, niſi flagitiis miſceatur. Quis rogo hic error eſt, quæ ſtultitia? nunquid lætari aſſiduè, & ridere non poſſumus, niſi riſum noſtrum, atque lætitiam, ſcelus eſſe faciamus? an fortè infructuoſum putamus gaudium ſimplex, nec delectat ridere ſine crimine? quod, rogo, hoc malum eſt, aut quis furor? rideamus, quæſo, quamlibet immenſuratim, lætemur quamtumlibet jugiter, dummodo innocenter. Quæ vecordia eſt, & amentia, ut non putemus riſum & gaudium tanti eſſe, niſi in ſe Dei habeat injuriam?* nec diſſonat illud Chryſologi in obtendentem ludicris impiis jocos: v *Erras homo, non ſunt hæc ludicra, ſunt crimina. Quis de impietate ludit? de ſacrilegio quis jocatur? piaculum quis dicit riſum? ſatis ſe decipit, qui ſic ſentit. Qui jocari voluerit cum diabolo, non poteſt gaudere cum Chriſto. Nemo cum diabolo jocatur impunè.* Hodie vos gaudere, & ridere ſine peccato, imò cum virtute ac merito; lætari jugiter, & innocenter poſſe, oſtendam.

Innocentius Pontifex Maximus de contemptu mundi agens, hæc inter cetera ad rem noſtram adducit: x *Tam brevis eſt gulæ voluptas, ut ſpatio loci vix ſit quatuor digitorum: ſpatio temporis, vix ſit totidem momentorum.* O anguſta voluptas! ô breve gaudium! quod contrahitur ad tam arctos limites loci & temporis. Et tamen quid non agunt mortales, ut ſaginent corpus, ut lenocinentur crapulæ, ut farciant ventrem? quidquid aviū volitat, quidquid piſcium natat, quidquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus. Videas integra jam oppida, integros pagos luxuriæ miniſtrare: alii nil niſi retia & laqueos, ut piſcentur exoticos piſces: alii pedicas, ut aucupentur peregrinas aves, præparant.

ſ Nyſſen. de paupert. amandis. t Salvian. lib. 6. de provident.

v Chryſolog. Serm. 155. x Innocent. de contemptu mundi.

y Scrutantur alii terras, alii maria, reptilibus hi incumbunt, conchilia, & oſtrea eruentes. Iſti ut condimenta cibis miſceantur, claſſibus Oceanum ſecantes, ad Indos, & Molucas, ad nationes vix nomine notas confugiunt, ut unius hominis genio, & gulæ indulgeatur: ſic raritate, & difficultate irritamur; & tamen quàm exiguum eſt loci ſpatium, quo tot maris, terræ, aëris prædæ concluduntur? quantulum ex tot dapibus ultramarinis, quibus condiendis tot allaborarunt manus, feſſo voluptatibus ore, convivæ delibant? quantum ex fera tanto capta conatu, tanto cocta apparatu, Dominus condus & nauſeabundus guſtat? hæc eſt hominis vorago incredibilis, quod non credat ſe majorem habere famem, & oculos, quàm ventrem: z *Nec illi tam gratum, abundare jucundis, quàm acerbum, quòd non omnem illum apparatum per gulam, ventrémq; tranſmittit: mœrétq; quod magna pars ſuæ felicitatis, excluſa corporis anguſtiis ceſſat.* Optârit hujuſmodi cum Philoxeno collum ſibi gruis, quò diutius fauces ciborum ſapore delectentur. Notavit hoc olim in gentilibus idem Philoſophus, quod & ad ævi noſtri Chriſtianos ſpectat; a *Numquid hic furor eſt, quod nemo noſtrum mortalem ſe cogitat? quod nemo imbecillum? imò quod nemo noſtrum unum ſe cogitat? aſpice culinas noſtras, & cōcurſantes, inter tot ignes, coquos noſtros. Unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? aſpice veteraria noſtra & plena multorum ſæculorum vindemiis horrea; unum putas videri ventrem, cui tot Conſulum, Regionúmq; vina conduntur? aſpice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant; unum putas videri ventrem, cui & in Sicilia, & in Africa ſeritur? ſani erimus, & modica concupiſcemus, ſi unuſquiſque ſe numeret, metiatur ſimul corpus, ſciátque nec multum capere, nec diu poſſe.* Quæ omnia, ut oſtendat non tam voluptates appetendas, ſed ut fugaces, ac perituras, à nobis fugiendas eſſe, brevis vitæ noſtrę, & inſtantis mortis memoriam inducit: *Nihil*, inquit, *æque tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio brevis ævi, & hujus incerti. Quid facies? reſpice mortem.* Sic nimirum diluetur illa nimia ex cibis, & epulis perfuſio voluptatis, cujus captatione plerique omnes hac in parte aguntur in culpam: quis enim mortis commemoratione, & recordatione ardorem illum farciendi congeſtis eſcis mox corrumpendum corpus non reſtinguat; quo lautius habendo, pinguius ſe pabulū vermibus apparare meminerit? ita refert Herodotus, b Ægyptiis in more fuiſſe, ut calva humana inter fercula circumferretur: Bojis, ut ex mortuorum oſſibus potitarent. Nónne conſimile quid, S. Mater Eccleſia excogitavit, dum poſtridie Bacchanalium capita cinere aſpergit, & velut mortualem larvam animis mortaliū objicit? ſed de hoc aliàs. Ipſa lætitiæ pocula, & liberaliores ad ſanitatem amyſtides inter epulas non raró mortem, ſemper morbos propinant: unde S. Ambroſius: c *Rogas ad jucunditatem, cogis ad mortem. Invitas ad prandium, eſ-*

y Sen. Ep. 89. z Idem 114. a Idem. cit.

b Vide Raynaudum de vitiis & virt. lib. 6. c. 5. ſect. 2. n. 87. c Ambroſ. lib. de Elia & jejunio. c. 14.

ferre

ferre vis ad ſepulchrum: cibos promittis, tormenta irrogas: vina prætendis, venena ſuffundis. Quis illas voluptates, & delicias æſtimet, quæ innumeras, eásque graviſſimas ſecum moleſtias, & morbos afferunt? quibus veriſſimum illud Siracidis comprobatur: plures occidit crapula, quàm gladius: d *Propter crapulam multi obierunt, & in multis eſcis erit infirmitas.* Experientiâ certò comprobata ſunt, quæ Stoicus commemorat: *e* Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paulatim; deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Non eſt mirum, tunc illam minus negotii habuiſſe, firmis adhuc, ſolidíſque corporibus, & facili cibo, nec per artem, voluptatémque corrupto; qui poſtquam cœpit non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quæri, *quæ deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis.* Tum deſcribit omne genus morborum, & concludit; *innumerabiles eſſe morbos miraris? coquos numera.* Tranſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtratorum, per quos, ſigno dato, ad inferendam cœnam diſcurritur: *Dii boni? quantum hominum unus venter exercet.* Piget jam eſſe ſingulos, coguntur in unum ſapores. Vide quantum rerum per unam gulam tranſiturarum permiſceat luxuria, terrarum maríſque vaſtaſtrix. Fuit qui annulum digito extractum, convivis exhibuit, dixítque, per foramen non largius, centum boves, ſexcentas oves, mille perdicum, turdorum, ficedularum paria; quinimò & ſupra ſexcenta dolia vini tranſîſſe?. cæteris ſtupentibus, guttur

d Eccleſ. 37. v. 14. e Seneca Epiſt. 95.

oſtendit. Pergit porrò Seneca & cauſam adfert, cur nunc etiam fæminæ iis morbis laborent, à quibus ævo Hippocratis omnes immunes erant. Maximus ille medicorum (inquit) & hujus ſcientiæ conditor, *fæminis nec capillos deſluere dixit, nec pedes laborare* (podagra) *atqui hæ jam & capillis deſtituuntur* (calvæ innumeræ) *& pedibus ægræ ſunt* (ac podagricæ) *non mutata fæminarum natura, ſed vita eſt: nam cùm virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt.* Quæ autem hæc fæminarum licentia, quæ vitia ſint, enarrat: *Non minus pervigilant* (ludendo, ſaltando, laſciviendo, potando in multam noctem) *non minus potant: & oleo, & vino viros provocant*: mitto à caſtis auribus aliena, quæ ſubjungit *Joannes Conſtantinopolitanorum Antiſtitum decus, cujus ſanctitas,* teſte Caſſiano, f *ad martyrii merita pervenit*, fæminas merobibulas graviter perſtringit, dicens: g *Nihil eſt ebria turpius muliere, ac procacius.* Talis illa, *h* quæ cyathum, in cujus fundo effigies Angeli expreſſa erat, ſemper evacuabat; cauſam tantæ ingurgationis à marito rogata, reſpondit, ſe ſibi temperare non poſſe, quin totum exhauriat, ut Angelum illum in fundo latitantem contemplari poſſet. Vir ut eam ab hac potandi conſuetudine deterrreret, in fundo poculi diabolum pingi curavit; at nec ſic deſiſtebat, dicens ſe ne guttam diabolo relinquere velle. Non ita gentiles, de quibus Tertullianus docet, *i* mulieres Romanas *uſque adeò vino abſtinuiſſe, ut matronam*

f Caſſian. 7. de incarn. c. 30. g Chryſ. hom. 39. in Epiſt. 1. ad Corinth. h Tuning. apophtheg. p. 16. i Tertull. in apolog. c 6

ob reſignatos cellæ vinariæ loculos, ſui inedia necârint; poſtea tamen in omnem luxum ſolutæ ſunt.

Hanc fortè licentiam fæminarum, & puellarum luxum, adverterat nobiliſſima vidua, Paula Romana, quæ omnes urbis & orbis delicias aſpernata, herbis, & frigidâ vitâ ſuſtentans, ad cunabula Chriſti, rore cœleſti, inſtar avis Paradiſi, & ſupernis deliciis diffluebat; hæc filias, quas comites trahebat, ut ſuo ſpiritu afflaret, quid admonuerit, D. Hieronymus narrat: k *Cùm Paula*, inquit, *luſtrando terram ſanctam, perveniſſet in Segor, ubi Loth cum utraque filia moratus, illa ad virgines comites converſa, humentibus oculis, ô bonæ filiæ, ajebat, cavete immoderatum vinum, ne vos decipiat, quod probos etiam, & ſanctos traxit ad luxuriam; quod probas etiam filias, & ſanctas fæminas traxit ad luxuriam*, ad fornicationes, & adulteria; ſed illud *vinum* delibate, & guſtate, quod *germinat virgines*, in quo omnis *ſaporis delectamentum*, ut de Euchariſticis deliciis, dicemus.

Alias voluptates non tepidas, alias delicias non breves, alia gaudia non ficta, ſed vera, alias epulas non perituras, vobis hodierna luce propono, quibus juſti (& piæ animæ) l *epulantur, & exultant in conſpectu Dei, & delectantur in lætitia*, qui inter ipſas mundi delicias cruciantur, inter epulas jejunant, & inter jejunia ſplendidiſſimè epulantur. Tales ſunt de quibus Salomon: m *Secura mens, quaſi juge convivium*: quia conſcientiæ ſecuritas, jucunditatem affert, omnibus epulis, ac cupediis ſuaviorem. Quod animadvertens Chryſoſtomus n *Cùm*, inquit, *nullis conſcientiæ ſtimulis animus pungitur, fruitur* GAUDIO INEXPLICABILI. *Quidnam tibi videtur in hac vita jucundum? menſáne delicioſa? ſed hæc illi voluptati, quæ virtutem* (& ex recta conſcientia) *conſequitur comparata, amara videtur, & plena triſtitiæ.* Quales verò in hoc jugi ſecuræ mentis cōvivio interſint cōvivæ, prȩclarè Hugo Card. exponit, dum ait: o *Convivæ in hoc convivio ſunt virtutes, quæ omnes propriis ferculis reficiuntur: ſicut in corporali convivio, omnia membra corporis reficiuntur*; deliciæ verò hujus convivii, ubi ſecuræ & ſanctæ animæ *epulantur, & exultant in conſpectu Dei*, quantum omnes cibos, & obſonia ſuavitate ſuperent, quis ſatis dignè valeat explicare? niſi fortè Ambroſius, dum dixit: p *Quis puritate & ſimplicitate pectoris, fructus dulcior? quis cibus ſuavior, quàm is quo animus, bene ſibi conſcii, & innocentis mens* EPULATUR; quibus epulis nihil jucundius, nihil delectabilius; quod uberius ex lacteo fonte juvat haurie: q *Nihil eſt jucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conſcientia*; quæ, ut ait Seneca: r *nunquam ſine gaudio eſt, quod non naſcitur* (è deliciis carnalibus, è voluptatibus terrenis, è divitiis mundanis) *niſi è bona conſcientia.* Epulæ, deliciæ, lætitiæ humanæ, breves, perituræ, ac fugitivæ ſunt; hoc gaudium perpetuum eſt, hoc *juge convivium*, quod ad extremum ſpiritum ſapit, quod maximè capies & ſapies, cùm omnes cibi deſipient, omnia humana faſtidies. Hugo Cardinalis

k D. Hieron. in Epitaph. Paulæ. l Pſ. 67. v. 4. m Prov. 15. v. 15. Deliciæ, & juge convivium ſecuræ conſcientiæ.

n Chryſ. in Matth. hom. 15 o Hugo Card. in Prov. c. 15. p Amb. in Pſ. 45. q Bern. de interiori domo, c. 23 r Sen. Epiſt. 59.

nalis expendens illud Sapientis: ſ *Secura mens, quaſi juge convivium. Juge*, inquit, *id eſt continuum, & feſtivum convivium; quia mens, quæ ſine cura eſt, ſemper eſt in gaudio, & æterni convivii jam præſentit odorem*. Chaldæus vertit: *Cujus eſt hilaris animus, continuum eſt convivium*. Unde Magnus Gregorius: t *Quaſi enim continuatio refectionis eſt, ipſa tranquillitas ſecuritatis*. Mundi convivia brevi finiuntur, & Bacchi feſta triduo clauduntur; at juſti anima *continuum, & feſtivum* habet *convivium*: ſic etenim Clemens Alexandrinus: v *Univerſa vita juſti, eſt quidam celebris dies feſtus*; hoc convivium, hæc feſtivitas, hoc gaudium, non in ædibus externis, domi tuæ naſcitur, intra te eſt, tecum eſt, ubicumque es. Magnus profectò error eſt, quòd animus per varia palabundus vagatur, ut gaudium emendicet, cùm gaudii patria non ſit à nobis diſſita; ſed apud nos proxima, imò nobis intima. Ad ruborem Chriſtianorum Annæus Seneca illud Lucilio ſuo tradit monitum: x *Hoc ante omnia fac mi Lucili, diſce gaudere. Ad ſumma pervenit, qui ſcit, quo gaudeat. Nolo tibi unquam deeſſe lætitiam. Volo illam tibi domi naſci: naſcitur, ſi modò intra teipſum ſit. Cæteræ hilaritates non implent pectus; ſed frontem remittunt, leves ſunt; niſi fortè tu indicas illum gaudere, qui ridet*. Verè, & ſincerè ille gaudet, qui gaudet de Deo, *qui de ſuo gaudet; quid eſt autem hoc? de ſui optima parte, ex bona conſcientia*. De ſummo & vero bono.

Hoc religioſus & ingenioſus PoëtaBelga his verſibus expreſſit:

Al heeft die Werelt ſoeten ſchyn,
Haer ſoet is ſuer gelyck azyn:
Haer lacchen, ſpelen, ſnaren clanck,
Heeft eenen Echo van gejanck:
En als haer veéltjen heeft gedaen,
Dan kompt het kryterken eerſt aen.
Maer 't hert dat God, en deucht en heeft,
Dat is oock dat in vreugden leeft.
Als Godt daer maer een ſnaerken raeckt,
Hoe wort het hert hier door vermaeckt?
Het ſwerels ſpel is dul geraes,
Sy ſpelt op bogken met en blaes:
En altyt maer op ſchraelen wint,
Waer in het hert geen vreucht en vint.

Quàm demens eſſet, qui immenſum emetiretur Oceanum, tranſiret regna, luſtraret urbes, & orbem, ut inveſtigaret id, quod domi habet; procul quærimus, quod propè habemus. Quæris extra te, quod eſt intra te: quæris per omnia loca orbis, quod eſt in medio cordis. Licet fingere gaudium pro libitu; quiſque ſuæ lætitiæ eſt faber, ſui gaudii archietectus. Præſtaret hîc ſevera Sinarum lex, omnes peregrinos & extraneos regni ſui aditu interdicens, capitali interminatione; ita vaſtum imperium pax & tranquillitas fere æterna ſervavit; At modò ubi extranei advenerunt *Tartari*, omnia ardent bellis, totum regnum in varios diviſum eſt Dominos. Talem debet voluntas ſancire legem, ſi velit interioris Regni tutari pacem: nihil alienum, nihil peregrinum admittat: non intret Plutus, Bacchus, Venus, Mercurius, illi ſunt *Tartari*, quia emiſſi è *Tartaro*. Ut ſemper gau-

ſ Proverb. 15. t Gregor. lib. 12. moral. c. 21 v Clem. Alexand. lib. 7. ſtrom. x Seneca Epiſt. 23.

gaudeas in Domino, unus tantum admittatur Dominus. Si ille ſolus totum poſſideat, habet cor, unde ſecurè gaudeat. Qui in fluxis, & perituris delectatur, ſemper, ne gaudium illi tollatur, periclitatur. O ſolicitum gaudium, cui ſemper ſubeſt, ne pereat, periculum. Vis verè gaudere, & ſemper gaudere? delectare in Domino. Quid verò hoc ſit, ſæculares plerique ignorant; viri timorati, & religioſi ſolum deguſtant, ut ſcitè Claravallenſis Abbas, explicans illud: *delectare in Domino*, ſic ait: y *Sed quid, ô Propheta, quod tam abſolutè mones delectari in Domino, ac ſi ad manum nobis ſit hujuſmodi delectatio? delectationem cibi, ſomni, & quietis, & cæterorum, quæ in terra ſunt, novimus; Deus autem, quam delectationem habet, ut in eo delectemur? Fratres mei, ſæculares hoc dicere poſſunt, vos non poteſtis: quis enim veſtrûm eſt, qui non ſæpe expertus ſit conſcientiæ bonæ delectationem? qui non guſtaverit ſaporem caſtitatis, humilitatis, charitatis? non eſt hæc delectatio potus, neque cibi, aut ſimilis cujuslibet rei; delectatio tamen eſt, & major omnibus illis: Divina enim eſt, & non carnalis delectatio: & cum in illis delectamur, planè delectamur in Domino*: quæ voluptas divina tã excellens eſt, ut qui ea fruitur, velut cœlum in terris habeat; hac ut & tu fruaris, clama cum Auguſtino: z *Abſit Domine, abſit à corde ſervi tui, qui confitetur tibi, ut quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem: eſt enim gaudium, quod non datur impiis, ſed eis, qui te gratis colunt: quorum gaudium tu ipſe es, & ipſa eſt beata vita, gaudere ad te, de te, propter te: ipſa eſt enim, & non eſt altera*: Si ita ſit, ſi cum Auguſtino piæ animæ hic cœlum in terris habent: quis non libens omnes anxias, fluxas, & fædas voluptates averſando, veriſſimum illud Bernardi ſentiet: a *Delectationes non perdimus, ſed mutamus: de corpore ad animam, de ſenſibus ad conſcientiam.*

y Bern. ſerm. 5. de quadrag. z Aug. lib. 10. conf. c. 22.

Hæc hactenus de gaudio, & jugi convivio eorum, qui tranquilla & ſecura perfruuntur conſcientia. b Sunt & aliæ deliciæ, & epulæ, quibus *juſti* hiſce potiſſimum diebus *exultant, & epulantur, & delectantur in lætitia*. Quas inter, Doctor Angelicus enumerat orationem, & contemplationem, qua ſummo & æterno bono inhæremus, & *delectamur in Domino*. Quod probat ex illo Sap. 8. *Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius; ſed* LÆTITIAM *&* GAUDIUM: quod in nulla converſatione, aut convictu humano reperire eſt; delectatio enim converſationis, & contemplationis bonitatis, ac pulchritudinis divinæ, quid voluptatis habeat, exponit, dicens: c *Hæc delectatio omnem delectationem humanam excedit: nam delectatio ſpiritualis, potior eſt, quam carnalis: & ipſe amor, quo ex charitate Deus diligitur, omnem amorem excedit; unde & in pſalmo dicitur:* d *guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*. Clamet nunc mundus:

e *Vina diem celebrent.*
f *Nunc eſt bibendum, nunc pede libero*
Pulſanda tellus;

a Bern. lib. de vita Solit. b Deliciæ orationis, & contemplat. S. Thom. 22. q. 180. art. 7. c S. Thom. cit. d Pſal. 33. e Tibull. l. 4. f Horat. car. l. 1. Ode 37.

Nunc

Nunc pocula Libero libanda Deo, nunc nuptiis, & cupitis amplexibus: nunc cupediis & deliciis diffluant mortales; hæc omnia puriore fonte deprompſit Aſella, g quæ luxũ Romanum,& omnesmundi,ac carnis illecebras averſata, uni Deo intenta,*unius incluſa cellæ* anguſtiis, *tota cœli latitudine fruebatur.* Et mente,ad ſuperna liberè evolans, inſtar avis paradiſi h *veſcitur aurâ æthereâ.* Hiſce Bacchanalium feriis, quibus mundus deliciis & vitiis fœdè immergitur, cùm ſervi juxtà ac Domini, ventri & abdomini ſerviunt,Catharina illa Senenſis, ſe in penitius conclave abdiderat; *i* & ecce *ſpecioſus formâ præ filiis hominum*, matre Virgine, & aliis cœlitibus paranymphis ſtipatus, pſalte Regio ſuaviſſimè admodulante adfuit, & has divini Sponſi voces audivit. k *Quia tu ſpreviſti vanitates mundi,amplexa crucem & pœnitentiam, quærens ſummum & æternum bonum his diebus, quibus mundani vacant gulæ & luxuriæ, ideo* EGO TE DESPONSABO MIHI; annulóque in digitum inſerto, adoptavit in ſponſam: inde lateri, puriſſimo fonti labia admovens,

l *Purpureo bibit ore nectar.*

Quid alias Chriſti ſponſas, Agnetes, Coletas, Hedwiges, Mechtildes, Gertrudes commemorem, quæ agno nuptæ, uni ſponſo adhærentes,& mente ſupra omnia terrena in cœlum abreptæ, ſuaviſſimè epulatæ ſunt. Idem ſentiendum de filiabus Deo devotis, & deſponſis,quæ delectantur, in Domino, & guſtant, quoniam ſuavis eſt. Unde Bernardus eximiæ adoleſcentulæ, quæ ſæculo nuntium remiſerat, his verbis & illi,& ſibi gratulatur: m *Magnum mihi gaudium,quod te ad verum, & perfectum gaudium velle tendere comperi, quod non eſt de terra, ſed de cœlo; & revera illud verum, & ſolum gaudium, quod non de creatura, ſed de Creatore percipitur.* De ejuſmodi præclarè vaticinatus olim Iſaias: n *Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ: & cibabo te, & vocaberis Sabbathum delicatum.* Religioſus & ingenioſus interpres Cornelius hîc: o Si in Sabbatho (& mundi feſto) abſtraxeris te à deliciis carnis, Deus dabit tibi ſuas delicias longè majores; ſcilicet pro carneis dabit ſpirituales; pro temporalibus æternas;pro humanis divinas:cùm etenim ſine delectatione animus vivere nequeat, Deus affectui naturali indulgens,offert ſuam,ſi terrenam reſpuat: & celebrabit *Sabbathum delicatum*,id eſt,inquit Hugo Cardinalis, p DELICIIS DEDICATUM: *quia homo Clauſtralis* (& omnis anima juſti) *Sabbathum quietis ornat meditationibus ſanctis & deſideriis,&* SPIRITUALIBUS DELICIIS. Id expertus Pſaltes Regius, cùm nihil ſolatii è rebus mundanis admitteret; convivia,ſpectacula, tripudia haſtiludia, ludos omnes faſtidiret, dixit in his omnibus q *renuit conſolari anima mea*; inde ſe ad intimum aulæ penetrale recipiens, & pronus in terram, oculos animúmque in Deum conditorem ſuum attollens, tantis ilico cœleſtibus deliciis delibutus fuit, ut exclamârit: *Memor fui*

g Hier. Ep 15 ad Marcell. h Virg. lib. 1. Æneid. i In vita 30. April. k Spinell. de Deip. c. 35. n. 15. l Horat. 3. carm. Ode 3

m Bern. Ep. 114. n Iſa. 58. v. 14. o Corn. hic. p Hugo hic. q Pſal. 76. v. 3.

Dei

Dei & DELECTATUS SUM. Quem locum tractans S. Gregorius Nazianzenus, ſic ait non minus piè, quàm eloquenter: r *Adſit modò voluntas, animique propoſitum, propinqua eſt conſolatio in ore tuo, & corde tuo: memor fui Dei, & delectatus ſum: Quid memoria paratius? memor ergo eſto tu quoque, & delectaberis. O facilem, & parabilem medicinam! O celerem curandi rationem! O egregiam beneficii magnitudinem! non modo animi dejectionem, mœſtitiámque ſedat Dei recordatio, ſed &* DELECTATIONEM AFFERT. David Rex potens erat dominatu, utpote qui per totum Iſraeliticum Imperium, rerum potiebatur, diademate coronatus, ſceptro inſignis, opibus affluens, victoriis clarus, ideóque multis laureis redimitus. Tot inter exquiſitos honores, & excelſas dignitates, tot inter fortunæ indulgentis dona, & naturæ bona; qua re eum creditis potiſſimum delectatum? inter tot, tanta, & tam optabilia, quibus redundabat, munera, unum tantum eſt, quo ſe fatetur delectari. Quæritis quid illud ſit? reſpondentem auditis: *Memor fui Dei, &* DELECTATUS SUM. Ipſe leones & urſos dilaceraverat, carneam illam molem fundâ dejecerat funditus, Philiſtæos florentiſſimo marte partim fugaverat, partim ad internecionem deleverat: Abſolonis Filii ſibi perduellis dominatum fregerat, Saulem repreſſerat, vicerat gentes ſitu locorum tutiſſimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces; & tamen nuſquam audis: memor fui victoriarum, & *delectatus ſum.* Opibus & facultatibus affatim circumfluebat, tantóſque pecuniarum acervos conſtructos habebat, ut jam appenderentur, non numerarentur pecuniæ; nec tamen dicit: memor fui divitiarum mearum, & *delectatus ſum.* Quid dicam de potentia ejus, qua pollebat: de regno, in quo dominabatur? quid de voluptatum lenociniis, illecebris, & deliciis, quibus circumfluere ad votum, cùm liberet, illi licebat; nec tamen uſquam audio dicentem: memor fui potentiæ meæ, memor deliciarum, & *delectatus ſum.* Sed quaſi pertæſus mundi, & exoſus omnium, quæ ſunt mundi, unius tantum, ſed in quo ſunt omnia, recordatur, eóque uno duntaxat delectatur: *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Circumfer utramque oculorum aciem ad omnia, quæ te circumſtant, & nuſquam ſe offeret argumentum delectationis niſi in Deo. Si memineris pueritiæ tuæ, quæ tam ridiculis, & futilibus reculis, evanuit, dices: memor fui pueritiæ meæ, & contriſtatus ſum: ſi adoleſcentiæ, carni, & ſanguini conſecratæ, dices: memor fui adoleſcentiæ meæ, & erubui: memor fui avaritiæ meæ, & dolui: libidinis, & ingemui: invidiæ, & contabui: intemperantiæ, & horrui: denique memor fui totius ætatis meæ in tam enormibus ſceleribus, & inſignibus flagitiis turpiter exactæ, mox occupavit animum pudor, vultum rubor, mentem dolor, ſpiritum timor. At verò ubi cum Davide ſic humi ſtratus, oculos extuli ad cœlum, mentem ad DEUM, ſtatim ubi *memor fui Dei, delectatus ſum.* Si cogitem naturæ meæ imbe-

r Greg. Naz. orat. ad cives ſuos.

imbecillitatem, ſi meam ad peccata pronitatem, memor ſum divinæ potentiæ, quæ è lapidibus ſuſcitat filios Abrahæ, quæ Judithæ manu proſtravit Holofernem, Davidis fundâ Goliathum, culicibus, muſcis, & ranis Pharaonem: hujus memor *delectatus ſum.* In rebus fractis, adverſis & deſperatis, memor fui divinæ providentiæ, quæ adfuit Jonæ in ventre ceti, Danieli in lacu Leonum, Suſannæ innocenti ad mortem damnatæ, Petro in carcere, Paulo in naufragio, & hujus memor *delectatus ſum.* Sola Dei, & divinarum perfectionum recordatio, eſt ſumma hominis animæ delectatio; nullum convivium dulcius, aut ſuavius fingi, aut excogitari poteſt, quàm quo à ſtrepitu omni humano, & eſcis carnalibus, ſpiritus in ſeceſſu orationis Deo fruitur. S. Leo de ejuſmodi anima diſſerens, quæ ſe à deliciis mundi ſubducit, ſ *ut in aula mentis*, inquit, *poſſit divinæ vacare ſapientiæ, ubi omni ſtrepitu terrenarum ſilente curarum, in meditationibus ſanctis, & in* DELICIIS LÆTETUR ÆTERNIS. Exodi 24. t *aſcenderunt olim in montem Sina ad orandum Deum Moyſes, & Aaron, & ſeptuaginta de ſenioribus Iſrael.* additúrque ſtatim: *videruntque Deum, & comederunt, & biberunt.* Ecquid amabo locus orationis, in locum epuli, & compotationis verſus deſcribitur? Reſpondet Auguſtinus.: v *Quod manducant, & bibunt in loco Dei*; SUAVITATEM, *ſaturitatémque præſignificat in illo regno æternitatis*; ſed non eſſe has delicias in futurum ſæculum differendas, licet ſpes certa delectet, verùm & in præſenti, in divino convivio proponi ac prægustari, Lippomanus diſertè tradit, dicens: x *Sic Deus ſe illis videndum præbuit, ut gaudium maximum ex ejus viſione perceperint*: *quas* SPIRITUALES DELICIAS *per edere, & bibere circumloquitur*; neque mirum orationis delicias per epulas explicari, per quas etiam æternæ beatitudinis deliciæ explicantur, juxta illud Chriſti: y *Ut edatis, & bibatis ſuper menſam in regno meo*; nam ut docet Chryſoſtomus, *per orationis exercitium hoc aſſequimur, ut mortales, ac temporarii eſſe deſinamus*, & velut concives ſanctorum, eorum gaudia prægustemus. Unde utraque voluptas, orationis ſcilicet, & beatitudinis, tanquam inter ſe maximè affinis, eiſdem typis debuit declarari.

Cibo corporali adaptando Martha ſolicitè ſe impendebat; Maria verò ad pedes Domini, divino contemplationis pabulo, ac cœleſtibus deliciis paſcebatur; quæ quantum perituras exſuperent, S. Thomas ediſſerit: z *Maria intenta dulcedini verbi Domini*; *à Martha convivium Domino parabatur. Maria mira ſuavitate tenebatur, quæ profectò major eſt mentis, quàm ventris*; ventris enim & carnis deliciæ, quò avidius guſtatæ, hoc citius faſtidium, & nauſeam adferunt; cæleſtes verò guſtantibus ſemper novam orexim, & ſitim ingerunt; quod egregiè ſcriptum eſt a Sancto Gregorio: a *Hoc diſtare inter delicias corporis & cordis*, inquit, *quod corporales*

ſ S. Leo ſerm. 8. de jejunio, & Eleemoſ. t Exod. 24. v. 9. v Aug. in quæſt. 102. in Exod.

x Lippoman. in Exod. y Luc. 22. v. 30. z S. Thom. in Luc. c. 10. a S. Gregor. hom. 36. in Evang.

de-

deliciæ cùm non habentur, grave in ſe deſiderium accendunt; cùm verò avidè eduntur, comedentem protinus in ſui faſtidium per ſatietatem vertunt. At contrà ſpirituales deliciæ cùm non habentur, in faſtidio ſunt; cùm verò habentur, in deſiderio: tantóque à comedente amplius eſuriuntur, quantò & ab eſuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia diſplicet; in iſtis appetitus vilis eſt, & experientia magis placet. In illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat; in iſtis autem appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit; augent enim ſpirituales deliciæ deſiderium in mente, dum ſatiant: quia quantò magis eorum ſapor percipitur, eò amplius cognoſcitur, quod avidius ametur; & idcirco non habitæ, amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur. Hoc eſt, quod infinitæ Bonitatis fons de ſeipſo dicit: b *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Non poterat expreſſiùs oſtendi, quanto intervallo diſtent voluptates mentis, & ventris, quàm eo, quod Gregorius dicit, utráſque inter ſe componendo; nam ut vinum bonum nunquam melius à deteriori diſcernitur, quam inter ſe delibando; ita verum, & ſolidum gaudium, à falſo & mendaci optimè dijudicatur. Tunc enim veriſſimum illud Bernardi comprobatur: c *Cui* (dulcedini) *comparata omnis aliunde jucunditas, mœror eſt; omnis ſuavitas, dolor eſt; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne poſtremò, quodcumque aliud delectare poſſit, moleſtum.* Ex quo & alterum conſequitur, ut qui cœleſtes mentis delicias, ſemel deguſtavit, carnales omnes ventris voluptates ſummâ nauſeâ averſetur: quia guſtato ſpiritu, deſipit caro; perinde, inquit Cornelius *d*, ut filius Regis inter ruſticos ruſticè educatus; ſi rediens ad Aulam ejus delicias guſtet, faſtidit omnes delicias ruſticanas: Doctorem Seraphicum ſuper hoc argumento loquentem audite: *e* multum, inquit, mirari debemus, quomodo homo ſemel Deum deguſtans, & ejus dulcedinem, poteſt ab eo amplius aliquatenus ſeparari: & quomodo non obliviſcitur omnia ex ebrietate nimia, & comedere, & bibere, & dormire: & ſi quid aliud ante ipſum ponatur, quomodo poteſt ibi aliud, quàm ſuum Dominum intueri, & in eo ſummâ dulcedine delectari? tum in amoris plenas voces erumpens exclamat: *O quàm bonus Iſrael Deus, his qui recto ſunt corde! ô quàm dulcis & ſuavis eſt ſpiritus ejus in eis! ô quantâ amaritudine, quanta triſtitia: quanta anxietate repleri deberet aliquis, qui etiam ad momentum ab illa ſequeſtraretur dulcedine!* quod ut ex Bernardo alibi diximus, ipſâ gehennâ tormentum gravius.

Supereſt ut huic divino convivio, & cœleſtibus epulis, quibus animæ Deo inhærentes delectantur, *f* vinum, id eſt, ſuaviſſimas divini amoris lacrymas non deeſſe agnoſcatis. D. Hieronymus in illa vaſta ſolitudine, ſocius ſcorpionum & ferarum, inter lacrymas & ſuſpiria, liquidiſſimis Paradiſi gaudiis quandoque ſibi intereſſe videbatur:

b Eccleſ. 24. v. 29. c Bernard. Epiſt. 114.

d Cornel. à Lapide in Iſai. c. 58. v. 14.
e Bonavent. ſtim. amor. part. 3. c. 3. f Deliciæ lacrymarum.

g *Ipſe,*

g *Ipſe*, inquit, *mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas* LACRYMAS, *poſt cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum.* Idem ſentit de lacrymis Magdalenæ Chryſologus: h *Ad delicias Deitatis totas, totam pulſat cordis ſui, & corporis Symphoniam: organi planctus dat clamorem.* Quod quanta cum delectatione fieri conſuevit, experti loquantur: i *Nihil porrò his lacrymis jucundius: quovis riſu ſunt hæ jucundiores; ſciunt qui lugent* (hiſce diebus) *quantam hæc res habeat voluptatem*; quæ omnem plauſum, omnem riſum, quem duxi errorem, & quandoque ſteriles, & mox areſcentes lacrymas exprimit, omnem jucunditatem, quam filii ſæculi ex Theatrorum apparatu, & ſpectaculorum ornatu capere ſolent, longè antecellit; etenim ſi Auguſtino credimus: k *Dulciores ſunt lacrymæ orantium, quàm gaudia Theatrorum*; potiſſimùm illæ, quæ hiſce diebus fluunt *pœnitentium* ex oculis, eáſque D. Bernardus jure vocat l *Angelorum delicias*; *& alibi*: *vinum Angelorum*, dulci dulcius ambroſia, & omni nectare ſuavius: ſic etenim Carthaginienſis Præſul loquitur: *m* Vide, quomodo ſuper omnes *delicias* NECTARIS LACRYMIS *anima delectetur*, utique lacrymis præ gaudio manantibus, & cor ac carnem exquiſitâ dulcedine perfundentibus. Teſtis Camalduenſium Parens Romualdus, qui exuberanti cordis gaudio n *vim lacrymarum fundens; vultu tamen adeò læto ſemper erat, ut intuentes exhilararet.* Immane quantum hæ lacrymæ à vanis, inſanis, & amaris, qua[s] dolor, & mœror mundanis exprimit, differant: fons & orig[o] lacrymarum duplex, & diſpa[r] planè deprehenditur, non minu[s] è gaudio, quàm dolore profluunt; ita S. Ambroſius in obitu Satyri fratris ſui: o *Non ſolus dolor lacrymas habet: habet & lætitia lacrymas ſuas.* Quales exiſtimatis lacrymas fuiſſe Chriſti, dùm Lazarum mortuum flevit; dulces an amaras: doloris an amoris: lætitiæ an triſtitiæ? Ravennatum Antiſte[s] eloquatur: p *Quare flebat, qu[i] dixerat, Lazarus mortuus eſt, & gaudeo? Fratres, habet hoc natur[a] corporis humani, ut producat lacrymas vis gaudii, vis mœroris. Quotie[s] enim viſcera aut lætitiæ, aut triſtiti[æ] nimio arctantur impulſu, oculi in lacrymas mox erumpunt. Hinc eſt, quo[d] Chriſtus non dolore mortis, ſed illiu[s] lætitiæ recordatione lacrymavit, qu[i] voce ſua omnes eſt mortuos perpetuam reſuſcitaturus ad vitam.* Hæ lacrymæ ſuper omne vinum, quod *lacryma Chriſti* nuncupatur, dulciores fuerunt. Errant profectò, qui lacrymas Petri amaras fuiſſe arbitrantur, etſi amarè fleviſſe dicatur; hic D. Ambroſi[i] ſenſus eſt: q *Flevit amarè, no[n] quia lacrymæ amaræ; ſed amarus qui eas fundebat, affectus, amarum habebat effectum, amaritudine qui[dem] peccati infectum*; DULCES TAMEN FUNDEBAT LACRYMAS, *qui amarè flevit.* Ita fieri videmus, u[t] è mari ſalſo vapores attracti, [è] nubibus in dulcē pluvıam reſolvantur, quā vir Italus in gentiliti[is]

g Hieron. Epiſt. 9 ad Euſtoch. de virg. h Chryſolog. Serm. 93. i Chryſ. hom. 12. in Epiſt. ad Coloſſ. k Aug in Pſal. 127. l Bern. Serm. 30. in Cant. & Ser. 68. in Cant. m Cyprian Serm. de cœna Domini. n Areſius de confeſſor. Tom. 2. in proſa, 97.

o Ambroſ. in obitu Satyri. p Chryſolog. Serm. 64. q Ambroſius i[n] Pſalm. 37.

teſſe-

teſſeram aſſumpſit, hoc lemmate ſubjecto: r

Redit agmine dulci.

Verum enimverò ſi lacrymæ pœnitentiam, quæ hiſce diebus ex oculis peccatorum fluxêre, dulciores ſint ſuper nectar & ambroſiam, quantò ſuaviores æſtimandæ ſunt, quæ per alembicum charitatis pro peccatoribus eliquatæ fluxerunt? quæ in angulis, & cellis fluxêre ex oculis B. Angelæ de Fulginio, Magdalenæ de Pazzis, Claræ de monte Falco (ut ſuprà diximus) has delicias mundus non capit, nec vinum illud lacrymarum ſapit: *nam quæ* (inquit) *conventio conſolationis ad ſuſpiria, lætitiæ ad lacrymas?* repondet objectioni huic Doctor mellifluus: ſ *Si tamen iſtæ dicendæ ſunt lacrymæ, & non potius roris interioris deſuper infuſi ſupereffluens abundantia.* Nemo niſi expertus poteſt dicere, quantæ ſuavitatis, & dulcedinis ſit, ex amore Dei, in lacrymas inter orandum colliqueſcere. Profectò, inquit Chryſoſtomus, t *ſecundùm Deum triſtitia, multam nobis affert voluptatem. Nôrunt quicumq; ſæpe cum dolore oraverunt, & lacrymas effuderunt quantam ſint lucrati lætitiam*; quam adhuc majorem, & longè excellentiorem vobis oſtendo.

§. III.

Deliciæ menſæ Euchariſticæ, in qua hiſce diebus, juſti ſplendidè epulantur.

Habet & cœleſtis Sponſus, habet & Eccleſia ſua ſancta Bacchanalia, ſana, ſalubria, omnibus deliciis affluentia. v Talia ſunt *bacchica* Euchariſtica, ut Paſchaſius loquitur. Mirabilis, ac potius premendus, quàm evulgandus videri poſſet hic Euchariſtiæ titulus; ſi noſtro marte cuſus eſſet; ſed cùm graviſſimus auctor illum afferat, prodeat ſanè:

x *Legis adire ſacra qui vis ſolenniæ menſæ,*
Almiferum Chriſti corpus contingere, veris
DELICIIS VESCI, *roſeum potare cruorem;*
BACCHICA NOSTRA VELIM.

Angelicè de hoc diviniſſimo epulo Doctor Angelicus: y *Suavitatem hujus ſacramenti nullus dignè exprimere ſufficit, per quod ſpiritalis dulcedo in ſuo fonte guſtatur.* Qui aquam per fœtidos traduces, & limoſos canales derivatam è ciſternis, aut lacunis bibit, non eam dulcedinem percipit, ſicut is, qui è puriſſimo fonte haurit. Hoc *ſacrum convivium*, in quo Chriſtus ſumitur, non triduo, non trimeſtri, non triennio conſumitur; ſed durabit ad conſummationem ſæculi. Rex potentiſſimus Perſarum Aſſuerus, ut divitias gloriæ ſuæ oſtentaret, convivium, quàm potuit, ſplendidiſſimum adornavit, omnibus quæ excogitari poterant deliciis exquiſitiſſimum: z *Bibebant autem, qui invitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vaſis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur*; hoc autem omnium deliciarum convivium duravit *multo tempore*; a *centum videlicet, & octoginta diebus.*

r Symb. heroica, Petra ſancta. ſ Bern. ſc. de ſcala clauſtralium. t Chryſ. hom. 18. ad popul.

v Deliciæ Euchariſticæ. x Paſchaſius initio lib. de ſacrament. y S. Thom. opuſc. 57. z Eſther. c. 1. v. 7. a v. 5.

Sanctus Thomas cum Lyrano: *b Rex iſte Aſſuerus ſignificat Chriſtum, qui convivium Euchariſticum inſtituit, & ſpirituales epulas corporis, & ſanguinis ſui abundantiſſimè miniſtravit.* Quanta illa eſt menſium paucitas, ſi divini convivii perpetuitas ſpectetur? quot jam annos? quot luſtra; quot ſæcula his divinis epulis convivamur? quo tandem fine hoc cœleſte convivium claudetur, niſi eo, quo orbis? id eſt, *ad conſummationem ſæculi*; quia cœleſtis hic cibus *ſumptus non conſumitur.* Quod delicias ſpectat, de convivio Aſſueri dici poteſt, quod in luxum bacchantium cadit, illud Bernardi: c *Fercula ferculis apponuntur: tanta accuratione, & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis devoratis, prima non impediant noviſſima, nec ſatietas minuat appetitum. Palatum quippe dum novellis ſeducitur condimentis, paulatim incipit diſſueſcere cognita, & ad ſuccos extraneos velut adhuc jejunum, avidè renovatur in deſideria. Venter quidem, dum neſcit, oneratur; ſed varietas tollit faſtidium. Quia enim puras, ut eas natura creavit, epulas faſtidimus: dum aliæ aliis multifariè permiſcentur, & ſpretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibuſdam adulterinis gula provocatur ſaporibus; tranſitur nimirum meta neceſſitatis, ſed necdum delectatio ſuperatur.* En quanto luxu, apparatu & impendio, deliciæ palato humano comparentur, & *necdum* ex tanta ferculorum, & ſaporum varietate *delectatio ſuperatur.* Aliæ ſunt in uno Euchariſtico cibo deliciæ, in quo (ut mox dicemus) omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitatem deguſtamus. d *Hujus convivii* (Aſſueri) *hiſtoria, pompam divitiarum, & luxum Regis oſtendit; ſed Chriſti* SPIRITUALES DELICIAS, *quas unicuique diſpenſat, allegoricè ſignificat:* nec enim divinitas in cibum, potúmque ſe aptaſſet, niſi illorum inſtar, cum voluptate, & ſaporis dulcedine, & quidem ſibi propria, id eſt, divina, omnes humanas delicias exuperante, ſumi voluiſſet; cujus rei umbram ſi ſpectemus, de veritate nullum nobis dubium remanebit; ſic etenim Sapiens de manna diſſerit: e *Angelorum eſcâ nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore*; quæ in ſolo pane menſa, ne frugalis videretur, ſubdit: *Omne delectamentum in ſe habentem, & omnem ſaporis ſuavitatem*; quæ ex Græco ſic redduntur: *Ad omnem voluptatem, & ad omnem congruum guſtum*; ſive *omni voluptate pollentem, omníque accommodatum guſtui.* Pergit porrò Salomon his verbis: *Subſtantia enim tua* DULCEDINEM TUAM, *quam in filios tuos habes, oſtendebat, & deſerviens uniuſcujuſque voluntati*: ſive ex Græco, *appetentiæ, ſeu deſiderio, ad quod quiſque volebat, convertebatur*; adeò ut in hoc uno edulio, cujuſvis obſonii ſapor, pro voto reſponderit palato. Ubi miſsâ interpretum controverſiâ, num revera in illud manna verteretur, v.g. in piſces, perdices, ficedulas, electuaria, prout quiſque appetebat; an verò horum duntaxat indueret ſaporem: ſatis mihi eſt, ſubſtantiam Divinam, ac totum Deum veraciter, ac ſubſtantialiter hic nobis intimè uniri, ut omnen ſa-

b S. Thom. opuſc. 58. c. 29. Lyran. in Eſther. cit. c Bernard. in apologia ad Guilielm.

d Gloſſa interlin. e Sap. 16.

poris ſuavitatem, ac cœleſtes delicias, non quas ipſi libuerit; ſed quas quiſque optârit, communicaret. Quis non hîc amabili ſtupore totus defixus hæreat, Euchariſtiam in id verti, quod cuique placuerit? quaſi ad nihil aliud facta eſſet, quam ut ſingulorum liberrimis deſideriis tota, & omnino famularetur; & ſi ita loqui fas eſt, omnibus omnia, pro cujuſque deſiderio fieret, eſſétque f *omnia in omnibus.*

g *Tot bona tam parvo clauſit in orbe Deus.*

Perappoſitè obſervat Auguſtinus: h *Hîc aurum quod eſt, non poteſt tibi eſſe argentum: quod vinum eſt, non poteſt tibi eſſe panis*: quod caro eſt, non poteſt tibi eſſe piſcis: poma non poſſunt eſſe pittacia; ſed ſi ad hanc divinam menſam accedis, *Deus tuus totum tibi erit, manducabis eum, ne eſurias, bibes, ne ſitias, poſſidebis totum integrum, totus integer*, & in illo omne bonum. Hoc ſanctorum Patrum confirmat auctoritas. Carthaginienſis Antiſtes hac ſuper re ſcribens, ait: i *Panis iſte Angelorum omne delectamentum habens, virtute mirifica, omnibus, qui dignè & devotè ſumunt, ſecundum ſuum deſiderium ſapit: & amplius quàm manna illud eremi, implet, & ſatiat edentium appetitus: & omnium carnalium ſaporum irritamenta, & omnem exuperat* DULCEDINUM VOLUPTATES.

Has dulcedinum voluptates experta ſeraphica Mater, & virgo *Thereſa*, tum aliàs, tum maximè Dominica Palmarum, qua ſolebat illa majori deſiderio Euchariſtiæ effervescere, hac præſertim cauſa, quod eo quondam die Judæi Chriſtum Hieroſolymis, perquam honorificè exceptum, impranſum longo itinere Bethaniam redire permiſiſſent. Quam inhoſpitalitatem, ut eo, quo poterat modo, corrigeret, Chriſtum in Synaxi velut prandio amantiſſimè excipiebat. Jam pium illum morem per triginta annos tenuerat, cùm eodem ipſo die ad Euchariſticum convivium accedens, divinitus mente excedens, & ſpiritu rapta, ſacram hoſtiam k ore exceptam non poterat ad cordis penetralia tranſmittere; jámque ſibi reddita, viſa ſibi eſt totum os ſanguine adhuc calente, & velut jam venis fuſo refertum habere; cui ſanguini tanta inerat ſuavitas, ut omnem modum excederet. Tum ſic eam Chriſtus affatus eſt: *Filia, volo ut ſanguis meus tibi proſit; noli metuere, ne tibi deſit miſericordia mea: fudi ſanguinem cum multo dolore, & ecce tu eo frueris cum* MULTIS DELICIIS. *Vides certè quàm abunde remunerer, quas mihi hodie epulas paràſti.* Hortatur & te quiſquis es, ſanctiſſimus Præſul Carnotenſis, ut guſtes quàm ſuavis ſit Dominus: l *Guſta igitur, & vide quàm ſuavis cibus, & perguſta quid ſapit. Sapit, ni fallor, cibum illum Angelicum, habentem intra ſe myſtici ſaporis delectamentum; non quod ore diſcernas, ſed quod affectu interiori deguſtes. Exere palatum fidei, dilata fauces ſpei, viſcera charitatis extende*; varietatem autem hujus Euchariſtici ſaporis, mox exponit, dum Chriſtum ſub hiſce ſpeciebus, modò parvulum in cunis, aut ſponſum ſanguinis in ara crucis, aut in cœlo glorioſum, fide viva præſentem credimus:

f 1. Cor. 15. g Tibull. lib. 3. eleg. 17. h Auguſt. in Pſalm. 36. conc. 1. i S. Cypriau. Serm. de cœna Domin.

k In vita l. 4. c. 12. l S. Tulbertus Ep. 1.

De fide enim interioris hominis precedit divini guſtus ſaporis; dū certè per ſalutaris Euchariſtiæ infuſionem, influit Chriſtus in viſcera animæ ſumētis, quem divina mens caſtis penetralibus, in ea videlicet forma ſuſcipit, qua ſub ipſa recordatione myſterii revelante ſibi præſentem intuetur infantem, videlicet materno in gremio, aut cunis puerilibus jacentem: aut ara crucis immolatum: aut ſepulchro quieſcentem: aut certè calcata morte reſurgentem, ſive ſupra cœlos evectum in gloria Patris ſublimem; juxta quas ſpecies, Chriſtus gratum communicantis intrans habitaculum, tot, ut ita dicam, ſuavitatis odoribus mentem reficit, quot formis intima revelationis oculus meditantis eum meruerit intueri. En modum, & methodum, qua multiplex illa ſuavitas Euchariſtica pro arbitrio hauriatur; ſi nempe mens inter ſacras epulas certum aliquod myſterium ruminet, cujus recordationis dulcedine paſcatur. Quid! quòd reperti ſint, qui non ſpiritualem duntaxat, ſed & ſenſibilem dulcedinem ſuper omne mel, & favum hic deguſtârunt; ſic à S. *Elzeario* divinus ille cibus acceptus; *n* in ore ejus ſuavis erat ſicut ſaccharum: & à *B. Maria Ogniacenſi*, cum mellis guſtu, & odore aromatico percipiebatur, ut ſcribit Jacobus de Vitriaco in vita *o*. Quis has delicias non admiretur, non amet, non eſuriat? Quis non hanc omnis dulcedinis ſuavitatem cum Seraphico Doctore hiſce verbis ſalutet?

p *Ave vas clementiæ,*
Servitium dulceris:
In quo ſunt DELICIÆ
Cœlici ſaporis.

Hæ deliciæ cœleſtes tantam, támque eximiam cœleſtis ſaporis in ſe dulcedinem continent, ut qui eas delibavit, omnes humanas & carnales faſtidiat. Vel ſola hujus divinæ dulcedinis recordatione purpuratus Vates, renuit ulla re humana conſolationem admittere; ſed *memor fui Dei*, inquit, *& delectatus ſum*; ſi vel ſola ſummi boni memoria tam ſuavis, ut poſthabitis humanis omnibus illecebris, & regiis voluptatibus, animus in Domino liquidiſſimè delectetur; quid ſentiendum de iis, qui præſentia ejus ſuaviſſima in corpore & anima perfruuntur. Fuit, qui aliquando apud celebrem illum omnis perfectionis, & ſanctimoniæ magiſtrum Joannem de Avila, mentionem injecit, de Terra ſancta, ſibique in votis eſſe, ut ea à Chriſtianis recuperatâ illic commorari liceret, ubi Chriſtus pro nobis mortuus eſt: cui Avila: *q at*, inquit, *habemus in promptu Ven. Sacramentum, cujus cùm memini, quæcumque in terris ſunt, mihi ſunt faſtidio.* Sola hujus cœleſtis menſæ recordatio, omnia, quæ mundus exquiſitiſſima proponit fercula; omnes, quas caro ſuggerit, & dæmon ſpecioſiſſmè pingit, ſeu veriùs fingit, voluptates, fecit faſtidire; quid miri, ſi ſanctæ animæ, ejus intimo complexu, & guſtu delectatæ, omnia arbitrentur ut ſtercora, & cibos omnes humanos iſtiuſmodi ſtomachus averſetur? Sentire id licuit ſpectata virtute ſanctimoniali Dominicanæ, cui *Stephana de Soncino* nomen: *r* quæ cum aliàs ut plurimum lætitiam, ac dulcedinem

n In actis S. Elzearii c. 20. o Iacob. de Vitriaco In vita l. 2. c. 8. & in prolog. p Bonav. in hymno de Ven. Sacr.

q Hautin. de V. Sacram. Pag. 4[illegible]. r Ioan à S. Maria. Tom. 2. Actorum ſui Ordin. ſanctimonialium.

insue-

inſuetam ex ſacroſancta communione capiebat, tum ſemel præſertim incredibilem percepit; poſtquam nocte illam prçcedente maximam ſitim à dçmone immiſſam, ne ſynaxi poſtridie fruſtraretur, perpeſſa eſt, mori potius ſtatuens, quàm bibere; hoc autem ardens communicandi deſiderium, tanta cœleſtium deliciarum dulcedine Divinus Sponſus remunetatus eſt, ut conſequentibus quadraginta diebus nullum potum, aut cibum admittere poſſet. Ex quibus patet, quanto præſtantior ſit ſapor Spiritus, & ſ *dulcedo dulcedinum*, quam juſtorum animæ in epulo Euchariſtico deguſtant, præ omni guſtu eorum, qui brutales delicias, & carnem ſapiunt. Pulchrè in hanc rem philoſophatur D. Cyprianus: *t* piæ & ſanctæ animæ, viri juſti, hiſce Bacchi feſtis, quibus humano deſiderio nec in ferculis, nec in cyathis, nec in deliciis quidquam ſatis, hoc uno menſæ Euchariſticæ, *contenti ferculo, omnes mundi hujus delicias aſpernantur: & poſſidentes Chriſtum, aliquam hujus mundi poſſidere ſupellectilem dedignantur. Mira ſunt quæ ſentit,* (talis anima juſti) *magna, quæ videt, inaudita quæ loquitur. Quam agnus ille Paſchalis inhabitat, cujus animam meri hujus fortitudo,* HILARITATE INEXPLICABILI LÆTIFICAT, ET DELECTAT. *v* Sed quî fit, tam paucos, tam mira, tam magna, tam inaudita experiri? quî fit, tam paucos has delicias cœleſtes in epulo Euchariſtico delibare? Quî, fit tam multos nauſeare panem illum Angelorum, nec saporis omnis delectamentum deguſtare? cauſam nóſtis? ſedent cum Iſraëlitis ſuper ollas carnium; ſic etenim Moyſes illos loquentes inducit: x *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis; in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq;, & cepe, & allia; anima noſtra arida eſt: nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man.* y *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo.* Quid verò ollæ carnium, & pepones, & porri, cepéq; deſignent, S. Gregorius luculenter exponit, dicens: z *Veſana iniquorum mens plus ſe aſſequi aſpera carnaliter, quàm tenere blanda ſpiritaliter gaudet; quod apertè in ſemetipſo nobis Iſraëliticus populus oſtendit: qui dum refectionem mannæ deſuper perciperet, ab Ægypto ollas carnium, pepones, porros, cepaſque concupivit: quid enim ſignatur in manna, niſi eſca gratiæ, ſuavè ſapiens, ad refectionem interioris vitæ, bene vacantibus deſuper data? Et quid per ollas carnium, niſi carnalia opera vitæ in tribulationum laboribus, quaſi ignibus excoquenda? quid per pepones, niſi terrenæ dulcedines? Quid per porros & cepas exprimitur, quæ plerumque qui comedunt, lacrymas emittunt, niſi difficultates vitæ præſentis, quæ à dilectoribus ſuis cum lacrymis amatur.* Ejuſmodi Deus menſa ſua arcere conſuevit, uti olim per Iſaiam diſertè vaticinatus eſt: a *Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis: Ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis: Ecce ſervi mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce ſervi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus ululabitis;*

ſ Bern. ſerm. de dign. Sacerd. t Cyprian. ſerm. de cœna Dom. v Qui faſtidiant delicias Euchariſticas?

x Num. 11. v. 5. y Num. 21. v. 5. z S. Greg. l. 20. mor. c. 26. a Iſaiæ 65. v. 13.

Quæ omnia de iis, qui arcentur à menſa Domini, Hugo Card. exponit. Qui hîc ſedent ſuper ollas carnium, qui hic cepis,& alliis,& ſiliquis porcorum veſcuntur, nauſeant cœleſtes illas delicias, quibus filii Dei delectantur. Quod argumentum explicant duo illi fratres, de quibus Chriſtus Lucæ 15. Senior, qui teſte Hieronymo, juſtos exprimebat, natus & educatus in domo paterna, non ſolum abundabat panibus, ut mercenarius; ſed etiam lautis ferculis ſaginabatur, ut filius. Unde legalem ſpirans ſanctitatem, dicebat ad patrem: b *Ecce tot annis ſervio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi*; cui pater quodammodo aſſentiens: *Fili*, inquit, *tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt*. Potuítne lautior explicari convivivii cœleſtis apparatus? ſic epulabatur, qui patris gratia fruebatur: Contrà verò junior, qui peccatores adumbrabat, à domo, & conſpectu paterno profugus, helluo, bonorum omnium diſſipator, meretricibus conſueſcens, ſiliquis porcorum paſcebatur. Guſtus eſt inter ſenſus, ſenſuum infimus, totus materiæ immerſus, & communis cum belluis. Nulli minus guſtant, quàm ſuavis ſit Dominus, quàm mancipia ventris, quàm delicati illi voluptatum aucupes, lurcones, & liguriones, aſoti; qui Sybariticas cœnas odorantur, magíſque ſuſpiciunt palatum, quam cœli palatium. Quid magis probroſum homini, qui invitatus eſt ad cœnam illam magnam, qui toties manducat panem Angelorum, cui proponitur guſtandum illud cœleſte manna, quod in ſe continet omne oblectamentum, quàm indulgere ſuo genio, quo hebeſca[t] acies ingenii, quàm in cibum & potum ſe totum effundere, lauti[-] tiarum omne genus ſectari, ventris ſuavitatibus inhiare, in pati[-] nas mentum, ac mentem avidiſ[-] ſimè immittere? illi ſcilicet cor[-] poris colluvione ſtupidi, fract[i] epulis, tanquam opimi boves, vi[-] cos obambulare, & omnia ructi[-] bus contaminare, *quorum Deu[s] venter eſt*, qui nullos ſibi magi[s] deos cupiunt eſſe propitios, quàn[i] Patellarios. Tales merentur ex[-] pungi ex albo hominum, & ad[-] ſciſci in numerum pecudum. Ta[-] les profectò Bacchi nepotes, por[-] cinam agentes vitam, brutoru[m] more in paſtum effuſi cœleſte[s] epulas faſtidientes clamant cu[m] Iſraëlitis, *nauſeat anima noſtra ſu[-] per cibo iſto leviſſimo*; illis porrò ac[-] cidit, quod ægris; qui aut nauſe[a] ſtomachi laborantes, aut palatu[m] infectum habentes, exquiſita fer[-] cula faſtidiunt. Quam rem Do[-] ctor Angelicus de pane Angelo[-] rum agens, diviniſſimè pertra[-] ctat: c *Dulcedo*, inquit, *in ſpiritua[-] libus tranſumptivè dicitur: ſicut eni[m] dulcedo corporalis delectat guſtu[m] carnis, ita quod mentem delectat in[-] terius, dicitur* DULCEDO SPIRITUALIS; *contingit autem quando[-] que, quod guſtus carnis, non bene diſ[-] poſitus, delectatur in corrupto ſapor[e] & tunc falsò delectatur*; ut fit i[n] morbidis, & fæminis prægnanti[-] bus, quæ peregrinos appetitus, & guſtus habent, ſalem, rude fru[-] mentum, carbones avidiſſim[è] vorando. *Sic appetitus homini[s] quando non bene eſt ordinatus, dele[-] ctatur in re, quæ non verè eſt de[-] lectabilis. Sed ſi bene eſt diſpoſ[it]us*

b Lucæ 15. v. 29.

c S. Thom. in pſal. 30.

de-

delectatur in vero bono, ſcilicet divino; & ideò bonitas ſubſtantialis Dei, dicitur DULCEDO DEI : d *ſubſtantiam tuam & dulcedinem tuam, quam in filios tuos habes, oſtendebas.* In cujus confirmationem Gregorius Nazianzenus hunc ſapientiæ locum exponit : e *ſubſtantia mea,* DULCEDO MEA *eſt*, intelligens per ſubſtantiam, Dei naturam, quæ eſt dulciſſima, & ſuaviſſima, adeóque ipſa ſuavitas, & dulcedo increata, & immenſa, qua in menſa Euchariſtica paſcimur. Hac ineffabili dulcedine colliqueſcens Auguſtinus, cætera faſtidiit, dicens : f *Quidquid mihi præter Deum eſt, dulce non eſt. Quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, & ſe mihi det*, qui totus eſt dulcis, & ſuavis gutturi meo; ſed cur quiſque hanc non deguſtat, non capit, non ſapit? idem Doctor declarat : g *Hic homo impius ſi dicat, ubi eſt iſta multitudo* DULCEDINIS? *reſpondebo : quomodo tibi oſtendam multitudinem hujus* DULCEDINIS, *qui palatum de febre iniquitatis perdidiſti? mel ſi non nôſſes, quàm bene ſaperet, non clamares, niſi guſtaſſes. Palatum cordis non habes ad hæc bona guſtanda. Quid tibi faciam? Quomodo oſtendam? non eſt cui dicam : guſtate, & videte.* Si linguis hominum loquar, & Angelorum, ut divinam hanc dulcedinem homini carnali exponam, ad has cœleſtes epulas orexim, & appetitum excitem, fruſtra laborabo; guſtari poſſunt, explicari non poſſunt : h *Lauda Deum, quantum potes, & exaggera* DULCEDINEM EJUS, *quibus volueris verbis; homo neſciens, quid ſit mel, niſi guſtaverit, quid dicas, neſcit. Ideo magis ad experimentum te invitans Pſalmiſta, quid ait?* i *guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. Guſtare non vis, & dicis, jucundum eſt? quid jucundum eſt? ſi guſtaſti, in fructu tuo inveniatur, non in ſolis vocibus, tanquam tantummodo in foliis. Guſtate, inquit, & videte; tunc videbitis, ſi guſtaveritis; homini autem non guſtanti, quomodo probas?* Similiter Sanctus Gregorius has delicias ab inexpertis amari non poſſe aſſerit : k *Idcirco*, inquit, *non habitæ, amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur : quis enim amare valeat, quod ignorat? Eſt igitur divina hæc dulcedo manna abſconditum, quod nemo novit, niſi qui accipit.* Mel & favus, febricitantibus amara cenſentur. Loquar prius cum Seneca : l *Iſto modo dicas non eſſe in melle dulcedinem: nam ille qui edit, debet eſſe ita aptatus lingua, palatóque ad ejuſmodi guſtum, ut ille tali ſapore capiatur, non offendatur : ſunt enim quidam, quibus morbi vitio, mel amarum videatur.* Peccati vitio factum eſt, ut inſipientes facti ſimus, id eſt minus ſapidi, ſapore per peccatum infecto, ut rectè Doctor mellifluus : m *Sapientia à ſapore denominatur, quod virtuti accedens quoddam veluti condimentum, ſapida reddat, quæ per ſe inſulſa quodammodo, & aſpera ſentiebantur. Hunc ſaporem perdidimus ab ipſo pænè exortu generis noſtri. Ex quo cordis palatum, ſenſu carnis prævalente, infecit virus ſerpentis antiqui, cœpit anima non ſapere bonum, ac ſapor noxius ſubintrare.* Id omni peccatori accidit, qui *cordis palatum* morbi vitio infecit. Quare fruſtra accipis, fru-

d Sap. 16. e Nazianz. orat. 49. f Aug. in pſal. 26. g Idem in Pſal. 30. conc. 3. h Idem in pſal. 51.

i Pſal. 33. k Greg. hom. 36. in Euang. l Sen. Ep. 109. m Bern. ſer. 85. in cant.

ſtra quereris, hanc te dulcedinem in hiſce epulis non deguſtare, ſi palatū malè affectū habeas. Quid remedii? idem quod ægris; purgandum eſt. Expertiſſimum animarum medicum adi, & Doctorem audi Auguſtinum: n *Cùm cœperis odiſſe peccata, & CONFITERI Deo, cùm te delectationes illicitæ rapiunt, & ducunt te ad ea quæ tibi non proſunt, ingemiſce ad Deum, & CONFITENS ILLI peccata tua, mereberis ab illo* DELECTATIONEM, ET SUAVITATEM IUSTITIÆ *faciendæ. Dabit tibi, ut incipiat te delectare juſtitia, quem primò delectabat iniquitas: ut qui primò gaudebas in ebrietate, gaudeas in ſobrietate & quem delectabat rapere, delectet donare: quem delectabat ſpectare,* (obſcœna ſpectacula) *delectet orare: quem delectabant cantica nugatoria, & adulterina, delectet hymnum dicere Deo: currere ad Eccleſiam, qui primò currebat ad Theatrum.* UNDE NATA EST ISTA SUAVITAS? *niſi quia Dominus dabit* SUAVITATEM, *& terra noſtra dabit fructum ſuum*: Hac ſuper ſententia, habent ſacri Eccleſiaſtæ, & divini verbi præcones quod excurrant, & exſpatientur. Suffecerit mihi B. Petrum Damiani Cardinalem loquentem inducere, qui hiſce verbis fratrem Honeſtum commonet: o *Noli gulæ, vel carnis deſervire libidini, qui te militem ſpopondiſti ſobrietatis auctori. Pudeat te carnalium voluptatum eſſe vernaculum, nec collum tuum, ingenuo Chriſti jugo ſubmiſſum, vinculis ſe ſubjiciat Barbarorum* (dico ego Bacchantium) *Si te dulce quid mandacare delectat, divinum illud, ac myſticum manna in cordis tui palato ſapiat, de quo dicitur: quia guſtus ejus erat quaſi ſimilæ, cum melle; ſimila ſcilicet iſta de grano frumenti fit, quod in terra cadens, ac mortuum, multum attulit fructum. Sed hæc ſimila melle conſpergitur, quia humanitas redemptionis*, PLENA EST DULCEDINE DEITATIS. Tam ſinceris, tam meracis deliciis, velut innatantem, animam, quis non videat neceſſariò limoſas, atque cœnoſas ſive guſtus, ſive viſus, ſive tactus voluptates faſtidire? ſicut enim homines, qui primum glandibus, ut ſues veſcebantur, nutrices illas inopis, ac feræ ſortis p (ut loquitur Plinius) averſati ſunt, cùm invento Cereris, ut idem teſtatur q, frumenta ſerere, molère, & conficere edocti ſunt; ita quibus datum eſt guſtare hunc panem de cœlo, carnalia quæcumque oblectamenta, non ſecus ac porcorum ſiliquas faſtidiunt.

Veriſſimum illud Hipponenſis Præſulis: r *Scimus Fratres, quòd omnis homo gaudere deſiderat,* & oblectationem naturaliter quærit, ac ipſam, quantum poteſt, procurat, quòd ſine ea vivere nequeat; *Sed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri.* Homo ruſticus inaudierat ſaccharū in arundinibus creſcere; hinc ad Scaldis ripam conſidens, nunc hanc, nunc alteram arundinem dentibus confringebat, nihildum ſacchari aut dulcedinis reperiens; ita fit, inquit idem Doctor: ſ *Rem bonam quæritis, ſed non in regione ſua quæritis, quod quæritis, ſed ibi non eſt, ubi quæritis.*

n Auguſt. in pſal. 84. o Pet. Dam. opuſc. 48. c. 2.

p Plin. l. 16. in procem. q Lib. 7. c. 56. r Auguſtin. Serm. 30. de Sanctis. ſ Idem lib. 4. conf. c. 12.

ritis. Scire vultis, ubi quærere, & invenire poſſitis?

§. IV.

Gaudete in Domino ſemper. Ad Philippenſ. 4. v. 4.

SI quod unquam ab ullo, vel calamo exaratum, vel ore prolatum, vel mente excogitatum eſt paradoxum, eſt illud quod ad Theſſalonicenſes ſcribit divus Paulus: t *Semper gaudete*. Hoc, quod Apoſtolus hic jubet, nulli non apparet vanum imperium; hoc quo ſuadet, ſtultum conſilium. In Paradiſo voluptatis jam pridem amiſimus gaudium, dum commiſimus flagitium. In exordio verſamur in carcere, in exilio, ne dicam in equuleo, & gaudere nos ſuades? tu Paule hominem, qui infirmitatibus quatitur, laboribus affligitur, ira conteritur, cupiditatibus accenditur, tabeſcit invidiâ: cujus anima corpori velut ergaſtulo incluſa, humi afflicta, pulvere concreta, ſtricta vinculo, nervis irretita, perpetuò ſuſpirat, nunquam reſpirat, tu talem gaudere jubes? cogita, Paule, quem locum incolimus, & mox palinodiam canes. In mundo degimus, hoc eſt, v *in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis*; in mundo, hoc eſt, lætitiæ exilio, unde illa proſcripta eſt, in triſtitiæ domicilio, in valle lacrymarum, in loco flentium; in mundo, in quo x *homo brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis*, in quo vita hominis non tam eſt, in qua pugnat militia, quàm, in qua pugnat malitia, in qua omnium morborum, & malorum agmen claudit terribilium omnium terribiliſſima mors, & nihilominus clamas: *Semper gaudete*. Jubes nos inter flentia ridere, inter tot triſtia gaudere, in tam atrocibus tempeſtatibus præferre ſerenitatem vultus, in tot anguſtiis explicare frontem, in tot periculis ſecuros exultare, inter vincula & compedes, geſtire, ſaltare, tripudiare? in hoc, ubi fabulam agimus, Theatro oporteret nos flendo ſuſtinere perſonam Heracliti, non ridendo Democriti. Non immutat tamen Paulus propoſitum, nec revocat conſilium: perſtat in ſententia: *Semper gaudete*; & ne quis exiſtimet, temerè, & inconſultò id protuliſſe, ut ſemper gaudeamus, non tantum leviter commendat, ſed fortiter inculcat: *Iterum dico gaudete*. Næ hic arcani quid latet. Aptavêre ejus, qui hæc verba ſcripſit, calamum Angeli: dictavit hæc verba Spiritus Sanctus: ſubſcripſit illis æterna Veritas, cudit Scientia, approbavit divina Sapientia. Ipſo ergo vero veriora ſunt hæc verba, poſſe nos in hac vita, tametſi miſerrimâ, gaudere, & quidem ſemper gaudere. Eſt articulus fidei, unde eſt extra aleam dubii: unde piaculum foret, non dico illud negare, ſed de eo vel dubitare. Itaque de re certa non amplius diſputemus, nec quæramus, an gaudere ſemper poſſimus, ſed quomodo poſſimus. Joannes Chryſoſtomus, qui hoc encomio ſanè ſub-

t 1. Theſſal. 5. v. 16. v Deuter. 32. v. 15. x Iob 14. v. 1.

ſublimi à Caſſiano exornatur: y *Joannes fide, ac puritate mirabilis, Joannes Joannis illius, qui vere ad ſimilitudinem Joannis Euangeliſtæ, & diſcipulus* Jesu, *& Apoſtolus, quaſi ſuper pectus Domini ſemper, affectúmque diſcubuit,* cœleſtibus delicijs ebrius, hoc argumentum diſertè pertractat, dicens: z *Quod hoc ſit verum, Paulum audiſtis nos monentem: gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. Scimus multis videri, non poſſe fieri, quod dictum eſt: quomodo namque fieri poteſt, ut, qui homo eſt, ſemper gaudeat: gaudere namque non difficile; continuè verò gaudere, & impoſſibile mihi eſſe videtur, dicet fortaſſe aliquis: multæ enim nos triſtitiæ neceſſariò circumcurſant: vel enim filium quis amiſit, vel uxorem, vel amicum ſincerum magis, quàm ullus conſanguineus, neceſſarium, vel pecuniarum paſſus eſt mulctam, vel in ægritudinem incidit, vel aliarum rerum ſuſtinuit jacturam: vel contumeliam paſſus indoluit: vel fames, vel peſtis, vel exactio, quæ ferri non poteſt; quinimò numquam omnia recenſere poſſemus, quæcumque & privatim, & publicè nos mœrore afficere conſueverunt. Quomodo igitur poſſibile ſemper gaudere? poſſibile admodum, ô homo: & ſi poſſibile non eſſet, non admonuiſſet Paulus, nec conſuluiſſet: lætitiam quippe amant omnes; aſſequi verò omnes non poſſunt.* Cauſam ſubjungit, quod eam quærant in fluxis, & perituris; non autem in Domino: *Neſciunt enim viam eò tendentem; ſed multi putant, quòd divitiis affluere hujus gaudii ſit cauſa; ſi hæc autem fuiſſet cauſa, nemo pecunias poſſidentium unquam fuiſſet dolore oppreſſus. Alii putant, quod bona valetudo ſit voluptatis cauſa; non eſt autem: multi namque bene valentes, millies mori optaverunt, illatas ſibi non ferentes injurias. Alii rurſum gloriâ potiri, & Imperio inſignitum eſſe, & Magiſtratus adminiſtrare, continuæ lætitiæ cauſam eſſe dicunt; ſed nec illud eſt. In illo quoque viventem multis circumventum moleſtiis inveniemus: & tantò plures triſtitiæ neceſſitates habentem, quantò majore rerum faſtu circumdatus eſt.* Tandem concludit, *cùm igitur nec Regnum vitamque triſtitia reddere poſſit, quid aliud hoc præſtare poterit? humanorum quidem nihil, ſed ſolum Pauli breve illud, & exile verbum nobis hunc aperiet theſaurum: nec enim ſimpliciter dixit: gaudete ſemper; ſed addidit continuæ voluptatis cauſam:* GAUDETE IN DOMINO SEMPER. Nôſtis quâ ratione? modum & methodum ſuggerit: a *Mente quippe bene diſpoſitam, & animæ ſuæ curam habentem, nulla res contriſtare poterit; ſed pura, continuáque fruetur voluptate,* innuens, hoc perpetuo gaudio neminem, niſi juſtum potiri poſſe, ipſo atteſtante Salomone: b *Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.* Hugo Cardinalis acutè illud expendens, ait: *Sicut accidens eſt, auctore Philoſopho, quod adeſt, & abeſt præter ſubjecti corruptionem, ita præſens tribulatio, & ærumna adeſt, & abeſt præter juſti contriſtationem, & conturbationem.* Agros incendi, bona per filium prodigum dilapidari, famam lacerari, accidens eſt, non contriſtabit juſtum. Uxorem, filios, amicos fato eripi, accidens eſt, non *contriſtabit juſtum.* Bella ingruere, famem, peſtem,

y Caſſian. 7. de incarnat. c. 31. lib. 1. Epiſt. 356. z Chryſ. hom. 18. ad popul.

a 1. Modus ſemper gaudendi. b Proverb. 12.

ſtem, morbos, pauperiem irruere, accidens eſt, non *contriſtabit juſtum.* Omnis tentationum & malorum turba incumbat, accidens eſt; gaudium veſtrum nemo tollet à vobis: IN DOMINO GAUDENS, *ex accidente nullo voluptate hac excidere poteſt.* Fontem verò ujus gaudii, aſtruit timorem ominì, ne eum offendamus: c *lia nempe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia ſunt,* & nobis invi- *tranſitu facilia; Dei verò timor* (ſi limus) *ſtabilis eſt, immotúſque,* & ANTAM EMITTIT LÆTITIA, *ut nullus nos aliorum malorum ſus capiat: Deum enim ſicut opor timens, & in ipſo confidens, volupta radicem lucratus eſt, &* OMNEM ABET LÆTITIÆ FONTEM; q it, ut ſi quid adverſi ingruerit *icut in mare decidens immenſum, ntilla brevis facilè deletur: ſic qu acumque Deum timenti illidant velut in vaſtum lætitiæ pelagus i lentia extinguantur, atque perda r,* ut fusè proſequitur, & no ulò pòſt dicemus. De gaudio o, & perpetuo ſanctus Thor ſuper Apoſtoli verba comm tus: d *Conditiones, inquit, ert audii tangit Apoſtolus: & pri quod debet eſſe rectum, quod eſt, ando eſt de proprio bono hominis od non eſt quid creatum, ſed De mihi adhærere Deo bonum eſt & unc autem rectum eſt, quando in nino; ideo dicit:* GAUDETE IN IINO: *item continuum, unde d* SEMPER GAUDETE, *quod fit do non interrumpitur peccato;* i enim, & nihil aliud, gaudium mini valet interrumpere, aut rturbare. Vis ergo gaudere indeſinenter gaudere, virtutem ſectare, juſtitiam amplectere, Deum time, e *verum bonum ſpecta, & de tuo gaude, ex te naſcentibus bonis,* non extra te quæſitis. Audi non Paulum, ſed gentilem Poëtam: f *Navibus atque quadrigis petimus bene vivere,* jucundè & hilariter degere; ſubjicit:

Quod petis, hîc eſt,
Intus habes, animus ſi te non deficit æquus.

Quaſi diceret, quid naves, quid quadrigas paras? quid opes congeris? quid ad honorum culmina aſpiras? à te pete, quod in te naſcitur, ut rectè Philo: g *Quia in ſolis animi bonis genuinum & ſincerum reperitur gaudium; ideo in ſe quiſquam ſapiens gaudet, non in iis, quæ circa ipſum ſunt.* Idipſum ſacro Apologo libri Judicum expreſſere, dum prudentiores arbores, gaudium, quod ex ipſis naſcitur, quàm aliud, quod ab honore advenit, amplecti maluerunt: h *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem: dixerúntque* OLIVÆ, *impera nobis. Quæ reſpondit: numquid poſſum deſerere* PINGUEDINEM MEAM, *qua & Dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear? dixerúntque ligna ad arborem* FICUM: *veni, & ſuper nos Regnum accipe. Quæ reſpondit eis: numquid poſſum deſerere* DULCEDINEM MEAM, *fructúſque ſuaviſſimos, & ire, ut inter cætera ligna promovear? locutáque ſunt ligna ad* VITEM, *veni, & impera nobis: quæ reſpondit eis: numquid poſſum deſerere* VINUM *meum, quod* LÆTIFICAT *Deum & homines, ut inter cætera ligna promovear?* ut nimirum

c Chryſoſt. cit. d S. in Ep. ad Philipp. 4.

e Sen. Ep. 23. & 20. f Horat. l. 1. Epiſt. ad Bullatium. g Philo libro quod deterius potiori inſidietur. h Iud. 9. v. 8.

documento nobis ſit, veram animi pinguedinem, dulcedinem, lætitiam, à foris, à rebus externis non petendam, ſed domi naſci, & intra te eſſe: ſic enim Procopius Gazæus ad id loci: i *Quaſi dicat: non opus habeo iſto honore aſcititio, quem proprium, & vernaculum ex meis fructibus habeo.* Sed multò luculentiùs Ambroſius lib. 3. hexameron. de vite, & vino, quod lætificat cor hominis, agens: k *Utinam, ô homo, hujus generis, ſeu plantæ imiteris exemplum, ut ipſe tibi* LÆTITIAM, JUCUNDITATEMQUE FRUCTIFICES: *in te ipſo* SUAVITATIS *tuæ gratia eſt, ex te pullulat, in te manet, intus tibi, id eſt, in teipſo quærenda* JUCUNDITAS TUÆ EST CONSCIENTIÆ; & ex virtutum fructibus oritur. Cum hiſce plantis ſapiunt omnes juſti, in charitate radicati, & Religioſi plantati in domo Domini, qui omne gaudium externum, quod ab honoribus, à mundi, & carnis deliciis offertur, deſpiciunt, præ pinguedine gratiæ, dulcedine ſpiritus, & lætitia cordis, qua intus perfruuntur. De hoc ſibi in regio murice Vates gratulatur: l *Dediſti* LÆTITIAM *in corde meo.* ubi Chryſoſtomus: *Non ſimpliciter dixit:* DEDISTI GAUDIUM; *ſed in corde meo. Id eſt, non in externis rebus* LÆTITIA ISTA *exiſtit, qualis eſt iſtarum rerum ſæcularium, ac fluxarum: nam hæc lætitia non cordis, ſed ſolorum oculorum.* Conſimili ſenſu Auguſtinus: m *Non ergo foris quærenda eſt* LAETITIA, *ab his qui adhuc graves corde diligunt vanitatem, & quærunt mendacium; ſed intus.* Unde alibi ait, fruſtra ſe miſiſſe nuncios ſenſus ſuos, ut quærerent te Domine foris, qui eras intus. Antiochenus Antiſtes ulterius quęrens, quomodo Paulinum illud ſubſiſtat: n SEMPER GAUDETE; hoc fieri poſſe aſſerit, ſi inter hujus mundi tempeſtates, & procellas fluctuantes, oculos, animúmque ad ſuperna extulerint, ac vitæ ſanctimoniæ, Deóque vacarint: o *Cùm Paulus hom nibus adhuc in hac vita degentib loquens dicat:* SEMPER GAUDET. *Hîc ubi morbi, ubi inſectationes, bi præmaturæ mortes, ubi calun æ, ubi invidiæ, ubi perturbat nes, ubi iræ, ubi cupiditates; u innumerabiles inſidiæ, ubi quo ianæ ſolicitudines, ubi perpetua ibique ſuccedentia mala ſunt, inn eros ex omni parte dolores afferen, Paulus dixit fieri poſſe, ut* SEM R GAUDEAMUS, *ſi quis paulu*, rationem adverte docebo, *rum mundanarum fluctibus ere it caput, vitámque ſuam rectè c oſuerit.* Qui hiſce diebus è te eſtate commeſſationum, è nulentiæ fluctibus erexerit cœlum caput, atq; ad omnen etatem, ac virtutem, vitan mpoſuerit, fieri poſſe experi , ut ſemper gaudeat. Hoc p uo gaudio maximè perfr unti viri clauſtrales, & ſanct moniæ, ac animæ Deo devotæ, qui n modò è mundi fluctibus extu e caput, ſed ex ipſo turbulen mo mari, totos ſe eripuere. è D. Chryſoſtomus de Mon orum & mundanorum gau differens, docet, tantum int la diſcrimen intereſſe, p *tum*, inquit, *inter tranquilliſſ intereſt portum, & mare temp um*; quaſi è littore ſpectant tunum furentem, & omne ndi fluxus, ac reflu-

i Procop. in Indic. cit. k Ambroſ. lib. 3. hexam. c. 12. l Pſalm. 4. Chryſ. hic apud Corderium. m Auguſt. hic.

n 1. ad T 5. o Chryſ. orat. de S. Philogon Chryſ. hom. 69. in Matth.

ſtus rident ſecuri. Oculatum teſtē adduco Bernardum: q *Advertere potes in omnibus pænè Religioſis congregationibus, viros repletos conſolatione*, SUPERABUNDANTES GAUDIO, JUCUNDOS SEMPER ET HILARES, *ferventes ſpiritu, nocte dieq; meditantes in lege Domini: quibus amabilis diſciplina, labor manuum delectabilis, & univerſa deniq; converſationis hujus auſteritas refrigerium videntur* r Hîc ubi longæ inediæ, nocturnæ vigiliæ, rigor diſciplinæ, arcta pauperies, aſſidua carnis maceratio, carcer perpetuus, veriſſimū illud Pauli comprobatur, *fieri poſſe, ut ſemper gaudeant.* Quod ne cuipiam mirum videatur, age, ſi non pigeat viam carpere, mittam te ad ipſam gaudii Baſilicam, lætitiæ Regiam: tene, ſi placet, iter Jeroſolymam verſus: ingreſſus urbem progredere ad publicum urbis ergaſtulum: in hoc ergaſtulo, ubi adyta penetraſti, occurret cœcum antrum, tenebricoſum ſpelæum, latebroſa ſpecus: in iſta ſpelunca, quæ vaſto immanis hiatu, nil niſi pavidum accedentibus incutit horrorem & pavorem, eſt ipſiſſimum domicilium gaudii. Illic enim reperies hominem gravibus circumdatum catenis, vinctum compedibus, oneratum vinculis omni nudū præſidio, omni, quod in terris percipi poteſt, deſtitutum ſolatio. Si quæris ab hoc homine, quid ſit hominis? quod illi nomen? reponet: ſ *Paulus vinctus Chriſti* JESU. Quid hoc eſt? Paulus lux mundi, in tenebris? Paulus magiſter gentiū, in manibus gentilium? Paulus electus à Deo, ut portet nomen ejus coram gentibus, & Regibus, ſolus in compedibus? ſed cur illâ tam gravi cinctus es catena? t *propter ſpem Iſrael catenâ hac circumdatus ſum.* Sed quanto neceſſe eſt te in tam tetro antro, tantóque in ſqualore, obrui mœrore? ô quid ais? quia v *vinctus Chriſti repletus ſum conſolatione*: SUPERABUNDO GAUDIO *in omni tribulatione noſtra*; quaſi diceret, dum aſpicio hæc vincula, ô quam mihi præ illis ſordent omnia Regum diademata: hęc mihi in manibus catena potior eſt quavis, quæ Cæſaris verticē exornat, coronâ, non ſum, ut alii, conſolatione leviter tinctus; ſed exulto in Domino, & *ſuperabundo gaudio*; non ſic ſpongia repletur undique aquâ, in medio Oceano, ac ego in hac mea tribulatione repletus ſum gaudio: repleta eſt conſolatione memoria, dum reminiſcitur me vinctum Chriſti JESU: intellectus, dum recognoſcit cur ſim vinctus; voluntas, quia unum eſt illi votum me Chriſti cauſa eſſe vinctum. Replentur conſolatione oculi, quoties illa vincula aſpiciunt: manus, quæ illis non tam onerantur, quàm honorantur: labia, quoties illa oſculando diſſuaviantur: aures, quia illorum ſtridore ſummè delectantur; ſic omni ex parte, & corpus & anima, & cor, & caro, totus deniq; Paulus repletus ſum conſolatione. Nec tantùm, quod multis indultum, in tribulatione gaudio abundo, ſed, quod vix ulli conceſſum, *ſuperabundo.* Quis ſic locutus eſt Aſſuerus in Sybariticis ſuis epulis, ut Paulus in vinculis? quis Heliogabalus inter molles roſas, vel Sardanapalus inter olorinas plumas, ut Paulus inter catenas? hæc attendens Chryſo-

q Bern. Serm. 6. de Aſceuſ. r 2. Modus gaudendi etiam in tribul. ſ Phil. 1. t Act. 28. v. 20. v 2. Cor. 7. v. 4.

ſto-

ſtomus: x *Si verbera & vincula, quæ præ cæteris videntur moleſta,* GAUDIUM PARIUNT, *& quid tandem erit aliud, quod nobis adferre dolorem queat?* y Haud aliter in clauſtro religionis, votorum vinculis adſtricti, mortificationem Chriſti jugiter in corpore ſuo circumferentes, ſuperabundant gaudio: ipſi de ſe loquantur. S. Romualdus candidè affirmat: vixi centum annis in Religione (idque in tanta auſteritate) viginti verò in ſæculo; ſed eheu! quàm longa, & miſera hæc mihi vitæ tempora! quàm brevia, & jucunda illa Religionis! cui congruit vox illa Bellarmini Cardinalis: *Cùm eßem religioſus, neſciebam quid in vita eſſet triſtitia: factus Cardinalis, neſcio quid ſit lætitia.* Sancta Joanna Franca dicere ſolita: mille ſceptra, mille diademata, mille mundi, nihil ſunt animæ, quæ ſemel Deum, ejúſque dulcedinem experta eſt. Conſimiles ſeraphicæ Thereſiæ exclamationes: quàm amara, quàm inſipida omnis voluptas illi, qui guſtavit ſuavitatem JESU: quia, ut docet Bernardus z *Conſolatio mundi vilis, & ad nullum utilis, & quod magis metuendum eſt, veræ & ſalubris conſolationis impedimentum.* S. Scholaſtica luculentius adfert hujus perpetui gaudii teſtimonium, dicens: ſi dulcedo, quam Deus abſcondit ſervis ſuis, cognita eſſet, mundus non caperet eos, qui Deo ſervire vellent. Bloſius addit: totus mundus unum monaſterium foret. Quare Laurentium Juſtinianum ſapientiâ & ſanctimoniâ orbi clariſſimum, hoc inter alia Religionis encomia, dicere ſolitum accepimus: a *Conſultò à Deo eſſe factum, ut ejus jucunditatem abſconderet, atque occultaret: quoniam ſi eam homines cognoſcerent, futurum eſſet, ut mundus planè totus exhauriretur; ita ſe omnes tenere non poſſent, quin ad eam accurrerent.* Hinc patet, quàm cœci, & inconſulti filii hujus ſæculi, qui Religioſorum abhorrent pœnitentiam, & lætitiam ignorant; vident punctiones, auſteritatẽ habitus, & clauſtri rigorem; & unctionem gratiæ, cœleſtis gratiæ dulcedinem, & gaudium cordis non conſiderant. Quo de argumento aptè Bernardus in dedicatione templi, quare cruces inungantur: b *Multi abominantur, & fugiunt pœnitentiam crucem quidem videntes, ſed non eti- am unctionem. Vos qui experti eſtis ecce ſcitis quia verè crux noſtra inuncta eſt, & per gratiam ſpiritus adjuvantis, ſuavis, & delectabilis e- pœnitentia noſtra, &, ut ita dicam amaritudo noſtra dulciſſima.* Vo- qui experti eſtis, quàm ſuavis ſ- Dominus, quale & quantum ſ- gaudium, quod nemo tollet à vo- bis, teſtari poteſtis: palàm id te- ſtatum facit B. Maria Magdalen- de Urſinis, c quæ novitiis præfe- cta, dum ſuas juvenculas exube- anti cordis lætitiâ quandoq; ſua- viter ridentes cerneret: *Ridete,* inquit, *filiolæ meæ, ridete,* quia juſ- cauſa ridendi, quòd mundi fl- ctibus ereptæ, in portum hunc ſ- curſum, ſub S. Dominici di- ſciplina degitis: *Non fecit taliter omni nationi*; tota ejus gaudenc- & ſuas ad gaudendum exſtim-

x Chryſ. in Epiſt. ad Philipp. y Religioſi habent cauſam ſemper gaudendi. z Bern, Serm. 4. in vigil. Nativit.

a Platus de bono ſtatu Relig. l. 3. c- b Bern Serm. 1. in dedicat. templi. c- vita Sanctor. Ordinis Barrii ſolitudo.

lar-

landi materia erat, quod attenderet per 10.20.30.40. annos, nullam è ſuis lethali noxâ divinam bonitatem offendere, à qua miſeri mortales, quamtumviscircumſpecti, vix ſe eximunt, quin ſæpius illabantur; quod confirmat Bernardus: d *An experimentum quæritis ejus, dequo loquimur? quando is, qui prius vix per biduum poterat à luxuriâ, crapulâ, & commeſſationibus, & ebrietatibus, & cubilibus, & impudicitiis, cæteriſque ſimilibus, & diſſimilibus vitiis continere, nunc ab iis continet multis annis, toti utiq; vita ſua.* An non hæc optima & æquiſſima cauſa gaudendi in Domino ſemper iis, qui uni, ſummo, & æterno bono jugiter adhærent.

Unde ſacrum illud B. P. N. Ignatii exſtat apophthegma: e *Non minus cenſendum eſſe miraculum, mœſtum deprehendere virum Religioſum, qui aliud nihil quærat, niſi Deum; quàm mirandum, deprehendere lætum aliquem, qui omnia alia quærit præter Deum.* Quare ſuos ſemper lætos, & hilares eſſe volebat. Tiro etiamnum erat Romæ Franciſcus Coſterus, atque in riſum mirè proclivis: cúmque ei obviam per domum die quadam factus S. Pater, & ridentem clarè advertiſſet, mox ad ſe evocato, in hæc verba locutus eſt: Franciſce audio te ſemper ridere; dejectis ille mox oculis, acrem aliquam reprehenſionem exſpectare; Sanctus autem, iteratò ridere jubet & *ego dico tibi, fili mi, ut rideas, & gaudeas in Domino ſemper*: Religioſus enim nullam habet triſtitiæ ſequioris cauſam, ſed lætitiæ multam; quapropter denuo tibi dico, ſemper ſis lætus, & hilaris in Domino. Ad quod epilogi loco, ſuavi & efficaci Hipponenſis Præſulis Paræneſi, quemq; veſtrum adhortor: f *Bonum tuum quære, ô anima! eſt enim bonum aliud alteri, & omnes creaturæ habent quoddam bonum ſuum. Quære tuum bonum, hoc eſt, bonum ſummum. Quid ergo deeſt, cui ſummum bonum, bonum eſt? ſunt & inferiora bona, quæ aliis, & aliis bona ſunt. Pecori quid bonum eſt, niſi implere ventrem, carere indigentia, dormire, geſtire, vivere, ſanum eſſe, generare? tale tu bonum quæris, cohæres Chriſti? quid* GAUDES, *quia ſocius es pecoris? erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium.* Bonum de quo gaudes, ô hæres Chriſti, hæres æterni gaudii, non tuum, ſed pecoris eſt: g *Dimitte illas voluptates turbidas* (& turpes, & brutales) *magno luendas, non venturæ tantum, ſed præteritæ nocent*; gaude de ſummo bono, ad quod Apoſtolus invitat, & iteratò inculcat. Aptè Anſelmus: h *Gaudete*, inquit, *id eſt, cor veſtrum exhilarate, & omne bonum, unde gaudendum eſt, ſtatuite vobis in Domino, non extra: & hoc adeò neceſſarium vobis eſt, quod iterum dico,* GAUDETE, *ut triſtitia ſæculi nullum in vobis locum inveniat; ſed totos* LÆTITIA SPIRITUALIS VOS REPLEAT. GAUDETE IN DOMINO, *& non per intervalla, ut modò gaudeatis, modò non gaudeatis; ſed* SEMPER GAUDEATIS, *ſive in proſperis, ſive in adverſis.* GAUDETE, *ſed in Domino, non in ſæculo: ſicut enim nemo poteſt duobus Dominis ſervire: ſic nemo poteſt in Domino, & in ſæculo gaudere: contraria enim ſunt hæc duo gaudia.*

d Bern. Ser. 1. in dedicat. Eccl. e Ly. apophtheg. S. Ignatii apoph. 6.

f Aug. in Pſal. 102. g Sen. Epiſt. 27. h Anſelm. in Epiſt. Pauli hic.

Quare

Quare graviſſimè errant, qui & terrenis, & cœleſtibus; carnis & ſpiritus; ventris & mentis deliciis ſe frui poſſe arbitrantur: i *Difficile*, inquit Hieronymus, *imò impoſſibile eſt, ut præſentibus quis, & futuris fruatur bonis: ut & hîc ventrem, & ibi mentem repleat: ut de deliciis tranſeat ad delicias, & in utroque ſæculo primus ſit*, felix, & beatus ſit. Fruſtra quis duos cœlos ſibi fabricare nititur: commiſceri cœleſtia terrenis non poſſunt. Unde Bernardus: k *Errat omnino, ſi quis cœleſtem illam dulcedinem huic cineri: divinum illud balſamum huic veneno: chariſmata illa Spiritus Sancti miſceri poſſe hujuſmodi illecebris arbitratur.*

i Hieronym. Epiſt. 34. ad Iulian. k Bernard. Serm. 6. de Aſcenſ. Dom.

Quod alibi confirmat, dicens: l *Quomodo ignis, & aqua ſimul eſſe non poſſunt; ſic ſpirituales, & carnales deliciæ in eodem ſe non compatiuntur.* Nemo igitur tam amens ſit, ut, cùm hæc adeò deſperata ſe non compatiantur, is cum æterni gaudii jacturâ, brevi & bruta voluptate capiatur; & ipſi omnis boni & lætitiæ fonti, cœnoſas lacunas præponat; ſed tu Deus qui ſolus es verum, & ſolidum gaudium, ſis mihi ſolus, & cauſa gaudendi. Sic gaudium meum erit plenum, quia tu, in quo, & de quo gaudeo, es ipſa bonorum omnium plenitudo: ſic & gaudium meum nihi nemo tollet à me, quia præter me nemo poteſt mihi tollere.

l Bern. Epiſt. 2.

FESTUM

FESTUM SANCTISSIMI DEIPARÆ SPONSI JOSEPHI.

Gemmula Carbunculi in ornamento auri. Eccl. 32 v. 7.



Non ſine me, eſt tibi partus honor. Tibull. lib. 1 eleg. 7.

ARGUMENTUM.

Cùm ea ſit ſanctiſſimi JOSEPHI, Sponſi Virginis excellentia, ea virtutum omnium præſtantia,

ſtantia, ut fulgore ſuo, mentis aciem perſtringant, illum vobis in celeberrimo illo legis veteris Patriarcha JOSEPHO, rudi penicillo adumbrabo. In quo ut præ cæteris, eximia vitæ, morúmque caſtimonia, ad miraculum eluxerit; longè tamen caſtiſſimo ſuper omnes mortales (MARIAM ſi exceperis) JOSEPHO, Virginis Sponſo, concedere debere, in comperto eſt. Tum juvenes, & adoleſcentulas adhortabor, ut MARIÆ, ac JOSEPHI exemplo, illibatam ſuam virginitatem DEO conſecrent: Conjuges quoque, ſi non omnimodam in matrimonio (quod illuſtres Sancti fecere) caſtimoniam ſervaturi; ſaltem, quod Paulus commendat, *ad tempus, ut vacent orationi*, ſibi temperent: atque in omnibus verbis, geſtibus, actionibus, ne ulli ſcandalo ſint, conjugalem honeſtatem tueantur. Plura quidem alia, quæ utrique JOSEPHO communia, quod omni virtutum varietate, quaſi veſte polymita decoratus: quod hic, & ille *Filius accreſcens JOSEPH* fuerit, &c. Oratori, ne longior ſim, relinquo. Unum, quod nos omnes propius concernit, præterire non poſſum, utriuſque vitam, per proſpera & adverſa, mirabili varietate fuiſſe contextam. Atque adeò ſi quis adverſitatis turbo deſæviat, ite, & recurrite ad JOSEPH, qui ex adverſis ad proſpera, & ex tempeſtate in portum deducet; eſt etenim *Ioſeph DeIparentIs ſponsVs, IpsI, & Deo DILeCtVs*.

§. I. *Erat autem* JOSEPH *pulchra facie, & decorus aſpectu.* Gen. 39. v. 6.

§. II. *Caſtitas Patriarchæ* JOSEPHI, *cum illa ſancti*

ſancti JOSEPHI, *Sponſi Virginis, confertur, ejusque multum præfertur.*

§. III. *Quinam exemplo* MARIÆ & JOSEPHI, *virginitatem in conjugio ſervârint?*

§. IV. *Quemadmodum vitam* JOSEPHI *Patriarchæ, ita* & JOSEPHI *Sponſi Virginis*, DEUS PER ADVERSA, ET PROSPERA ADMIRABILI VARIETATE CONTEXUERIT. *Chryſ. hom. 8. in Matth.*

FESTUM

FESTUM

SANCTISSIMI DEIPARÆ SPONSI JOSEPHI.

Cùm eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph. Matth.1.v.18.

DOctor melliflu-us,è cujus calamo & ore,lacte &melle dulcior manavit oratio, dum ſponſum Virginis, & virum Mariæ, *ſanctiſſimum Joſephum* de prædicandum ſuſcepiſſet,tantæ dignitatis excellentiâ, & virtutum ſplendore perſtrictus , quem vivis coloribus depingere non valebat , in altero Joſepho velut perfectiſſimo typo, illum abumbravit. m Nôſſe vis, inquit , *quis & qualis homo fuerit ille* Joseph ? *mementò magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto , & ſcito ipſius iſtum non ſolum vocabulum fuiſſe ſortitum; ſed & caſtimoniam adeptum , innocentiam aſſecutum, & gratiam. Siquidem* n ille Joseph *fraterna ex invidia venditus,& ductus in Ægyptum , Chriſti venditionem præfiguravit.* Iste Joseph *herodianam invidiam fugiens , Chriſtum in Ægyptum portavit. Ille Domino ſuo fidem ſervavit , Dominæ noluit commiſceri : iſte Dominam ſuam, Domini ſui matrem , virginem agnoſcens, & ipſe continens,fideliter cuſtodivit. Illi data eſt intelligentia in myſteriis ſomniorum ; iſti datum eſt conſcium fieri,atque participem* (etiam per ſomnium) *cæleſtium Sacramentorum. Ille frumenta ſervavit non ſibi,ſed omni populo : iſte panem vivum è cœlo ſervandum accepit tam ſibi,quàm toti mundo.* Ac tandem concludit: *Non dubium eſt quin bonus , & fidelis homo fuerit* iste Joseph , *cui mater deſponſata eſt Salvatoris.* Quod ſi cæteram vitæ periocham ſpectem , utriuſque Joſephi ad invicem comparationem,adeò locupletem , atque uberem dicendi materiam eſſe comperio,ut quò diligentius eam cogitatione indago , tantò majora, & illuſtriora Divi Joſephi præconia mihi detegantur. Et quidem, pauca è multis delibando,à donis naturæ , corporea ejus pulchritudine,quæ plane eximia, placet exordiri.

m S.Bern.ſerm.2.ſuper miſſus.
n Comparatio Ioſephi Patriarchæ, cum Ioſepho ſponſo B.V.

§. I.*Erat*

§. I.

Erat autem JOSEPH *pulchra facie, & decorus aſpectu.* Gen. 39. v. 6.

VIdemus indies juvenes ad formas mulierum contemplandas paſſim procurrere, & ſi quam venuſtiori ſpecie noverint, in omnibus prope diverticulis occurrere, in omni progreſſu præſtolari, admirari, venerari; ſed non minus puellas *pulchritudinis amantes*, geſtire, & prurire, ut ſpecioſos juvenes per feneſtras, & cancellos contemplentur, Iſraëlitarum filiæ argumento ſunt: Jacob etenim cùm Joſephum, ad ei benedictionem impertiendam accerſivit, poſtquam dixerat: o *Filius accreſcens* JOSEPH, *decorus aſpectu*, mox ſubjunxit, quantum ejus forma, & pulchritudine puellæ raperentur: *Filiæ diſcurrerunt ſuper murum.* Ubi doctiſſimus Lyranus: p *Quoties fœminæ nobiles* JOSEPHUM *præterire per vias audiebant, confertim ad pulchritudinem ejus per cancellos, & feneſtras, intuendam, properabant.* Quid de modernis dicam? hæ quidem ut columbæ ad feneſtras, omnes tranſeuntes, operis quid manibus ſimulantes, avidè proſpectant, ſalutant, obſervant, & niſi pudor inhiberet, aut parentum vigilans cura obſiſteret, quoties diſcurrerent per vias, ad pulchritudinem non integerrimi alicujus Joſephi, ſed formam infamis proci, aut lenonis intuendam? pulchritudo, fateor, illex, & magnes amoris eſt, ſed utinam caſti, & pudici, qui non in ipſa fragili, & fœda corporis ſuperficie, ſæpe fucata, & ementita hæreat; verùm ad illam animi longe nobiliorem, mentis oculos immittat; ob hanc potiſſimum q *Jacob diligebat* JOSEPH *ſuper omnes filios*; non ſolum quia in ſenectute illum generat: nam poſt eum Benjamin genitus eſt; ſed & alias cauſas adducit Chryſoſtomus: r *Superna quædam gratia fuit, quæ adoleſcentem amabilem reddebat, & propter animæ virtutem cunctis præferri faciebat.* Confirmat idipſum Joſephus lib. 1. Antiq. *Joſephum pater tum ob corporis præſtantiam, tum ob animi virtutem, præ cæteris liberis amabat*; hac divina pulchritudine, Filio Dei, omnium quod in terris, & in cœlis eſt pulcherrimo, à Ruperto non injuria comparatur: ſ *Rectè ſcriptura dixit*, JOSEPH (*qui fuit Chriſti figura*) *fuiſſe pulchra facie, & decoro aſpectu: omne enim quod de Chriſto prædicat ſcriptura, pulchrum ac decorum eſt; ſed non abſque eo, quod intrinſecus latet.* Humana corporis pulchritudo non ſolum fallax, fragilis, & vana, ut Sapientiſſimus mortalium loquitur: t *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo*; ſed & blandum malum eſt, & amabile periculum, quod plures pellexit, & perdidit. Unde è gentilibus Theocritus dixit: *Forma eſt eburneum detrimentum.* Socrates ille Græciæ columen ſic pronuntiavit: *Pulchritudo eſt modici temporis tyrannis.* Secundum Pindarum, *eſt præco veneris.* Xenophon ait, venuſtas formas

o Gen. 49. v. 22. p Lyranus hic.

q Gen. 37. v. 3. r Chryſoſt. hom. 61. in Geneſim. ſ Rupertus lib. 8. c. 34. in Gen. c. 39. t Prov. 31. Pulchritudo corporis vana & fallax.

velut

velut flammas, & fulgura ejaculari, quibus corpora, animóſque accendant: *Pulchritudo eſt ignis, qui tangentes urit, diſtantes inflammat.* Theophraſtus: *Pulchritudo eſt tacita deceptio*; quod exemplo Trojanæ Helenæ, totam Græciam perturbantis, probat Euripides, dicens: *Pulchritudo eſt res infelix.* Quæ quia ſapientum effata, noſtri ſæculi puellis, & juvenibus, ut fæmina comptis, peregrina prorſus, ac paradoxa videntur, cum unicum in rebus humanis *bonum amabile*, formæ pulchritudinem, & corporis venuſtatem ſpectent, ut ſpectentur, atque in ea omnes fortunas ſuas, dotem, amores ſuos, & voluptates ſitas arbitrentur.

Nec formidant, quantum ſibi à muliere formoſa, ſi ſalax & fallax ſit, periculum immineat, quæ nequam per omnes caſus, ſic ingeniosè deſcribitur: vocativos oculos, ablativos loculos, habet muliercula: ſi ſis dativus, fies genitivus; ſed vide, ne nominativus (prole ex te genita) fiat accuſativus famæ, fortunæ, & animæ. Tales altiori claſſico Eccleſiæ Patres audiant intonare. D. Baſilius oraculum illud aureum in oratione ſua poſuit, dum ait; v ſpeciem, & aſpectum corporum, pulchritudine inſignium, *aculeum voluptatis immitere.* Accedit & graviſſimum Gregorii Nazianzeni judicium, qui pulchras formas, illicientes, non elegantiùs quàm veriùs appellat, x *dulcem illecebram, charum venenum.* Quid adhuc egemus teſtibus? pulchritudo Joſephi, & ſpecies vultus ejus decora, fomitem libidinis uxori Putipharis ſubminiſtravit. Divus Ephrem porrò (*cujus vitæ, ac doctrinæ ſplendor*, ut Gregorius loquitur y, *univerſo terrarum illuxit orbi*) ad ſpeciem Joſephi, licet integerrimi juvenis, fæminam exarſiſſe deſcribit: z *Domina ipſius, cùm aſpexiſſet* JOSEPH *eximia pulchritudine, atque diſciplina ornatum, honeſtiſſimum illum Adoleſcentem, ac pudicitiæ fontem, in laſciviæ, atque impudicitiæ foveam impellere nitebatur.* Atque hujus tam ineffrenatæ libidinis, & inſani ardoris, pulchritudinem anſam præbuiſſe, obſervat quoque Chryſoſtomus: a *Ecce tibi ex pulchritudine* JOSEPH, *occaſionem capit perdendi eum. Unde ſubdit ſcriptura: Erat* JOSEPH *pulcher ſpecie, & formoſus aſpectu; ut oſtenderet pulchritudine adoleſcentis captam Dominam ejus, & ad nefarium ejus concubitum fuiſſe incitatam.* Idem confirmat Philo in libro de Joſeph: *Capta ſiquidem eſt adoleſcentis pulchritudine, & affectu indomito rabida, de ſtupro eum tentavit repugnantem validè.* In quantas pedicas, in quam præſentia corporis & animæ pericula caſtiſſimus Joſeph venuſta ſua corporis forma incidit? è quibus ne unus veſtrûm è millibus ſeſe ſalva integritate expediret; ut non inſcitè quis tabulæ, quæ Joſephum relicto pallio in manu pellicis referebat, aureis litteris ſubjecerit: *Plures eſt invenire tales Dominas, quàm tales ſervos.* Victoriam invictæ ejus caſtimoniæ, ex potenti, & perpetua lucta, aptis coloribus Procopius depingit: *b* Primò, quia *erat pulchrâ*

v Baſil. hom. 24. x Greg. Naz. Ep. 139

y Greg. Nyſſen. orat. de S. Ephrem.
z S. Ephrem. tract. de laudib. Ioſeph.
a Chryſoſt. hom. 62. in Gen. b Procopius, in Gen. cit.

chrâ facie, & decorus aſpectu. Secundò, quia non una, nec brevi, ſed multiplici, ac diuturna tentatione petitur: *Per ſingulos dies mulier moleſta erat*. Tertiò, quia juvenili ætate: *moleſta erat adoleſcenti*; & hanc ultimam latiùs expendens: *Juventus*, inquit, *facit, ut magis nobis admirationi ſit* JOSEPHI *caſtitas: nam ſi conſideremus caſtitatem* JOSEPHI, *erat adhuc flos ipſe, & juventutis quoque flagrabat igne: quapropter ejus caſtitas majorem apud omnes merebatur admirationem*; hanc ita miratus, & veneratus eſt Orator aureus, ut illud virginitatis miraculum, audeat tribus pueris in fornace Babylonica intactis, non æquare ſolum, ſed & anteferre, dum ait: c *Non tam admirabile fuit, ut mihi videtur, tres illos juvenes in mediis Babylonicæ fornacis flammis illæſos, atque intactos permanſiſſe; quàm admirabile, & rarum eſt hoc, quod de* JOSEPHO *dicitur, qui ne retineretur veſtimentis ab illa polluta, & laſciva muliere, relictis propriis veſtibus in ejus manibus reſilivit, pretioſis continentiæ veſtimentis pulchrè indutus, & quaſi ab incendio non ſolùm non adustus ſed multò clarior & ſplendidior effugit.*

Alterum Joſephum vultu & animo, pulchritudine exteriori & interiori ſimillimum, in quem juvenes non ſolum, ſed & conjugati, velut in ſpeculo contemplentur, Balduinum Imperatorem propono. d Anno Chriſti 1206. barbarus, Joanniza, jam annum totum, & eô amplius Balduinum tetro carcere captivum attinebat; nihil tamen mentis tranquillitatem, aut oris venuſtatem, qua præcellebat, immutârat: *Erat enim non ſolùm formoſus, ſed pulcher*. Emicabat in ſqualido corpore auguſtum aliquid: & magis corpus, quàm Regiam majeſtatem diſſuta undique lacerna tegebat. Jam verò nec promiſſa cæſaries, & barbitium, aut ipſi crines turbidi atque impexi, oculorum vim, & frontis decus quò minus elucerent, cohibebant. Uſuvenit autem ut Joanniza abſente, non raró ejus uxor ad captivum clanculum inviſeret; primùm fortaſſis, ut eſt ad commiſerationem flecti non difficilis is ſexus, infelicis Imperatoris ærumnas ſaltem verbo ſolatura: Tum ſubinde, ſpecie, & modeſtia, conſtantiaque hominis capta, ſæpius ad carcerem itare occepit: cupedias etiam aliquando, per ancillarum confidentiores ſubminiſtrare; multa ab eo otioſè, modò de Belgio, Galliáque: modò de prælio, & clade Adrianopolitanâ rogitare; quæ ille omnia, multa cum gravitate, nec ſine lepore narrabat. Hauriebat interim illa virus, & impuro captivi amore uri ſe ſinebat. Tandem pudorem poſt libidinem habens, ubi vidit illecebras ſuas ab eo non adverti, vel negligi: apertè mentem ei ſuam die quadam, & ſine ambagibus aperit. Vides, inquiebat, Balduine, quàm mihi diſſimilis maritus, tibi ſævus Dominus obtigerit: Pridem utique truculenti ejus mores diſplicuêre; ubi verò te in iſtum teterrimum carcerem compegit, ultimæ amoris in eum mei reliquiæ, in odium verti viſæ ſunt, cœpi-

c Chryſoſt. hom. 62. in Geneſim & epiſt. 3. V. Novarini adagia ſacra de Ioſephi pudicitia & fuga. adagio 86. d Nicetas Logotheta Petrus Douterman. Conſtantinopolis Belgica lib. 4. c. 15. Balduini Imp. pudicitia, ut olim Ioſephi à fœmina impugnatur.

cœpique optare, ut ille tecum ſortem mutaret: digniſſimus procul dubio iſta ſervitute barbarus homo, & immitis; tu ejus purpura, & thoro: tu captivos duos, ſine lytro, abſolve, id enim potes. Cúmque ille, quinam ii eſſent, percunctaretur? Te, inquit, ex hoc carcere; me verò ex alia haud ſcio, an mitiori ſervitute. Et ut rem clariùs ediſſeram: ſi me in uxorem recipis, liber es. Byzantinum Imperium non ambio, te unum quæro, tecum vel in Belgium abire non renuo. Obſtupuit ad tantam impudentiam caſtiſſimus Balduini animus. At quia tamen de nuptiis ſermo erat, iram premere, & fæminæ, penes quam vitæ, necíſque ſuæ erat arbitrium, mitius, quàm ejus procacia merebatur, reſpondere maluit: te enimverò, inquit, non Byzantii, ſed orbis totius Dominam opto; mihi autem conjugem optare, nedum aſſumere, nefas eſt. Vivente marito uxorem alteri nubere, fidémque datam violare, lex Chriſtiana prohibet. At enim, ait Regina, nulla ei ſervanda fides, qui nullam habet; cúmque alia multa citrò ultróque adducerent, Regina ſtomachabunda: Ego verò, inquit, quid mihi expediat, ſcio: peccatum conſciſcam nec ne, mea cautio eſt, non tua. Tu viduus es, uxorem alteram tibi adſciſcere potes: deinde captivus es, Dominæ tuæ morem gerere non ratio duntaxat, ſed neceſſitas ipſa, quæ nullam novit legem, imperat. Tum furens, & mortem captivo denuntians, ni pareat, è cuſtodia abſceſſit. Balduinus ſanè non parum periculi præſentis atrocitate perculſus; quando vel de morte, vel de crimine agi videt multum angebatur, quò impotentis fæminæ æſtus evaderet. certus alioqui, quidvis potius, quàm nefarium concubitum eligere. Hanc mentem aſſiduis prope precibus à Deo tota ea nocte confirmari ſibi, eandémque Reginæ dari flagitavit. Vix diluxerat: cùm in carcerem Regina illabitur, nihilo immutata, niſi quod in furorem, & vindictam, quàm in libidinem aliquantò concitatior facta eſſe videretur. Non jam precibus, ſed minis atrociſſimis caſti principis pudicitiam denuo attentat. Eadam ille, qua prius, conſtantia perſtat immotus. Quod tandem aliquando perſpiciens Regina bacchantis in morem furibunda immurmurans, è cuſtodia ſeſe proripit, meditatum ſcelus actura, & Phædram novo Hippolyto datura; *veriùs Joſepho, Putiphari uxorem.* Joannizam ſparſo ipſa capillitio aggreditur, flet, ejulat & diu cunctata, quod plurimum dicere avebat, Regi ſciſcitanti aperit; intentatum ſibi ab impio Balduino ſtuprū vix fuga declinâſſe. Pluribus opus non fuit, ut ſatis per ſe infenſus Latino nomini barbari animus, & ad ſævitiam aliàs pronus, jam verò zelotypiæ facibus accenſus, in perniciem captivi principis rueret. Irâ igitur præceps, morti Balduinum adjudicat; eam autem, quò furori ſuo indulgeret, noluit eſſe ſimplicem, aut decoram. Purpuratis ſuis, ſolenni indicto epulo, ferculum adornat horrendū, & ferale. Balduinum quippe è cuſtodia eductum, vinculis gravem, in triclinium inducit: ſuíſq; convivis jā vino incaleſcentibus ridendum

propi-

propinat. Lugubre omnino ſpectaculum, & principi viro ipſa morte acerbius. Ferebat tamen Balduinus, uti cætera omnia, ſannas, ludibria, patienter, Samſonémque excœcatum inter Philiſtæorum epulas reputans, ad majora perpetienda ſeſe armabat. Et verò hic ſeſe Tyranni ira minimè continuit; ſed Græciæ Imperatorem, tametſi innocentiam ſuam profitentem, & in Reginam crimen regerentem; quam adeò ipſe non violaverat, ut adulterium ſuadentem à ſe abjecerit, inauditum crudeliſſima, & indigna tanto faſtigio nece ſuſtulit. Manus, pedéſque primùm; tum brachia, & crura lentis ictibus, ſe coram, Balduino concidi jubet. Deinde in ſubjectam urbi vallem, in quam equorum, canúmque cadavera projici mos erat, mutilum viventis corpus, unà cum amputatis membris provolutum, atque feris, avibúſque objectum eſt. Hic triduum totum piiſſimus Imperator, non cum beſtiis (quæ quaſi religione tactæ, tam nobili corpore abſtinebant) ſed cum morte ipſa luctatus, plenus ſpei, & æternæ gloriæ, quam ſciret Chriſti Servatoris cruore partam, innocentiſſimum animum ætatis ſuæ anno 35, Deo reddidit. Joanniza ut obiiſſe Balduinum accepit; mox capitis cute detracta, defuncti ſibi calvam ſumpſit: ipſámque auro incluſam, nec non ſcyphi in modum efformatam, per convivia circumtulit, atque pro cratere uſurpavit: è quo longè infelicius ſibi, quàm caſtiſſimus Joſephus (cujus Balduinus caſtimoniam expreſſit) in ſcypho ſuo augurari conſuevit.

Nonne hîc vivis coloribus expreſſum videtis, quod ſacræ paginæ de ſalaci illa, & fallaci uxore Putipharis referunt: e *Poſt multos itaque dies injecit Domina ſua oculos ſuos in* JOSEPH, *& ait: dormi mecum*; cùm enim oculos ſpecies invaſerit, & per eos quaſi per f *naturales quoſdam animi cuniculos* (ut in caſtris per ſulphureos) ad interiora cordis penetrârit, ingens excitat incendium, nec quis adeò potens, qui ardori iſti in appetitu conſidenti obſiſtat. g *Species formæ*, inquit Hieronymus, *ſemel cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu ſolvitur*; vix ullis aquis, flammæ à formæ pulchritudine accenſæ, reſtingui poſſunt. Unde Ambroſianum illud ſalubre monitum: libro de Joſeph. c. 5. h *Diſcant etiam viri cavere oculos fæminarum: adamatur enim etiam, qui noluit amari: adamatus eſt* JOSEPH, *qui amantem contempſerat.*

Hinc factum credo, ut nonnulli ab hac tacitâ deceptione, & perículoſo bono, pulchritudini animæ ſuæ (qua ſuper omnes priſcæ legis Patriarchas Joſeph eminenter præcelluit) ſibi metuentes, formam notabili fœditate deturpârint, aut obſcurârint. Talis ille Comanæ Urbis Epiſcopus Alexander, cognomento & officio Carbonarius; de quo Divus Gregorius, Antiſtes Nicænus ſic refert: i hic Alexander, quod eximio flore juventutis præditus eſſet, periculoſum eſſe ducebat ei, qui continentiam ſibi ſectandam propoſuiſſet, corporis ſui pul-

e Gen. 39. v. 7 f Salvianus lib. 3. de provid. g Hieron. in c. 3. Thren.
h Ambr. lib. de Ioſeph. c. 5. i Greg. Nicæn. in vita Greg. Thaumaturgi. poſt med.

chritudinem patefacere: noverat enim, ejuſmodi rem, gravium offenſionum, ac delictorum occaſionem pleriſque præbere ſolere. Ne igitur, vel ſibi ipſi aliquid accideret imprudenti, quod factum noluiſſet; vel alienis oculis caſus & offenſionis materiam præberet, idcirco ſe carbonario opificio, veluti perſona quadam deformi circumdat, quò tam corpus laboribus ad virtutem exerceretur, *quàm pulchritudo ſordibus carbonum infecta obtegeretur*. Altè imbiberat illud Tertulliani: k *Uſus, & fructus pulchritudinis, corporis luxuria eſt*. Hanc vel gentilis, ut monſtrum teterrimum averſatus, ne cui forte forma ſua fomitē ſubminiſtraret, Romanumquid, imò Chriſtianum auſus eſt. l Excellentis pulchritudinis Adoleſcens, Spurina nomine, ut auctor eſt Valerius, cum mira ſpecie complurium fæminarum illuſtrium ſollicitaret oculos, atque ideò viris, ac parentibus earum ſe ſuſpectum ſentiret, oris decorem vulneribus confudit: *deformitatémque ſanctitatis ſuæ fidem, quàm formam irritamentum alienæ libidinis eſſe maluit*.

Audiant hoc juvenes, ut fæmina compti, venuſtuli, & pumicati, qui muliebriter vultum expoliunt, qui ad barbulam, & cincinnos ornatrices habent & ſpeculum, & calamiſtrum, qui ut venereæ pupæ obambulant, pexi, delicatuli, effæminati, formoſuli, cupidinis pugiones, infames alienæ pudicitiæ incentores. Hæc de lubrica juvenilis, & virilis corporis pulchritudine; longè plus incentivi ad omnem libidinem habet illecebroſa mulieris forma, quæ rarò cum caſtimonia conjuncta eſt, ut vel maximè infames lenones experti, palàm decantant Naſonis, qui in hac parte, in arte amandi magiſter, illud eſt:

m *Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.*

Satyricus harum nequitiarum non rudis:

n *rara eſt concordia formæ,*
Atque pudicitiæ.

Unde fit, ut optabilius ſæpe ſit corpori, ac animæ ſalubrius, eximiâ hâc corporis ſpecie carere, niſi divinæ mentis caſtimoniæ conjuncta ſit, quod non pudeat à gentili haurire:

p *O quam te fieri, Catulla, vellem,*
Formoſam minus, aut magis pudicam:

Innumeræ, ſi minus formoſæ, magis pudicæ fuiſſent; hujus argumenti pleni ſunt Poëtarum libri, plena hiſtoriarum monumenta; plena ſacrarum litterarum, Sanctorúmque Patrum volumina. Nemo niſi ſtultus fidem Sapienti abrogabit dicenti: q *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt*; & multæ, quæ ſpecie ſua pluribus offendiculo, & ſibi æterno fuêre exitio; ut infamis Poëta veriſſimè cecinit:

r *Sunt apud infernos tot millia formoſarum.*

Quæ modo in Meduſas, Medæas, & Megæras, diabolica Metamorphoſi converſæ, non aliud in omnem æternitatem lamentantur, quam, quod *fallax gratia & vana pulchritudo*, ad hunc locum tormentorum, à vera & increata Dei pulchritudine rejectas, deturbarit. De hujuſmodi exſtat illud

k Tertullian. lib. de cultu fæmina. c. 3.
l Valerius Max. lib. 4. c. 5.

m Ovid. Ep. 15. n Iuvenalis Sat. 10
p Martial. lib. 8. epig. 56. q Eccl. 9. v. 9.
r Propert. lib. 2.

Ezechielis vaticinium: ſ *Habens fiduciam in pulcritudine tua, fornicata es.* Unam Helenam Trojæ facem ſi ab inferis ad vivos reducere liceret, me tacente tam potenter peroraret, ut omnes Veneres, orbe proſcriberet, ne ſpecie ſua ullum deciperent. Divus Cyprianus, t *Corona Martyrii glorioſiſſimus nec Africanis, atque occidentalibus tantum* (ut loquitur Auguſtinus) *verùm & orientalibus Eccleſiis fama prædicante, & ſcripta ejus longe, latéque diffundente notiſſimus*, in rem noſtram hæc paucis nervosè effatus eſt: u *Dæmon offert oculis formas illices, ut viſu deſtruat caſtitatem.* Hæ formæ illices & pellices, graves & grandævos illos ſenes, in Suſannæ honeſtiſſimæ matronæ concupiſcentiam exardeſcere fecerunt. Hæ virum ſanctiſſimum conſpecta Berſabeæ ſpecie, ad adulteros amores, & innocentis ſanguinem effundendum accenderunt: hæ formæ illices, Ammonem ad turpiſſimum inceſtum cum ſorore Thamar provocaverunt. Ulterius peritus perfectionis magiſter Joannes Gerſon progreditur, qui narrato periculo pii viri, quem nimia familiaritas religioſæ virginis, forma præſtantis, propemodum abſorbuerat, ſubjicit in rem noſtram aptiſſimè: x *hæc demum fraus apud illos frequens eſt, qui in cultu, aut dilectione proximorum, decorem corporis, florem ætatis, aut alias fortunæ dotes attendunt, ac inde vehementius ad eorum dilectionem accenduntur. Qui profectò cavere habent, ne ſordidè, aut carnaliter exurantur. Alioqui ſi tantummodo virtutem diligant; ſedem ejus unicam, ſpiritum videlicet, qualecumque corpuſculum inhabitet, æquè ament, & colant, & frequentent. Non adverſor tamen uſquequaque Poëtæ dicenti:*

y *Gratior & pulchro veniens è corpore virtus*
Adjuvat;

Sed affirmo, quod ſi gratior, non ob id tutior, aut ſincerior invenitur; quod utinam non pauci ſuo periculo, & exitio experti ſint. Et quæ ſecretis auribus committuntur, ſi evulgare liceret, quam paucas pulchras, reperire eſſet pudicas; niſi ut mox dictur9 ſum, quas virginalis pudicitia, duplici ſatellitio obarmat, atq; cōdecorat.

Sciverint hæc fortè virgines, forma decoræ, & illud Ambroſii, ſuaviſſimi Doctoris legerint: z *Pulchritudo ipſa, & gratior corporis forma magis frequenter in vitiū, quàm deformitas trahit.* Hinc vitium, quod pudicitiæ ſuæ ut immane piaculū execrabantur, quò devitarent ſecuriùs, fomitem, & *formas illices*, deturpata facie tollere decreverunt. a Hac in parte excelluêre nobiliſſimæ, ac ſpecie maximè venuſtæ virgines; quæ ſibi oculos eruerunt, nares ſi uncârunt, vultus fœdârunt, bullientes aquas eburneo pectori affuderunt, ut impudicos lenonum ardores reſtinguerent; quantò huic mundo deformiores, tantò ipſi Chriſto, Sponſo ſuo pulchriores. Unde Hieronymus b *Catholicorum magiſter, cujus ſcripta per univerſum mundum, quaſi*

ſ Ezech. 16. v. 15. t Aug. lib. 4. contra duas Ep. Pelagii c. 8. v Cyprian. de zelo & invidia. x Gerſon. t. 1. tract. de diſtinct. viſion. ſign. 5. Nigronii aſcetica tr. 23. c. 5. n. 36.

y Virg. lib. 5. Æn. z Amb. lib. de parad. c. 7. a Quæ formam fœdarint ne aliis illecebræ libidinis eſſent. b Caſſian. lib. 7. de incarnat. c. 26.

divinæ lampades, *rutilant*, c Mariam Magdalenam inducit, quæ priùs fallax, & formoſa Venus, purpuriſſo, & ceruſſa *ruborem genarum*, *labiorúmque*, *& candorem oris*, *& colli mentita*, *quæ fomenta libidinum*, *& ignis juvenum*: jam altera Maria, mundo omni muliebri abjecto, pro ceruſſa genas pallore pinxit: pro unionibus, ora lacrymis tinxit; & hominum oculos fugiens, ſpelæo ſe abſcondens, in ſacco, & cilicio, perpetuis jejuniis, & flagellis corpus excrucians, quantum corpore deformior, tantum cœleſti Sponſo pulchrior apparebat: d *Meretrix illa in Evangelio baptizata lacrymis ſuis, non habuit criſpantes mitras, nec ſtridentes calceoles, nec orbes ſtibio fuliginatos*; tum emphaticè ſubdit: QUANTO FOEDIOR, TANTÒ PULCHRIOR. Lucia virgo, S. Dominici alumna, à viro nobili frequenter ad mutuos amores ſolicitata; tandem, quid eſt, inquit, quod in me tantopere ames? lumina inquit tua:

e *Oculíque tui, quibus ignea cedunt*
Sidera.

Itáne illa? Ego meis oculis lædo mortalium animos, & perdo? f Facinus ſupra ſexum auſa, expunxit utrumque, & oculos emiſſitios tranſmiſit Amaſio: qui quatuor oculis, à *Lucia* tantum lucis accepit, ut oculos ſuos vanitati clauſerit; panderit veritati. *Quantò* Lucia fœdior, *tantò pulchrior*. Idē factitatū lego à nobili, & venuſta filia, *Tridnana* vocitata, quæ ſideribus g *ſimiles oculos*, cum litteris inſano proco deſtinavit, & *quantò* cœca mundo *fœdior*, *tantò* Sponſo ſuo Chriſto *pulchrior* apparuit. Ut has imitari ſine divino inſtinctu non liceat, ſanctam *Brigidam* æmulari non pigeat: h hæc inter totius Scotiæ puellas omnium pulcherrima, mille petita procis, virginum ſponſum, cui illibatam ſuam virginitatem devoverat, ardentibus precibus, & lacrymis orat, & exorat, ut aliquo corporis vitio ſe turpiter notaret: cúmque oculorum decore maximè placuiſſet, alterum fœdo ulcere ſubitò percuſſum amiſit: *Quantò fœdior, tantò pulchrior*. Illa ne puriorem animæ oculum perderet, corporis oculo eſt orbata; ſed ſic Chriſti oculis illa placuit, in cujus manus cùm inter velatas virgines conveniret ad aram, ara quò florem *Brigidæ* laudaret, frondere viſa, oculíſque lumen, ac decor ſuus redire. Recentius illud eſt, quod & imitationi ſervit. i Soror *Angela de Trinitate*, Carmelitana, Filia Marchalli de Briſach, cùm ob formam, aliáque naturæ dona à primis proceribus in matrimonium expeteretur, faciem aqua imbutam ſoli expoſuit, ut à ſole nigredinem contraheret, & procorum oculis minus arrideret. In congreſſu etiam nobilium inconditis geſtibus ſe fatuam ſimulavit; quo nigra, ſed formoſa, mundi ſtulta, virgo Sapiens in Chriſti amplexus evolavit.

k Aliud hoc in genere, non ſuæ duntaxat, ſed & alienæ pudicitiæ amans, ſingulare exemplum Toleti præbuit *Franciſca Guldel* ſanctimonialis: quæ dum fortè ſa-

c Hieron. ep. 10. ad Furiam. d Idem ep. ad Furiam e Ovid. ep. 10. f Raderus de SS. cœcis. g Ovid. lib. 5. Metam.

h Surius 1. Februar. i Barrii Philag. 5. die medit. 2. differt. k Idem practiques des vertus. Ex P. Ioan à S. Maria.

ſacrario præfecta, è ſupellectile ſacra concinnandum quidpiam tradidiſſet Phrygioni; hic ad niveas virginis manus, intentis oculis, obſtupuit. Quod ubi illa percepit; ſenſitque in ſe eſſe aliquid, unde male affectus oculus læderetur, ſcabro, piceóque liquore non prius deſtitit manus perfundere, quàm ſcabras illas quoque, & pici jam, quàm nivi reddidiſſet ſimiliores.

Quibus omnibus hæc anxia cura, & ſolicitudo fuit, ne forma corporis, pulchritudinem animi in ſe, aut aliis fœdaret. Fortius, & generoſius quid auſæ, de quibus Fulgoſus; *l* Anno 1291. urbe Ptolemaide à Saracenis captâ, ſacræ virgines, unâ cum Præſide ſua, formam, qua excellebant egregiâ, pudicitiæ poſthabentes, omnes ſibi nares truncârunt, ut ſic efferatam Saracenorum libidinem reſtinguerent; quo factum, ut crudeli morte trucidatæ, virginitati lauream martyrii adjunxerint; *quantò fœdiores, tantò pulchriores*. Conſimile quid auſa S. Ebba antiſtita Ethelfridi Regis generoſa filia, *m* Danis ſeſe in Angliam infundentibus, ne vel ipſa, vel ulla illi concredita ovicula contaminaretur, novacula ſibi naſum cum ſuperiore labro abſcidit, ejuſque exemplum cæteræ omnes ſecutæ, à Danis, Beda teſte, monaſterio incenſo, concrematæ ſunt. *Quantò fœdiores, tantò pulchriores*. Infinitus ſim, ſi omnes, † quæ majori rancore, & odio formam averſatæ ſunt, induxero, quàm moderne filiæ eam amore, & ſtudio unquam proſecutæ ſunt. Inſolens unum, & fortè inauditum in hoc genere facinus, tacitus præterire non poſſum. *n* *S. Liberata*, ſeu *Wilgefortis*, Regis Luſitaniæ filia incredibili pulchritudine, matre ſublata, ut patrem ſenſit in formam ſuam ardere, & ad inceſtas nuptias pellicere, primùm precibus agens,

Da mihi perpetua, genitor chariſſime, dixit,
Virginitate frui, dedit hoc pater ante Dianæ.

Poſtea gravioribus verbis tædas jugales execrata, cùm, quò fugeret non haberet, Deum precata eſt, ut formam illicem devenuſtaret. Audiit hoc votum Deus, atque ilico barba hiſpida, & prolixa mentum illius, genáſque contexit undique, ut parens ita demutatam nec pro fæmina, nec pro filia agnoſcens, diris eam tormentis ſubjectam, tandem in crucem clavis confixam crudeliſſimè interemerit; qua ſpecie, & forma virili depicta variis in locis conſpicitur: *Quantò fœdior, tantò pulchrior*. Quod ſi alicui hoc à fide alienum videatur, conſulat Magnum Gregorium, qui *de Galla nobiliſſima puella, Symmachi conſulis, ac patricii filiâ, in unius anni ſpatio, conjuge viduata*, ſic ait: *o* *Huic cum valde ignea corporis conſperſio ineſſet, cœperunt Medici dicere: quia niſi ad amplexus viriles rediret, calore nimio, contra naturam, barbam eſſet habitura. Quod ita quoque factum eſt. Sed ſancta mulier, nihil exteriùs deformitatis timuit, quæ interius Sponſi cœleſtis ſpeciem*

l Fulgoſus lib. 4. c. 5. Egnatius lib. 4. c. 5.
m Beda lib. 4. hiſt. Angl. c. 19. Martyrolog. Rom. † Beda l. 4. hiſt. c. 19. Martyro. Rom.

n Martyrolog. Rom. Molanus Abbas Anhuſan. in ſtemmat. Chriſti 20. Iulii. Stengelius de judic. divin. Tom. 2. c. 57. n. 15. *o* S. Gregor. lib. 4. dialog. c. 13. Fulgent, Epiſt. ad Gallam.

amavit: nec verita eſt, ſi hoc in illa fœdaretur, quod à cœleſti Sponſo in ea non amaretur.

Hæc prolixiùs deducta, & eò dicta ſunt, primò, ut puellæ omnes, & fœminæ graviſſimè execrentur ornatum illum, quem ſciunt alteri libidinis fomento, aut ſcandalo fore; *p* illæ verò quę & criſpis ſuis cincinnis, & calamiſtris, & ceruſſis, ac pigmentis fucatam ſibi pulchritudinem adſciſcere ſtudent, ut adoleſcentulorum animos illaqueent, nôrint ſe non una, ſed perpetuâ lethali noxâ, Deum offendere, atque tot animarum reas eſſe, quot pellicere, & perdere ſtuduerint: hæc ſanctorum Patrum, & Doctorum ſeveriſſima, & veriſſima cenſura eſt. Doctor Angelicus, cum communi Theologorum ſchola: q *Mulieres ſi hac intentione ſe ornent, ut alios provocent ad concupiſcentiam, mortaliter peccant.* Hunc, quem Doctorem ſuis præſtituit S. P. Ignatius, ſecutus Leonardus Leſſius, ſcriptis & divinis prodigiis clarus, ſic ait: r *Peccatum etiam lethale eſt, ſi quis corpus eo animo colat, ut ad libidinem ſpectatores pertrahat: aut ſi propter cultum hunc ita ſemet extollat, ſuſpiciat, ſalutem aliorum nihili pendat, nec curet perniicioſum exemplum prodere &c.* Et quis hæc confitetur? plus dico, non ſolum intentione explicita hîc peccatur, ſed ſufficit implicita; ſic etenim gravis Theologus Joannes Azor: ſ *Notandum,* monet, *quod ornatus muliebris ex animo, ſive intentione expreſſa, vel implicita, incitandi aliquem ad luxuriam, eſt ſecundum ſe peccatum mortale;* definit autem intentionem implicitam ex divo Thoma, qui ait: t *Implicitam dico intentionem, quando licet fœmina expreſſe non ornet ſe ad incitandum aliquem; ſcit tamen illum incitatum iri ad concupiſcentiam ſui; quod ne fieret, ipſa ſi vellet, facilè poſſet malum evitare; ſed non curat.* In eundem ſenſum celeberrimus Suarez, qui dum quæſiviſſet: v *An mulier teneatur non ſe ornare propter vitandum ſcandalum?* doctè, & diſertè reſpondet: *Si ornatus ſit moderatus, & decens, per ſe non teneri: quia de ſe actus non eſt malus, neque habet rationem ſcandali activi magis, quàm ipſa naturalis pulchritudo: & quia eſſet grave onus obligare ad hoc; tamen ſi eſſet ornatus ſuperfluus, & maximus; vel ſi de ſe eſſet provocativus ad malum, erit obligatio, & ex ſuo genere ego credo obligare ad mortale, cum Silveſtro,* x *& S. Antonino: quia eſt ex genere ſuo occaſio gravis ruinæ.* Nec minus exaggeratè pro rei indignitate Eccleſiæ Patres. S. Clemens Pontifex Maximus in hunc modum pronuntiat: y *Quamquam tu non peccandi ſtudio hoc nefas commiſiſti; ſed tantum cultus cauſa; tamen non ideò effugies pœnam, quia illo ornatu coëgiſti aliquem, ut ad te concupiſcendum induceretur; nec adhibuiſti cautionem, ut nec tu in peccatum incideres, neque alii in ſcandalum.* Hæc ille in prima Eccleſiæ ſimplicitate, ubi fortè aliquid formæ lenocinantis in fœminis adverterat. Quid ſi modernas meretricio habitu venales intueretur? nec excuſat, ut notat Hieronymus,

p Peccant mortaliter quæ ſe ornant, ut alios pelliciant. q S. Thom. 22. quæſt. 169. art. 2. r Leſſius de jure & juſtitia, lib. 4. cap 4. dub. 14. ſ Azor. part. 3. inſtit. lib. 3. cap. 30.

t S. Thom. 22. quæſt. 169. art. 2. v Suarez de charitate diſp. 10. ſect. 3. n. 10 x Silveſter verbo ornatus, & verbo ſcandali. Antonin. p. 2. tit. 7. c. 4. y S. Clem. conſtit. Apoſt. lib. 1. c. 9.

nymus, ſi alter non concupiſcat, aut cadat: z *Si vir, vel mulier*, inquit, *ſe ornaverit, & vultus hominum ad ſe provocaverit, etſi nullum inde ſequatur damnum; judicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, ſi fuiſſet, qui biberet.* Quibus quod addam non habeo, & fuſiùs ea ſuo loco, feſto S. Martini, ſcripturi ſumus. Alterum eſt, ut quibus à natura, & cœleſti artifice, inſignis corporis forma, ac oris pulchritudo obtigit, eam virtutibus, & divinis gratiis exornare ſatagant; atque interiorem animi pulchritudinem, longè præ exteriori expolire ſtudeant, quæ profectò ſola, & vera pulchritudo eſt. Hac quam excelluerit Joſeph, Africanus Doctor eleganti ſermone celebravit: a *Cùm eſſet facie decorus, & ſpecioſus valde, pulchritudinem ſuam, non ad alienam derivavit injuriam, ſed ad ſuam gratiam conſervavit: hic ſe pulchriorem judicans, ſi non diſpendio caſtitatis, ſed cultu pudoris ſpecioſior probaretur: & illum eſſe verum decorem, qui non alienos oculos captaret, nec mentes fragiles vulneraret.* Tum quàm excellens interior conſcientiæ eſſet pulchritudo, ſic proſequitur: *Pulchrior erat intus* JOSEPH, *quàm foris: pulchrior in luce cordis, quàm in facie corporis, quò illius fœminæ oculus non penetrabat, inibi ſua ipſe pulchritudine fruebatur. Intuens ergo interiorem pulchritudinem caſtitatis, in ſpeculo conſcientiæ ſuæ, quomodo illam maculari, quomodo violari fœminea tentatione permitteret?* in nitidiſſimo *caſtitatis ſpeculo* ſeipſum contemplatus divino quodam ſpectaculo, *ſua ipſe pulchritudine fruebatur,* qua omnem aliam, ut monſtrum fœdiſſimum, ac teterrimum execrabatur.

z Hieron. Ep. ad Euſtoch. a Aug. Serm. 82. de temp. & Ambr. lib. de Ioſeph, c. 5.

Nunc quod tractandum ſuſcepimus, ſanctiſſimum *Joſephum*, Sponſum virginis, b & venuſtiſſimâ corporis ſpecie præcelluiſſe, atque animi pulchritudine, ſine ulla comparatione, alterum Joſephum exſuperaſſe contendemus. *Erat* etenim noſter JOSEPH *pulchra facie, decorus aſpectu.* Hujus rei teſtem induco, omni exceptione majorem, Euſebium Cæſarienſem, lib. 7. de præcept. Euang. cap. 1. c *Aderat* JOSEPHO *pudor eximius, modeſtia, prudentia ſumma; ſed pietate in Deum maximè præſtabat*, ERATQUE MIRABILI CORPORIS PRÆDITUS FORMOSITATE; ut poſt virginem Matrem, nemo mortalium Chriſto, qui fuit *ſpecioſus præ filiis hominum*, ſimilior, & per conſequens formoſior fuerit, ut graviſſimorum auctorum evincunt teſtimonia; quos inter præcellens ille Franciæ Cancellarius, Joannes Gerſon, Hiſtoria Orientali, aliíque, ut fusè refert Gratianus, adducens verba illa Chriſti, in revelatione quadam dicentis: d *Ego eram ſimillimus Joſeph in omnibus*; unde crediderunt multi, Chriſtum non ſolum putatitium eſſe filium Joſephi, ſed naturalem, nixi etiam Euangelico, quo MARIA Joſepho nupta ſcribitur, & ipſe *Pater* Chriſti dicitur. Ipſa autem perfectiſſima inter *Jeſum & Joſephum* ſimilitudo, anſam præbebat judicandi, illum eſſe genuinum filium ejus, ut inter homines ex ſimilitudine prolis,

b Pulchritudo S. Ioſephi, Sponſi Virg. cum illa Ioſephi Patriarchæ confertur. c Euſeb. Cæſarienſis lib. 7. de præcept. Euang. c. 1. d Gratianus de S. Ioſeph. lib. 2. c. 4.

de patre quis ſolet facere conjecturam; quin & hæc quoque cauſa ſufficeret, ut partus virginis Matris, & affectus Patris celaretur diabolo. Quod ſi veterem illum Joſephum, ſapientiſſimus rerum omnium conditor Deus, typum Chriſti futurum, tam præſtanti forma, & eleganti venuſtate condecorârit; quidni S. Joſephum dilectiſſimæ Matris ſuæ Sponſum, ſuúmque nutritium, & patris titulo, honore, & amore inſignitum, longè meliori argillâ effinxerit, & nobiliori ac excellentiori pulchritudine condecorârit? de priſco illo Patriarcha, ſic Igniacenſis Abbas in rem noſtram diſſerit: e *Quis in omnibus Patriarchis, & Prophetis, manifeſtius, aut ſignantius quàm* JOSEPH, *figuram exprimit Salvatoris? & ut breviter ſummam perſtringam* (quod erat ſimillimus Chriſto in omnibus) *ſi cum fide, ac pietate cogitemus interpretationem nominis ejus: quod innocens actu, prudens intellectu: quod venditus à ſuis, ſuos à morte redemit: quod prius humiliatus uſque ad ergaſtulum, & ſic exaltatus uſque ad ſolium: denique* QUOD PRÆ CÆTERIS FRATRIBUS PULCHRA FACIE, ET DECORUS ASPECTU: *quod pro merito operis ſui, novo nomine appellatus eſt inter gentes* SALVATOR MUNDI; *ſi hæc omnia, inquam piè ac fideliter cogitemus, nónne incunctanter agnoſcimus, quàm verè ſit à Domino dictum*: IN MANIBUS PROPHETARUM, ASSIMILATUS SUM: fuit Chriſtus, filius Joſephi, f *ſpecioſus formâ præ filiis hominum*, non imperatorio paludamento, regiáque trabea, g ſed *decorem indutus*. Et à Salomone dicitur h *candidus, & rubicundus, electus ex millibus*; quod etiam in magnifico elogio ponit Iſaias: i *Formoſus in ſtola ſua*. Quæ omnia de corporali Chriſti pulchritudine intelligi debere, præſtantes viri monuerunt, k Chriſtúmque in vultu, atque oculis, ſidereum quid habuiſſe, quod à nemine videri poſſet, quin ſingulari, & ſuaviſſima animi voluptate caperetur. Teſtis Hieronymus: l *Univerſis pulchrior eſt virgo de virgine: niſi enim habuiſſet, & in vultu quiddam, oculíſq; ſidereum, numquam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli, neque qui ad eum comprehendendum venerant, corruiſſent.* Quo factum, *ut* m *ipſe alios inter pulcherrimus omnes* quadam divinâ violentiâ traheret ad ſe; publicanos è telonio, meretrices è proſtibulo, omne hominum genus ex eo, quod præ manibus habebant, relicto officio, & mercimonio. Dixerit olim ſacer hiſtoricus de Joſeph: n *Filiæ diſcurrerunt ſuper murum*; dicam ego aliter, ex oppidis, & urbibus concurſatum, ut viderent *filium* MARIÆ, quia *facies ejus plena gratiarum.* Aureo ore, & more ſuo Antiochenus Præſul, ſuper illud Marci, & Lucæ 4. o *Detinebant illum, ne diſcederet ab eis, & quia omnes quærunt te*, ſic ait: erant ei affixi, amantes, admirantesque eum, videréq; ſemper cupientes: & certè, quis vel faciem ſolam aſpicere, óſque ipſum, ex quo divina præceptorum inſtituta profluebant, ingenti deſiderio non arderet? nam ut faciendis ſigniſerat mirabilis, ſic viſu gratioſiſſimus fuiſſe tradi-

e Guarric. Serm. 1. in Reſurrect. Domini. f Pſ. 44. v. 8 g Pſ. 92. h Cant. 5. v. 10.

i Iſai. 63. v. 1. k Pulchritudo Chriſti, cujus Ioſeph typus fuit. l S. Hier. Ep. 140. ad Principiam. m Virg. 4. Æneid. n Gen. 49. v. 22. o Chryſ. hic.

traditur. Quod & illuſtris ille ſuo ſanguinis oſtro purpuratus Martyr Boëtius teſtatur :

Pulchrum, pulcherrimus ipſe,
Mundum mente gerens.

Doctiſſimus interpres Pererius in illud Gen. 49. JOSEPH *decorus aſpectu, filiæ diſcurrerunt ſuper murum*, hos piæ commentationi conceptus ſuggerit, q Per filias diſcurrentes ſuper murum, non ineptè, inquit, intelligimus animas ſanctas veteris teſtamenti, quæ cupientes videre pulchritudinem venturi Meſſiæ, *diſcurrerunt ſuper murum*, id eſt, mente & animo diſcurſus formabant ſuper humanitatem Chriſti: corpus enim quaſi murus, animum includit. Illæ igitur ſpiritu prophetico pulchritudinem Meſſiæ perſpectam habentes, eum videre cupiebant; ſicut Dominus dixit: r *Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis*; Joſephum autem verum, ac vivum Chriſti typum expreſſiſſe, docet Rupertus: ſ *Rectè Scriptura dixit*, JOSEPH, *qui fuit Chriſti figura, fuiſſe pulchra facie, & decoro aſpectu: omne enim quod de Chriſto prædicat Scriptura, pulchrum, ac decorum eſt, non abſque eo, quod intrinſecus latet.* Si hanc in figura, & typo Joſephi, ſimilitudinem æterna ſapientia ſpectârit, t quantò magis in patre ſuo Joſepho, matris ſuæ Sponſo, & vultus ſui ectypo, omnis pulchritudinis prototypo voluit aſſimilari? Quæ verò, & quàm divina ſupra omnem humanam, ſpecies S. Joſephi fuerit, non eſt meæ facultatis, oculis ſubjicere, aut explicare, quia ineffabilis, & inexplicabilis eſt; quæ illum aliquando coram intuita eſt, eloquatur *Joanna de Angelis*, Urſulidum Laudunenſium Prioriſſa, huic ſanctiſſimo Virginis Sponſo impensè dedita, v conſpectu ejus tam mirificè recreata, & rapta fuit, ut à morbo, quo miſerè conflictabatur, ſubitò expedita fuerit. Exinde verò formam illam adeò venerandi, ac ſpectabilis viri, qui ſibi apparuerat, cùm deprædicare non ceſſaret, à perito pictore, cui fortè tabula pro ara ſumma de ſancto Joſepho depingenda erat, interrogata, quomodo eum, quo habitu, qua ſpecie, qua corporis formâ, mediocri, an procerâ, quibus oculis, naſo, mento, fronte, barba, capillitio conſpexiſſet, ut poſſet, exponeret? reſpondit, tanta majeſtate, ſplendore, decore, ac pulchritudine depingeret, quantam arte ulla effingere valeret; quia ſe eloqui, nec ullum aſſequi poſſe, qualis ille ſibi apparuiſſet.

Quare dum pulchritudinem in utroque Joſepho, & Filio Dei commendamus, eam in quovis corpore humano non vituperamus, x ſed ut eximium Dei donum, ac ingens beneficium exiſtimamus. Eſt etenim, ut Tertullianus cothurnato ſuo ſtylo loquitur, pulchritudo, ſeu decor ille, z *felicitas corporis, divinæ plaſticæ acceſſio, & animæ aliqua veſtis urbana.* Atque ita vidimus, Deum magnis mentibus venuſtum, & ad unguem expolitum corpus, velut aptam formam metari. Sed quo quis formoſior, ac elegantio-

q Pererius in Gen. 49. v. 22. r Matt. 13. ſ Rupert. l. 8. c. 34. t Pulchritudo S. Joſephi Sponſi Virginis.

v Turrin le Febure. ſommaire des paſſes droits du S. Ioſeph. Barrii devotio de S. Ioſepho. x Pulchritudo humana Dei donum. z Tertull. l. de cultu fœminarum, cap. 2.

ri corporis venuſtate,hoc par eſt, magis meminerit, præclarum illud Biantis apophthegma : a *Si pulcher videaris, pulchra facito*; ſi pulchris manibus,& eburneis digitis *videaris, pulchra facito*, eleemoſynas in pauperes erogando, ut cum S. Stephano, Hungariæ Rege,manus veſtra etiam à morte,*ſemper pulchra*, & incorrupta inveniatur: ſi pulchris oculis videaris,*pulchra facito*, illos ad obſcœna ſpectacula claude, & ab omni vanitate averte, ut cum S. Ludovico, Præſule Tholoſano, qui clauſum oculum ejuſmodi fœditati pro clypeo objecit, in jā putrido corpore, gemmarum inſtar reluceant:ſi pulchro ore, & lingua videaris, *pulchra facito*, ut nullum verbum calumnioſum, perjurũ, laſcivum,mendax, inde prodeat;quo fiet, ut, quod Ludovico de Medina, qui nunquam mentitus,accidit,lingua viva,rubicunda,& pulchra etiam à morte perſeveret:ſic & tu *pulchra facito*, quæ animam pulchram reddant.Hæc vera,& laudabilis pulchritudo eſt, quam ut præ ficta, fucata, & fallaci illâ amemus, ſic explorandum docet Tyrius : ſi duo nobis explorandi eſſent argentarii, alterum,nempe qui legitimo nummo præferret eum, qui videretur tantùm ; procul à ſcientia abeſſe, diceremus. Alterum contrà,qui veritatem tangeret, peritum eſſe concederemus. Eodem modo ſcientiam amandi in ipſius pulchri natura,tanquam in nummo quodam explorando verſari dicimus: ſi enim pulchrũ duplex eſt, quorum alterum videtur eſſe,nec eſt: alterum videtur,& eſt;neceſſe eſt eos qui pulchrum illud amant,quod videtur nec eſt,ſpurios, & adulterinos amatores eſſe, contrà, qui illud quod videtur,& eſt,veros amatores & eſſe,& verum pulchrum amare. Ita pulchritudine falſa deluſus Auguſtinus, b *ſpurios,& adulterinos ſuos amores*, amarè queritur, dicens : *Serò te amavi* PULCHRITUDO *tam antiqua, & tam nova! ſerò te amavi! ecce tu intus eras,& ego foris,& in* ISTA FORMOSA, *quæ feciſti*, DEFORMIS IRRUEBAM. Quotuſquiſque ex hic ſtantibus, has voces cum gemitu ingeminare poſſet : *In iſta formoſa, quæ feciſti, deformis* ſcortator, & adulter *irruebam*. Apta ad mores ſimilitudine, externum corporis decorem, interiori deſtitutum, Clemens Alexandrinus templis Ægyptiorum comparat: c *Nam parietes*, inquit,*lapidibus artificioſè depictis reſplendent ædes auro & argento,& electro collucent: adyta intextis auro obumbrantur peplis;ſed ſi penetralia templi ſubieris, & imaginem,quæ templum habitat,quæſieris; non invenietur intus Deus, qui quærebatur; ſed felis,vel crocodilus, vel ſerpens indigena,vel aliqua hujuſmodi bellua,quæ templo eſt indigna, ſed antro, ſpeluncæ, aut cœno magis congruit.* Tales igitur eſſe dicit, qui foris quidē pulchritudinem circumferunt ; intus autem venuſtam Dei, & cœleſtis gratiæ imaginem non habent ; ſed glires, mures rodentes, leones, & urſos, ſimias,pavos,aliáq;dęmonum ſimulacra, quæ adorant, in corde fovent. Scitum eſt illud, Joannis Diaconi, de divo Gregorio Magno; *d* qui cùm Romæ videret

a Pulchritudo animi præ corporis commendatur.

b Aug l 10. conf.c.27. c Clemens Alex.l.3.pædagog.c.2. d Ioan.Diaconus in vita S. Greg.l.1.c.11.

venuſta ſpecie pueros venales, rogavit, eſſéntne Pagani, an Chriſtiani? cùm Paganos cognoviſſet: *Heu! proh dolor!* inquit, *quàm ſplendidas facies, princeps tenebrarum nunc poſſidet!* rurſus gentis nomen ſciſcitatus, cùm audiret eſſe *Anglos*: *Bene*, inquit, *Angli, quia & Angelicos vultus habent, & tales in cœlis Angelorum decet eſſe concives.* Quare ne tam præclara corpora informes animæ inhabitarent, in totius Angliæ ſalutem, miſſis viris Apoſtolicis, ſtrenuam operam impendit. Eodem ſpectat prudens illud Diogenis effatum, qui cùm audiret juvenem decorum, indecora fabulantem: *Non te pudet*, inquit, *ex eburnea vagina plumbeum gladium exerere?* innuens ipſam exteriorem pulchritudinem, potius dedecori ac probro eſſe, niſi interiori animæ exornetur, de qua libet iterum Antiſtitem Alexandrinum audire diſſerentem: e *In ipſa anima pulchritudo apparet, & turpitudo; & ideo ſolus, qui eſt virtute præditus*, VERE EST PULCHER; & tam pulcher, ut omnis humana pulchritudo, ei collata, mera fœditas, & turpitudo: omnes mulierum formæ, quamtumvis venuſtæ, Meduſæ, ac Megæræ videantur. Auſim dicere, ſi mens virtute prędita oculis cerni poſſet, eam velut Numen quoddam venerari, & admirari omnes inſtituerent: ſic porrò Annæus Seneca philoſophatur: f *Si nobis animum boni viri liceret inſpicere, ô quàm pulchram faciem, quàm ſanctam, quàm ex magnifico, placidóque fulgentem videremus! hinc juſtitia, illinc fortitudine, hinc temperantia, prudentiáq; lucentibus, &c. Nemo illum amabilem, qui non ſimul venerabilem, diceret. Si quis viderit hanc faciem altiorem, fulgentiorémque, quàm cerni inter humana conſuevit, nónne velut Numinis occurſu obſtupefactus reſiſtat, & ut fas ſit vidiſſe, tacitus precetur? tum advocante ipſum vultus benignitate productus, adoret, ac ſupplicet: & diu contemplatus, demum illam Virgilii noſtri vocem, verens, atque attonitus emittat:*

g *O quam te memorem Virgo? námque haud tibi vultus*
Mortalis, nec vox hominem ſonat, at DEA *certè.*

Quid? ſi eam gentilis hic Philoſophus, divinæ gratiæ ſplendore radiantem vidiſſet? quo tunc ſtupore attonitus hæſiſſet? Certè Catharina virgo Senenſis, hoc à benigniſſimo Sponſo ſuo beneficii conſecuta eſt, ut non in veſte, ornatuque corporis, & eximiâ formæ ſuperficie hæreret, ſed ad animam, adhuc corpori, velut luto merſam penetrare contingeret, quam ut conſpexit, ſe continere non valuit, quin ſæpius præſente Confeſſario exclamaret: *O anima quàm pulchra! quàm pulchra es!* verè opus excelſi, & imago divinitatis! ô mi Pater, ſi eam videres, non dubito quin illius cauſa, ſi centū tibi eſſent, vitas prodigeres. Hanc tam divinæ pulchritudinis imaginem, fortè in ſe ipſo contemplatus Bernardus, in has voces prorumpit: h *Quid eorum, quæ in facie lucent, ſi internæ cuipiā ſanctæ animæ pulchritudini comparetur, non vile ac fœdum recto apparet æſtimatori? quid, inquam, tale in ſe oſtendit, quæ præterit figura hujus mundi, quod æquare ſpeciem animæ poſſit illius, quæ exuta terreni hominis vetuſtatem, ejus qui de cœlo eſt, decorē*

e Clem. Alexand. lib. 2. pædag. cap. 12.
f Seneca Epiſt. 115.
g Virg. lib. Æn. h Bern. Ser. 27. in Cant.

induit, ornata optimis moribus. Ipſo purior, ſicut excelſior, æthere, & ſole ſplendidior: omnis quippe pulchritudo Solis, & micantium ſtellarum, huic decori comparata, vilis reputatur, & abjecta.

Quibus poſitis rectè concluditur; ſi juſti anima tam formoſum ſit ſpectaculum, quale futurum ſit, ſanctiſſimam quæ in terris poſt Deiparam exſtitit, *Joſephi* Sponſi Virginis animam in tam venuſto corpore contemplari; eſt porrò i *gratior & pulchro veniens è corpere virtus.* Ut de illo verius, quàm de altero Joſepho ex ſententia Auguſtini pronuntiare poſſim: k *Pulchrior erat intus* Joseph, *quàm foris*: pulchrior intus ſplendore virtutum, quam foris decore membrorum: quas ne omnes ſimul, quibus excelluit, proſequamur, unam, eámque angelicam, ac prope divinam corporis, & animæ puritatem, prorſus admirandam, & quàm proximè poſſumus, imitandam, mentis oculis ſubjiciemus.

§. II.

Caſtitas Josephi *Patriarchæ, cum* l *illa ſanctiſſimi* Josephi *Sponſi Virginis confertur, ejuſque multum præfertur.*

Vetus ille Joſeph, ut audîſtis, decorus aſpectu, teſte Ambroſio, Auguſtino, Procopio, omnibus proponitur ſpeculum caſtitatis: m *Juventus*, inquit ille, *facit, ut magis nobis admirationi ſit* Josephi castitas; magis autem facit ut admirationi, quin & imitationi ſit, Joſephi noſtri caſtitas, & perpetua virginitas, quæ in veteri ſervata non fuit. Quam ut plenius ac planius exponamus, Mariæ Virginis Joſepho deſponſatæ, ejuſque caſtiſſimi Sponſi, qui è venuſtiſſima Deiparæ forma, nihil fomitis, niſi divini amoris traxit, virgineos amores, altiùs exordiendos eſſe duximus. n Eodem anno Joachimus, & Anna communibus fatis, è vivis ſublati, in ſinum Abrahæ tranſcribuntur, nunquam amplius morituri, & Maria è venerandis ſacri gynæcei penetralibus educitur ad virgineas nuptias. Evaſerat magna virgo in ſacris adytis à prima infantia ad decimumquartū educata annū, numen quodammodo ſanctitatis, quod aris, quibus à parentibus oblata fuerat, ferè merebatur imponi: fluxas ſæculi vanitates, & lubricas mundi delicias ignorabat, quia nec oculis, nec animo delibârat. o Verum enimverò ubi nunc parentes, qui filias ſuas in ſacra parthenone ſub ſacerdotum cuſtodiâ, ſub prudentis, ac probi Confeſſarii tutelâ, ab omni ſæculi pompâ, à noxio juvenum contubernio remotas, ad nubilem ætatem aſſervandas relinquunt? quin etiamnum impuberes, ejuſmodi ſeptis extrahunt, ſanctiori diſciplinæ ſubducunt, & fallaci ac ſalaci Magiſtræ, ad omnes mundi, & Veneris articulos inſtruendas committunt: nôſſe quîppe eas, & probare volunt ſæculum; nuptiarum illecebras, & carnis delicias, priuſquam nuptui tradan-

i Virgil. lib. 5. Æneid. k Aug. Serm. 32. de temp. l Caſtitas S. Ioſeph. m Procopius in Gen.

n Palavicino in vita Deipar. p. 1. c. 10. o Morale.

tur

tur, ignorare non oportet. Hinc tam raræ, quales inter Mariam & Joſephum, virgineæ nuptiæ: hinc tot matres, antequam maritatæ: hinc tot puellæ, dum ſæculum probant, in ſenſum reprobum datæ: hinc tot infauſtæ nuptiæ, ad quas non Hymenæus Spiritus Sanctus, ſed infernalis faces prælucet: non Jesus & Maria; ſed Venus & Cupido adhibentur. Hinc tot, prælibato pudicitiæ flore, in ejuſmodi Venereis nuptiis ſpinæ germinantes, diſcordiæ, lites, jurgia, zelotypiæ, ſterilitas, aut fœtus monſtroſi, aliáque innumera. Auſpicatiores virgineæ, quales nunquam cœlum ſpectavit, Mariæ & Joſephi nuptiæ. Primus hominum Joſephus, *p* Angelus dici poſſet, quia primus virginitatis Sponſor, primus Virginis Sponſus, vir Virgo, & quod majus eſt, Virgo maritus, cœleſtem virtutem, Angelorum dotem, novis titulis, nullíque hominum conceſſis, in terras tranſtulit. Inde Patriarcharum meta nemo propiùs hominum ad Deum, Sponſum Virginum, & Agnum immaculatum acceſſit: tantò Davide felicior, quantò venerabiliorem Arcam, in qua Legislator, non lex clauderetur, domi ſuæ recepit. Tantò Abrahamo, & Patriarcha Joſepho major, quātò illuſtrius eſt, in ſtirpe non ſtellas recenſere, ſed ſolem & lunam, hoc eſt, Jesum, & Mariam; qui ad nutum ejus ſtare, & moveri viſi ſunt. Virgineum inter Mariam & Joſephum conjugium, *q* 7. Kalend. Decembris, cœlo, terráque plaudente celebratum ſuis ſplendoribus, phoſphoro auroram, & aurora ſolem præeunte. Non alio modo jungi debuêre virgines Nazareni, quàm quo flores invicem maritantur: non nubunt verecundæ roſæ candidis liliis, niſi ut coronam intexant, qua cingatur conjugata virginitas. Unica hæc Hymenæi tæda fumo caruit, virgineo candore non denigrata: jugalia hæc vincula nihil ſtrinxêre præter animos: nec ultra caſtum amorem ivêre amantium vota. Dubito, nuptialem cælibatum, an cælibes nuptias vocem, nam Sponſæ contubernio, Sponſi virginitas geminatur: novóque miraculo, forma pudicitiæ ſuffragatur; ſic nubunt palmæ. Excivit potiſſimè Joſephum, rapuítque in ſpem fortunatiſſimi conſilii, Dei oraculum monentis, ne ab eo conjugio, virginitati ſuæ, quam voti ſacramento Deo conſecrârat, ullam labem formidaret, à quo acceptura erat incrementum, non ſublatâ, ſed conjugatâ, atque adeò geminatâ luce candoris. Accedit oraculo miraculum, & ſanctiſſimus Sponſus, conſulto prius Domino, in templo Hieroſolymitano, divino ſuffragio, nimirum *r* florentis virgæ prodigio loquente, tótque ora, quot flores aperiente, à ſummo Sacerdote ad tantam dignitatem eligitur. Gregorius Nyſſenus *quem* teſte Epiphanio *ſ*, *omnes Patrum patrem vocant*, raro, & præclaro elogio Sponſi hujus caſtimoniam commendat: *t* nam cùm Virgo Maria diceret ſe voto virginitatis adſtrictam, *deliberantes ſacerdotes in hanc ſententiam di-*

p Caſtiſſimum Ioſephi cum Virgine Maria cōjugium. q Palavicino p. 1. c. 10

r Hier. de ortu virg. Palavicino p. 1. pag. 276. ſ Epiph. Diaconus. Synodo 7. act. 6. t Greg. Nyſſen. orat. de Nat. Dom.

vinjims

vinitus convenerunt, ut eam connubii nomine cuipiam deſponderent, qui ad cuſtodiam ejus duntaxat eſſet idoneus. Addit Hieronymus *v*, S. Joſephi, qui inter alios procos aderat, virgę inſediſſe Spiritum Sanctum in ſpecie columbæ, & hoc prodigium indicatum prius cœlitus fuiſſe ſummo Sacerdoti, tanquam ſignum divinæ electionis. Ad hoc alludunt ex aliquorum ſententia, tum illud Iſai. 11. *Egredietur virga de radice Jeſſæ, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Tum illud expreſſius S. Hieronymi in illud Luc. 1. *Miſſus eſt Angelus à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth,* myſterium notat: x *Cur quæſo hoc ait, niſi ut indicetur florida deſponſatio* JOSEPHI *cum* MARIA. Ut veſtrûm, adoleſcentes, adoleſcentulæ, florida ſit deſponſatio, divinum prius conſulendum oraculum, indicium cœleſtis ſpiritus rogandum, & exſpectandum: conſilium à parentibus, & propinquis non rogandum, nec eorum monitum hîc, ut oraculum obſervandum. Ecquid porrò ſani conſilii in negotio ſalutis, ab homine carnali, & animali ſperandum, qui y *non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus?* non magis quàm ſi quis ædificare volens, ſutores conſulat, vel aurifices: & qui ægrotat, Juriſperitos advocet; cùm ille Architectos, hic Medicos, & eos quidem peritos, prudenter adhibere conſueverit. Ita in hoc tanto opere, quo ædificanda eſt illa domus ſpiritualis, & turris perfectionis: atq; ubi curatio non corporis, ſed animæ inſtituenda, non eorum judicium requirendum, qui res iſtas non intelligunt, & judicium habent perverſum. Nō humanum hic, ſed Angelicum Doctorem audiamus: z *Ab hoc conſilio* (ut quis ſe Chriſto Sponſo conſecret) *primo quidem amovendi ſunt carnis propinqui: quia inimici hominis domeſtici ejus;* nemo autem ab inimico conſilium petit: nec mirum, ſi domeſticos, Chriſtus inimicos dixerit, quando à nuptiis cum Agno, cum Rege immortali avocant; quæ injuria infinitò gravior eſt, quàm ſi plebejæ filiæ, quis obicem objiciat, eam vi vel fraude impediat, ne potenti Dynaſtæ, aut Regis filio, qui ejus amplexus expetit, nubat; ut eruditè Leſſius noſter pertractat *a*. Nos cœptū proſequamur, Magna portendit columba iſta Joſepho inſidens, Joſephum inumbrans, felices eventus nuntiat; *b* columba ramum olivæ ad Noë deferens, finiti diluvii, & divinæ clementiæ ſignum extitit. Hæc, quæ ad noſtrum Joſephum advolat, majoris eſt felicitatis nuntia; divinā nempe iram in peccatores deſæviſſe, & humano generi reconciliandum Deum; ut rectè Iſidorus Iſolanus ratiocinatur: c *Noë columbam virentis Olivæ ramum deferentem, ſignum clementiæ Dei, manibus excepit; ſignum fœderis inter Deum & hominem vidit; verum myſteria, quæ Noë geſta ſignificabant ſub umbra,* SANCTO JOSEPH *ſub vero Sole contigerunt;* & conſequenter divinæ clementiæ, ac reconciliationis ſignum extitit columba, quæ ad illum ex il-

v Hier. de ortu virg. Palavicino de vita Deip. p. 1. pag. 276. x Hier. Epiſt. ad Marcellam. y 1. Cor. 2.

z S. Thom. opuſ. 17. contra retrahentes à Relig. c. 10. a Leſſius de ſtatu vitæ deligendo. quæſt. 3. b Gen. 8. v. 11. c Iſidorus Iſolanus 1. part. c. 16. de Ioſeph.

lius virga advolavit. *d* Nec minus congruè per columbam, Spiritus ſanctus, qui hiſce nuptiis præfuit, adumbratur; ſic etenim Rupertus ait: e *quod conjugium vita, ſive conjunctio* (Mariæ & Joſeph) *tota fuerit cœleſtis, & SPIRITUS SANCTUS AMBORUM CONJUGALIS AMOR, quorum utiq; converſatio erat in cœlis, in ambobus præſidens.* Unde exclamat: *O conjugium verum, & ſanctum! conjugium cœleſte, non terrenum!* Ubi autem hæc integerrima virgo Maria, Joſepho deſponſatur, digito ejus *f* annulum inſeruit, quem loco arrhæ ſolitum dari inter Hebræos non obſcurè colligitur, ut Cardinalis Baronius *g* adnotavit, ex illo Gen. 38. *Dixit Thamar: patiar quod vis, ſi dederis mihi arrahabonem, donec mittas quod polliceris. Ait Judas, quid vis pro arrhabone dari? reſpondit annulum tuū.* Hic verò annulus virginis, qui *h* Peruſii aſſervatur, quanto in pretio, & veneratione ſit, apud citatos auctores videre eſt. Unum mihi hic in annulo conſiderandum occurrit, ut per ſe aureus, & pretioſus ſit, magnum decorem, & ornamentum illi, ab inſigni quæ inſeritur gemmâ conferri; quod ſapienter Sapiens indicaſſe videtur, hiſce verbis: i *Gemmula carbunculi in ornamento auri*; ubi Hugo Cardinalis: k *Carbunculus, quaſi carbo ignitus dictus, omnes gemmas ſplendore præcellens, incluſus auro in annulo, plus eſt ad decorem auri: quia plus ſplendoris, & virtutis habet, quàm aurum.* Haud aliter Maria quę meritò l *gemma ſingularis* indigitatur, omnes gemmas virtutum ſplendore præcellens, Divo Joſepho, viro aureo, plurimum decoris, virtutis, & dignitatis comparavit, juxta illud Poëtæ:

m *Non ſine me, eſt tibi partus honor.*

Quo ſpectat illud Lyrani: n *Sicut in corporalibus, gemma optimè conjungitur auro in ornamento; ita & iſta gratioſè conjunguntur*; ut invidendo elogio nuncupari & gloriari poſſit Joſephus nomine, quod ſit *Monſieur per Madame.* Ita Jeſſæus Paſtor, ut filiam Regis in uxorem acciperet, omnibus periculis poſthabitis; dixit: o *Num parum videtur vobis, generum eſſe Regis,* & virum Reginæ? potiori jure Sanctiſſimus Sponſus, ea verba uſurpare poteſt: An parum vobis videtur, non generum regis, ſed patrem Filii Dei nominari, & amore, ac honore eſſe: & *virum Mariæ,* quæ, Athanaſio teſte, p *Regina omnium potentiſſima omne habens Imperium non ſolum erga creaturas, ſed etiam erga creatorem omnium?* Hæc Joſepho, ut gemma annulo ſplendorem, ita omnium virtutum & gratiarum decorem contulit. In ſponſalibus, paſſim contractus ſcribi ſolet, quam dotem ſponſa ſponſo tribuat; at Joſepho dicere licuit: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*; gloria, divitiæ, honores, terrenis omnibus excellentiores: nam *multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ô Maria ſupergreſſa es univerſas.* In hanc rē regius & egregius cōceptus mihi in mentē venit

d Novarini umbra virginea. lib. 4. n. 2084. e Rupertus lib. 1. de gloria filii hominis. f De annulo Ioſephi, Mariæ tradito. g Baronius anno Chriſti 57. h Ferrandus diſquiſit. Reliquiariâ. Balegem. de Reliq. D. Virg. i Eccl. c. 32. v. 7. k Hugo hîc.

l Bloſius in prec. m Tibull. l. 1. eleg. 7. n Lyran. in Eccl. cit. o 1. Reg. 18. v. 23. p Athanaſ. in Ser. de B. V.

Caroli IX. Galliarum Regis, *q* qui pretioſum monile illuſtri puellæ donavit, vermiculatis hiſce aureis litteris inſcriptum: *qui m'at, n'a faute de rien*; id eſt, *qui me habet, nullius eget.* Maria *monile paradiſi inexplicabile*, quam dum Joſeph in ſponſam habet, nullius eget, ſed omnibus abundat.

Nunc quod mores ſpectat, ſi quis veſtrûm, Adoleſcentes, *r* talem dotem ambiat, talem gloriam, & dignitatem ſpectet, ut fiat *Monſieur per Madame*, Reginam cœli annulo caſtitatis in arrham oblato, ſibi in ſponſam ducat, ut ille per ludum juvenis, de quo alias enarrávi †; nec eſt quod quis ut ſtimulos carnis ſuperet, matrimonii vinculis ſeſe illiget. Si ſancta quædam virguncula hos ignes ſopire potuit, quid ni Regina virginum? hiſtoriam audite; magno teſte Bollando, & Henſchenio, ſacris ac eruditis hiſtoriographis. *ſ* Sacerdos unus aliquis, cui nomen Paulinus, in Eccleſia Divæ Agnetis ſacris vacabat officiis; cùm ecce invidus dæmon ardentes ei à libidine faces injecit, & ita quidem, ut illarum impatiens, à ſummo Pontifice petierit ut ſibi uxorem ducere liceret, & ſic flammas illas, uti rebatur, vincere, atque extinguere. Subriſit ad illa Pontifex, & hominis ſimplicitati compatiens, *annulum aureum, ſmaragdo illuſtrem ei miſit*, juſsítque ut eum digito ſanctæ Agnetis immitteret, eámque ſibi, ea ratione deſponderet. Paruit ilico & annulum illius ſanctæ virgunculæ digito inſeruit. Admiſit illa ſponſalem annulum, & quaſi illius amans, ac retinens, digitum contraxit, utique retentura. Ita Paulinus, hoc amabili prodigio attonitus, ſponſus, & Agnes ſponſa exſtitit. Quid deinde? quod amet, quod miretur, & imitetur noſtra ætas, ab Agnete, ſeu ſponſa, velut affuſa aqua, reſtinctus eſt omnis ille cupidinis ignis, & accenſa in Paulino, ſeu ſponſo, caſti amoris incendia. Hoc in argumento occurrit mihi B. Hermannus, *t* qui annum tertium decimum ingreſſus, ſimul mundo egreſſus, candidum Præmonſtrati Ordinis habitũ Steinfeldiæ ſuſcepit: inter religioſæ vitæ ſtudia tam amor in Hermanno Mariæ, quàm Hermanni in Maria crevit, ut eum primum amantiſſimo *Joſephi* nomine donaret; nec amplius Hermannum; ſed *Joſephum* familiariter compellaret; tum deinde cœlitibus has inter nuptias paranymphis, ipſius dextrâ virginis dextræ inſertâ, Reginæ cœli his Angeli verbis deſponſatur: hanc ego Virginem trado tibi ſponſam, ſicut fuit olim deſponſata *Joſepho*; dotémque in manus, omnes cœli divitias, filium accepit. Si cui veſtrûm hæc virgo, & dos placet, eam ſibi in ſponſam adſciſcat, nec tam optatas nuptias reſpuat. Vos verò *v* adoleſcentulæ & genere & forma, & opibus præſtantes, dum has virgineas Joſephi & Mariæ nuptias, ſupra omne, quod mortale eſt, fauſtiſſimas ac beatiſſimas fuiſſe, fateamini

q Barrii devotio S. Ioſephi. Epiphan. orat. de laudibus Deiparæ. r Adoleſcentes Mariam cum Ioſepho in ſponſam admittant. † V. Pantheon. hoc feſto.

ſ Bolland. 21. Ian. de reliquiis S. Agnetis.

t Surius. Faſti Mariani 4. Aprilis.

v Exemplo Ioſephi & Mariæ, qui Deo caſtitatem voverunt. Adoleſcentulæ ſibi Deum, Virginum Sponſum eligant.

neceſſe ſit; pari ſorte beari poteſtis,ſi ut illi ſuas animas, ita & vos veſtras, per illibatam caſtimoniam, Deo virginum ſponſo, ſponſas conſecretis. Quod quò faciliùs in animum inducatis, motiva vobis & exempla in medium producam. Si Sponſum, vos parentes, liberis veſtris, ſi vos ipſæ, ô filiæ, potentem, nobilem, illuſtrem ſanguine & genere, exoptatis, laudo, & ad beatam quandam ſuperbiam vos inflammo, ut in hoc delectu, ſponſo totius univerſi opulentiſſimo, illuſtriſſimo, quinimò cæteris omnibus mortalium ſpretis, elatione ſancta non niſi filio regis aut Imperatori ſummo nubere ſtudeatis. Ad rem propoſitam facit aurea B. Petri Damiani ſententia; qui memorans excelſum Agnetis, præſtantiſſimæ Imperatricis animum, quæ humani principis poſthabitis nuptiis, totam ſe æterno & immortali Sponſo Chriſto dicârat, ſic eam alloquitur: x *Quæ in terris idoneum, & qui tuis placeret oculis, invenire non poteras virum, in cœleſtis ſponſi provolaſti violenter amplexus.* O BEATA ISTA SUPERBIA! ô BEATA MENTIS ELATIO, *& omnibus digna præconiis, quæ dum carnalis thalami jura contempſit, in dotalium regis æterni glorioſa tranſivit.* Quid carnalem, quid mortalem, quid morbis, & miſeriis innumeris obnoxium, fluxis opibus præditum, vana & ementita nobilitate turgidum, paſſionibus, & infirmitatibus plurimis obnoxium ſectaris? nôris ad excelſa te genitam, non ſemel à mortali ſponſo deluſa, aut à potentiori deſpecta, æterni regis, qui te non ſpernet, divino elata ſpiritu, aude nuptias ambire. Fecit hoc lectiſſima moribus, & forma, virgo Icaſia, de qua ſic Zonaras. y *Theophilus* Imperator Conſtantinopoleos, matrem viduam habebat, *Euphroſynam* nomine, re prudentem ac piam fæminā, quæ ubi filium jam maturuiſſe ac de cōjuge proſpiciendum duceret, miſſis per omnes Imperii ſui fines legatis, puellas animi, ac corporis dote præcellentes cogere, atque omnes in regio atrio aſſervari juſſit. Illuxerat jam dies illa, toti regno Conſtantinopolitano auſpicatiſſima, qua Imperator in Gynæceum hoc inducendus, à regina matre pomum aureum pretioſiſſimis gemmis diſtinctum accipit, illi porrigendum, quam in ſponſam, ac reginam eligeret. Jámque atrium ingreſſus, atque omnes illas eximia forma, & venuſtate virgines conſpicatus, una præ cæteris Icaſia incredibili pulchritudine, ita oculos mentémque Imperatoris everberavit, ut totus in illam intentus, & animo abreptus, extensâ manu, cuidam Theodoræ, quæ Icaſiæ vicina adſtabat, inſcius porrexerit. Quo errore ſuo agnito, noluit fidem revocare, quam dederat, & Theodoram, cui ea ſors obtigerat, in Reginam aſſumpſit; quod Icaſiam æmulatione non parum pupugit, & zelotypia vehementi affecit. Plures interim primarii aulæ Dynaſtæ, rara ac præclara ejus forma capti, eam procabantur, & novis nuptiis repulſam priorem reſtaurare conabantur; at illa felici hoc infor-

x Damian. opuſc. 56. de fluxa mundi gloria deſpicienda, ad Agnet. Imp. c. 4.

y Zonaras a. 830. tom. 3. in Theophilo Imp.

tunio

tunio bene uſa, *beata ſuperbia*, & ſancta æmulatione, infra dignitatem ſuam rata, ut quæ ſponſa Imperatoris eſſe debuerat, homini inferioris illo conditionis jungeretur, excelſo animo ſtatuit, omnibus aliis procis valere juſſis, uni immortali Imperatori, Chriſto ſponſo fidem obligare, quod reipſa & voto, & religione firmavit. Talem inducit nobilem puellam Ambroſius, *ſancta ſuperbia* inſignem, quam cum parens, aut propinquus, illuſtri Dynaſtæ, ac locupleti jungere vellet, animosè & ingeniosè reſpondit: z *Sponſum offers, meliorem reperi: habeo eum, cui nemo ſe comparet, divitem mundo, potentem Imperio, nobilem cœlo*, Filium altiſſimi, illuſtriſſima domo, cœlo nobilem. Hujus unius amore Thela, à magno Paulo fidem edocta facilè Thamiridem, a *Sponſum formoſiſſimum, ditiſſimnm, & illuſtriſſimum* (ut Epiphanius loquitur) ſprevit; eúmque ut turpem lenonem, plus quam leonem, quem domuit, averſata eſt: quia longè b *meliorem reperit, cui nemo ſe comparet, divitem mundo, potentem imperio, nobilem cœlo*; ſed occurrit objectioni hîc idem Doctor: c *dicet aliquis, cur exemplum attuliſti Mariæ, quaſi reperiri poſſit, quæ matrem Domini poſſit imitari? cur etiam Thelæ, quam gentium Doctor inſtituit? da hujuſmodi Doctorem, ſi diſcipulam requiris? hujuſmodi recens vobis exemplum profero, ut intelligatis Apoſtolum non unius eſſe Doctorem, ſed omnium*, quod pluribus confirmat. Proferam & ego non unùm, *ut intelligatis, Apoſtolum non unius eſſe Doctorem, ſed omnium*. Agnes illa Agno nupta, omnibus nota eſt. Altera hujus æmula Agnes, Primiſlai, Bohemorum Regis Filia, nulla ratione adduci potuit, ut Friderico II. Cæſari jungeretur; d ſed ad D. Claræ ſanctimoniales Pragæ ſe proripiens, *æterno Regi* perpetúam virginitatem conſecravit, & *hac ambitione* e (quod Hieronymus de ſponſa Chriſti) *pergit ad ſponſum, eundem habens Dominum, quem virum*. f *Hac ambitione* B. Chriſtiana Virgo longè nobiliſſima, cùm à fratribus importunè quà verbis, quà verberibus ad nuptias, terreſtrémque ſponſum impelleretur, ad cœleſtem ſponſum per rapidum amnem ſicco veſtigio evolavit, aquâ ſcilicet tam nobilem ſponſam reverente. Quid te memorem, B. Aldegundis, virginum gemma, Belgii gloria, & Malbodienſium patrona? g hæc dum amaſii, viri præpotentis manus declinat, effugítque *hâc ambitione ad Chriſtum*, ſupra Sambram obvium flumen, ſponſo virginum, & Angelo comite ambulavit, ut ne quidem fimbria veſtis immaduerit, eum ſe gaudens nactam, *cui nemo ſe comparet*. Hâc ambitione, ſpretis terrenis nuptiis, S. Dorothea gloriatur, ſibíque gratulatur: *Benedico te Domine, caſte amator animæ meæ, quòd me immeritam, ad nuptias Agni immaculati, & ad thalamum cœleſtem invitare dignatus es*. Valeant ergo nuptiæ, quæ libidini extinguendæ; veriùs accendendæ ſerviunt; nec porrò illas amarunt virgineæ, & excelſæ mentes, cœleſtium, & Divini

z Amb. lib. de Virg. in fine. a Epiphan. hæreſi 78. b Amb. cit. c Ibid.

d Dubrav. lib. 15. Crantzius lib. 7 metrop. cap. 48. e Hieron. ep. 10. ad Furiam. f Bollandus 10. Ian. cap. 1. g Idem 30. Ianuarii.

Spon-

Sponſi ambitioſæ, quem *eundem habuere Dominum, quem virum, cui nemo ſe comparet.* Quanto ambitu, veſtrûm plurimæ, titulum & dignitatem *Dominæ*, *Madame*, ſibi comparare nituntur; ſi velitis, hodie evadetis. Scio moris eſſe, ut puellæ quamtumvis nobili & regia ſtirpe, quamdiu innuptæ ſunt, nunquam *Dominæ* appellentur; at ubi puellæ Deo nuptæ ſunt, quales omnes ſanctimoniales, & virgines Agno nuptæ, illud uſurpare poſſunt: *Iam Dominæ nominamur & ſumus*: hujus ſplendidę denominationis auctor eſt Hieronymus, qui Epiſtola ad Euſtochium: i *Hæc idcirco* DOMINA *mea Euſtochium ſcribo:* DOMINAM *quippe vocare debeo ſponſam Domini mei.* Filia communis conditionis, quæ illuſtri viro, aut principi nubit, non modò ipſa omni honore, & dignitatis titulo condecoratur, dum fit *Madame per Monſieur*; ſed & toti familiæ ſplendorem confert, & omnem domum illuſtrat. Et unde *Paula*, totáque ejus progenies impenſius decorari poſſet, quàm dum Euſtochium ſuam cernit Deo nuptam? certè, quamvis Virgo Imperatori nuberet, non *Domina* audire à Doctore Maximo mereretur. Sic tandem matrem affatur: k *Plus honorantur nuptiæ, quando, quod de illis naſcitur, plus amatur. Quid invides mater filiæ? tuo lacte enutrita eſt, in tuo adolevit ſinu, tu illam virginem ſedula pietate ſervaſti: indignaris, quod noluit militis eſſe uxor, ſed Regis? grande tibi beneficium præſtitit,* SOCRUS DEI *eſſe cœpiſti.* Si quæ hîc mater filiam habeat ſanctimonalem, aut Virginem Chriſto Sponſo devotam, æſtimet, ſi poſſit, grande beneficium, quod illi Deus præſtitit, *ſocrus* non Regis terreni, ſed æterni, & immortalis *Dei eſſe cœpit.* Tu verò filia, tanti Regis Sponſa eſſe cœpiſti. Bernardus Domin. 1. poſt Epiphaniam, ſerm. 2. hujus Sponſæ electionem, dignitatem, gloriam attonitus admiratur, & exclamat: l *Unde tibi, ô humana anima, unde tibi hoc? unde tam inæſtimabilis gloria, ut ejus Sponſa merearis eſſe, in quem deſiderant Angeli proſpicere? unde tibi hoc, ut ipſe ſit Sponſus tuus, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur?* ad cujus nutum univerſa obediunt? B. Catharina Raconiſia m Anno 1491. quinquennis (en quales Sponſas adoſcentulas ſibi Chriſtus adoptat) Feſto Pentecoſtes Deiparam veſte candida, gemmis coronatam ad ſe intrantem vidit, & hortantem audiit, ut cum filio ſponſalia iniret. Cui Catharina: fabri ferrarii pauperis ſe filiam eſſe, nec ullam dotem ſuppetere. Reſpondit Maria, *Filium non niſi cor ejus expetere.* Reposuit innocens virguncula: *Et ubi cor meum latet? ſi repereris, libens concedo.* Ad quæ puellæ verba, per ætatem ſimplici, arridens Deipara, virgineâ ſuâ manu pectus Catharinæ tetigit, ibi, inquiens, eſt cor tuum, illudque filio meo tribue. Et ecce inter utramque puer JESUS, Catharinæ ætatem referens, inſtar quinquennis parvuli, veſte candidâ, torquem è collo aureum geſtans,

i Hieron. ep. ad Euſtochium de cuſtodia Virgin. k Idem cit.

l Bernard. Dom. 1. poſt Epiph. Serm. 2. m P. Maraccius lilia mariana ♁. 9. In vita.

& ex torque monile inſigne aureum, in quo Chriſti flagellati imago. Adſtitêre his ſponſalibus, Seraphin unus, S. Hieronymus, S Petrus Martyr,&Catharina Senenſis. Tum Deipara, ubi & filii, & Catharinæ dexteras innexuit, Sponſus Jeſulus, puellæ digito annulum inſeruit, dicens: *Sponſo te mihi in fide, in æternum.* O felix Sponſa! dic mihi, *unde tibi* hoc fabri filiæ: n *Unde tam inæſtimabilis gloria, ut ejus Sponſa merearis eſſe, in quem deſiderant Angeli proſpicere?&c.* Unde tibi hæc ſupra omnes mortales felicitas, honor & gloria obtigit? non niſi ab eo, cui deſponſata es. Dum o *Regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo ſanata es. quidquid habes, unde illi placeas, ab illo habes.* Ut & tu, ô anima humana, habeas, unde placeas, fac illibata virginitate, ut Sponſa ejus ſis. Hæc de virgineis nuptiis ſatis, quod argumentum ſuo loco fuſiùs proſequemur. Concludo, ut Chriſti Sponſis ſuam auream, & beatam ſortem gratuler, ſermone melle & ambroſiâ manante Mediolanenſis Antiſtitis, qui ſic Dei Sponſam admonet, ut dignitatem ſuam conſideret, & æſtimet: p *Adverte,* inquit, *quantum tibi Spiritus Sanctus, Scripturæ divinæ teſtificatione detulerit, dicens: quia concupivit Rex ſpeciem tuam, Regnum, aurum, pulchritudinem. Regnum, quia Sponſa Regis æterni es, vel quia invictum animum gerens, ab illecebris voluptatum, non captiva haberis, ſed quaſi Regina dominaris. Aurum, quia ſicut materies examinata igne pretioſior eſt, ita corporis ſpecies virginalis, ſpiritu conſecrata divino, formæ ſuæ acquirit augmentum. Pulchritudinem vero quis poteſt majorem exiſtimar[e] decore ejus, quæ amatur à Rege, probatur à Judice, dicatur Domino?*

n Bern. cit. o Auguſt. in Pſalm. 44. p Ambr. l. 1. de virg.

§. III.

Quinam exemplo Mariæ, & Joſephi, virginitatem q *in conjugio ſervârint?*

INter alias, hanc caſtiſſimi hujus connubii cauſam adfert celeberrimus ille Cancellarius Pariſienſis, ut præclarum conjugibus ad imitandum exemplum, Joſeph & Maria relinquerent: r *Cur,* inquit, *pura, perfectáq; JOSEPHI pudicitia non prædicetur, qui virgo virginem adiit, atque ſervavit? quique primus ex maſculis in conjugii conſortio coluit, & coli poſt ſe docuit ſanctum, & integrum cælibatum;* in quo altero Joſepho, qui filios procreavit, longè ſuperior. Eorum conjugum, qui Mariæ & Joſephi chariſmata æmulantes, in Chriſti Eccleſia imitati ſunt, non paucos Eccleſiaſticæ produnt, & commemorant hiſtoriæ. Ex his gemmam Romanę coronę unicam hîc exhibeo *Henricum Imperatorem,* ejus nominis II. ejuſq; conjugem *Cunegundem,* juvenes licet, & principes, cùm genere, tum ſanctitate illuſtres. Certè Henricus imperium à ſe ipſe auſpicatus, in triumphum Cupidinem duxit, jámque morti proximus, Cunegundem uxorē, ac propinquos ejus accerſens, eóſque intuens: *Recipite,* inquit, *quam mihi trad[...]*

q Ad conjugatos. r Gerſon Serm. de Nativit. Mariæ.

P

[t]radidiſtis virginem; quod & ipſa probavit, dum ardentes prunas, ut roſas, illæſis plantis calcavit. Horum albo inſcripti *Valerianus*, & *Cæcilia*, inſigne par Romanæ nobilitatis. *Baſiliſſa* & *Julianus* Antiochenus, & virginitatis quoque, & martyrii laureâ decoratus.

O bene formoſis lilia nupta roſis! Egregio ſanguine *Pulcheria*, Theodoſii Imperatoris ſoror, quæ cùm perpetuam Deo voviſſet virginitatem, mortuo Theodoſio, *ſ* ea conditione nupſit *Marciano*, eúmque Imperatorem creavit, ut ſuam caſtitatem Deo votam ſervaret. Quod & præſtitit, teſte Cedreno, & aliis. Sic & *t Boleſlaus* V. Polonorum Princeps, cum altera *Cunegunde*, Bele Hungarorum Regis filia: Conradus Rex, Henrici IV. Imperatoris filius, cum conjuge ſua Mathilde cælibatum perpetuò coluit. Quid Elzearium, Galliæ Comitem, & integerrimam ejus conjugem Dalphinam commemorem, cujus dos rari pretii, virginitas fuit? nec ſatis fuit illis virginitatis florem ſervare, ſed divino epulo refecti, ante aram ſupplices, erectis in cœlum animis, eandem JESU Nazareno, inviolabili voto conſecrârunt. *v* Quid mirum, ſi per amœnam viſionem, oculis humanis, virginum turmas, veſtigia agni legentium, Elzearius ſignifer præire conſpectus ſit? nôrant hi *x bonum eſſe*, imò angelicum eſſe, divinum eſſe, *mulierem non tangere*. In quo ad extremum ſpiritum ſe eximium præbuit S. Urſinus, de quo Magnus Gregorius lib. 4. dialog. c. 11. eum ab uxore ſeparatum vixiſſe, cùmq; moriturus traheret animam, acceſſit uxor aurem admovens, ut ſentiret ſi quod adhuc ei ſpiramen ineſſet, quod ille ſentiens, cui tenuiſſimus inerat flatus, quanto valuit niſu, vocem collegit, dicens: *Recede à me mulier, adhuc igniculus vitæ ſupereſt, paleam tolle.* Admirari plures, quàm imitari video S. Angadremam, uxorem S. Ansberti, *y* quæ pro virginitate tuenda Deum rogavit, ut corporis venuſtatem à ſe auferret, quod impetravit, tota deformis reddita; at ubi ſe in monaſterium recepit, & profeſſa virginitatem, priſtinam planè, & elegantem formam recepit. Mitto *Alphonſum II.* Aſturum Regem, qui cum conjuge ſua continentiam ſervans, *Caſti* nomen accepit: *Carolum Craſſum* Regem, & *Richardim* Reginam. Mitto Eduardum III. & Editham, alióſque complures conjuges virgines permanſiſſe. Qui omnes, exemplo *Joſephi & Mariæ*, mente, non carne, ſibi & Deo arctiſſimè colligati, illibatum virginitatis florem in matrimonio ſervârunt. Sic porrò Auguſtinus: *z Hoc enim exemplo magnificè inſinuatur, fidelibus conjugatis, etiam ſervatâ pari conſenſu continentiâ, poſſe permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu.* Nec eſt, quod quis hic ambigat, verum matrimonium inter conjuges virgines exiſtere, cùm idem Hipponenſis Præſul dicat: a *Quibus placuit ex conſenſu, ab uſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere, abſit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; imo*

ſ Cornel. in 1. Cor. 7. v. 6. t Beyerlinck theat. lit. C. p. 129. v Faſti Mar. Sept. x 1. Cor. 7. v. 1.

y P. Boye de SS. Conjugatis 9. Febr. z Auguſt. lib. 2. de conſenſu Evang. c. 1. a Aug. Tom. 7. l. 1. de nuptiis, & concupiſc. ad Valerium, c. 11.

firmius erit, quò magis ea pacta ſecum inierint quæ charius, concordiiſque ſervanda ſunt, non voluptuariis corporum nexibus, ſed voluntariis affectibus animorum: neque enim fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Joseph: *Noli timere, accipere Mariam conjugem tuam. Conjux vocatur ex prima fide deſponſationis; nec perierat, nec mendax manſerat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commixtio. Cur ergo non conjuges maneant, qui ex conſenſu abſtinent, ſi manſerunt conjuges* Joseph & Maria? confirmat idipſum Doctor Angelicus, dicens: b *Forma matrimonii, conſiſtit in quadam indiviſibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum, indiviſibiliter alteri fidē ſervare tenetur:* c *& ſic dicendum eſt, quod omnino verum fuit matrimonium Virginis Matris Dei, & Joſeph; licet Maria ſimul cum eo virginitatis votum emiſerit.* Accedit magni Præſulis Mediolanenſis auctoritas, dicentis, & docentis: d *Mariam ſimul fuiſſe virginem, & nuptam; ut in ejus perſona, virginitas ſimul, & matrimonium honoraretur.* Cæterum, e conſueviſſe frequenter Chriſtianos conjuges ex mutuo conſenſu perpetuam ſervare caſtitatem, etiam de primis Eccleſiæ temporibus, docet Tertull. ad uxor. lib. 1. c. 6. de Reſurrect. c. 8. de Veland. virg. c. 13. eámque rem ſibi gratiſſimam, Deus multis editis miraculis comprobavit, ut docet Gregor. Turon. Ferrandus, diſquiſitio. reliquiaria, pag. 417 f. Sed ut rarum ſit, iſtiuſmodi virgineas nuptias, & caſta connubia reperire, ſunt tamen qui in honorem *Joſephi & Mariæ* ſanctioribus Quadrageſimæ diebus, quoque Sabbatho, Dominicis, Feſtíſque, quibus ad nuptias agni, ſacrámque menſam accedunt, & prolixius pietati vacant, ex mutuo conſenſu abſtinent, ut g *Brigittam, Hedwigem*, aliáſque ſanctas Matronas, feciſſe legimus; eámque continentiam conjugalem, jam olim Tertullianus, inter gratiſſima Deo ſacrificia numeravit: h *Hæc Deo grata beneficia: virginitas, viduitas, & modeſtia in occulto matrimonii diſſimulatio.* Quod conſilium Apoſtolus Corinthiis dedit, dum k *ad tempus ut vacent orationi*, continentiam ſuadet: ut pluribus inculcat Auguſtinus, dicens: l *Quicumque eſtis conjugibus alligati, nunc maximè Apoſtolica monita nolite contemnere, ut invicem abſtineatis ad tempus, ut vacetis orationibus. Quod enim aliis diebus utiliter fit, nimis verecundum eſt, ſi modò non fiat. Arbitror oneroſum non eſſe debere anniverſaria obſervatione ſolemnibus diebus hoc facere conjugatos, quod viduæ ex quadam vitæ parte profeſſæ ſunt; quod tota vita ſanctæ virgines ſuſceperunt.* Hanc continentiam ſanctus Ambroſius in Patriarcha Noë, liberíſq; ejus obſervavit, expendens illud Gen. 7. v. 13. *In articulo diei illius, ingreſſus eſt Noë, & Sem, & Cham, & Japhet, filii ejus; uxor illius, & tres uxores filiorum ejus cum eis in arcam;* ſeorſim nempe viri; & mulieres. At ubi egrediendum fuit: *Locutus eſt Deus ad Noë, dicens: egredere de arca, tu, & uxor; tua; filii tui, & uxores filiorum tuo-*

b S. Thom. 3. p. qu. 28. a. 2. c Ibid. a. 4. d Ambr. in Lucam. e Baronius Ann. Eccl. An. Chriſti 57. n. 14. f Vide Greg. Turon, de glor. conf. c. 32.

fg In vita 23. Iulii, & 15. Octob. h Tertull. lib. de reſurrect. carnis. k 1. Cor. 7. 5. l Aug. Serm. 72. de diverſis. Hæc ad ſolos conjugatos tantum tractanda.

rum tecum. Ubi ſic diſſerit ſuaviſſimus Doctor: m *Nunc quæramus*, inquit, *qua ratione, quamdiu ingrediebantur in Arcam, hic ordo fuit ingredientium, ut primò ipſe ingrederetur, & filii ejus: inde ejus uxor, & uxores filiorum ejus; quando autem exierunt, commutatum ſit. Nam ſcriptum eſt: exivit ipſe, & uxor ejus, & filii, & uxores filiorum ejus. Et litera quidem ſignificat in ingreſſu abſtinentiam generationis; in egreſſu generationis uſum: tunc enim pater cum filiis prius introivit, & filii cum parente; & poſtea uxor, & filiorum ejus uxores, id eſt, non commiſcetur ſexus in introitu, commiſcetur in egreſſu. Aperte igitur velut ordine ipſo ingreſſionis, vocem quandam juſtus emittit, tempus illud non eſſe concubitus, neque deliciarum, quo omnibus immineret interitus.* n *Unde in Euangelio Dominus ait, reprehendens quod temporibus Noë, manducarent & biberent, uxores ducerent, & filias nuptui traderent; & ideo propter intemperantiam ſuperveniſſe diluvium. Mœroris igitur illud tempus, non lætitiæ erat, & inde juſtus conſortio non delectabatur uxoris, nec filii ejus.* o Nunc compello vos, an non illud tempus mœroris, quo ad ſacramentum pœnitentię accedentes, luctui, lacrymis, & lamentis, non voluptati, non Veneri vacare debetis? Huic arcæ Fernandius domum, quam Joſeph cum Maria incoluit, non abſimilem declaravit: cùm arcam, inquit, iſtam Noë, in qua viſum eſt conjugium ſine cōcubitu, ſed caſtū & purum viri & uxoris contubernium, diſpicio, illius ſãctiſſimę domus recordor, in qua Dei Mater ſemper *Virgo Maria*, & vir ejus *ſanctiſſimus Joſephus* pariter habitabant. Utinam hanc arcam cujuſque veſtrum domus, & familia referret! ſacróſque hos conjuges, ſi non æquis, ſaltem longis paſſib9 vos ſectaremini *p*. Hac conjugali continentiâ docet Damaſcenus, Noëmum cum ſuis præſentiſſimo diſcrimini, & diluvii fluctibus, quo omnis caro abſumpta, ereptum: † *Noë cùm arcam ingredi juberetur, hujuſmodi juſſum accepit; ingredere tu, & filii tui, &c. quibus verbis eos ab uxoribus diſtraxit, ut caſtitatis adminiculo, pelagus, atque illud mundi naufragium effugerent.* Quid, quod Auguſt. ſerm. 244. de temp. aſſerat eos, qui ſe in die Dominico, vel qualibet alia ſolennitate continere noluerint, liberos, qui tunc concepti fuerint, aut leproſos, aut epilepticos, aut etiam fortè dæmoniacos naſcituros?

Alterum eſt, in quo Chriſtiani conjuges, integerrimas has Joſephi & Mariæ nuptias condecorare queunt, *q* caſtitate conjugali, quam Apoſtolus inculcat, dicens: r *Honorabile conjugium in omnibus, & thorus immaculatus*. Et alibi: ſ *Sciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore.* Ubi verò 2. Cor. 11. dixit: *Deſpondi vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto*, Chryſoſtomus ad conjugum etiam caſtimoniam extendit, dum ait: t *Non ſolis dicebat virginibus, ſed ad diverſam Eccleſiæ plenitudinem loquebatur: anima quippe incorrupta, virgo eſt virginitate vera, atque mirabili.* Et Sanctus Franciſcus de Sales, ad illud Pauli: *Pacem* ama-

m Amb. lib. de Noe & arca. c. 21. n Vide Pererium in Gen. l. 13. diſp. 11. n. 95. o S. Jeron. in Zach. 12. In Gen. c. 6. ſect. 7.

p De aliis virg. conjug. vide Hieron. Epiſt. 45. ad Armin. Aug. Epiſt. ad Ruſtic. Paulin. Epiſt. 3. ad Appium. † Damaſc. l. 4. orthod. fidei. c. 25. q Caſtitas conjugalis. r Hebr. 13. ſ 1. Theſſal. 4. t Chryſoſt. ad Hebr. 11. hom. 28.

amate & ſanctimoniam, ſine qua nullus Deum videbit, inquit: v caſtitas intelligitur, teſte Chryſoſtomo, & Hieronymo. Ergo ſi ſolus caſtus Deum videbit, conjugati caſti eſſe debent, & poſſunt: potiſſimum circa alienas & oculos, & animos, abſque omni concupiſcentiâ, immaculatos ſervando, in quo gravior quandoque illis lucta, quàm voto caſtitatis Deo obſtrictis, ut graviſſimus Doctor Hipponenſis teſtatur: x *Multi quidem faciliùs ſe abſtinent, ut non utantur nuptiis, quàm ut temperanter, & bene utantur; ego verò faciliùs non utor nuptiis, quibus uſus eſt Abraham, quam ut ſic utar nuptiis, quemadmodum uſus eſt Abraham*; y quod ipſum ſimilitudine Sales confirmat, dicens: facilius eſſe ruſtico carere divitiis, quam iis inopinato repertis, aut oblatis, moderatè uti. Quò fit, ut idem ſanctiſſimus præſul per viſionem quandam conjugatos plures æternis ignibus addictos, compertum ſſeveret. Chryſoſtomus verò contra Monaſticæ vitæ vituperatores l. 3, poſita quæſtione: ſitne pronior lapſus inter conjuges, quam inter cælibes? his verbis reſpondet: *Longè plures videas lapſos ex conjugatorum, quàm Monachorum ordine: neque enim tam multi ex monaſteriis ad matrimonia accedunt, quam ex coniugali thoro ad ſcorta*, adulteria, aliáque carnis deſideria, & flagitia *ſe recipiunt*. Fateor quidem honeſtiores maritos, Berſabæas, Putipharis uxorem, ac nefandam adulterii enormitatem execrari; animo tamen mœchari, & mente ſcelus concipere non erubeſcunt, cùm ſummus ille legislator Chriſtus hoc præceptum omnino ſacroſanctum eſſe voluerit: z *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, ubi ſola cogitatione, ac deſiderio hominem mœchari Magnus Gregorius obſervat: a *Per Moyſen*, inquit, *luxuria perpetrata; per auctorem verò munditiæ, luxuria cogitata damnatur*. Ab his itaque pravis deſideriis, & concupiſcentiis, vos immaculatos ſervare neceſſe eſt.

Denique b honeſtas in verbis, in moribus, in omni congreſſu ſpectanda eſt; nec exiſtiment conjugati minus ſe peccare, dum in conviviis, conſortiis, & potiſſimum in nuptiis, laſcivos ſermones, ſpurca, cujuſmodi in fornice, aut proſtibulo, liberiùs eructant colloquia, quibus animi & corpora emolliuntur, & faces libidinis, quibus velut equus & mulus alienis adhinniant, ſubduntur. Guilielmus Peraldus Lugdunenſis Epiſcopus hæc verba, *ſputa diaboli*, ſpumam cerebri, rectè vocitavit, qua candidiſſimas mentes, vel afflatu ſuo inficiant, & interficiant. Qua ſuper re acerrimè Doctor mellifluus excurrit: c *Unus eſt qui loquitur, & unum tantum verbum profert; & tamen illud unum verbum, uno in momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit*. In parthenone caſtarum virginum, in cœtu honeſtarum matronarum, unus eſt, qui loquitur & unum verbum (obſcœnum) profert; & ilico, velut ſcintillæ in arundineto, teneras mentes inflammat. Rectè Apoſtolus: d *Lingua igni*

v Sales prax. ſpirit. part. 3. c. 12. x Aug. lib. 6. de bono conjug. y Sales cit.

z Matth. 5. a Greg. l. 21. mor. c. 2. b Honeſtas conjugalis. c Bern. ſerm. 24 in cant. d Iacob. 3. v. 6.

eſt inflammata à gehenna. In eundem ſenſum Bernardus : e *Talis flamma ab inferis eſt, nam flamma quæ de ſurſum, pudica eſt.* Quæ omnia veriſſima teſtatur, S. Antiochus : *Quiſquis laſciva inter viventes in carne profert verba, is ſcintillas projicit libidinis,* quę in luculentum prorumpunt incendium. *unus eſt, qui loquitur*, & innocentes animas, ſerenas, & tranquillas ita perturbat, ut per omnem vitam graviſſimè inquietentur, ac divexentur, non ſecus ac ſcrupo, aut lapillo in aquam, aliàs tranquillam injecto, illico conturbatur, & in mille mæandros ſeſe inquietè diffundit. Nec raro fit, ut candidæ prius, pudicæ ac verecundæ virgunculæ, quæ animum Chriſto Sponſo, & religioni dicare inſtituerant, in omnem laſciviam impudenter proruperint. Utinam non ſæpius experientia comprobatum illud Pauli : f *Corrumpunt mores bonos, colloquia prava*, maximè laſciva, quæ in curribus, in navibus, conviviis, & potiſſimum in nuptiis, & puerperiis à procacibus mulierculis effutiuntur. Myſterio non caret, quod Geneſi cap. 2. dicitur : g *Ædificavit Dominus Deus coſtam in mulierem*, ut & viro, & domeſticis, ac externis, verborum honeſtate, morum maturitate, ædificationi eſſe ſtuderet : *bene*, inquit Ambroſius, h *ædificaſſe dicitur, ubi de mulieris creatione loquebatur.* Quare rogo vos, ut attentiori mente expendatis, qualia, quàm caſta, quàm divina Joſeph & Maria miſcuerint colloquia, & illud Ambroſianum audiatis : i *ſit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitáque Beatæ* MARIÆ; *de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis, verbis gravis, verecunda ſermone.* Hoc exemplari S. Ludovicus in aula ſua nullum laſcivum verbum tolerabat. Quid mirum, Joſephum virginem fuiſſe per Mariam? quod præclarè D. Hieronymus contra Elvidium deprædicat : k *Tu dicis,* MARIAM *Virginem non permanſiſſe : Ego mihi plus vindico, etiam ipſum* JOSEPH VIRGINEM FUISSE PER MARIAM, per ejus caſtos ſermones, virgineos oculos, & puriſſimos mores. Et quoniam l *tardius irritant animos dimiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus*, longè gravius peccant conjugati, m qui in aliorum conſpectu, liberorum, ſervorum, ancillarum licentiùs agunt. Hinc illud Hieronymi ad Lætam de inſtitutione filiæ : n *Te habeat magiſtram; te rudis miretur infantia. Nihil in te, & in patre ſuo videat, quod ſi fecerit, peccet. Mementote vos parentes virginis, magis eam exemplis doceri poſſe quàm voce. Citò flores pereunt : cito violas, & lilium, & crocum peſtilens aura corrumpit.*

Cato quantumvis gentilis, o ſenatu movit Manilium, quod filiâ inſpectante uxorem fuerat oſculatus. p *Honorabile cōjugium in omnibus.* Maximilianus I. Imperator adeò ſanctè hoc præceptum Apoſtoli ſervavit, ut cubitum iturus nūquam cubicularium admiſerit,

e Bern. cit. f 1. Cor. 15. g Gen. 2. v. 22. h Amb. lib. de paradiſo c. 2.

i Ambroſ. lib. 2. de virgin. k Hieron. lib. contra Elvid l Horat. de arte. m Cælius lib. 28. cap. 21. n Hieron. ep. 7. ad Lætam. o Plut. conviv. præcept. p Ad Hebr. 13.

à nullo, ne domeſtico, vel pes nudus viſus ſit; imò cavit, ne mortuum caligis & femoralibus induerent, tanta ei pudoris cura. *q* Quis hic ſatis rei indignitatem, & proſtitutam nequitiam eorum exaggeret, qui in eodem cubili, non ſine immani peccato ſcandali, ancillas, aut pediſſequas, eodem ſtrato, quo liberos ſeptennes, octennes admittant? Expedit mola aſinaria, ejuſmodi mitti in profundum maris, qui unum è puſillis iſtis ſcandalizaverit; nimis execrandæ & deteſtandæ in hac parte animarum ruinæ, quas ſerò parentes, minus aliquando circumſpecti, liberorum ſuorum infami laſcivia, familiæ nota, horrenda tragœdia experti ſunt. Cúmque ad conjugatos mihi ſermo ſit, tam enorme hoc crimen eſt, ut meritò omnium veſtrûm aures eo audito tinniant, cùm omnem diaboli ſuperet nequitiam, ut alibi *r* fuſiùs dictum eſt. Hactenus eximiam in utroq; Joſepho, vitæ, morúmque caſtimoniam, vobis ſpectandam propoſui; nunc præclariſſima variarum virtutum ornamenta, qualia tantæ virginis ſponſum decebant, & in veſte *ſ* polymita præfigurata fuêre; quodque in iis verè FILIUS *t* ACCRESCENS JOSEPH augmentum fecerit, aliáſq; prærogativas, ſi recenſere voluero, in immenſum excrevero. Quare inſtituti mei memor, illud duntaxat adnexuero, quàm in omni vita, per proſpera & adverſa, & alternantes vices, Virginis Sponſus, priſco illi Joſepho per omnia aſſimilatus ſit.

q Lipſ. in polit. r Lux Evangelica part. 1. dom. 6. poſt Paſcha. ſ Gen. 49. v. 22. t Quomodo filius accreſcens. V. Novarini Vmbram virg. l. 4. c. 115. n. 1069. Et Lux Ev. part. 1. dom. infra Oct. Nativ.

§. IV.

Quemadmodum vitam Joſephi Patriarchæ, ita & JOSEPHI *ſponſi Virginis,* DEUS PER ADVERSA ET PROSPERA, ADMIRABILI VARIETATE CONTEXUIT. *Chryſoſt. hom. 8. in Matth.*

SI ulla unquam ab eruditis ſcriptoribus, ad animos hominum capiendos, exarata hiſtoria: aut à diſertis Oratoribus ad pathos, & affectus animorum concitandos, narratio adornata: aut à priſcis Poëtis, ingenioſis quamtumvis figmentis, ad oblectationem tragicomœdia excogitata ſit; hui[c] uni, quam ſacræ paginæ de Joſepho, veteris legis Patriarcha nobis referunt, infinitis paraſangis & rerum varietate, auctoris fide ac veritate, longè præſtantiſſima concedat, neceſſe eſt: tam vari[a] etenim in ea eventus, tam miri[;] adverſi, proſperi: triſtes, læti: felices, tragici: optati, inſperati, u[t] nulla non dico ſimilis enarrari ſed nec fingi, aut excogitari que[at]. In nemine unquam ſic luſi[t] mirabilis fortuna, aut potius amabilis Dei providentia, tantâ alternantium rerum viciſſitudine, & varia affectuum cataſtrophe ut Benedictus Fernandus de ſ[e] ipſe teſtetur, *v* numquam ſicci[s] oculis hanc Joſephi hiſtoriam (quam eruditè commentatus eſt) legiſſe; ſed ubertim ſibi lacryma[s] prorupiſſe. Rei ſeriem brevi pe[ri]-

v Fernand. in Gen.

rioch[a]

riocha attendite: Joſeph parentis ſenis delicium, qui eum x *diligebat ſuper omnes filios*, veſte polymita condecoratur: fratrum invidia Madianitis venditur: in ædes Putiphari, viri principis aſſumitur: è ſervo, rerum omnium Dominus conſtituitur: y *Igitur* JOSEPH *ductus eſt in Ægyptum, emítque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, princeps exercitus ſui. Invenítque* JOSEPH *gratiam coram Domino ſuo, à quo præpoſitus omnibus, gubernabat creditam ſibi domum, & univerſa, quæ ei tradita fuerant.* Aſt ut non ſemper ſerenum eſt, ſed poſt Phœbum nubila, ita & poſt hanc malaciam, grandis tempeſtas ingruit: Erat Ioſeph eleganti forma; hæc Dominam ad impudicos amores adeò potenter inflammavit, ut ſui impos, omnem pudorem exuta, caſtiſſimum juvenem ad infame flagitium, blanditiis, minis, incitare non ceſſaret: pallio relicto aufugit; unde nequam mulier ſuper caput colubri, tentatæ pudicitiæ argumentum aſſumpſit: Putiphar homo militaris, regii exercitus princeps, uxoriis calumniis nimis credulus, in Hebræum ſervum flagellis, ut auctores ferunt, deſæviit, & in carcerem compegit; quod non in crucem illico egerit, Altiſſimus obſtitit, z *qui benedictum juſtum non dereliquit; donec afferret illi ſceptrum regni, & potentiam adverſus eos, qui eum deprimebant.* Ita rurſus *poſt nubila Phœbus.* Quam ab uno extremo, ad aliud viciſſitudinem, divino oraculo Pſaltes declaravit: a *In ſervum venundatus eſt* JOSEPH, *ferrum pertranſiit animam ejus*; ubi Theodoretus: *Poſt adulterii calumniam, ferrea vincula ipſi injecerant.* Symmachus ſic dixit: *In ferrum venit anima* ejus, id eſt, b ad cædem uſque periclitatus, ut exponit Corderius. Poſt hæc *Conſtituit eũ Pharao dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.* Quæ expendens Abbas Rupertus, ad ſolatium eorum, qui cum Joſepho cum adverſis conflictantur, hoc illos meminiſſe jubet, quod habet fortuna recurſum, dum ſic de Joſepho è carcere, ad ſolium evocato, diſſerit: c *Pro compedibus, in quibus humiliaverunt pedes ejus, torquem auream* JOSEPH *ſuſcepit: pro pallio, quo in manu adulteræ relicto nudus aufugit, ſtola byſſina indutus eſt: pro ſervili nomine, regium geſtat annulum: & pro carceris humilitate, ſuper altum ſedet imperii currum.* Quæ omnia, tam diſſita, tam diverſa, tam pugnantia, ubi doctiſſimus interpres Pererius, inter ſe contulit, d hiſtoria, inquit, Joſephi, à Moſe variorum caſuum narratione, multijugis virtutis ejus expoſitione, ac inſperatorum in utramque partem eventorum commemoratione, an jucundior lectori, an mirabilior ſit, incertum eſt: magnis utriuſque fortunæ caſibus memorabilis, & humana & divina ſapientia in omni ævo memorabilis. Conſimilem variorum caſuum narrationem, & inſperatorum eventuum in utramque partem commemorationem non minus mirabilem, ac memorabilem, Antiochenus Antiſtes Chryſoſtomus, in S. Joſepho, Virginis Sponſo obſervavit; dum ſic aureo ſuo dicendi flumine diſcurrit, hom. 8. in Matth. de Jo-

x Gen. 37. v. 3. y Gen. 39. z Sap. 10. a Pſal. 104.

b Corderius hic. c Rupert. l. 8. c. 40. in Gen. d Pererius in præf. ad c. 37. Gen.

ſeph profugo, cum puero Jeſu & Maria in Ægyptum: e *Miſericors Deus mœſtis rebus, quædam etiam jucunda permiſcuit. Quod certè in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque jucunditates ſinit habere continuas; ſed* TUM DE ADVERSIS, TUM EX PROSPERIS JUSTORUM VITAM, QUASI ADMIRABILI VARIETATE CONTEXIT. *Quod hic quoque eum feciſſe conſidera. Videndo quippe Sanctus* JOSEPH *gravidam ſponſam, in conturbationem incidit maximam; ſed adfuit repente Angelus, timorem prorſus extinguens. Deinde videns puerum natum, maxima exultatione repletus eſt. Sed rurſus huic etiam gaudio periculum grande ſucceſſit, cum tota utique civitas turbaretur, ipſe Rex fureret, & ad necem puerum quæreret. Sed & hunc mœrorem alia rurſus lætitia ſubſecuta eſt, apparitio videlicet ſtellæ, & adoratio Magorum. Poſt hanc quoque jucunditatem, iterum periculum, iterum formido: Quærit, inquit, Herodes animam pueri, & fugere neceſſe eſt, & in longinqua tranſire;* hîc idola corruêre, altiſſimæ pinus, & platani flexo vertice Dominum ſuum veneratæ ſunt, quo ſitu etiamnum eas videre eſt. f Rurſus luctus & lacrymæ, dum Jeſus duodennis in templo perditus; unde illæ Matris amariſſimæ querelæ: EGO ET PATER TUUS DOLENTES QUÆREBAMUS TE; *ſed non ſemper imbres*, hanc doloris nubem, parvuli reperti facies mox ſerenavit, & *hunc mœrorem alia rurſus lætitia ſubſecuta eſt* Ita omnis ſanctiſſimi Joſephi vita *tum de adverſis, tum ex proſperis, admirabili varietate contexitur*: nunc in ſudore vultus ſui Jeſum in officina, velut filium fabri laborantem, nunc ſtipem mendicantem, algentem, eſurientem, non ſine amariſſimo ſenſu contuetur: nunc cœleſti fulgore radiantem, ſuaviſſimè ſuper omnes delicias humanas complectitur. Ita omnis vita humana contexitur: amat *alterna* Deus, & natura. Dies & nox: æſtas & hyems: calor & frigus: tranquillitas, & tempeſtas: ſaturitas, & fames: pax, & bellum: adverſa, & proſpera ſibi ſuccedunt, & in hac ſtabili varietate perſtant humana omnia; ſine qua, nec placitura. Quin & æterna Dei Sapientia g *ludens in orbe terrarum* in hac rerum alternantium viciſſitudine, mirabiliter ſibi complacere videtur. Quod cernere eſt in hiſtoria, quæ non minus varios, & mutabiles caſus, quàm illa Joſephi habuiſſe narratur. Gothefridus Viterbienſis, Conradi III. & Frederici I. Imperatorum Notarius, ſcripſit *Chronicon univerſale* omnium tum Eccleſiaſticorum, tum temporalium Principum res geſtas complectens h, quod Urbano VIII. Pontifici Summo dedicavit, unde non exigua ei authoritas accedit. Hic ergo Gothefridus, aliíque Scriptores tradunt, Conradum II. Rom. Imperatorem prudentia, virtutibus, ac victoriis clarum exſtitiſſe; ſed ut nulla in rebus humanis diu cuipiam arriſit fortuna:

Olli cœruleus, ſupra caput adſtitit imber.

e Chryſ hom. 8. in Matth. f Petra S. Thaumaliæ.

g Proverbior. 8. v. 31. h Bellarminus lib. de ſcriptor. Eccleſ. Anno 1186.

i Comes ergo quidam Lupoldus nomine, rebus aliquamdiu pacatis, cœpit conſilia turbulenta agitare; quæ ubi vidit emanâſſe, mortem certam ab Imperatore metuens, fuga ſibi cenſuit conſulendum. Igitur ad feras, in remotam ab omni humano conſortio ſylvam Hercyniam, non procul à caſtro ſuo Calva, ſe recepit. Ibi in tuguriolo, quod tumultuario opere excitârat, aut, ut alii volunt, in molendino vacuo, cum uxore, ſolus latitavit, iram Numinis pariter placans, & devitans Imperatoris. Hic in aula occiſiſſimus, in ſylva, Deo protegente, tutiſſimus. Sed ut Jeremias ait: k *Exſpectavimus pacem & tempus curationis, &* ECCE TURBATIO. Texerat jam aliquanto tempore Lupoldum latebra ſua ſatis; at quid ſemper tectum manet? delectabatur Imperator venatione, quæ eum in intima non raro nemora pertraxit. Aliquando igitur feras ardentiùs inſecutus, diſperſis aliò, atq; aliò ſociis, viam, & ſe amiſit. Itaq;, quà licuit, exitum quęſivit. Tandem per denſas arbores, ſub noctis initium, ad eam ipſam caſam delatus eſt, in qua Lupoldus præſidium ſuum credidit eſſe conſtitutum. Pallor, & macies, & inculta vita, eum vultu, barbâ, & capillitio, in ferinum hominem commutârat, ſicque incognitus ipſe, probe cognitum hoſpitio excepit Imperatorem, atque ei, quæ ſolitudo ruris conceſſit, ruris, & agelli ſolatia miniſtravit. Quos hîc animorum æſtus Lupoldo, quos conjugi ejus subortos fuiſſe exiſtimatis? in ambiguo utique conſilio anxiè deliberârunt, occultíne Cæſarem, atq; incogniti dimittere, an ſe prodere, & delicti veniam petere deberent? miſerum erat in ſolitudine habitare; veniam rogare periculoſum, latere tutius arbitrabantur. Dum ſic fluctuatur, inſolens è cœlo prodigium auditur. Ea ipſa nocte, qua Cæſar apud illos divertit, uxor Comitis viro ſuo prolem maſculam peperit. Qua genitâ, pariter vox pueri vagientis, & altera de cœlo ad aures Imperatoris accidit, his verbis: *O Imperator! infans iſte erit tibi gener, & hæres* Ac ne irrita eſſet, eadem vox tertiò repetita eſt, *& ecce*, ſub ipſam quietem, *l* TURBATIO; indomitas hæc verba in animo Imperatoris curas excitârunt: egóne filiam meam ruſtico dem in matrimonium? opes meę, & bona mea ad hunc terrę filium tranſibunt? non tranſibunt. Igitur quod fratribus Joſephi invidia, ne ſuper ſe regnaret; quod Herodi olim furor ſuggeſſit, ut JESUM filium Joſeph, Regem Judæorum, è medio tolleret, id etiam ſuggeſſit Conrado invidia. Hinc ſomno omni ſublato, prima luce inde ſe proripiens, famulos, comitéſq; ſuos quæſivit, nec ſegnius illi Imperatorem. Ut citius ſe reperirent, canum latratus indicium fuit. Quam primum in ſuos incidit, duobus ſeverè mandavit, ut mapale, non ita procul diſſitum quærerent, in quo ipſe pernoctavit, & natum præ-

i Gothefrid. Viterb. Chron part. 17. E. Luiſius Contarinus in diverſis exemplis virtut. & vitiorum, pag. 166. & Giovani Villani. rel. 4. Martinus Cruſius in Annalib. Sueviæ, lib. 6. part. 2. Lupoldi comitis, & filii ejus Henrici per varios caſus fortuna. k Ieremiæ 14. ℣. 19.

l Ierem. cit.

præterita nocte puerum trucidarent, ac cor exſectum, argumento cædis peractæ, ad ſe deferrent. Percuſſores triſte miniſterium executuri, irruunt in Comitis tugurium, & poſt gaudium, quia natus eſt homo in mundum, *ecce turbatio*; veniunt enim, qui quærant animam pueri: hic luctus, ejulatus, & ploratus magnus, ſolus infans in hac doloris nube, ſerenus eſt, qui ab uberibus, & oſculis Matris abreptus, renidenti ac ridenti facie, & ſpecie ſuper mortale quid ſpirans, ubi ſtrictum acinacem vidit, omni Tullio diſertior peroravit, & carnifices ita emolliit, ut ferrum vaginæ recluſerint, & puerum avibus vorandum inter arboris ramos, in nido collocârint. Ne verò Domini ſui mandato defuiſſe arguerentur, duos quos ſecum canes venaticos ligatos trahebant, ſolvunt, &

Ecce lepus juvenum per crura cucurrit,

qui ſe capiendum, & ſatelliti velut ſuccidaneam hoſtiam objecit. *m* Cor exſectum lepori, tepidúmque referunt Imperatori, à quo de fidelitate laudati, præmium ſimulatæ crudelitatis retulêre. Grata, & inopinata hic iterum cataſtrophe: infans expoſitus, & fame periturus, ploratu alios excivit: Dux quippe in Aula clariſſimus (Erneſtum Ducem Alemanniæ vocat Cruſius) eodem loco errans, imò velut Angelus ad Agar, à Deo miſſus, expoſiti infantis audivit ejulatum. Verſo igitur equo, vocem ſequitur, puerum velut novum Oedipum invenit, & miſeratione motus, nemine conſcio, domum portat. Erat illi uxor ſterilis, quæ formâ pueri capta, eum ſibi quaſi cœlo delapſum, cenſet adoptandum. Conſilium non minus congruum è re nata marito incidit: quid ſi, inquit, ex te natum fingas, prolémque tuam, ac meam eſſe affirmes? placet fœminæ conſilium, & ubi fortè ad tempus, ſe uterum geſtare probè ſimulaſſet, jubet intempeſta nocte, domeſticis omnibus ingenti gaudio nuntiare, ſe prolem maſculam enixam eſſe. Ea fama vagatur, & creditur ubique ſpecioſum mendacium: nec minus verſutè maritus patrem, quam uxor puerperam ſimulavit. Ubique plauſus, ſalutatio, & gratulatio: nomen illi inditur Henricus. Qui etſi non eſſet verus Ducis filius; veris tamen utrumque gaudiis implevit; ad cujus cumulum acceſſit, quod annis procedentibus, virtute, ſcientiis, ac cumprimis arte militari mirificè excelleret, & magnos animos, & auſus ſpiraret. Hiſce tam ſecundis ſucceſſibus ſtygius canis intercurrit. Quintūdecimū jam annum agebat Henricus, cum poſita prætexta, ad paludamentum, atque militiam aptabatur. Sub id tempus accidit, ut Ducem Erneſtum Conradus Imperator conveniret, ubi Henricus, ut par erat, inter primos adſtitit, qui ei miniſtrabant: quem attentius contemplatus, cœpit ſecum ætatis florem, juvenis formam, mores, quáque eſſet origine natus, animo revolvere; inde ex Duce ſolicitè ſciſcitari, cujus parentis filius hic eſſet? Erneſto ſuum eſſe affirmante, ſubiit cogitatio, quo pacto tam annoſæ ſterilitatis mater, hunc filiū, poſt tot matrimonii luſtra, in lucem edidiſſet: ac malo genio ſcelerum arti-

m Gotheſ. cit.

artifice deterriora ſemper ſuggerente, alia ex aliis connectens, fictam, ac ſuppoſititiam prolem cenſuit; tandem ſuſpicatus eſt, hunc ipſum eſſe puerum, quem in ſylvâ occidi juſſiſſet, quíque ad Regnum, ac diadema, cœleſti voce, eſſet deſignatus. Metuens igitur ſceptro, etiam incertæ ſtatuit ſuſpicioni obſequendum, puerúmque ſecuritatis causâ è medio tollendum, cujuſcumque parentis eſſet. Ad hoc, conſilium cepit plenum aſtutiæ, & perfidiæ: laudat Duci filium, eúmque Achilli componit; laudatum petit à parente inter aulicos porrò educandum. Obtendit Dux Henrici ætatem, chariſſimum ſui ac matris delicium eſſe, unicam ſpem, ac ſtirpem familiæ ſuæ, & mille alia; ſed in caſſum omnia: omnia enim eliſit, aut eluſit Conradus. In ſumma, abducitur invito patre juvenis, in ſylva ſervatus, periturus in aula. Abductum ſeriò interrogat:

Quod genus, unde domo, qui te genuêre parentes?

Henricus, qui aliud neſciebat, id quod putabat ſe ſcire, reſpondit: *Ducem eſſe ſuum parentem, Duciſſam matrem, ab his ſe à teneris educatum, neque aliud ſibi conſtare.* O ſuſpicio, quam indomitum es malum! & quantorum fons malorum! qui Duci non habuit fidem, nec puero credidit, ſed furiis animum ſtimulantibus, æmulo exitiũ parat. Aberat tunc Aquiſgranum ſeptem dierum itinere ab Imperatore, eò ſua manu Cæſar exarat litteras, quibus Imperatrici mandat, ut ſuis acceptis, latorem harum illico interfici jubeat. Litteras has Uriæ, necis ſuæ bajulus, feſtivus, & feſtinus Henricus portat. Quæ, & quanta in uno homine alternantis fortunæ ludibria, aut potiùs divinæ providentiæ documenta ſalubria! hic ſiquidem juvenis, omnium malorum, inſidiarúmque prorſus ignarus, de via divertit ad quendam Sacerdotem (Spirenſem Decanum quidam vocant) cibum, & quietem capturus. Excipit, tractátque eum perhumaniter ſacerdos, qui hoſpite ſuo à via laſſo, & altum ſtertenti, ut advertit è pera faſciculum literarum eminere, curioſitate ductus, non ſine divini Numinis inſtinctu, eas reſignat, legítque funeſtum rheta, lectę attonito è manu ceciderunt. Ergóne tu juvenis (ſic ille ſecum) necis tuæ ipſe es bajulus? ergo tam inſignis indoles peribit? ergo tam præſtans Heros morietur? nequaquam morietur. Et cum dicto, quæ nocuiſſent, dexterè eraſit, eorúmque loco ſcitè repoſuit: *Cùm videris hunc juvenem, ô Regina, ſtatim dæ ei filiam noſtram in uxorem, ſicut diligis vitam tuam.* Has ſic emendatas, concinnè iterum clauſas, in juvenis ſaccum repoſuit dormientis. Orto die Henricus, gratiis hoſpiti actis, abitum parabat; cui hoſpes, & ipſe iter lætum precatus, obſequia obtulit, etiam atque etiam rogitans, ne ſui oblivisceretur, ſi Rex fieret. Excepit hoc dictum cum riſu Henricus, ac feſtinus Aquiſgranum properavit. Aquiſgrani Imperatrix lectam epiſtolam filiæ, unà cum juvene latore; dein etiam aulæ proceribus, denique & curiæ oſtendit. Reſpondent omnes, ipſam juvenis egregiam formam, epiſtolæ inſtar eſſe: verba, mores, geſtus, generoſæ mentis argumentum præ ſe ferre; & ſi hæc

 omnia

omnia deeſſent, tamen Cæſaris tam feriæ voluntati obſequendum. Fit extemplo ingens apparatus, & ante ſolis occaſum, extemporales nuptiæ, ingenti omnium gaudio celebrantur. Poſtera luce, alteræ à Cæſare adſunt litteræ quibus quærit, num ea, quæ præcedentibus mandârat, facta ſint? reſcripſit Imperatrix, difficile quidem ſibi accidiſſe tantis temporum anguſtiis nuptias filiæ cum Henrico adornare; mandantis tamen Imperatoris adeò ſeveræ auctoritati, & ſe, & omnes actutum parendum judicaviſſe: habere igitur & juvenem Sponſam Regiam, & filiam Sponſum Regio ſanguine dignum. Legit, & obſtupuit tam inexſpectato reſponſo Cæſar, atque illico ſe in viam dat, & citatis equis Aquiſgranum profectus, obviam habuit Imperatricem, ac filiam, quæ Sponſum, imò jam generum Imperatori, manu ductum præſentavit. Quis hîc alternantium affectuum motus in pectore Imperatoris pugnantes ſatis explicet? hinc ira, inde clementia: hinc furor, inde ratio: hinc effrenis vindicandi libido, inde ſuavis divinæ providentiæ diſpoſitio colluctabantur. Tremuit ad hunc perturbatum aſpectum juvenis, expalluit recens nupta, exſternata eſt ipſa Imperatrix, omnes ſeſe putabant interituros. Vicit tandem ratio, peroravit natura, prævaluit Deus. Serenato itaque vultu, Cæſar lætus jam, & omni irâ depulsâ Imperatrici, novíſque nuptis arridens, exclamavit: Verè Deus, n *tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi*? ſed nondum ſtatim finis: unum, inquit, me angit, & pacem habere non ſinit, incerta proſapiæ origo; ſi ſcivero generum me habere ſtirpis antiquæ, beatum me exiſtimabo. Adigitur Dux ipsâ eventus proſperitate, adiguntur duo ſatellites, ut quod rei eſt, fateantur. Exponunt, quæ egerunt, vocatur è ſylva Comes, qui cum ſe ad ſupplicium putaret citari, filium invenit Cæſaris generum factum; in loco ubi Comes delituit, monachis templum & domus exſtruitur, quæ Hirſangia appellatur, notiſſimum in Wirtenbergia etiamnum monaſterium. Paucis hîc mecum recolite alternas cum procellis vices. Comes Palatinus proſperitate extollitur: mox metu Cæſaris iterum deprimitur. Fugit in ſylvam, & latebris gaudet; ſed adventu Cæſaris conſternatur. Denuò lætatur ſe non agnoſci, & natum ſibi filium gratulatur; ſed intra paucas horas, quanto luctu eundem amittit? infans ipſe è ſinu matris ad lanienam abripitur; inde ſervatus, in Ducis filium adoptatur. Apud hunc cum maximè floret, in ſuſpicionem, & præſentiſſimum vitæ periculum venit. Currit ad necem; & invenit Cæſaris filiam in uxorem. Quanta hæc viciſſitudo, quámque varia Dei in rebus humanis ludentis providentia! quæ ut fide divina, & ſacris paginis conteſtata ſint, manifeſtò declarabo, quòd o *hæc in Sanctis omnibus Deus facit, quos neque tribulationes, neque jucunditates ſinit habere continuas*. Harum teſtis, & arbiter ſententiarum Huſſæus Vates, de quo Divus Leo, Pontifex Maximus: p *Beatus Iob alter-*

n Pſalm. 75. v. 8.

o Chryſoſt. hom. 8. in Matth. p S. Leo Serm. 9. de Quadrag.

nan-

nantibus bonis, ac malis mundi hujus eruditus eſt? nunc bona, nunc mala de manu Domini accipiebat: nunc omnia in familia ejus proſpera, nunc omnia adverſa eveniebant: nunc dies placidi, & ſereni; nunc turbidi & tempeſtuoſi. Unde myſterio non caret, Deum in nimbo, & tempeſtate, Jobo apparuiſſe, & locutum fuiſſe: q *Reſpondens autem Dominus Iob de turbine, dixit &c.* Sive juxta textum Græcum: *Dixit Dominus Iob per procellam, & nubes.* Cur obſecro per procellas, & nubes loquitur Amator lucis, qui in ſplendoribus Sanctorum Lucifero ſplendidior lucem habitat inacceſſibilem? fortaſſe per nubila, quia *poſt nubila Phœbus:* per procellas, & tempeſtates, quia citò exorta procella, paulò pòſt ...eris adfert ſerenitatem. Sic ſcribit Methodus in catena Græca: r *Ut Iobi res à tempeſtate ad ſerenam tranquillitatem oſtenderet demigrâſſe.* Tempeſtas ingens repente in eum incubuit: ſ *Irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia. &c.* Mox alius turbo deſæviit *filiis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repente ventus vehemens irruit, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos, & mortui ſunt.* Ad hæc, t *percuſſit (Satan) Iob ulcere peſſimo, à planta pedis, uſque ad verticem;* amaris uxoris accedentibus ſannis. Et poſt hæc omnia, v *Iobi res à tempeſtate ad ſerenam tranquillitatem immigrârunt*, ut ex ſequentibus patet: x *Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob, duplicia. Dominus autem benedixit noviſſimis Iob magis, quàm principio, & facta ſunt ei quatuordecim millia ovium, & ſex millia camelorum, & mille juga boum, & fuerunt ei ſeptem filii, & tres filiæ.* Quanta, & quàm divina hæc Metamorphoſis; ut ſapienter ille, y *ſtulti ſapiens imitator* riſerit, quoties auram pluviam ſpectaret, præſagiens, mox ſerenam fore: z *ſic certè in omnibus ſanctis facit Deus, quos* NEQUE TRIBULATIONES, NEQUE JUCUNDITATES, SINIT HABERE CONTINUAS; *ſed tum de adverſis, tum de proſperis juſtorum vitam, quaſi admirabili varietate contexit.* Quàm proſperi, quàm felices Davidis ſucceſſus? a ex opilione in Regem, à Samuele ex caula in aulam evocatur: inungitur, & mox non ad palatium, ſed ad vile mapale, & oves paſcendas redeundum fuit; ut ſacri Regum annales teſtantur. Saul enim à malo genio vexatus, mandavit Iſai: b *Mitte ad me David Filium tuum, qui eſt in paſcuis: & dilexit eum* (Rex) *nimis, & factus eſt armiger ejus.* David inter aulæ principes adſciſcitur, & *invenit gratiam* in oculis Saulis; ſed ô fallax, & inſtabilis Regum gratia; nam eum modò vocabat filium, modò ut hoſtem capitaliſſimum inſectabatur. Rurſus itaque c *reverſus eſt David à Saul, ut paſceret gregem patris ſui in Bethlehem.* Non multò pòſt, cùm audiſſet univerſum agmen Hebræum, à gigante Philiſthæo provocari ad pugnam, nec unum aliquem ex omni numero reperiri, qui ſolus audeat in duellum cum Goliatho congredi, animoſiſſimè ad hoc certaminis

q Iob. c. 38. r Method. in catena. ſ Iob c. 1. v. 15. t Iob c. 2. v. 7. v Meth. cit. x Iob. c. 42.

y Ovid. z Chryſ. cit. a 1. Reg. 16. b 1. Reg. 16. v. 20. c 1. Reg. 17. v. 15.

ſeſe obtulit, licet à germano fratre acriter objurgatus. Quin & ſciſcitari cœpit, quid præmii eſſet laturus, qui Philiſthæum ſterneret? ſermo omnium erat: d *Virum, qui percuſſerit eum, ditabit Rex divitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei, & domum patris ejus faciet abſque tributo in Iſrael* Hîc David ingenti animo accenſus, carneam illam molem ſternit, obtruncat, & glorioſiſſima, quam orbis ſpectavit, victoria triumphat Et ſi Joſepho, hiſtorico Græco credimus, e Philiſthæorũ tringinta millia occiſi, ſexaginta millia vulnerati ſunt: nam eos Hebræi uſque in Geth, & Accaron fugârunt; inde reverſi caſtra ſpoliârunt. verum hanc tam ſplendidam Davidis gloriam, neſcio, quæ invidiæ nubes obſcuravit, aut adverſitatis turbo involvit: pugna enim finita, cùm de ampliſſima mercede cogitandum eſſet, quaſi hominem non nôſſet, ex Abner duce ſuo quærit: f *De quâ ſtirpe deſcendit hic adoleſcens? Interroga, cujus filius ſit iſte puer.* Vix annus eſt, cùm David Saulis armigerum egit, ſuúmque Dominum, fidium cantu a dæmonis inſultu ſæpius liberavit, & quærit quis ſit iſte juvenis; Quin & ipſe David accerſitus, cum capite Goliathi, quod manu gerebat, ſe ſiſtens Regi, his verbis compellatur: g *De qua progenie es, ô adoloſcens?* Quàm hæc frigida, & inepta percunctatio, voto, & merito Davidis contraria, ubi fauſta, & feſtiva expectatur gratulatio? Rurſus verſa ſcena, prælium tam feliciter clauſum, triumphus ſequebatur, atque ex urbibus, undique obviam Davidi cum canticis, & choreis, prodiêre Virgines Hebrææ, epinicium illud concinentes: h *Percuſſit Saul mille, & David decem millia*; geſtire, exilire, triumphare ad has feſtivas voces jure poterat David; merum mel, & roſas ſparſerat triumphus ille; ſed brevi *verſa eſt in luctum cithara*, & repentinos fellis imbres effudi invidia, omnémque diei hilaritatem fœdavit: i *Nam iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculi ejus ſermo iſte, dixitque: dederun David decem millia, & mihi mill dederunt: quid ei ſuper eſt, niſi regnum; non rectis ergo oculis Sa aſpiciebat David à die illa, & deinceps*: jámque eò furoris, & amentiæ, malignus ſpiritus eum impulit, ut Saul lanceam ſuam vibrâ rit in caput innocentis, k *putan quod configere poſſet David cum pa riete*; ſed Deo protegente illæſu evaſit, & miſerum melior fortuna ſecuta eſt: omnium enim animos ſibi devinctos habebat: l *omnis Iſraël, & Iuda, diligebat Davi* ipſúmque Regis Generum ju merititiſſimo poſtulabant nec Re abnuit; ſed ſanguinariam ſtr pham adornat: ſpondet filia natu majorem in conjugem; ſ ea lege, quæ Davidi tumulum p thalamo ſtruat. Fœdus igitur n ptiarum ſtatuens, *ecce*, inqu m *Filia mea major Merob, ipſa dabo tibi uxorem, tantummodo e vir fortis, & præliare bella Domi* ut ſic eum traderet trucidandu inimicis ſuis: *Saul autem repu bat, dicens: non ſit manus mea eum; ſed ſit ſuper eum manus Phi ſthinorum.* Poſt hæc omnia, ſpes

d 1. Reg. 17. v. 25 e Ioſeph. lib. 9. antiq. c. 11. f 1. Reg. 17. v. 55. & 56. g Ibid. v. 58.

h 1. Reg. 18. v. 8. i V. 8. & 9. k V. l V. 16. m V. 17.

res Davidis nova fraude illuſæ ſunt. Negata perfidè adultiore filia, natu minorem Michol promittit conjugem; ea tamen conditione, ut prius centum Philiſthęos occidat, quàm Hymenæum canat. Non minus crudeli aſtu has nuptias pollicitus Saul: n *Dabo eam illi*, ait, *ut fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſthinorum*; ſed nec ille ſanguinarius dolus ſucceſſit, nam trucidatis ducentis Philiſthæis, o *dedit Saul ei Michol filiam ſuam uxorem.* Quis non beatum hac regia conjuge Davidem duxerit, quis non duxerit etiam per tot pericula non p *parum videri Generum eſſe Regis?* nuptiarum tragœdia, Saulis technæ, & inſidiæ, tandem in apertum odium erupêre: q *Locutus eſt Saul ad Ionatham filium ſuum, & ad omnes ſervos ſuos, ut occiderent David*, cujus unica, relicta nova nupta, & regiis deliciis, in fuga eſt ſalus. Qui volet cæteram Davidis vitam noſſe; Moſe cœleſti ſcriba, hiſtoriam perlegat, illudq; veriſſimum deprehendet; r TUM DE PROSPERIS, TUM EX ADVERSIS VITAM QUASI ADMIRABILI VARIETATE CONTEXTAM. Quod certè in Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, Moyſe, Daniele; potiſſimum verò in Joſepho *& in omnibus Sanctis facit Deus, quos neque tribulationes, neq; jucunditates ſinit habere continuas.* Hujus veritatis teſtes etiam in lege nova innumeros afferre poſſem; ſed unus *Euſtachius* inſtar omnium ſit: ſ hic olim *Placidus* dictus, in aula Trajani, exercitus ductor, dum feras venatur, Chriſtum inter Cervi cornua conſpicuum habet, domúmque nobile venationis ſpolium, *Fidem* portat. Ab eo tempore etiam Chriſtiani Jobum ſuum habuerunt. Opes, & familia everſa, exul, profugus, & incerti Laris, conjugem ſibi ab impuro nauta ſub oculis avehi, mox ipſos oculos, filios geminos, hunc à leone, alterum à lupo rapi videt. Jam ille militum nuper, ductor pecorum fit, dictator claſſicum bubus canit, dux oves præit, baculo in lupos pugnat. Sed agnitus demum, ab aratro ad aulam abducitur. Et vide mihi ſis, fortunæ ludum. Merent ſub illo Agapius & Theopiſtus filii, quos dentibus ferarum, opiliones olim excuſſerant. Hi dum alter alteri fortunam ſuam narrant, & repente fratres ſe mutuò ſalutant, audit hæc è vicino mater (cujus pudicitiæ Deus conſuluit, impio nauta extincto) & utrumque ad Ducem rapit, petítque filios ſibi vindicet. Hîc inſperatò Euſtachius pro ſe pronuntiat, agnitóſque, & uxorem, & filios ſibi addicit. Sic læta triſtibus miſcentur. Nec hîc finis: victor deinde Romam ingreſſus, ipſos in triumphum ducit Deos, quibus dum ſacrificare renuit, tauro Phalaridis cum ſuis includitur, in quo mugire illum alii credebant; ſed ille fortunam ridebat. Hunc ludum alternantis fortunæ, læta triſtibus, adverſis proſpera, amara dulcibus miſcendo, non in juſtis duntaxat, ſed &,

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Hâc *admirabili varietate* vita nobilium, militum, mercatorum, conjugatorum, Religioſorum, omniúmque mortalium *contexitur*,

n V. 21. o V. 27. p V. 23. q 1. Reg. 19. v. 1. r Chryſoſt. cit. ſ Surius 20. Sept.

tur. Quot nobiles familiæ & illuſtres domus, è mapali, & è raſtris, quaſi ad aſtra aſſurrexêre? Quot Conſules à ſtiva, & aratro, ad gubernacula reipublicæ, ad Imperatorum faſtigia conſcendêre. Quot rurſus variis caſibus jactati, de gradu dejecti? quot primæ notæ Dynaſtæ, aut per plebeja conjugia, aut depravata morum nequitia, omnem familiæ ſplendorem obſcurârunt; aut de fortunis & facultatibus deturbati, cum Sejano, Beliſario, aliiſque ad extremum miſeriarum præcipitati ſunt? Quorum ſi vel nomina recenſere voluero, infinitus ſim. Præclarè ocellus Belgii *Juſtus Lipſius*, libro de conſtantia: *t* Attolle, & circumfer mecum oculos, & vide rerum humanarum alternas vices, & ut in Oceano, æſtus. Tu ſurge, tu cade: tu impera, tu ſervi: tu occultare, tu emerge: & eat hic rerum in ſe remeantium orbis, quamdiu erit orbis. Æterna lex à principio dicta omni huic mundo; naſci, denaſci, oriri, aboriri: nec quidquam ſtabile, aut firmum, arbiter ille rerum eſſe voluit, præter ipſum. Quod milites ſpectat, veriſſimum illud primæ veritatis oraculum: u *Varius eſt eventus belli: nunc hunc, nunc illum conſumit gladius*; nunc ab hac parte victoria, nunc ab illa: nunc victor, nunc victus: anceps eſt alea belli; campus Martius, & militaris Palæſtra, olim Roma & Carthago; noſtro ævo Germania & Belgium teſtari poſſunt, quia *varius eſt eventus belli*, tot captis, ac dirutis oppidis, tot iterum receptis & inſtauratis: tot noſtrorum cladibus, tot rurſus victoriis, & opimis de hoſtibus ſpoliis; ut nullus Euripus tot alternantes æſtus, & revolutiones habeat. Ephemerides, & Mercurios omnes Gallicos percurrite, quas non tragœdias, comœdias; triſtia, læta; fauſta, infauſta nova reperietis? Si mercatores percunctari libet, ii profectò ſuam non minus variam, quàm lunæ, fortunam teſtabuntur: Burſæ enim mercatorum, non magis, quàm luna ſtabiles; nunc plenæ, nunc ſemiplenæ, nunc omni luce auri, ac argenti ſplendore ſubducto, eclipſes patiuntur: nunc lucra, nunc damna: nunc ſucceſſus proſperi, nunc adverſi: nunc navigationes ſalvis mercibus felices, nunc per naufragia infelices: nunc dies & anni opulenti, paſcua pinguia, boves craſſi, & frugum abundantia: mox x *tempora mutabuntur* juxta Pharaonis ſomnium, quod divinum Joſephi declaravit oraculum: y *Reſpondit* JOSEPH: *ſomnium Regis unum eſt; quæ facturus eſt Deus, oſtendit Pharaoni: ſeptem boves pulchræ, & ſeptem ſpicæ plenæ: ſeptem ubertatis anni ſunt: ſeptem quoquè boves tenues, atque macilentæ, & ſeptem ſpicæ tenues, & vento urente percuſſæ, ſeptem anni ventura ſunt famis*; hoc ſomnium non in palatio Pharaonis, non in Ægypto ſolum, ſed in omni emporio, in quavis officina, & mercatoris fortuna verificatur, ubi quandóque quinque, ſex, ſeptem anni fertilitatis, ubertatis, & pinguis abundantiæ; ſed mox ſterilitatis, tenuitatis & macræ paupertatis tempora incumbunt. Sic colum-

t Lipſius lib. 1 de conſtantia c. 16.
u 2. Reg. 11. vid. interp.

x Daniel. 4. y Geneſis 41. v. 25. &c.

næ cujuſvis opulentiſſimi emporii per Europam corruerunt, dum aurato vertice mercatores cœlum attingere videbantur; at baſi,qua nitebantur, adverſitatis turbine everſa, in ſuum, unde emerſerant, nihilum reciderunt, & foro ſimul cum fama,& fortunis turpiter ceſſerunt.

Stabiliorem nemo conjugatorum ſortem duxerit, aut ita ſerenam nubentium frontem, ut nulla nubes,aut grandior tempeſtas capiti immineat: mella, & fella,amara & dulcia, adverſa & proſpera, quibus matrimonium *admirabili varietate contexitur*, aliàs fusè enarravi, & locus apud SS.Patres, & Hiſtoricos uberrimus eſt. Ex uno omnes diſcite,quomodo alternantibus vicibus ſibi ſuccedant, dolor & voluptas. Nuptias inter Alphonſum Luſitaniæ Principem,& Iſabellam Ferdinandi Regis Hiſpaniæ Filiam, maximè lætas ac feſtivas,brevi in luctum recidiſſe,ita Mariana noſter enarrat. z Omnia ad decorem Imperii compoſita,ſuſcepto inter eas gentes de ſplendore,cultu, & elegantia, certamine. Ad Cajam, quod flumen Pacem Auguſtam Helbéſque interfluit,nova ſponſa in Luſitanorum Procerum poteſtatem contradita: qui non minori numero obviam proceſſerunt, cum Emanuele duce,cui jamNumina id conjugium, regnúmque deſtinabant. Ad Stremotium Luſitaniæ Oppidum Rex Luſitanus, & Filius præſto fuere. Media ſponſa,ad ſiniſtram ſocer aſſedit. In eo oppido in ſponſi manum convenit ad Octav.Kal.Decemb. qui dies Mercurii fuit. Sacra nuptialia die proximo peracta, Antiſtite Bracarenſi,cujus inter Pontifices Luſitaniæ, primæ honoris partes ſunt. Ludi nuptialis gloriæ,atque ſcalabi in ſextum menſem continuati. Tum ſubdit: *Nihil eſt ſincerum, conſtánſque in rebus humanis. Lætitiam univerſæ gentis inopinus caſus interturbavit.* Regem in eo oppido ad ripam Tagi fluminis die quodam ſub veſperam progreſſum, Alphonſus Princeps honoris cauſa comitatus, cum Joannem Meneſium, ad currendum admiſſis equis provocaſſet,ferocis, quo ad currendum ferebatur, equi repentino caſu oppreſſus eſt, brevíque extinctus. Quanto parentum, & ſponſæ,atque totius regni luctu, cuíque conſiderandum relinquo. *Tot ſpes, tot gaudia, diem unum in contrarium vertiſſe veriſſimis lacrymis querebantur.* Corpus ad majorum ſepulcra tumulo contectum,& inferiæ more patriæ datæ, Rege, & reliqua nobilitate, atrata in veſte funus proſequentibus. *Iſabella vix primis gaudiis delibatis, tam brevi ſpatio,ſponſa, conjux,vidua, ad parentes in Caſtellam contecta lectica remiſſa eſt.* SIC RES HUMANÆ,& GAUDIA,LEVI MOMENTO PERMUTANTUR, & læta inopinatò triſtibus permiſcentur; Deo etenim, ut veriſſimè olim falſi Vates finxere, dolium mellis, & fellis ad manum eſt; ſeu ut veriùs Poëtis Propheta: a *Calix in manu Domini, vini meri plenus miſto, & inclinavit ex hoc,in hoc.* Vos ipſos conjugatos, teſtes appello,an hanc mixturam experti non ſitis? nemo credo diffitebitur. Hîc proles naſcitur, hîc denaſcitur: jam ridetur,

z Mariana hiſt. Hiſpaniæ. lib. 25. c. 14.

a Pſalm. 74.

mox

mox fletur. Nunc plauditur, mox plangitur. Quæ omnia Eccleſiaſtes paucis complexus eſt: b *Tempus naſcendi, & tempus moriendi. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus ſaltandi. Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Tempus belli & tempus pacis.* Ut indies in matrimonio reperire, & experiri eſt. Non alio conſilio divina Sapientia roſam ſpinis ſepſit. Roſa veris purpura, & florum Regina, colore & odore, omnes ad ſe carpendum jure rapuiſſet, niſi natura illam ſpinis, quodam veluti ſatellitio obarmâſſet. Quo Deus, naturæ auctor nil aliud innuere voluit, quam quidquid hîc nitet, & ridet, ſuis aculeis, & malis pungentibus obſeptum eſſe, ut rectè Ambroſius: c *Spinis ſepſit gratiam floris, tanquam humanæ ſpeculum præferens vitæ, quæ ſuavitatem perfunctionis ſuæ, finitimis curarum ſpinis ſæpe compungat. Irrutiles, ô homo, licet aut ſplendore nobilitatis, aut ſplendore virtutis,* SEMPER SPINA PROXIMA EST. Diſcurre, ſi libet, per omnes opificum officinas, ubi labor, & ſudor, & *ſemper ſpina proxima eſt*: obambula mercatorum fora, quas non curas, jacturas, anxietates reperies, atque inter auri cumulos, & congeſtas divitias, quas jure increata Sapientia ſpinas nuncupavit, veriſſimum fatebris, quod *ſemper ſpina proxima eſt*: cauſidicorum muſea, judicum ſubſellia ingredere, nobilium rhedas, & marmore, ac auro incruſtata cubilia introſpice, his omnibus ſemper *ſpina proxima eſt.* Ut veriſſimè Seleucienſis Antiſtes, roſam nobis non ut fictum, aut pictum, ſed verum ac vivum humanæ viciſſitudinis, ac varietatis ſymbolum, ob oculos habendum propoſuerit: d *Florida quidem eſt roſa; ſed mihi triſtitiam infligit: nam quotieſcumque florem hunc videro, peccati mei admoneor, propter quod terra, ut ſpinas, & tribulos proferret condemnata eſt*; quos etiamnum non in hortis duntaxat, ſed & in familiis, & animis, ac corporibus mortalium luxurianter germinat. Ut itaque roſa ſpinis, ſic læta triſtibus, adverſa proſperis admixta ſunt; quod alia ſimilitudine colorum eleganter exponit Maximus Tyrius, dum album quidem, lætitiæ ac feſtivitatis ſignum ponit; ſed & candore ſuo oculis officere, niſi nigro aut fuſco refringatur, ſic probat, ubi multis de admiſtione infortuniorum cum proſperis, hiſce verbis concludit: e *Inter omnes colores, qui maximè clarus eſt* (nempe albus) *maximè delectat oculos; niſi tamen fuſcum conjungas, magnam illi voluptatis partem negas. Ita ſecundis rebus miſcens adverſa, magis virtutem advertes, magis felicitatem ſenties: ſitis voluptatem bibendi commendat homini: fames voluptatem edendi: nox oculis deſiderium commendat ſolis. Optat homo noctem poſt ſolem, famem cùm ſatur eſt, ſitim cùm ebrius eſt.* QUOD SI DEMAS HANC VICISSITUDINEM, VOLUPTAS QUÆ FUERAT, FIT DOLOR. Quæ cum quotidiana experientia, veriſſima nemini non comprobentur, quis non providam illam Numinis manum exoſculetur,

b Eccleſiaſt. c. 3. c Ambroſ. lib. 3. hexam. c. 17.

d Baſil. in hexam. e Maximus Tyrius diſertat. 35. n. 205.

mi-

miſcentis calicem, & inclinantis ex hoc in hoc? quæ omnia, veriſſima hiſtoria, vario maximè rerum eventu admiranda, & auditu jucunda confirmabit. Hæc à majoribus tradita, talis eſt. *f* Circa annum 1386 regnante in Gallia, Carolo VI. maxima pars Nobilitatis Gallicanæ in Hungaricum Regnum, illud contra irruptiones Turcarum defenſura, abiit. Inter cæteros autem vir nobilis, vegetus, robuſto corpore, ac miles ſanè egregius (comes de Bacqueville illi nomen erat) maximo deſiderio, ad hoc bellum ſacrum anhelabat; glorioſum reputans, ſi pro defenſione Religionis vel vitam impenderet. Uxor ejus honeſta, piáque domina, ſed juvenis, viríque ſui unicè amans, difficillimè conſenſum præbebat; ſed continuis tandem, imò importunis ejus precibus expugnata, fecit illi poteſtatem exequendi, quod volebat. Omnibus itaque ad hoc iter comparatis, quæ equeſtris ordinis Nobilem decebant, uxori valedixit, atque mutui amoris aliquod inter eos ſymbolum ut ſupereſſet, diviſo aureo annulo, quem geſtabat, ac unâ medietate ſibi reſervatâ, alteram illi tradidit, & ſtatim cum cætera Nobilitate Gallica profectus, plurima, & raræ prudentiæ, ac fortitudinis ſigna in bello hoc edidit. Verùm peccatis Chriſtianorum hoſtem armantibus, ipſe victor noſtros debellavit, adeóque protrivit, ut penè totus Chriſtianorum exercitus in acie ceciderit, plurimíque nobiles, inter quos & ille, in Turciam captivi abducti ſint. Conabatur ipſe plurimis viis, pro redemptionis pecuniâ ad uxorem litteras tranſmittere; ſed neque ipſe reſponſum, neque uxor accipiebat, adeóque ſeptennium integrum variis moleſtiis ſubjacuit; cùm frequenter venum iret, & varios ſortiretur dominos, qui omnes ut hominem ſenem, & inutilem, & de lytro deſperantem dedignabantur. Evoluto tandem ſeptennio, incidit in poteſtatem inhumani, & verè crudelis cujuſdam heri, qui videns ſe ſpe lucri, quod captivus pro ſua redemptione promittebat, fruſtrari, ſtatuit eum ex hac vita tollere, executione cuidam ſervo demandata; quod Nobilis intelligens, ſpe omni fruſtratus, reſumens ex deſperatione animum verè nobilem, ac Chriſtianum, ſtatuit ſe ad mortem patienter perferendam comparare. Verùm ad divinum, ubi humanum jam deficiebat, auxilium invocandum ſe prius contulit, commendavítque ſe S. Juliano, cui ſemper devotus fuerat, addito voto, ſe ei ſacellum ædificaturum, ſi ejus precibus, divinâ ope, ex his anguſtiis eriperetur. Quo facto obdormivit, & poſt paululum experrectus, cùm ſe putaret adhuc in ergaſtulo, in quo mortem opperiebatur, hærere, ſolutum catena ſervili, & in medio cujuſdam ſylvæ ſe eſſe deprehendit. Primo autem aſpectu, arbitratus eſt ſomnium eſſe, & adhuc priſtino ſe carcere teneri, ut in ſimilibus admirandis caſibus, & ſpem noſtram excedentibus, evenire ſolet. Quemadmodum & S. Petrus ab Angelo arctiſſima cuſtodia eductus, putabat ſe viſum videre. Demum probè in con-

f Lud. Richeome. Peregrin. Lauret. cap. 145. Srengelius de divinis judiciis, Tom. 2. cap. 28. n. 2.

conſilium advocatis ſenſibus, cùm cœlum, terrámque aſpiceret, arbores contrectaret, perſuaſit ſibi tandem, ſe precibus Sancti, in aliquod Turciæ deſertum translatum, ut hinc tandem ad ſuos redire poſſet. Deinde huc, illúcque reſpiciens, aliquot puellas pecora paſcentes advertit, quas idiomate Turcico appellans, rogavit, quænam illa ſylva eſſet: illæ putantes hominem loqui Latinè; vel Anglicè, dixerunt Gallicè: neſcire ſe, quid vellet; quod cùm audiret, cœpit multò magis dubitare, ne forte ſomniaret, & quaſi ſomnians, ait ad eas Gallicè, quænam eſt hæc ſylva? illæ verò, Bacqueville ajunt; quæ ſui juris erat, quam millies venando peragrârat. Totus itaq; attonitus, oculos huc illuc circūferens, ut ſenſuum ſuorum experimentum faceret, agnovit demum ſe non ſomniare, ſed verè in Normandia, & Caſtello ſuo proximum eſſe, ſtatímque eò contendit. En quantâ hujus Comitatis, & quam *g admirabili varietate vita contexitur.* Rectà jam ad caſtrum contendebat, cùm maximam Nobilium turbam ſenſim ſe eodem conferre vidit. Portarium adiens, ſe dixit colloquium Dominæ optare: cui janitor: quid eam vis? magni ponderis negotia mihi cum illa communicanda ſunt, reſpondit ſenex. Et ille, difficillimum id erit, nam benedictionem matrimonialem jam jam ſuſceptura ad miſſam ſe audiendam parat. Stupefactus Dominus, amplius alloquium urſit; ſed janitor indignabundus, operam, inquit, perdis; nihilominus tamen Dominam adiens, dixit ad portam anachoretam quemdam aſtare, qui eam verbulo conventam vellet. Matrona ut erat verè pia, & charitatis operibus apprimè dedita, præfecto domus juſſit largam ſtipem elargiri, & ſi quid ſpeciale vellet, id ad ſe referret. Abiit Oeconomus, eique coronatum aureum obtulit; cui ſenex, eleemoſynam haud peto, ſed obnixè te rogo, ut Dominam, antequam ad ſacrum pergat, alloqui liceat; cui ſi perſuaſeris, ut me audiat, fidelis miniſtri partes impleveris. Præfectus ſuſpicatus, quod res erat, aſcendit, dixítque: Domina mea, verbum habet ad te, addítque neceſſarium eſſe, ut antequam templum adeas, te alloquatur: quis ſcit, ſi forte de morte, aut teſtamento mariti tui, Domini noſtri, aliquid apportet novi; aſſentitur illa, deſcendit, & ſeorſum juxta feneſtram quandam ſe collocat. Bonus ſenex lento gradu accedit per mediam tranſiens aream, omnibus cum admiratione eum intuentibus, aſpiciebant macilentum, & exanguem ſenem, totum canum, promiſſâ barbâ, capillitio impexo, & more Turcico, longa ſyntheſi veſtitum. Veniens verò in Matronæ, nuptiali jam veſtitu apparatæ, conſpectum, profundè ſe prius inclinans, ad eam ait: Domina, ex Turcia recens advenio, novi ibi aliquando hominē, qui ſe Dominum de Bacqueville appellabat, veſtérque, ut modò intelligo, maritus, & hujus loci Dominus fuit. Septennium eſt quidem, quod in clade Hungaricâ cum pluribus Gallicæ nationis hominibus, in hoſtium poteſtatem devenerit, diu lytrum pro ſe exſolvendum exſpectavit, plurimáſque interea temporis moleſtias

g Chryſoſt. cit.

leſtias pertulit. Jam ab elapſo anno, nullúmne nuncium, aut litteras accepiſti? cui illa: ah bone vir, jam ſeptimus ab illius diſceſſu agitur annus, ex quo neque litteras, neque nuncium ab eo ullum accepi, adeóque credimus eum obiiſſe, ſi enim ſciviſſemus, ubi locorum detentus fuiſſet, neque aurum, neque argentum, impedimentum poſuiſſet, quò minus ad libertatem priſtinam rediiſſet; atque utinam conſiliis ſuæ chariſſimæ conjugis morem geſſiſſet, nunc adhuc, procul dubio viveret; neque tantis moleſtiis, incommodíſque, quæ eum toleráſſe & vereor, & lugeo, ſubjacuiſſet; nec tot curis & anguſtiis cor meum, & ſuum afflixiſſet, eóque dicto in lacrymas prorupit: ſubjunxítque, nihílne præterea de illo habes? nam ſine cauſa te mihi loqui voluiſſe minimè reor. Bonus ſenex ex verbis, & geſtibus uxoris, colligens ſe adhuc eidem incognitum, reſpondit; quid ſi eum tibi exhiberem, putáſne agnoſceres; cùmque illam videret colorem mutâſſe (nam illa verba cordis ejus ima penetrabant) familiari colloquio uſus, dixit: Amica mea, numquid agnoſcis Bacqueville, maritum tuum, & hoc dimidium annuli noſtri, amoris mutui ſymbolum? ipſa pignus aſpiciens, & hominem cominus intuita, agnovit mox vultum, & vocem mariti priſtinam, & lacrymabunda eum amplexans, exclamat: ô Domine, ac marite mi, & inter hæc decidit exanimis; quam ipſe debilis, ut potuit, ſuſtentabat. Magiſter aulæ, cæteríque miniſtri, qui in altera atrii parte confabulantes conſiſtebant, & nihil horum audierant, viſis his amplexibus, protinus accurrerunt, Domimúmque ſuum agnoverunt. Nec mora, toto caſtro, hujus tam inſperati nuncii mox fama percrebuit, & nuptias non novus Sponſus, ſed antiquus maritus celebravit. Mira rerum facies, & ſcena maximè varia: ingens propinquorum gaudium, incredibilis domeſticorum exultatio; ſed & ſtupor quidam, & pudor novi Sponſi, ejuſq; affinium ex inſperato luctus, & indignatio. Comes interim nihil prius aut potius habuit, quàm ut voto concepto ſe exolveret; ſiquidem S. Juliano pulcherrimum ſacellum exædificavit, in quo, ubi fatis conceſſit, *barba ejus, & capillitium tholo ſacelli affixa, velut inſigne hujus miraculi teſtimonium, longo tempore, & adhuc, ut ante quadraginta annos à pluribus viſa fuêre, & forte hodie cernuntur.* Quanta inter hos duos conjuges alternantis fortunæ ludibria? nec minus varia credo multis contigêre, quæ ſcriptoribus ignota ſunt, dixiſſe ſatis ſit, ex hoc conſtare, quàm vita mortaliũ *admirabili varietate contexitur.*

At numquid Divinus amor viros Religioſos, qui *habitant in domo Domini cum conſenſu*, & Sanctimoniales, prædilectas Sponſas ſuas, *ſinit jucunditates*, & conſolationes *habere continuas*? an non de his olim Pſaltes Regius vaticinatus eſt: h *Quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum*? habent & ipſi punctiones ſuas, habent & unctiones ſuas, nunc eos viſitat in virga, ut terreat: nunc viſitat amabili præſentia ſua, ut recreet: nunc deſolationes, & infeſtationes diabolicas: nunc conſolationes

h Pſal. 132. v. 1.

tiones, & illuſtrationes ſinit habere divinas: nunc cœleſtis Sponſus venit, nunc recedit. Experto, in hoc perfectionis gymnaſio, magiſtro credite: ſic etenim Bernardus in illud Canticorum 2. i *Revertere: ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque cervorum*; ubi ſic more ſuo ſuaviſſimè excurrit: k *Revertere, ait, bene. Abibat, revocatur. Quis mihi referet* HUJUS MUTABILITATIS SACRAMENTUM? *quis mihi dignè explicet, ire, & redire* VERBI? *numquid levitate utitur Sponſus? verbi cauſa, cùm* (Sponſa) *ſenſit gratiam, agnoſcit præſentiam: cùm non, abſentiam queritur, & rurſum præſentiam quærit, dicens cum Propheta*: l *Exquiſivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.* Subinde Religioſa anima, cœleſtibus deliciis ebria, in has voces erumpit: *Repleta ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio; ſed in die bonorum, ne immemor ſis malorum*; recordare quia venit Sponſus, & recedit: m *It, & redit pro beneplacito ſuo, quaſi viſitans diluculo, & ſubitò probans. Nunc verò conſtat in anima fieri* HUJUSMODI VICISSITUDINES EUNTIS, ET REDEUNTIS VERBI. Quod divino probat teſtimonio: *Sicut ait*: n *vado, & venio ad vos. Item, modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me.* Sed immane, quantum hoc utrumque inter ſe modicum diſcrepet, & modicum euntis, à modico redeuntis, quam diverſum ſit; mox ſubjungit: *O modicum! ô modicum! ô modicum longum! modicum meritis, & non modicum votis.* Habes utrumq; in Propheta; o *Si moram fecerit, inquit, exſpecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Quomodo non tardabit, *ſi moram fecerit? niſi quod ad meritum ſatis; ſed non ſatis ad votum*, & ardens Sponſæ deſiderium, cujus anima, abſente Sponſo, *arida eſt, ſicut terra ſine aqua.* Talem in exemplum adducit, quaſi ſibi notam: *Dixerat, namq;* (cum Pſalte) *ſancta anima quædam in abundantia ſua*, p NON MOVEBOR IN ÆTERNUM; *cùm ſubitò ſenſit averſam à ſe faciem* VERBI, *ſéque non modò motam, ſed* ETIAM CONTURBATAM. Hunc ludum ludit amabilis Deus, ne in proſperis ſeſe extollat, & evaneſcat; aut in adverſis concidat, & animum deſpondeat; hoc de ſe fatetur Paulus: q *Ne magnitudo revelationũ extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ.* Hinc prudens Sponſa, quæ prius Sponſum invitat, *revertere dilecte mi*; mox ſibi de ſolatio metuens, clamat: r *Fuge dilecte mi.* It itaque Sponſus, & recedit, quod in ſeraphico Franciſco, in Ignatio, Xaverio, Thereſa, Magdalena de Pazzis, aliiſque Sanctis, imò ipſa dilectiſſima Matre, cernere fuit, quos neque dolores, & deſolationes; neq; gaudia & conſolationes voluit habere continuas. Apoſtolos, quos dixit amicos, & quaſi fratres, & ut filios dilexit, hac viciſſitudine exercuit: ſ *Vado, & venio ad vos.* t *Expedit vobis, ut ego vadam: ſed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.* Tum ſubdit: v *Modicum videbitis me, & iterum modicum, & non videbitis me.* Nunc it, nunc redit: nunc deſolatio, nunc conſolatio:

i Cant. 2. v. 17. k Bern. Serm. 74. in Cantic. l Pſalm. 26. m Bern. cit. n Ioan. 14. & 16.

o Abacuc. 2. p Pſ. 9. q 2. Cor. 12. v. 7. r Cant. 8. ſ Ioan. 14. v. 28. t c. 16. v. 7. v V. 16.

nunc

nunc triſtitia, nunc gaudium: x *Plorabitis & flebitis vos; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Hæc in Clara valle ſua, ſublimi mente Doctor mellifluus contemplatus, ſic diſſerit: y *Si in mentem venit hora illa, cùm Dominus Jeſus (is enim ſponſus eſt) tranſiret ex hoc mundo ad patrem: ſimúlque quid tunc animi gereret ſua illa domeſtica Eccleſia, nova utique ſponſa, cum ſe deſeri cerneret, quaſi viduam deſolatam unica ſpe ſua (Apoſtolos loquor, qui relictis omnibus ſecuti fuerant eum, atque cum ipſo permanſerant in tentationibus ſuis,) ſi hæc inquam cogitaverimus, non immeritò, neque incongruè puto videbitur, quantum de abſceſſu triſtis, tantum ſolicita extitiſſe de reditu, præſertim ſic affecta,* & ſic derelicta. Sed amabo vos, quis arcanum illud divinæ providentiæ conſilium, ſic per proſpera & adverſa ludentis exponet? z *Quis mihi referet hujus mutabilitatis ſacramentum?* Quid in hac alternantium rerum varietate cœleſtis ſponſus ſpectat? non aliud exiſtimo, quàm quod colonus è pratis ſuis, quæ dum Solis radiis illuſtrantur, & imbribus irrigantur, incrementa frugum; unde inter ſymbola Heroum Italus per adverſa & proſpera jactatus, ſibi in teſſeram gentilitiam adlegit arbuſculam, hinc Sole illuſtrante, illinc pluviâ irrigante, ſubjecto lemmate: *floremus utroque.* Haud aliter cœleſtis colonus, *hac admirabili varietate, qua vita contexitur,* incrementa virtutum, gratiarum, & meritorum in animis ſuorum ſpectare conſuevit. Unde celeberrimus ille Africæ Antiſtes Auguſtinus: a *Ne timeas, ô ſponſa, ne deſperes, ne exiſtimes te contemni, ſi pauliſper tibi ſubtrahit ſponſus faciem ſuam; omnia iſta cooperantur in bonum, & de acceſſu, & de receſſu lucrum acquiris: tibi venit, tibi & recedit; venit ad conſolationem, recedit ad cautelam, ne magnitudo conſolationis extollat te.*

Si vir Religioſus, Virgo ſanctimonialis, quandoque alta pace corporis, & animi tranquillitate fruitur, ſuperiores commodos, faventes, indulgentes nacta ſit: apud omnes & morum probitate, & mentis pietate in æſtimatione, & deliciis ſit, atq; etiam dotibus naturæ, & gratiæ, ac muneris dignitate præfulgeat; derepente autem turbo irruat, Antiſtes zelotypus omnia ſuſpecta habeat, devotiones tuas, illuſiones ducat; falſas delationes, machinationes in ſe veriſſimas credat, de gradu te deturbet, ut & illi, & omnibus peripſema fias: b *Ne timeas, ô ſponſa, ne deſperes. Ne exiſtimes te contemni, ſi pauliſper tibi ſponſus ſubtrahit faciem ſuam. Omnia iſta cooperantur in bonum, & de acceſſu, & de receſſu lucrū acquiris &c.* Ita & de cæteris, quæ religioſum animum recreant, & perturbant, per plura moralia, quæ corpus & animum ſpectant, facilè cuiq; diſſerendum eſt. Alterum hujus argumenti fructum colligo ex Divo Bernardo: c *Et fortè ideo ſubtrahit ſe, quò avidius revocetur, teneatur arctius,* rogari vult, & audire: *Domine oſtende nobis faciem tuam.* In quo, ludibundam cum parvulo matrem imitari videtur, quæ faciem obvelat, ut eò avidius, velo amoto infans in complexum ruat, & teneriùs ſtringat. Nonne, ut concludam, hunc luſum,

x V. 20. y Bern. ſerm. 73. in cant. z Serm. 74. in cant. a Aug. to. 9. ſcalæ paradiſi. c. 8.

b Aug. cit. c Bern. ſerm. 74. in cant.

ſum cum amantiſſimo patre ſuo Joſepho, & Virgine Matre, Jeſus parvulus luſit, dum duodennis ſe abſcondit, & ingenti utriuſque parentis luctu, quæri & inveniri voluit? d *Ego & pater tuus*, inquit Maria, *dolentes quærebamus te*, quia lumen oculorum, omne animi ſolatium, omne quod in cœlo, & in terra eſt, bonum amiſerant: unde juſtam tanti mœroris cauſam ſuaviſſimus Bernardus hanc exponit: e *Tantum ſubtractas, vel non modicum, ineffabiles præſentiæ ſuæ delicias querebantur: tam ſpecioſus ad videndum, tam ſuavis ad amplectendum, ut brevis ejus abſentia materia doloris maxima ſit*; hac tamen doloris nube deterſa, ſerenior illis vultus filii arriſit; & cumulatiori gaudio animum recreavit.

Quare, ut eò revertamur, unde exorſi ſumus, ſi quæ f adverſitatis procellæ ingruant, ſi qui tentationum turbines infeſtent, aut tribulationum tempeſtates conturbent, *memento magni illius Ioſeph*, non ſolum Patriarchæ, ſed *Sponſi Virginis*, per omnia adverſa jactati. Hunc quacumque jactaris procellâ, invoca, & fluctibus ereptum, tutum te littore ſiſtet. Non humana, ſeu uſitata penna, ſed Angelica id expreſſum reperio: ſic etenim Doctor Angelicus: g *Quibuſdam ſanctis datum eſt in aliquibus ſpecialibus cauſis præcipuè patrocinari, ſicut S. Antonio ad ignem; at Sanctiſſimo Ioſeph* in omni neceſſitate, & negotio conceſſum eſt opitulari, & omnes ad ſe piè confugientes defendere, fovere & paterno affectu proſequi. Recenſet eruditus ſcriptor Theophilus Raynaudus, h ſingulares in ſingulari calamitate, & adverſitate, patronos; *at ſanctiſſimo Ioſeph* (quod Virgine matre excepta, nulli Sanctorum contigit) *in omni neceſſitate conceſſum eſt opitulari.* Quod Seraphica Mater Thereſa, in quavis difficultate, Sanctiſſimi Joſephi patrocinium implorans, experta eſt. i Hæc cum aliis Ordinis ſui ſanctimonialibus, ad coloniam aliò ducendam iter ingreſſa cùm à via aberraſſet, atque inter prærupta montium, & vallium præcipitia, per tenebras hæreret anxia, ſic filias ſibi ſocias allocuta eſt: *Eja, amantiſſimæ ſorores, hoc ſolum habemus reſiduum, ut oculos noſtros ad Dominum humiliter convertamus*, SANCTISSIMIQUE JOSEPHI *patrocinium deprecemur, & in tam ingenti ruinæ periculo, auxilium imploremus.* Et ecce, ex altiſſima voragine, humana vox, quaſi cujuſdam viri grandævi proclamantis, audita eſt: *ſiſtite, ſiſtite iter, ulterius ne progrediamini*, ac ſemitam, qua incedendum, indicans, præſentiſſimum diſcrimen evaſerunt; hominem autem illum fruſtra quærendum pia mater monebat: *erat enim*, inquit, S. JOSEPH, *qui à periculis nos liberavit, viam noſtram direxit, & in tuto collocavit.* Quocumque & vos corporis, aut animi periculo expoſiti eſtis, *ite ad* JOSEPH, in cujus poteſtate, quidni omnia quæ in cœlo & in terra, tradita ſunt? Hic numen educavit, & vitam, ſi non dedit, ſervavit: Deúmque oculis genuit cuſto-

d Luc. c. 2. e Bern. ſerm. infra octavam Epiph. f In adverſis recurrendum ad Ioſeph. Bern. ſerm. 2. ſuper miſſus. g S. Thom. in 4. diſt. 45. q. 3. art. 2.

h Raynaud. pietas ſingularis puncto 6. & 7. i Didacus Iepes in vita lib. 2. cap. 27

dien-

diendo, toties pater, ô quanta dignitas! Filium participare cum Deo,& ulnis Alumnum regere orbe majorem! Ille ſervat, hic ſervit, & altorem ſuum alumnus alit. Orant alii Numen, hic cogit: nam Patris vota, imperia ſunt. Quare *ite ad Ioſeph*, orate, & inclamate Joſeph.

Sic vir religioſus, è ſacra Divi Benedicti familia Sancto Joſepho mirè addictus, *k* labores, quos in itinere cum parvulo fugiens in Ægyptum, piè meditari ſolitus, quondam in deſerto monte, feris & graſſatoribus infeſto, per denſam noctem oberrans, hominem obvium habuit, jumentum, cui venuſtiſſima mulier, elegantem puſionem ulnis complexa inſederat, agitantem, à quo periculum edoctus, in viam reductus, gratiſſima recordatione identidem commemorare ſolebat, non aliter ſe ex horum inter pergendum colloquio exarſiſſe, quàm diſcipuli olim euntes in Emaus; Cúmque prope oppidum perveniſſet, illis ſubitò diſparentibus, quaſi è ſomno experrectus, & ad ſe reverſus, dixit: *Nunc ſcio verè,* SANCTISSIMUM JOSEPHUM, *Virginem ſponſam, & puerum Jeſum, qui eſt via, veritas, & vita, mihi ſocios, conſolatores, & ductores extitiſſe.* Simile quid refert idem auctor de duobus naufragis, quos opem ſuam implorantibus, Sanctus Joſeph, periculis eripuit, & manu porrecta, ſecum fecit ſuper aquas ambulare, atque incolumes in portum deduxit. O ſi nobis hoc mari magno, & procelloſo fluctuantibus, & de animæ naufragio periclitantibus, Sanctus Joſeph manum porrigat: aut in bivio illo diſparis æternitatis errantibus, viam dirigat, ac immani barathri præcipitio eripiat! Confidite, ſi eum patronum, ac tutelarem, omni amore, & honore per vitam proſecuti fueritis, ſuo auxilio, ac præſidio non deſtituet; quin & venerabili præſentia, ac amabili vultus ſui reverentia ſolabitur, ut quiſque veſtrûm illud uſurpare poſſit, quod olim Jacob filio ſuo *Joſeph:* l *jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam*: jam lætus moriar, quia deduces me, ut videam faciem ſponſæ tuæ, & ſuper omnia amabilem faciem JESU, Filii tui, Filii DEI.

k Gratianus lib. 5. de S. Ioſeph, c. 4. Carthagena l. 18. hom. 14.

l Gen. 46.

FESTUM

FESTUM SANCTISSIMI PATRIARCHÆ BENEDICTI.

Faciam te in Gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque BENEDICTUS. Gen. 12. v. 2.



Arbos UNA NEMUS. *Ovid. 8. Metam.*

ARGUMENTUM.

QUam DEUS Patrum noſtrorum olim Abraha promiſſionem fecit, ac benedictionem imperti vi

vit, dicens: m *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes: ſic erit ſemen tuum*: hæc velut typo adumbrata, in glorioſiſſimo Patriarcha BENEDICTO adimpleta videtur; ut ſicut ſtellas cœli, & arenas maris nemo ad calculum facilè reduxerit, ita generationem ejus quis enarrârit? *MIrabILIs In generatIone sVa* BENEDICTVs. Unde non ſine numine divûm Abrahamus omnium mortalium primus, BENEDICTUS appellatus eſt, quaſi ſancti BENEDICTI in mille generationes propaginem præfiguraret: ſic enim audiit: n *Faciam te in Gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque BENEDICTUS*; quæ S. Auguſtinus o, *non de carnali, ſed de ſpirituali ſemine, &* propagatione *intelligit*: ea verò quàm aptè S. Patri BENEDICTO conveniant, teſtantur tot, quæ ex ejus ſtirpe prodiere, coronata capita, mitrati vertices, ſanguine ſuo purpurati Heroes, atque innumeri vitæ ſanctimonia viri glorioſi, ac parentes noſtri.

§. I. *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.* Gen. 22.17.

§. II. *Benedixit eum in omni Benedictione.* Epheſ. 1. v. 3.

§. III. *Benedictionem dabit Legislator.* Pſalm. 83.

m Gen. 15. v. 5. n Gen. 12. v. 2. o Auguſt. lib. 16. de civit. c. 6.

FESTUM

FESTUM SANCTISSIMI PATRIARCHÆ BENEDICTI.

Faciam te in Gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque BENEDICTUS. Gen. 12. v. 2.

AMbroſius, cujus ſermo, p *dulci dulcior ambroſia,* utpote in cujus etiamnum vagientis ore, apes mellificârunt, magni illius Patriarchæ Abrahami encomia ſic exorſus eſt: q *Magnus planè vir, & multarum virtutum clarus inſignibus, quem votis ſuis Philoſophia non potuit adæquare: denique minus eſt quod illa finxit, quàm quod iſte geſſit, majórque ambitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fides.* Hic porrò non inani verboſæ orationis fuco; ſed ipſius primæ Veritatis oraculo, à Sapiente deprædicatur: r *Abraham magnus Pater multitudinis gentium, & non eſt inventus ſimilis illi in gloria, qui conſervavit legem excelſi. Ideo dedit illi gloriam in gente ſua, creſcere illum, quaſi terræ cumulum, & ut ſtellas, exaltare ſemen ejus, & hæreditare illos à mari ad mare, & à flumine, uſque ad terminos terræ.*

ſ In quibus omnibus, inquit Rupertus, nec unum jota, vel apicem unum vacuum, aut carere rei pondere certò arbitremur: quia quot verba, tot illuſtria divinarum laudum præconia. Abram, vel ex ſola nominis etymologiâ, juxta Hebræos, *Patrem excelſum* ſonat, ut exponit Hieronymus: t *Dicebatur Abram, quod interpretatur Pater excelſus*: quippe qui ſua celſitudine omnes veteres Avos, & Majores ſuos longè ſuperavit: u *Et poſtea vocatus eſt Abraham, quod transfertur, Pater multarum gentium.* Quod explicat Apoſtolus ad Romanos: *Qui Pater eſt omnium noſtrûm ante Deum.* x *Magnus*, ajunt ſacri Interpretes, extitit in electione, ſanctitate, honore, & benedictione. Verè Patriarcha, & orbis in fide, & cultu Dei inſtaurator. *Et non eſt inventus ſimilis illi in gloria.* Nullus prorſus fuit, quem Deus tot benedictionibus prævenit; nullus qui tantâ fide, obedientiâ, humilitate, charitate enituit; qui, ut Ambroſius loquitur: y *Omnium virtutum exemplar fuit.*

p Catull. el. 100. q Ambroſ. lib. 1. de Abraham. cap. 2. r Sap 44. v. 20. v. 22. v. 23. ſ Rupert. in Gen. lib. 5. c. 5.

t Hieron. in tradition. Hebr. u Gen. c. 17. x Cornel. in Eccl. 44. v. 20. y Ambroſ. in Pſal. 118.

Quæ

Quæ quantumvis magna, ac mira; eodem propè jure, non minus verè, quàm magnificè de magno Patriarcha BENEDICTO pronuntiaro, cujus nomen titulus eſt ſanctimoniæ. Italia BENEDICTUM orbi dedit, *Anicio* Patre, & *Abundantia* Matre, antiqua & illuſtri proſapia; ſed hæc illuſtrior fuit à gemella prole, quam *Abundantia* uno partu enixa, ſcilicet BENEDICTO, *& Scholaſtica:* in quibus, uti & in Parente, amabilis Dei providentia luſit in nomine, & futuris eventibus præluſit: nam magno teſte Gregorio: z *Erat gratia* BENEDICTUS, *& nomine.* Ut aptiſſimè in illum cadat, quod Deus Abrahamo promiſit: a *Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque* BENEDICTUS, b & Pater excelſus, qui excelſa cogitet, in excelſis; & ſublimibus habitet, excelſa & divina meditetur, & agitet. Vis nôſſe quàm longè ſublimius teneriori ætate ad excelſa, quàm Abraham conſcenderit?

Gen. 12. c *Dixit autem Dominus ad Abraham, egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi, faciámq; te in gentem magnam, &c.* Quàm hoc Dei vocantis præceptum arduum, & innumeris difficultatibus refertum, expendit divus Auguſtinus: d *Quis propria*, inquit, *ſine dolore deſerit, aut ſine lacrymis derelinquit? cui non eſt durum, illos conſcios natalium parietes, dulcia illa limina, atq; amabilem larem, quem & parentum memoria, & ipſius infantiæ rudimenta commendant*, deſerere. *Inter hæc tam blanda, tam dulcia, quæ omni erant difficultate relinquenda: exi, ait, de terra tua. Quis hoc ſine fidei viribus audiret?* nihil interim hic tergiverſatus, *tota devotione complevit, cui in re tam dura nulla dubitatio fuit; ſed ſententiam* Dei, † *ſeptuageſimo & quinto ætatis ſuæ anno, tanquam qui optare videretur, complevit.* Unde & benedictio, & merces magna nimis, huic tam heroicæ virtuti, & rerum omnium humanarum renuntiationi reſpondit: e quaſi operarium electum, inquit Rupertus, Deus ad operandum conducens; cùm dixiſſet: *Egredere de domo tua &c.* continuò taxando mercedem, ait: *Faciam te in gentem magnam.* Et verè magna gens, f *cujus Dominus Deus ejus*: quam honorificavit, & magnificavit magnus Dominus: de qua magnos Patriarchas, peritos, & diverſorum meritorum magnos viros habemus, per quos veram Dei magnitudinem cognovit mundus g Magna enimverò erat futura gens Hebræorum, magnitudine opum, honorum, virtutum, illuſtrium & ſanctiſſimorum virorum, rerum geſtarum, & prærogativarum, quibus à Deo præter omnes gentes nobilitata eſt: h *Non enim fecit taliter omni nationi*: terram quippe Hebræis attribuit promiſſam, i *quæ terra*, inquit Hieronymus, *multis eſt plena miraculis, ubi fidelium credulitas, plus actibus, quàm lectionibus eruditur.*

Et quis non altiore ſtupore defixus hæreat, dum BENEDICTUM,

z S. Greg. l. 2. dial. c. 1. a Gen. 12. v. 2. b Cornel. in Gen. 17. & 5. de Abraham. c Gen. 12. v. 1. d Aug. in Gen. c. 12. apud Fernand hic ſect. 2.

† Aug. de civit. l. 16. c. 15. e Rupert. in Gen. f Deut. 7. g Fernandez in Gen. c. 12. ſect 3. h Pſal. 147. v. 20. i Hier. in cap. 16. Marc.

puerum duodennem *k* exiviſſe *de domo ſua, & cognatione ſua, quémque Romæ in ingreſſu mundi poſuerat pedem, retraxiſſe*, atque in terram peregrinam, & altam eremum, quò Deus vocabat, & cœlites deducebant, ſpretis omnibus ſæculi deliciis, exulantem conſiderat? l *Ætatem quippe moribus tranſiens, nulli voluptati animum dedit; ſed ab ipſo pueritiæ tempore, cor gerens ſenile, deſpexit jam quaſi aridum mundum in flore*; id meditatus ſecum, quod vix meditantur viri, vix agunt ſenes; ſolitarium ſcilicet vitæ genus, *m* ubi totus Dei laudibus vacaret, quas jam inde ab utero, maternáq; ejus veluti ſpecu, concinere auditus eſt. Crederes matris uterum, & templum illi, & chorum fuiſſe, in quo perſonarent Dei laudes, & præconia. Præludium utiq; illius, quod adultus, quod vir, quod Patriarcha cum gente ſua ſancta, & ſemine, *cui benedixit Dominus* ad conſummationem ſæculi, ſolemni cantu celebraret. Quid autem ſit egredi de terra ſua, de cognatione ſua, & de domo patris ſui, peraccommodè exponit Baſilius, Seleucienſis Antiſtes: n *Egreſſio, perfectiſſima aſcenſio eſt ab omnibus corporis voluptatibus, quæ quidem nomine terræ explicantur, cùm dicitur*: EGREDERE DE TERRA TUA. *Sed & fuga à delectatione ſenſibilium organorum, nomine cognationis innuitur, cùm additur*, ET DE COGNATIONE TUA. *Denique averſatio, & fuga vitæ ſæcularis, per contraria virtutum ſtudia, paternæ domus vocabulo inſinuatur, cùm ſubjungitur*: ET DE DOMO PATRIS TUI. Quæ, quis non videat propriiſſimè Sancto, de quo agimus, convenire? Unde & o *accepit benedictionem à Domino.*

p *Et non eſt inventus ſimilis illi in gloria*, in vitæ ſanctimonia, in omnium virtutum copia; ſiquem magnis laudibus in cœlum extollere velimus, hæc ſumma encomiorum eſſe videtur: *Non eſt inventus ſimilis illi.* Maxima laus medici, muſici, juriſperiti: *Non eſt inventus ſimilis illi.* Quod ut Eccleſia, & aliis Sanctis voluerit eſſe commune, qui varii in vario ſanctitatis genere excelluerunt; at BENEDICTUM, quidquid in priſcis Patriarchis virtutis enituit, in ſe unum cumulatè collegiſſe, paulò pòſt demonſtrabo. Quare protulerit olim de Sancto Epiphanio, Ticinenſi Epiſcopo, auguſtum illud elogium Theodoricus Gothorum Rex: q *Ecce hominem, cujus totus Oriens ſimilem non habet: quem vidiſſe præmium eſt, cum quo habitare ſecuritas.* Hæc ego de te, Sanctiſſime Pater; & plus dico: *Ecce hominem, cui totus Oriens* (imò & occidens) *ſimilem non habet.* r BENEDICTUS, ubi mundo per ſanctitatem velut Numen apparuit, tantum virtutum ſuarum ſplendorem undiq; diffudit, ut ad BENEDICTUM videndum omnes convolarent, & acclamarent: ſ BENEDICTUS, *qui venit in nomine Domini*!

In excelſum Caſſini montem eduxit illum Dominus, & ut olim Abrahamo, non ſolum terram Chanaan, ſed mundum univerſum oculis ſubjecit, in eoque gentem ſuam magnam, & innu-

k Greg. l. 2. dial. l Greg. cit. m Bonifacius Simoneta l. 4. Ep. 20. Valderama Serm. de S. Benedicto. n Baſil. in c. 7. Iſaiæ.

o Pſ. 23. v. 5. p Eccl. 44. v. 20. q Ennodius in vita S. Epiph. r Vernulæus orat. de S. Benedicto. ſ Matt. 21. v. 9.

me-

merabilem, ut eſſet verè t *Pater, & fundator, & Patriarcha magnæ multitudinis.*

§. I.

BENEDICAM *tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.* Gen. 22. v. 17.

GEneſ. 15. v. 5. Dicit Dominus ad Abram: *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum.* Cenſent quidam, ſtellas tantum dici, numerari non poſſe, ex modo loquendi vulgi: petitiores tamen aſſerunt numerari non poſſe, quia infinitæ ſunt in Zodiaco, & circa lacteum circulum. Cùm verò Aſtronomi, ut Ptolomæus, aliique, ſubducunt mille & viginti duas, loquuntur de maximè præclaris, & illuſtribus. Ita ſenſit ſubtiliſſimus Doctor Auguſtinus, qui & illud ſimul explorans: v *Faciámque ſemen tuum ſicut pulverem terræ*, ſic diſſerit: x *Promittitur Abrahæ ſemen innumerabile, non ſicut arena terræ; ſed ſicut ſtellæ cœli: ubi mihi magis videtur promiſſa poſteritas, felicitate ſublimis. Nam quantum ad multitudinem pertinet, quid ſunt ſtellæ cœli, ad arenam terræ? niſi quis iſtam comparationem, in tantum eſſe ſimilem dicat, in quantum etiam ſtellæ dinumerari non valent: non enim eas omnes videri poſſe credendum eſt: cùm quantò quiſque acutiùs intuetur, tantò plures videat. Unde & acerrimè cernentibus, aliquas occultas eſſe meritò exiſtimatur, exceptis iis ſideribus, quæ in alia parte orbis à nobis remotiſſima, oriri, & occidere perhibentur. Poſtremò, quicumque univerſum ſtellarum numerum comprehendiſſe, & conſcripſiſſe, jactantur, ſicut Aratus, vel Eudoxus, vel ſi qui alii ſint, eos libri hujus contemnit auctoritas*; quæ ſub Auguſtino, & hoc, aliiſque ſcripturæ locis ſtare videtur, ut Jeremiæ 33. *Sicut dinumerari non poſſunt ſtellæ cœli, & metiri arena maris, multiplicabo ſemen David ſervi mei.* Imo verò, habere cognitum ſtellarum numerum, quaſi ſingulare quiddam, & Deo proprium deprædicat Pſaltes Regius: y *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.*

Ex quibus manifeſtò concluditur, Abrahami progeniem innumerabilem: z *Quod ex hoc*, inquit Africanus præſul, *conjici facillimè poteſt: quia ex uno Abraham, non multò amplius quadringentis annis, numeroſitas Hebrææ gentis tanta procreata eſt, ut in exitu ejuſdem populi ex Ægypto, ſexcenta millia hominum fuiſſe referantur bellicæ juventutis*, qui poterant arma portare. Liceat mihi jam cum Divo Ambroſio, quod ipſe de Abraham, de te dicere, maxime Patriarcha: a BENEDICTUS *reſpexit in cœlum, & ſplendorem poſteritatis ſuæ agnovit, non minus illuſtrem, quàm ſtellarum cœleſtium fulget claritas*, & captum omnem excedit numeroſitas. Hoc eſt, ut Iſaias vaticinatus eſt, b *ſemen* BENEDICTORUM DOMINI. Ordiamur à ſumma, quæ in terris eſt, Maximorum Pontificum, dignitate.

Romanæ Eccleſiæ Pontifices, octodecim Trithemio teſte, vigin-

t Cornel. in Eccl. c. 44. v. 20. de Abrah. v Gen. 15. v. 16. x Aug. de civit. l. 16. c. 23.

y Pſ. 146. v. z Aug. l. 15. de civit. c. 8. a Ambr. l. 1. de Abrah. c. 3. b Iſaiæ 65. v. 23.

ginti quatuor Genebrardo aſtruuntur. Alii viginti octo, ſunt qui quadraginta, eóque plures numerant.

Hos inter, primus quà doctrina, quà ſanctimonia eminet *Divus Gregorius*, qui *Magnus* audiit, audietque in ævum omne, à meritis, & rebus præclarè geſtis. Hic patria Romanus, Matre Silvia, Patre Gordiano, viro Senatorio natus, ex Monacho Monaſterii S. Andreæ Romæ in Clivo Scauri, congregationis primæ, quæ Caſſinenſis, ſive Benedictina appellata, ad Petri Cathedram admotus, ac primus, qui inſigni cum demiſſione, hunc ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus titulum fecit: *Servus Servorum Dei.* Cui hoc breve ſeu Epitaphium, ſeu Eulogium adſcriptum lego.

Appellari in Urbe Roma cœptus es *Magnus*,
Cùm cœpit illa videri minor;
Immani diminuta peſte, vel bello.
Placuit enim, morte tam atrociter graſſante,
Ad matrem viventium confugere:
Cujus auſpiciis, Angelus fulgurantem enſem
Viſus vaginæ recondere, & *Cœli Reginæ* de morte victoriam acclamare.
At ne *Magni* nominis faceret Roma jacturam,
Conſignatum illud in te uno ſervavit *Magno.*
Amiſſo ſummo navis gubernatore Pelagio,
Tibi commiſit in tempeſtate clavum.
Sed tu matre natus, cui nomen *Silvia*,
In ſilvæ latebra, velut in utero te condis,
Fruſtra, nam prodire oportet in lucem:
Ignea columna, latere conantem, prodit.
Columnam nactus es ignis, nubis non item:
Quia tam illuſtris virtus, opacari non poteſt.
Domabis Africæ monſtra, Donati aſſeclas;
Opima Britanniæ ſpolia in urbem referes.
Immortali dignus es laude,
In cujus tutela immortalitas fuit.
Siquidem te docente, tandem eſt faſſus Eutychius,
Humani corporis, quam negabat, anaſtaſim.
Tum reſpondebit nomē c felici, vel religionis ignem. ſorte, vel ſua.
Te auctore Imperator ejus libellum projecit in
Meritò damnatus eſt rogo,
Qui perpetuum noſtrum faciebat cinerem.

c ἐυτυχὴ Bona ſors.

2. Se-

2. Secundus S. *Bonifacius IV.* natione Marſus ex Monacho S. Sebaſtiani in Pontificem aſſumptus: hoc pius, quod paternam domum in Monaſterium ſui Ordinis commutârit: hoc clarus, quod templum Pantheon, à Phocâ Cæſare impetrârit, & Divæ Matri, ac Sanctis omnibus conſecrârit.

3. Tertius S. *Theodatus*, patria Romanus, ex Monacho Cælii montis, Pontifex creatus, *d* vir religione, & omni comitate præditus, in delinquentes clemens, in pauperes beneficus, in hoſpites benignus, erga calamitoſos miſericors, Eccleſiam B. Petri, via Portuenſi inſtauravit, ac dedicavit. *Auxit & Monaſterium S. Eraſmi, in Cælio monte, ædificiis & fundis, ubi ipſe Monaſticam vitam duxerat.*

4. Quartus S. *Agatho*, natione Siculus, *e* ea vir ſanctitate, & miraculorum gratia, ut leproſum ſibi obvium, vel ſolo oſculo ſanârit. Tantæ præthereà manſuetudinis, & humanitatis fuit, ut neminem à ſe unquam triſtem dimiſerit. Concilio 289 Epiſcoporum habito, Hæreſim Monotelitarum damnavit.

5. Quintus. S. *Stephanus III.* primò Monachus S. Chryſogoni, veriùs autem Caſſinenſis, ex teſtimonio Benedicti Luchini Mantuani, Abbatis S. Mariæ, apud Placentam, apud quem hæc exſtant: *f* Zachariæ, *Stephanus ſanctiſſimus, ac beatiſſimus, & Caſſinenſis Cœnobii* SOL SPLENDIDISSIMUS *in Apoſtolicam ſedem Pontifex ſubrogatur.* *g* Vir fuit ſingularis eruditionis, & zeli. Statuas Sanctorum, quas ſacrilegum Græcorum decretum templis eliminârat, & profanârat, ſumma veneratione reſtitui mandavit. Quibus ex ſententia peractis, in gratiarum actionem, ex Baſilica Lateranenſi, in D. Petrum ſupplicationem inſtituit, cum maxima omnium religione, Pontifice cæteríſque omnibus, nudis pedibus incedentibus.

6. Sextus. S. *Stephanus IV.* Siracuſanus, ex Monacho S. Chryſogoni Romæ, congregationis primæ Benedictinæ S. E. R. Preſbyter Cardinalis, ac tandem Pontifex creatus: *h* qui *Virtute ſua, & vitæ puritate, eximium patriæ, & Eccleſiæ ſplendorem attulit.*

7. Septimus. S. *Paſchalis* I. Romanus, ex Monacho, & Abbate S. Stephani, & Preſbytero Cardinale, univerſæ Eccleſiæ Paſtor denunciatus: quem Stephanus Papa dum viveret, ob ejus virtutem, & doctrinam, Monaſterio B. Stephani Martyris in Vaticano præfecerat. *i* Hic captivos, perſoluto creditoribus pretio, è vinculis liberavit. B. Praxedis templum à fundamentis extruxit, non longè à veteri, quod ruinam minitabatur. Quo quidem in templo, à ſe dedicato, perſæpe celebravit, & multorum corpora Sanctorum ſine veneratione in cœmeteris jacentia, collocavit. Exſtat in eadem Baſilica ſacellum S. Agneti dedicatum, quod ipſe pluribus ornamentis locupletavit. Templum quoque S. Cæciliæ exædificavit, in quo hujus Virginis & Martyris, & ejus Sponſi Valeriani, Tiburtii, Maximi, Martyrū, Urbani, Lucii Pontificum

d Platina in vitis Pont. e Ibid. f Benedict. Luchini in M. S. g Wion. lignum vitæ de Ord. S. Bened. pag. 137.

h Thomas Farellus de rebus ſiculi l. 4. c. 1. i Platina.

ficum corpora collocavit, multis ex auro & argento muneribus,& & ornamentis additis. Templum quoque ad præſepe, vetuſtate quaſſum inſtauravit.

8 Octavus. *S. Gregorius IV.* Romanus,ex Monacho foſſæ novæ, eo tempore pontificatum iniit, quo Sarraceni Aſiam occupantes, ad ſancta Palæſtinæ loca,Chriſtianis aditum intercluſêre. *k* Fuit hic nobilitate inſignis, ſanctitate clarus, doctrinâ & eloquentiâ præcipuus, diligentia, ac ſolicitudine, tum in rebus divinis,tum in humanis,admiratione dignus. Tranſtulit idem Sanctiſſimus Pontifex B. Gregorii corpus magnis adhibitis ornamentis. Sunt, qui ſcribant,rogatu Ludovici Regis,Gregorium Sanctorum omnium celebritatem, Kalendis Novembris inſtituiſſe, eámque rem magnopere à Rabano Monacho, Theologo inſigni, carminibus, & proſa laudatam fuiſſe.

9. Nonus. *S. Leo IV.* Romanus, ex Monaſterio SS. Silveſtri, & Martini, congregationis primæ Benedictinæ, & S.E. R. Cardinale, Pontifex creatus. *l* Tantæ ſanctitatis vir, ut ſerpentem ſuis orationibus è fornice S. Luciæ Virginis expulerit, cujus virulento halitu, multi mortalium interierant. Signo Crucis incendium reſtinxit, ac Sarracenos Urbi exitium claſſe minitantes, vicit ac profligavit.

10. Decimus. *Stephanus VII.* Romanus, ex Monaſterio de Brandalo, Ordinis S. Benedicti, Epiſcopus Anagninus, dein Pontifex creatus.

k Platina. l Ibid.

11. Undecimus. *Joannes IX.* Romanus, ex Monacho Cœnobii Sancti Benedicti, Tiburti Cardinalis, ac poſtea ſummus Chriſti in terris Vicarius.

12. Duodecimus. *S. Leo V.* Ardeatinus, ex Monacho de Brandalo Papa proclamatus, quadrageſimo ſuæ ordinationis die, Pontificatui renuntiavit, & ad Monaſterium ſuum remeavit.

13. Decimus tertius. *Silveſter II.* natione Gallus, & Monachus olim Floriacenſis, Mathematicus, & Philoſophus egregius. *m* Diſcipulos fertur habuiſſe Othonem Imperatorem, Robertum Franciæ Regem, Lotharium, virum nobilitate,& doctrina inſignem, qui poſtea Sinonenſis Archiepiſcopus creatus eſt. Silveſter autem Heribertus dictus, propter inſignem doctrinam, primum Archiepiſcopus Remenſis, deinde ab Othone tertio Imperatore Archiepiſcopus Ravennas, demum Papa creatus eſt.

14. Decimus quartus. *Joannes XIX.* Romanus, Benedicti ſeptimi frater,de familia Comitum Tuſculanorum. Ex Monacho S. Anaſtaſii Romæ, & Cardinale Epiſcopo Portuenſi, Summus Pontifex.

15. Decimus quintus. *S. Leo. IX.* è Regio Comitum Hasburgi genere,natione Germanus, Bruno antè vocatus, ex Monacho Tullenſi,congregationis Cluniacenſis, ejuſdem civitatis Epiſcopus,ac auctoritate Henrici Tertii Imperatoris, Pontifex renuntiatus,habitum Pontificium,quo indutus Romam petebat, ſuaſu & conſilio Abbatis Cluniacenſis, &

m Platina. Annonius l. 5. de rebus geſtis Franc. c. 46.

Hilde-

Hildebrandi Monachi (qui poſtea fuit Gregorius Septimus Papa) tanquam illegitimè collatum, dimiſit,& ſeipſum pontificatu abdicavit. Quod factum ita Deo placuit, ut illud manifeſto oraculo, voce de cœlo lapſa: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*, comprobârit. Unde à Romano Clero, omnium plauſu & approbatione in Cathedra Petri conſtituitur. Vir fuit pietate, vitæ innocentiâ, benignitate, gratiâ, hoſpitalitate adeò inſignis, ut ejus domus peregrinis, & pauperibus ſemper patuerit. Unde meruit & Chriſtum ſub peregrini habitu ſuſcipere.

16. Decimus ſextus. *S. Stephanus X.* Gente Lotharingus, filius Ducis Lotharingiæ, Abbas olim Caſſinenſis.

17. Decimus ſeptimus. *S. Gregorius VII.* Patriâ Hetruſcus, Monachus Cluniacenſis, *n* qui pro Eccleſia multa agere, multa pati Succeſſores docuit. Præclara ejus geſta exſtant apud Platinam, & in hiſtoria Caſſinenſi, quàm acrem ſe contra Hæreticos, alióſque Eccleſiæ hoſtes, defenſorem præbuerit.

18. Decimus octavus. *B. Victor III.* Beneventani Principis filius, qui adhuc adoleſcens uxorem ducere coactus, eâ intactâ ad Caſſinenſe Monaſterium profugit, ubi ejus loci Abbas à Gregorio VII. Cardinalis effectus, & in Pontificatu Succeſſor. *o* Henrici Imperatoris fraude ſublatum, immixto calici, quo celebrabat, veneno, tradit Platina; ſed melius alii, morbo correptum, in Caſſinum montem referri voluiſſe.

19. Decimus nonus. *B. Urbanus II.* Monachus Cluniacenſis, *p* qui in Concilio Claromontenſi, inter alia inſtituit, ut horæ B. Virginis quotidie à Clero legerentur. Româ ob bella profugus, Placentiæ Synodum habuit, in qua licentiam quorundam Eccleſiaſticorum compeſcuit. *q* Inde in Gallias profectus, rem memoratu dignam, & Chriſtiano Orbi utiliſſimam aggreſſus eſt, dum Principes Chriſtianos, ad recuperandum Hieroſolymam à Saracenis, animavit, ut anno ſalutis 1084 trecenta peditum, & centum millia equitum nomen in militiam Chriſti dederint, ſignúmque Crucis ſuſceperint, felici expeditione.

20. Vigeſimus *S. Paſchalis II.* Tuſcus, ex Monacho, & Abbate S. Laurentii, & Stephani, extra muros Romæ, Congregationis Cluniacenſis, *r* ob virtutem, & doctrinam Cardinalis, ac dein ſchiſmate contra Clementem III. Antipapam exorto, ad oves Chriſtituendas, univerſalis Paſtor, invitus, & reluctabundus conſtituitur.

21. Vigeſimus primus. *S. Gelaſius II.* Patriâ Cajetanus, Monachus Caſſinenſis, è Cardinale, omnium ſuffragiis, caput Eccleſiæ, nolens, & gemens eligitur. Multis ſeditionum procellis jactatus, Cluniacum reviſit, ibíque vir ſanctiſſimus mortuus & ſepultus eſt.

22. Vigeſimus ſecundus *S. Caliſtus II.* Burgundus, ex Monacho Falleritano in Gallia, Congregationis Cluniacenſis Archiepiſcopus, ac dein Cardinalibus aliquot

n Platus de bono Stat. Relig. lib. 2. c. 28. o Platus cit.

p Platina. q Platus de bono ſtat. Relig. lib. 2. c. 28. r Platina.

Cluniaci congregatis, & qui Romæ erant adſtipulantibus, Gelaſio II. ſurrogatur.

23. Vigeſimus tertius. *Anaſtaſius IV.* Patriâ Romanus, Abbas Monaſterii S. Rufi, ordinis S. Benedicti: *ſ* Ædes egregias apud Mariam Rotundam ædificavit. Calicem ſummi artificii, & ingentis pretii, Lateranenſi Baſilicæ condonavit. Fame per Europam graſſante, pauperibus largâ munificentiâ ſubvenit.

24. Vigeſimus quartus *Hadrianus IV.* natione Anglus, è Monaſterio S. Rufi, ab Eugenio III. Epiſcopus Albanus, & Cardinalis creatur, quod in Norvegiam miſſus, ejúſque gentis Apoſtolus ad Chriſti fidem Provinciam convertiſſet.

25. Vigeſimus quintus. *Innocentius IV.* Patria Genuenſis, nobili familiâ Fliſcâ, & Lavaniæ Comitibus, Monachus S. Benigni, Ordinis S. Benedicti, Juris utriuſque conſultiſſimus, è Cardinale Pontifex, *t* in numerum Sanctorum, retulit Edmundum Archiepiſcopum Cantuarienſem, Petrum Veronenſem, Ordinis Prædicatorum illuſtrem Martyrem. Stanislaum Cracovienſem Antiſtitē, in vita, & à morte miraculis clarum. Decrevit, ut Octava Nativitatis B. Mariæ Virginis, quotannis celebraretur. In vigilia Natalis Domini, Anno Chriſti 1244. in Concilio Generali, duodecim Cardinalibus viris, omni ſcientiâ, & probitate eximiis creatis, primus inſigne rubri galeri. illis dedit. Quo ſignificatur, eos etiam caput ſuum, ſi opus eſſet, pro Eccleſiaſticâ libertate tuendâ, gladio offerre debere: eo potiſſimum tempore, quo Eccleſia Romana, à Frederico II. Imperatore, vehementer oppugnabatur.

ſ Platina.

26. Vigeſimus ſextus. *Clemens VI.* Patria Lemovicenſis, Abbas Fiſcanenſis. Archiepiſcopus Rothomagenſis, Cardinalis, poſtea Pontifex, Avenione in Monaſterio Prædicatorum, creatus. (*t*) Vir fuit multæ doctrinæ, & raræ eloquentiæ, Theologiæ magiſterium antea Pariſiis adeptus. Jubileum, quod centeſimo dumtaxat anno indulgeri ſolebat, quoque quinquageſimo libenter indulſit.

27. Vigeſimus ſeptimus. *S. Urbanus V.* natione Gallus, Abbas S. Victoris Maſſiliæ. *v* Quem Pontificem creatum, Romæ convenit S. Brigitta, pro approbatione Regulæ, multaq; ei prædixit.

De his omnibus conſtat, ex quo Monaſterio aſſumpti. Horum qui ſequuntur Pontifices, ex Ordine Benedictino, Profeſſionis locus ignoratur.

28. Vigeſimus octavus. *S. Gregorius II.* Marcelli filius, Monachus Ordinis *S. Benedicti*, de quo Trithemius: (*v*) *Gregorius Papa II. ex Monacho, vir doctiſſimus, & Hæreticorum expugnator egregius, multa ſanctitate refulſit in populo.* Hujus peculiaris laus eſt, quod ejus operâ, Germani ad orthodoxam fidem converſi ſunt, miſſo eò Bonifacio Monacho, quorum magnam partem Romam venientem, ſuis manibus vir ſanctus baptizavit.

29. Vigeſimus nonus. *S. Zacharias*, Græcus, ex Monacho *Benedictino*, Cardinalis. Ordinis *Benedictini* fuiſſe patet ex ipſius verbis, in privilegio, Monaſterio Caſſinenſi

(t) Beyerlinck theat. lit. R p. 204.
v Wion. lignum vitæ. l. 2, c. 2. (v) Trithem. lib. 3. c. 161.

nenſi conceſſo, ubi ſic ait: x *Qui pro intuitu hujus noſtri Apoſtolici inſtituti obſervator exſtitit, per interceſſionem* BEATISSIMI PATRIS NOSTRI BENEDICTI *conſequatur, & vitæ æternæ præmia mereatur.*

30. Trigeſimus. *S. Sergius IV.* Romanus, ex Monacho cujuſdam Cœnobii *S. Benedicti*, ſummus Pontifex, vir per omnem vitam ſanctiſſimus. *y* Hujus conſilio, & monito, Principes Italiæ, compoſito fœdere, conſilia ineunt pellendi Saracenos è Sicilia, idque moliri paribus animis, & armis aggreſſi ſunt.

31. Trigeſimus primus. *Alexander IV.* Patria Anagninus, ex nobili Comitum Signiæ familia ortus, Gregorii IX. nepos, de quo Paulus Langius: *Alexander IV. noſtri Ordinis, divi videlicet* BENEDICTI, z *Innocentio ſucceſſit, qui Monaſterio noſtro glorioſum privilegium dedit.*

Hæc de Viris illuſtriſſimi Ordinis veſtri, Tricoronide infulâ inſignitis, & ſummis Chriſti Vicariis: quæ dignitas cùm tanta ſit, ut parem in terris non habeat, unique Deo ſit inferior, tantámque rerum molem ſuſtineat, ut ſummam quandam ſapientiam, cum ſumma ſanctitate conjunctam requirat, non poteſt non ipſis, qui ad eam dignitatem divinitus electi ſunt, totíque eorum familiæ, eſſe perhonorificum. Quare ſi domus, & omnis propinquitas, ex qua aliquis ad hoc honoris faſtigium aſſumitur, quamtumvis obſcura, & tenuis, tamen nobilitatur, & illuſtratur; cur non hic idem ſplendor redundet in Religionem, in quam Religioſus quiſque, jam quaſi in propriam familiam aſcitus eſt, & cujus beneficio, & adminiculo, eruditione, & ſanctitate inſtructi, ad hunc honorem pervenerunt, quicumque pervenerunt.

Summis Pontificibus, accenſeri poſſent *Purpurati* Patres, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ *Cardinales*, *a* qui centum & octoginta numerantur, ad ſplendorem ſacri illius, ac Religioſi inſtituti. Quod & ornârunt, ubique fere locorum *Archiepiſcopi* mille, quingenti, ſexaginta quatuor. *Epiſcopi* verò, ter mille, quingenti, duodecim. *Abbates* virtute, eruditione, & ſcriptis Illuſtres, quindecim millia, ſexingenti.

b O *quàm plures*, exclamat Encomiaſtes hîc Benedictinus,
ſine mitra, refulſere inde citrà Prælati Eccleſiæ.
Quotque ſanctæ Moniales, Conſorores, & Sodales, degunt ſocialiter.
Non eſt meæ facultatis, compenſare dicta factis, ac ſtylo differere.
Sed quis alter Confeſſorum, ſecum ducit talem chorum, per cœli palatia?

Quod ſi à ſacris Infulis, & Pontificiâ tiarâ, ad ſceptra Regũ, & diademata Imperatorum, deſcendere voluero; non minorem ſplendorem Benedictinæ familiæ, à viris Principibus acceſſiſſe comperiemus, qui hæc imperii inſignia, & Regni decora aſpernantes, ad Benedicti caſtra glorioſius nudi confugêre, quàm dum illis inſigniti, ſæculo clareſcerent. Hi enim mundo triumphato, iiſque honoribus, ac titulis, quos mundus maximè reputat, relictis, c *de contemptu gloriæ*, ut ait Bernardus, *glorioſius ſublimati*,

x In fine Chronici Caſſin. y Platina. z Vid. Wion.

a Trithem. lib. 2. cap. 5. b Arnold. Wion, lignum vitæ. c Bernard. Ep. 113.

& ſublimiùs gloriati ſunt. Videre eſt Principes Orbis familias, gentilitiæ ſuæ Nobilitatis ſtirpem, ac longam avorum progeniem, per arborem varios in ramos expanſam deſignare: eáque longè illuſtrior habetur, quæ plures ſummos Pontifices, Cardinales, Præſules, Reges, Imperatores, qualis arbor Auſtriaca, Borbonia, Valeſia, aliæque, progerminârunt. Sed præ his omnibus, d *Arbor fuit* BENEDICTUS, multò præſtantiſſima, extendens ramos ſuos honoris, & gloriæ, à mari, uſque ad mare, e *in mille generationes.* Sic etenim Cardinalis Baronius, cujus hæc verba: f *Quis Dei conſilium non magnopere admiretur, dum conſiderat, eo fermè tempore, quo in Oriente Monachiſmus eſset magna ex parte collapſus, eodem in Occidente à* S. BENEDICTO *inſtaurari, atque longè, latéque diffundi obſervantiam Monaſticæ diſciplinæ; eámque adeò fœcundo germine propagari;* CÙM VELUTI EX TENUI SURCULO, PRÆGRANDIUM EXORTÆ SINT FRUGIFERARUM ARBORUM SYLVÆ, QUÆ UNIVERSAM REPLEVERINT OCCIDENTALEM ECCLESIAM. Quod priuſquam comprobare aggredior, non abſimile vero ſentiendum eſt, g quod tradit Plinius de quibuſdam Platanis, mirum in modum, in altum, latúmque ſeſe diffundentibus: h *Clara eſt,* inquit, *arbor in Lycia, domicilii modo cava octoginta pedum ſpecu, nemoroſo vertice, tam digna miraculo, ut Licinius Mutianus ter Conſul, prodendum etiam poſteris putârit, epulatum intra eam ſe cum duodevigeſimo comite, & cubuiſſe in eadem.* i Quid, quod viros Principes, arbores incoluiſſe, *palatia in iis exſtruxiſſe*, & velut nidificâſſe referat? k *Aliud*, inquit, *exemplum Caji Principis, mirati unius tabulata, laxiſque ramorum trabibus ſcamna patula, & in ea epulati, cùm ipſe pars eſſet umbræ quindecim convivarum, ac miniſterii capace triclinio. Quam cœnam* NIDUM *appellavit.* Mirari deſine, & arborem mille benedictionibus repletam ſuſpice, & obſtupeſce, quam non unus l Princeps, cum parvo Nobilium comitatu, ſed Imperatores viginti, & unus: Imperatrices duodecim: Reges viginti, è quibus duodecim Sanctorum faſtis adſcripti; Reginæ verò ad quadraginta quinque, atque ex his octo & decem ſanctas cœlites, celebrat Eccleſia Illuſtria horum nomina, longo elencho recenſita, apud Auctores videre eſt. Principes, Duces, Comites, Marchiones, alióſque viros Nobiles recenſere, infinitum eſſet, m qui omnes ſpretis mundi palatiis, Regni pompis, nobilitatis inſignibus, *Divi Benedicti* inſtitutum profeſſi, hanc arborem incoluêre, hîc ab æſtu umbram captarunt, & ab aulæ ſtrepitu, ſecurè nidificarunt. Sunt quidem apud Deum animæ omnes, ut æqualis naturæ, ſic etiam æqualis pretii, & potius, ſi quod videatur ab illo diſcrimen ſervatum, hoc ſervatum eſt, ut magis pauperes eligeret, quàm divites, magiſque contemptos, quàm honoratos in ſæculo. Sed tamen fit, neſcio quo modo, ut quò illuſtriori & cla-

d Bern Serm. de S. Bened. e Pſ. 104. v. 8. f Baron. anno Chriſt. 529. g Majoli canicul. tit. plantæ. h Plin. lib. 12. cap. 1.

i Majol. cit. k Plin. cit. l Imperatores, & Imperatrices, Reges ac Reginæ Ordinem S. Bened. profeſſi. m Wion. lign. vitæ. Beyerl. theat. lit. P. p. 207 208.

riori

riori quiſque ortus eſt ſanguine, ejus virtus majori plauſu excipiatur: ſive quia res difficilior, ſive ob eam cauſam, quam reddit Auguſtinus, quia n *cum multis noti, multis ſunt auctoritati ad ſalutem, & multis praeunt ſecuturis, ideóque multum de iis gaudetur, quia de multis gaudetur.* Et plus hoſtis vincitur in eo, quem plus tenet; plus autem ſuperbos tenet nomine nobilitatis, & de his plures nomine auctoritatis. Hanc igitur ob cauſam infinita Dei Bonitas, multos quoque ejuſmodi ad Religioſum famulatum elicere voluit; tùm o *ne potentes*, ut ait Job, *abjeciſſe videretur, cùm ſit ipſe potens*; tum etiam, ne Religioni hæc quoque laus deeſſet, ut ſæculari quoque Nobilitate ornaretur. Denique, ut eò etiam vis divinæ gratiæ illuſtrior eſſet; ſi tam magna vincula, quibus ejuſmodi homines illigantur, dirumperet. Unde perappoſitè Bernardus ad magnam nobilium Novitiorum turmam, qui Ciſtercienſi inſtituto recens ſe tradiderant, in quadam Epiſtola ſcribit: p *Legeram*, inquit, *non multos nobiles, non multos ſapientes, non multos potentes elegit Deus: at nunc præter regulam, mirâ Dei potentiâ, talium convertitur multitudo. Vileſcit gloria præſens, juventutis flos conculcatur, non reputatur generoſitas, ſapientia mundi ſtultitia judicatur, non acquieſcitur carni, & ſanguini: parentum, & charorum renunciatur affectibus: favores, & honores, & dignitates, reputantur ut ſtercora, ut Chriſtus lucrifiat.* Atque eadem eſt etiam admiratio Hieronymi de ſua ætate: q *Noſtris*, inquit, *temporibus Roma poſſidet, quod mundus ante neſcivit. Tunc rari ſapientes, potentes, nobiles Chriſtiani. Nunc multi Monachi ſapientes, potentes, nobiles.* Quæ ne remotiùs petita quibuſdam videantur, Nobilitatem Belgicam, & infinita, quæ ſub *Divi Benedicti* cultoribus, qui tum prope ſoli vigebant, pietatis germina pullularint, ad ruborem inducere placuit: Magnum enim in omnem partem momentum habet, virorum, matronarúmque Principum exemplum: & quod magnis auctoribus commendatur, pulchrum id ſubditi, atque expetendum ducunt. Ingredimini ergo tantiſper hoc virtutum viridarium, & inter Belgicæ nobilitatis decora, florem aliquem, fructúmque decerpite. Neminem proferam, niſi communi Eccleſiæ ſuffragio cœlitibus adſcriptum. Videte Sanctum Vincentium Hannoniæ Comitem, ejúſque conjugem Waldetrudem, qui non contenti quatuor liberis ſanctitate conſpicuis, plurimos inſuper uterque Chriſto aggregarunt. Quieſcit ille Sonegiis, oppido Hannoniæ, in Eccleſia Canonicorum, quæ prius fuit Monaſterium *S. Benedicti*, ab ipſo conſtructum. Videte Wandregiſilum, ſub Dagoberto Galliæ Conneſtabilem, ſponſæ ſuæ perſuaſiſſe, ut ſanctiores virginitatis nuptias cum Chriſto paciſcerentur. Ipſe Monachus Montis Falconis, & Abbas Fontanellæ, Monaſterium aulæ poſthabuit. Et ne fragilior ſexus hac laude videatur inferior, tantundem eodem ſæculo nobiliſſima Bertilia, marito ſuo Gutlando perſuaſit. Taceo r Baſinum, Judocum, Winocum, om-

n Aug. l. 8. conf. c. 4. o Iob. 36.
p Bern. Ep. 109. q Hier. Ep. 26.

r Meyerus. Wion. Trith.

nes regii ſanguinis, alioſque complures, ne immergar in hoc laudum Oceano. Suffecerit dixiſſe, & hanc benedictionem benignum Numen BENEDICTO impertitum fuiſſe: ſ *Regeſque* EX TE *egredientur*, & Reginæ, & Principes, qui exuti omnibus regni ornamentis ſuis, tam regiis, & egregiis exuviis hanc BENEDICTI arborem exornârunt. Stolidum meritò, ac ſtultum cenſeri poſſet Xerxis inventum, t qui, neſcio qua ductus inſania, præcelſam platanum uſque eò deperiit, ut eam complecti, exoſculari, quin & torquibus aureis circumdare, purpura conveſtire, ramos armillis, monilibúſque condecorare, atque omni ornatu regio locupletare non dedignatus ſit. Quæ hominis inſania, ut maximè ridenda, ita divina virorum Principum, qui Benedictinæ familiæ arborem, & auro, & torquibus, ſceptris & diademate condecoârrunt, numquam ſatis extollenda.

Nunc in hac adeò præcelſa arbore, toto terrarum orbe ſuis ramis latè diffuſa, quot, quàmque amplos nidos, v *cœli aves*, id eſt, inquit Hugo Cardin. *viri Religioſi* inædificârint, juvat paucis commemorare. Peregrinum, ac paradoxum vobis fortaſſe videbitur, quod in Nova Hiſpania uſitatum, ac pervulgatum eſt, x inter ingentium arborum ramos commodas ædes, & regia atria à proceribus ædificari: quale à Regulo Abibeida peramplum exſtructum ferunt in arbore, cujus trunci ambitum, octo homines expanſis ulnis complecti nequibant: inhabitâſſe autem unam ex iis ædibus, quaſi in Tuſculo ſuburbano, pluſquam ducentos familiares, tradit Petrus Hiſpanus y. Verùm de qua hic agimus, *arbor fuit beatus* BENEDICTUS *grandis atque fructifera*, omnibus longè excelſior, atque excellentior, cujus capacitatem & volucres & nidi, id eſt, Religioſi, eorúmque clauſtra loquantur; quæ apte nidis, qui extus horridi, conferuntur. z *Divo Benedicto* multorum filiorum parenti, id uſu venit, quod olim Joſepho, quo mortuo filii Iſraël a *creverunt*, & *quaſi germinantes multiplicati ſunt*, *ac roborati nimis*, *impleverunt terram*. Etſi enim dum in vivis eſſet, & Monaſteria longè plurima viderit, & in iis uberem filiorum progeniem; tamen à morte, è cœli ſpecula, ſpectavit multò uberiorem. Filii quippe ejus *creverunt* in gentem magnam, & *quaſi germinantes multiplicati ſunt*: & ita quidem, ut ea virtute roborati, terram impleverint; & utrumque Orbem. Ut, quemadmodum loquitur Mediolanenſis Præſul, b *Abram*, ita BENEDICTUS *ſeminarium poſteritatis ſuæ toto orbe diffuderit*. Quod vivo ſymbolo natura adumbrâſſe videtur in ficu Indica, quæ ramos ſuos in terram defluentes, rurſus germinare facit in immenſam propaginem, cui rectè illud Poëtæ ſubſcribitur:

c *Arbos una nemus.*

Plinium, qui pleniùs, ac planiùs hanc arborem deſcripſit, audite: d *Alexandri Magni victoria*, *mi-*

ſ Gen. 35. t Ælianus lib. 2. c. 14. v Hugo Card. c. 4. in cant. x Majolus canicul. tit. Plantæ. pag. 358.

y Petrus Hiſpan. part. 5. cap. 26. z Bern. ſerm. de S. Benedicto. a Exodi cap. 1. b Amb. in pſal. 118. c Ovid. d Plinius l. 12. c. 5.

ratu

rata eſt Indicas ficus. Ipſa ſe ſemper ſerens, vaſtis diffunditur ramis, quorum pondera adeò(fructuum ubertate) *in terram curvantur, ut annuo ſpatio infigantur, novámque ſibi propaginem faciant, circa parentem in orbem, quodam opere topiario. Intra eam æſtivant Paſtores, opacam pariter, & munitam vallo arboris, decora ſpécie ſubter intuenti, procul ve fornicato ambitu. Superiores ejuſdem rami in excelſum emicant, ſylvoſa multitudine, vaſto matris corpore, ut ſexaginta paſſus pleræque orbe colligant; umbræ verò bina ſtadia operiant: foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet.* Ejuſmodi *ſeminarium poſteritatis ſuæ toto orbe* BENEDICTUS *diffudit.* Quod Divi Gregorii jure confirmare poſſum teſtimonio, quia e *quot Sanctos protulit, tot palmites miſit.*

Quod ut omnibus manifeſtum ſit, ex Trithemii, aliorúmque Hiſtoricorum fide recenſebo, quot illi Monaſteria, quot Prioratus, & quis ſubinde in his, & illis, Religioſorum numerus.

f *Folengius* Hiſtoriographus, è ſacratiore *D. Benedicti* inſtituto, aſſerit aliquando fuiſſe Monaſteria, ſeu Abbatias ad triginta ſeptem millia; Prioratus autem ad quatuordecim millia, & inſuper Aſceteria Monialium, ſupra quindecim millia. Nec hic numerus diſplicet Genebrardo.

Ut autem hæ Abbatiæ, & Cœnobia, aliquo inter ſe nexu contineri poſſent, placuit primum dividere in Provincias triginta ſeptem, & hoc auctore *Benedicto IV.* Pontifice Maximo. Complectebantur autem ſingulæ Provinciæ Regna integra, & Diœceſes vaſtiſſimas: in quibus quis Monaſteriorum numerus fuerit, ex hoc collige, quod in uno Epiſcopatu Moguntino (ut auctor eſt Trithemius) fuerint centum viginti quatuor Monaſteria, non numeratis aliis decem, ibidem lapſu, & injuria temporum deſtructis g.

Provinciæ deinde in congregationes diviſæ, quæ plurima ſub ſe Monaſteria continebant. Ita *Congregatio Cluniacenſis* numeravit pluſquam duo millia Monaſteriorum, præter Prioratus propè innumeros. Et *congregatio Ciſtercienſis* quatuor millio Cœnobiorum, præter Aſceteria Monialium ad ſex millia.

Ex quibus ſi numerum Religioſorum, ac Religioſarum inire voluero, infinitus ſim: colliges ex eo, quis vel in unico Cœnobio aliquando fuiſſe legitur.

In Hiſpania monaſterium *Alcobaſſe*, nomine, recenſuit Religioſos nongentos nonaginta novem.

In Normandia, teſte Meyero, in Monaſterio *Giſmeſienſi* numerabantur Monachi nongenti, præter mille quingentos ſervos, qui ſic operi ſervili vacabant, ut ſimul ſervirent religioſum in morem, Religioni, Deóque devoti.

In Germania in unico *Fuldenſi* Monaſterio, præter eos, qui choro vacabant, aliiſque domeſticis miniſteriis, erant inſuper quadringenti Monachi, qui ſtudiis inſudarent, & liberalibus diſciplinis, ad commune Eccleſiæ bonum, atque utilitatem.

Denique ne omnia perſequar, &

e S. Greg. hom. 9. in Evangelia. f Anton. Iepes in Chron. ad ann. Chriſti 545. D. Benedicti 65.

g Trith. l. 1. de viris illuſt. S. Bened. c. 2.

& toto orbe evagari videar, in Hybernia, quæ nec adeò vaſta, nec opulenta, Cœnobium fuit, cui nomen *Bencor*, quod incolebant ad tria millia, quos etiam moderabantur Prælati ſeptem, eâ lege, eo ordine, ut in illo diu noctúque perenne eſſet officium, laus perennis, alternantibus, & ſibi invicem ſuccedentibus aliis, atque aliis, ne quæ ſcilicet horula, imò ne quod momentum à divina laude vacaret, ut Paulinum illud adimpleretur: h *Sine intermiſſione orate.* Ita hi orando, alii lucubrando, Eccleſiæ Dei utiliſſimè laborabant. Unde Bernardus hâc ſolemni feſtivitate, in laudes Sanctiſſimi Patriarchæ excurrens, ait: i *Quantæ pietatis fuit, quod non ſolum præſentibus profuit; ſed & pro futuris ſolicitus fuit! Non ſolum his, qui tunc erant, fructum protulit hæc arbor; ſed utique hodie fructus ejus, & creſcit, & manet. Dilectus planè Deo, & hominibus, cujus non ſola præſentia in benedictione eſt: nam & uſque hodie in triplicem amoris Dominici confeſſionem, triplici hoc fructu paſcit Domini gregem: paſcit vita, paſcit doctrina, paſcit interceſſione.*

Solent viri nobiles, ac potentes ſæculi, plantare arbores & de fructu earum non edunt;

Sed carpunt ea poma nepotes:

At S. P. BENEDICTUS, ſuaviſſimos laboris ſui fructus guſtavit, & per ſe, ac ſuos, non ſibi, ſed divino ſuo Colono uberrimos protulit. Unde ſic hortari pergit Doctor mellifluus: k *Per quem inceſſanter adjuti, fructificate & vos chariſſimi, quoniam in hoc poſiti eſtis, ut eatis, & fructum afferatis. Unde eatis? utique à vobiſmetipſis, ſicut ſcriptum: à voluptatibus tuis avertere.*

Quo verò fructu S. BENEDICTUS, ejúſque ſanctiſſimi filii, *Verbo, opere, & exemplo* paverint, tot purpurati Martyres teſtantur, qui agrum Domini ſuo ſudore, & ſanguine largiter irrigarunt. Quanta fidelium agmina, qui per ipſum, ejúſque Ordinis Apoſtolicos viros lucem fidei aſpexerunt, in campum deducet? Etenim ut paucis multa complectar, quanta lux per orbem univerſum ab hoc Sole diffuſa, gentilitatis tenebras diſſipavit; clariſſimúmque fidei Chriſtianæ diem induxit? Campaniam univerſam præſens ipſe BENEDICTUS ſuo lumine ad Chriſtum adduxit. Ubi è terris exceſſit, in terras tamen fulgentiſſimos radios ſuos, toto ex Ordine diffudit. Tunc Anglia per *Gregorium Magnum*, qui *Auguſtini*, & ſociorum ejus opera eſt uſus, ad Chriſti gremium acceſſit. Tunc Hiſpania per *Leandrum* Romanas leges accepit. Tunc Germania per *Bonifacium* ſeſe fidei noſtræ ſubmiſit. Tunc Belgium hoc noſtrum per *Amandum*, per *Willebrordum*, & per alios Sanctiſſimi hujus Ordinis Religioſos viros Romanam Eccleſiam agnovit. Tunc Polonia & Hungaria per *Adalbertum*, Suecia per *Stephanum*, Lituania, per *Brunonem*, Guaſconia per *Albonem*, Sclavonia per *Bonifacium* parta Chriſto fuerunt. Quinimò, ne eſſet orbis angulus, quem à BENEDICTO lux diffuſa non illuſtrâſſet, primi in India Occidentali fidei noſtræ præcones, Sanctiſſimi hujus Ordinis duodecim viri, quos è Monteferrato Pontifex ablegârat, exſtiterunt. Ita univerſus

h 1. Theſſ. 5. v. 17. i Bern. ſerm. de S. Benedicto. k Bern. cit.

verſus propemodum orbis, fidem ſuam Benedicto debet, & eidem ſalutem ſuam acceptam refert.

Quem non delectet hoc tam formoſum ſpectaculum, ubi hæc caſtra Dei, tot millia millium ſub ſanctiſſimi hujus Ducis vexillo militantium, tam illuſtria agmina circumſpexerit? Quis ſatis animo capiat, aut aſſequi valeat, quanta ductori gloria, è cœli arce, has in terris glorioſè militantes catervas contemplari: at quanto jucundius, & illuſtrius, triumphantes jam & cœlo receptos fortiſſimos Athletas coram intueri? Potentiſſimus ille Perſarum Rex Xerxes, florentiſſimam Aſiæ juventutem, exercitum ſuum, propè innumerabilem, in patentiſſimo campo Abydos, juxta Helleſpontum luſtravit: k *Cúmque de ſublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidiſſet exercitum*; (verba ſunt Hieronymi) *fleſſe dicitur, quod poſt centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, ſuperfuturus eſſet.* At tibi ô dux inclyte Benedicte, latiſſimus gaudendi campus patet, dum innumerabiles copias in omnem æternitatem tecum triumphaturas, in cœli atriis circumſpectas, quas obiter luſtrare, & tibi glorioſum, & nobis fructuoſum: l Sed quid numero comprendere refert, quod in Bibliotheca Caſſinenſi reperire eſt, Sanctos Monachos, ſub Regula Benedicti canonizatos, ad quadraginta quatuor millia, viginti duos; quorum quinque millia, quingenti, quinquaginta quinque fuerunt Monachi Monaſterii Caſſinenſis, ibidémque ſepulti. In Cœnobio Benenonenſi, ſanguine ſuo purpurati Martyres, Monachi nongenti. Alii nongenti in Gemericenſi Monaſterio pro fide occubuêre. In Anglia milleni, & amplius Martyrio coronati ſunt. *Infiniti alii, aliis in locis, pro Chriſto ſanguinem fuderunt*, atque Eccleſiæ agrum uberiorem reddiderunt: nam, ut Divus Leo tradit: m *Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.* Illud autem obſervatu dignum, cum tempore Trithemii † fuerint triginta ſeptem Monaſteriorum millia, abſque Præpoſituris, & Prioratibus, & quindecim millia Monialium Cœnobia; ſi in unoquoq; Monaſterio unus tantum (quod veriſimile) Sanctus fuiſſet; jam cenſeret hic Ordo Sanctos, ad quinquaginta duo millia. Quid ergo cùm unum Monaſterium centenos, & prope millenos habuiſſe deprehendatur; ut in hoc Maximo Patriarcha Benedicto, illa Abrahæ Benedictio adimpleta videatur: n *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris*: quam Benedictionem Auguſtinus o *non de carnali, ſed de ſpirituali ſemine* intelligit: Abraham enim *typus fuit Religioſorum*, & perfectiſſimum hujus Patriar-

k Hieron. Epiſt. ad Heliodor. l Sancti ex Ordine S. Bened. Pelbarti ſtellarium. Fundamina Ordinis pag. l. Beyerlinck. Theat. litt. P. pa. 207. Wion. Ferdinand. de Caſtillio hiſt. Dominicanæ lib. 1. cap. 24.

m S. Leo ſerm. in natali Apoſt. Petri & Pauli. † Beyerlinck. cit. n Geneſ. p. 22. v. 18. o Auguſt. lib. 16. de civ. cap. 16.

chæ

chæ exemplar, p *quem Dominus Deus noſter hac locupleti benedictionis ſuæ dote donavit, ut ejus gratia provocaret cæteros, inſtitutione corrigeret. Moyſes quoque Abram* (ego vobis BENEDICTUM) *imitandum deſcripſerit, ut corda hominum in vitia labentia, hujus viri contuitu, velut quodam terreſtri buſto reſuſcitaret. Non perfunctorium itaque debet videri, ſi nos quoque ſcrupuloſiùs ejuſdem viri verſemus veſtigia.* Quæ ſectando tot Lucida Ordinis hujus ſidera, cœlis, q *& generationi illi ſupernæ, quæ verè magna, inſerta ſunt.*

Hanc benedictionem filiorum ſuorum, acutiori mentis viſu, & ſublimiori radio, in ipſa eſſentia divinâ, quàm olim Abraham ſuam progenerationem, vidit BENEDICTUS. Etenim primum Orbis oraculum S. Gregorius: (q) *Vir Dei* BENEDICTUS *ad feneſtram ſtans, & omnipotentem Deum deprecans, ſubitò intempeſta noctis hora reſpiciens, vidit lucem fuſam deſuper, cunctas noctis tenebras effugâſſe, tantóque ſplendore clareſcere, ut diem vinceret lux illa: quæ in tenebris radiaſſet. Mira autem res valde in hac ſpeculatione ſecuta eſt: quia ſicut ipſe pòſt narravit, omnis etiam mundus, velut ſub ſolis radio collectus, ante oculos ejus adductus eſt.* Hac viſione Orbem hunc univerſum conſpexit, non ut in ſe, ſed ut eſt in perfectiſſimo prototypo, in Divina mente, ut infra dicemus. In hac longam filiorum ſeriem vidit, & ſpiritualem progeniem, variam, ac multiplicem, adinſtar ſtellarum firmamenti. Prímò, quia innumeri, & ſublimiſſimi. Secundò quia ornatiſſimi, & glorioſiſſimi. Tertiò quia mente cœlo affixi,

r *Humanæ nil fæcis habentes.*

Quartò, quia noctem ſæculi hujus, verbis, & exemplis, & ſcriptis ſuis illuſtrârunt. Unde Balduwinus præfatione ad Regulam DIVI BENEDICTI, hoc illius Ordinis encomium protulit: ſ *Sicut cœlum Sanctis, ita libris, & ſcriptis mundum, Eccleſiam optimis moribus, variis & perutilibus inſtitutis, abunde replevit, locupletavit, propagavit.* Quod quàm verè, argumento eſt, t quod quindecim millia ſcriptis, & eruditione clari ab Hiſtoricis referantur. Hinc denique celeberrima eſt eorum memoria, eáque perpetua, atque in reſurrectionis clariſſimâ luce, v *fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Quæ omnia paucis complexus Philo, Cicero Hebræorum, nos ad ſplendorem eorum æmulandum ſic hortatur: x *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes: ſic erit ſemen tuum. Egregiè dictum, ſic erit ſemen tuum, non tantum par ſtellarum numero: non enim ſolam multitudinem, ſed & alia multa ad perfectam felicitatem conducentia voluit indicare: Quaſi diceret, quale vides cœlum, & quæ in cœlo ſunt, talis virtus tua eſſe debet, planè cœleſtis, nihilve ſordidum terræ habens, ſemper umbra carens, plenáq; ſplendore puriſſimo, ornatè diſpoſita, neſcia interitus, immoto manens Ordine, ſemper ſui ſimilis. Vult enim Deus, velut quandam cœli effigiem, animum eſſe Sapientis* (maximè Religioſi) *ut ad ſimilitudinem cœli, habeat lucida ſidera, ſtatos motus; concinnas choreas, divinos circuitus, virtutum ſplendores* ful-

p. Bonaert. in Eccl. 44. Amb. l. 1. de Abraham. c. 1. q Amb. l. 2. de Abraham. c. 1. (q) S. Gregor. lib. 2. dial.

r Ovid. lib. 2. metam. ſ Valderama Serm. de S. Bened. t Beyerlinck. th. p. 207 v Dan. 12. 3. x Philo, liber quis rerum divinarum hæres ſit.

fulgentiſſimos : *nam ſi ſenſibilium ſtellarum invenire numerum eſt impoſſibile, multò magis intelligibilium*; quales Sancti fuerunt, quorum numero, ſi adſcribi volumus, has ſiderum proprietates, & perfectiones imitemur. Quo viros Religioſos potenter exſtimulat Tuitienſis Abbas, vir undique doctiſſimus libro 5. de Abraham, cap. 28 y *Suſpice cœlum, inquit Dominus ad Abram, & numera ſtellas, ſi potes. Et quia non poterat; ſic erit, inquit, ſemen tuum. Quia profectò pro eo, quòd educenti foras, & dicenti ſibi; egredere de domo tua, & de cognatione tua, obedivit; cœlum pro mercede magna nimis paratur illi, & omnibus quicumque exemplo ejus ſequuntur educentem foras, & dicentem ſingulis: obliviſcere populum tuum, & domum patris tui Erunt enim omnes ſicut ſtellæ cœli, id eſt, multi quidem; ſed certa numeroſitate multiplicati: nec verò pro ſola multitudine, vel numeroſitate; ſed pro differenti claritate: nam ſicut non ſolùm alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, ſed etiam ſtellarum; ſic non ſolùm alia gloria Dei, & alia ſanctorum filiorum Abrahæ; ſed ipſi differentem pro meritis gloriam habent.* Jure itaque meritiſſimo, hac celeberrima luce per totum orbem terrarum feſtivum illud Sapientis acroama univerſa celebrat, & decantat Eccleſia: z *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.* Quos laudare, & inter eos magnum BENEDICTUM deprædicare, non meæ tenuitatis. *Cœli enarrent gloriam ejus.* Preclarè Origenes: a *Sicut cœli luminaria, inquit, ac ſidera cunctis indeſinenter, quæ ſub cœlo ſunt, fulgent; ſic & Sanctorum virtutis inſignia, atque beatiſſimi eorum agones, omnibus in perpetuum ſingulariter lucent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus ſub ſole pietatis exemplum oſtendunt. Apoſtolus enim ait: Stella differt à ſtella in claritate. Sed & Angelus ad Danielem: tunc juſti fulgebunt, ut luminaria cœli, & tanquam ſol & luna, & tanquam ſtellæ in ſæcula. Sic itaque effulgent, atque emicant. Alius fide, alius caſtitate, &c.*

Ea propter Deus per Siracidem hæc glorioſa Patrum facinora, velut viva vitæ exemplaria nobis proponit, ut ait magnus Baſilius. b *Beatorum virorum vitæ, litteris traditæ, velut imagines quædam vivæ, divinæ Reipublicæ, ad bonorum operum imitationem, propoſita ſunt.* Quod appoſitâ illuſtrat ſimilitudine: *Quemadmodum pictores cùm imaginem ex imagine pingunt, frequenter ad exemplar reſpicientes, lineamenta inde ad ſuum opificium transferre contendunt: ſic oportet eum, qui ſtudet ſeipſum omnibus virtutis partibus perfectum efficere, ad Sanctorum hominum vitas, velut ad ſtatuas mobiles, actuoſas, oculos intendere, atq; eorum bona, per imitationem ſua facere.* Quam Sanctimoniæ imaginem, in ſe expreſſit divus Epiphanius, de quo Ennodius: c *Pingebat actibus ſuis paginam, quam legiſſet. Quid libri docuiſſent, vitâ ſignabatur.*

Divus Chryſoſtomus eloquentiâ, ut ſolet, aurea, jam inde à mundi cunabulis, d in meliores auras reducit viros, à virtute, rebúſque clarè geſtis illuſtres.

Abelem, qui livore invidiáque fraterna proſtratus occubuit.

y Rupertus lib. 5. de Abraham. c. 18. z Eccl. 44. 1. a Origenes in Iob. l. 1.

b S. Baſil. Epiſt. 1. ad Greg. Nazianz. c Ennodius in vita S. Epiphan. d Chryſ. Serm. de Martyribus Tom. 3.

Eno-

Enochum, qui è terris in amœna Paradiſi raptus eſt.

Noêmum, qui per immenſam aquarum eluviem generis humani reliquias, Orbi novo ſervavit.

Abrahamum, perfectæ obedientiæ exemplar, longè perfectiſſimum, qui voce Domini terra patria exceſſit, ferróque unicum filium, Deo victimam immolavit.

Ioſephum, purioris caſtimoniæ ſpeculum, qui impuro Dominæ afflatu, ne obſcurari quidem potuit, nedum frangi.

Moyſem, quicum Dominus locutus eſt e *facie ad faciem*, *ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*: fuítque in monte, ubi legem accepit, f 40 *dies*, & 40 *noctes*, & facies ejus inſtar ſolis reſplenduit. Palpabiles tenebras ſua luce diſſipavit, ac ſicco veſtigio Iſraëlitas per mare rubrum duxit.

Davidem, lenitatis & indulgentiæ typum, à quo hoſtilis veſtimenti fimbria capi potuit, non hoſtis ipſe lædi.

Danielem, feroces inter leones, tanquam mites inter agnellos, ſecurè, placidéque conſidentem.

Hæc ubi dixit, tum etiam gemmeum illud ore aureo pronuntiat: *Poſſumus nos quoque eſſe, quod ſunt, ſi faciamus, ipſi quod faciunt.*

Quæ magnus ille Præſul, ad ſubjectam olim concionem, hæc ego ad vos in præſentia, viri Religioſiſſimi, *ſemen, cui* BENEDIXIT *Dominus*, quorum parentes, & viros glorioſos, in virtutis certamen deſcendere fecit Deus, futuros utique vobis, & omnigenæ ſanctitatis exemplo, & ſtimulo potentiori, ad eam, quam toto animo, votíſque omnibus prenſatis, æternæ vitæ uſuram, ac felicitatem. Non eſt, quod ad vetera illa Orbis naſcentis, virtutum exempla recurratis. Quidquid Orator aureus in ſingulis eorum illuſtre, atque præclarum ſuſpexit, atque deprædicat; ea in ſanctiſſimo Patriarcha veſtro omnia expreſſa cernetis, juxta illud:

e Exod. 33. v. 11. f Ibid. 34. v. 28.

§. II.

Benedixit EUM *in omni Benedictione.* Epheſ. 1. v. 3.

ABelem livor, & invidia fraterna proſtravit.

BENEDICTUM livor ſuorum exagitavit, in ipſo vitæ Monaſticæ limine. g Ejus ſubditi, filii, fratres, cum tanti Patris, ac Præſulis diſciplinam ferre non poſſent, oblato vino (quod de more benedicebat Abbas) præſens venenum immiſcuerunt, ut tacitè per viſcera ſerperet malum, atque è vivis lenta morte tolleret; h *ſed benedictio Domini ſuper caput juſti*: nam ut manum extulit, ut benedixit, illico effractum vitrum, in partes diſſiliit, dixiſſes ad ſaxum duriuſculè alliſum.

Enochi felicem ſortem ducimus, quod vivus in Paradiſum translatus eſt. At longè feliciori BENEDICTUS, non in Paradiſum, ſed in Beatorum domicilium, ad ipſam Divinitatem contemplandam raptus eſt. Sic etenim divus Gregorius: *Quod autem collectus mundus ante oculos ejus dicitur, non cœlum, & terra contracta ſunt: videntis animus eſt dilatatus, qui in Deo raptus, videre ſine difficultate potuit omne, quod infra Deum eſt.* Quæ uberius Doctor Seraphicus

g Chron. D. Bened. anno 30. h Proverb. 10. v. 6.

ex-

exponens, ait: i *Mundus non fuit coanguſtatus in uno radio ſolis, ſed ejus animus fuit dilatatus: quia omnia vidit in illo, cujus magnitudini anguſta eſt omnis creatura.* Hîc oculum ſiſte, & raptum hunc ſupra Enochum longè ſublimiorem attende: *Vidit omnia in illo*: vidit utique *non in ſuo; ſed in lumine Creatoris.* Quod ipſum confirmat Dionyſius Carthuſianus: k *In divitiis gloriæ Dei fuit uberrimè raptus, & in lumine Creatoris ita expanſus, quod faciliter in ejus luce conſpicere quivit, quidquid ſub illo fuit. In divitiis*, inquit, *gloriæ Dei.* At ubi illæ divitiæ? *ubi raptus?* in lumine utique Creatoris, in atriis Domini, ubi liquidiùs, quam Enochus in Paradiſo cœli deliciis perfuſus.

Noëmus quidem in univerſo omnium mortalium cataclyſmo, octo dumtaxat ſervavit. At ſanctiſſimus hic Patriarcha, innumera corpora, & animas ab illuvie ſtagni picis, & ſulphuris conſervavit.

Abrahamus jam vir; egreſſus eſt de terra, & cognatione ſua, nobiliſſimam ſui victoriam de unico filio reportavit.

Benedictus verò etiamnum puer, ætatis anno duodecimo, parentes, propinquos, patriam, humana omnia aſpernatus, non in montem, ſed in abditam eremum, in horridam ſpecum confugit. Hæc in præſentia, non tam horrori eſt, quàm venerationi: nec tam horrida ſpecus, quam Paradiſi limen, miraculorum ſedes, & prodigiorum cœleſtium officina. De qua ſic Petrarcha teſtis oculatus: *Petitque puer non modò ſolitudinem; ſed deſertum, & illud inane; ſed devotum ſpecus, quod qui viderint, vidiſſe quodammodò Paradiſi limen credunt.* Devotum appellat antrum, quod in eo ſe Deo devoverit Benedictus, & nobiliorem victimam, quàm Abraham arietem, ſeipſum immolârit.

Joſephus inter aulæ delicias, inter infamis lupæ illecebras, laudabili fugâ, illibatum caſtimoniæ florem ſervavit. Sed fortiùs certantem, & glorioſiùs triumphantem nobili ſanguine Benedictum admirare. Huic ex orco malus genius mulieris ſpeciem ad omnem laſciviam inſtructæ objecit, ſimúlque in animo eos motus, eos æſtus, atque ardores excitavit, ut nullo lacrymarum imbre valeret reſtinguere. Quò ſe verteret in vaſta ſolitudine? unde conſilium? unde auxilium peteret? fortè incurrit in oculos dumetum, ſpinis, & ſentibus horridum: nec mora, nudum ſe in illud projicit, volvit, cruentátque totum: ſic nimirum libidinis aculeos aliis aculeis, velut cuneum cuneo repreſſit, & concupiſcentiæ flammas, ſanguine extinxit. Ut quando Poëtæ roſas olim omnes candidas fuiſſe volunt, ex his ſpinis credam primùm erubuiſſe. At ne iſtiuſmodi carnis ſtimulis, deinceps exſtimularetur, corpus licet tenellulum, ut jumentum fræno, & flagris domuit, memor ſalubris conſilii, quod D. Hieronymus, exercitatus hac in arena pugil præſcripſit: l *Ardentes diaboli faces, jejuniorum, & vigiliarum rigore reſtinguendas eſſe.* Jejunium illi perpetuum fuit: cibus herba, potus frigida; niſi ſubinde, ſed rarius, modicus panis, quem fune longiore in antrum demittebat

i Bonavent. l. de luminaribus Serm. 20.
k Dionnyſ. Carthuſ. Serm. de S. Bened.
l Hieron. Epiſt. 10. ad Fariam.

Ro-

Romanus Monachus; atque ita exhauſtum corpuſculum nodoſo cilicio, velut loricâ obarmabat. Spectabat è cœlo Deus hunc ſervi ſui rigorem, cujus etiam miſertus, ſacerdoti, qui fortè prandiolum, ſolito lautius in diem Paſchæ parabat, apparuit, & hæc illi: tibi prandium paras etiam ad lautitiam, & delicias; intereà ſervus meus fame extenuatur, & propè moritur. Dixit, & evanuit. At ille dicto obaudiens, in viam ſe dedit, & per avia, & invia, per abruptas cautes, & ſaxa, BENEDICTUM quæritat, ac tandem invenit, & non tam ſua, quàm Dei manu, & amabili providentia, prandiolum defert, reficítque. Plures mollicula caro ad peccatum incendit, & exſtimulat; at quàm raros reperire eſt BENEDICTI ſectatores! ſentes fortaſſe exhorreſcitis; at ſaltem has faces, jejuniorum, & vigiliarum rigore extinguite, foco ligna ſubducite, à vanitate oculos avertite, & in montem orationis, ſalvos vos facite. Ducem habetis. Machinator *Florentius* convenit cum ſeptem mulierculis, quibus venalis eſt pudor, & frons effrons, ut nudæ ſubintrarent Monaſterii hortos, infamíque tripudio, ac garritu, Religioſis, vel ſcandalum afferrent, vel ruinam. Indoluit enimverò BENEDICTUS, utque ſe, ſuóſque incendio ſubduceret, non ſine cœleſti inſtinctu, in montem Caſſinum, ſanctitatis ſedem convolavit. Glorioſa hac fuga, etiam *Joſephum* æmulatus.

Moyſem alterum in hoc monte contemplare, in quo dies omninò quadraginta in Oratione exegit, & mentis oculis uſurpavit ideam illius Ordinis, quem Deo auſpice meditabatur. Hic *m* regulam, dictante Numine, *diſcretione præcipuam, ſermone luculentam*, velut novæ legis tabulas, concepit. Moyſes ex Ægypti tenebris, & ſqualore, in lucem, nitorémque promiſſæ terræ, populum eduxit, & ſitim ſuorum, largiſſimo fonte è petra excito ſedavit. BENEDICTUS verò innumerabilem propè multitudinem è mundi Ægypto, in Religionem, ceu terram promiſſionis, vocavit, eduxítque, & cùm deeſſet aqua, etiam è ſicca rupe fecit ſcaturire. De quo pluribus poſtea.

Davidem longè illuſtriori elogio extollit Chryſoſtomus, quòd hoſti pepercerit, & ferociſſimam animi belluam, iracundiam ſuperârit, quàm quod urſum, & Leonem dilacerârit. Et ego non tam admiror, *magni Patris* imperio, Leænam obtemperaſſe, quàm motus animi in hoſtem capitalem frænaſſe. Sacerdos ille, cui nomen *Florentius*, captabat famam ſanctitatis, quam Divo BENEDICTO invidebat: hinc iræ truces, rancor acerbus, odiúmque efferatum, cui dum laxat habenas, BENEDICTO mortem meditatur & parat, eóque, ſpecie amicitiæ, & charitatis, panem illi ſubmittit; ſed veneno probè infectum, quod illius mens oculata detexit: diſſimulavit tamen, nec infandum ſcelus aperuit, aut ſiniſtri aliquid homini ſacrilego imprecatus eſt; ſed panem in prandium ſervari juſſit: *n* tum corvo (qui de more advolabat ad *Sancti* manus, ex iiſque cibum ſumebat) objecit, addens & illud in mandatis, ut eò loci deferret, ubi nec inve-

m Revel. Brigittæ lib. 3. c. 30 Gregor. l. 7. dial c. 36. n Chron. Bened. ann. 48.

inveniri poſſet, nec nocere. Sed corvus etiam toxicum præſentire viſus, circumvolitare, alis concutere, & quaſi facinus impium damnare. Sed iterum ingeminat mandatum *Vir ſanctus*, ſecurúmque ſui prenſare jubet, atque longiùs efferre. Paruit Corvus, prenſavit, extulit, & poſt duas horas, quaſi ſoluto penſo rediit, & portionem, de more, à viro Dei accepit.

Danielem denique in lacu, inter impaſtos Leones, hic Tiro Chriſti in ſpelunca, cui *ſublacus* nomen, inter tartareos Leones expreſſit. Hæc ſpecus ſeptem pedes longa, lata quatuor, non tam hominis domicilium, quàm ſepulcrum. In hac delituit non dies, ut Daniel, ſed annos omninò tres, notus uni Deo, & *S. Romualdo* Monacho, qui & illi habitum religioſum dederat, & velut alter *Habacuc*, victum tenuem ſubminiſtrabat.

His paucis enumeratis, quis non veriſſimum illud cenſeat, quod de S. Benedicto Divus Gregorius, Pontifex Maximus extulit oraculum? p *Juſtorum omnium ſpiritu plenus fuit*. Diceres, & ex vero quidem, ſpiritum omnem, gratias omnes, dona omnia, quæ in alios ſparſit Dei manus, in unum Benedictum collegiſſe, atque q *omni benedictione ſpirituali* prævenîſſe, ut eſſet r *gratia* Benedictus, *& nomine*, ut eſſet benedictus in gente ſancta ſua.

ſ *Laudemus* ergò *viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua*. Quod hodierna die per orbem univerſum veſter Religioſiſſimus Magni Parentis filiorum chorus, jure proprio, cum omni decantat Eccleſia: útque altiori hoc ſpiritu concinatis, brevem hanc, quam quidem poſtulârunt, paraphraſim libens ſubjicio, ne Concionatorem agere videar.

t *Laudemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua* Sacri interpretes hîc: v Aggrediamur celebrare laudes virorum illuſtrium gentis noſtræ, eorum, qui ſanctitate, ſapientia, virtutibus inclaruerunt, præcipuè verò parentes, id eſt, x Patriarchas, inquit Lyranus, ſiquidem redundat in honorem filiorum, genus duxiſſe à præclaris parentibus. y *Gloria filiorum, Patres eorum.* Quantum autem Judæi gloriati ſint Patre ſuo Abraham, patet ex Euangelio. Sed ut & filii, opera Abrahæ faciant, exempla parentum monent. Sic Iſaias hortatur: z *Attendite ad petram, unde exciſi eſtis, & ad cavernam lacus, de qua præciſi eſtis: attendite ad Abraham Patrem veſtrum* Simile eſt in Oratione Mathathiæ 2. *Mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis*. Et ut cum Poëta quémque exſtimulem:

> a—— *te repetentem exempla tuorum,*
> *Et Pater Æneas, & avunculus excitet Hector.*

V. 1. *Viros*, qui animo ſunt virili, & excelſo, qui *viros ſe* præbent in virtute, & ad quævis ardua aggrediendum: nam b fæminæ, inquit Cornelius, & homines animo effeminato, ad magnam virtutem non aſcendunt, nec quidquam maſculi, aut virile moliuntur. Vult tamen hic, ſub

p Greg. q Epheſ. 1. v. 3. r S. Greg. l. 2. dial. c. 1. ſ Eccl. 44.

t Eccl. 44. v Hugo Carl. Bonaert. in Eccl. Pina x Lyran. y Prov. 17. z Iſa. 51 a Virg. lib. 12. b Cornel. in c. 44. Eccl.

viris, viragines celebrari, qualis S. Scholaſtica, S. Mechtildis, S. Adelheidis, S. Praxedis, S. Radegunda, aliæque centenæ & millenæ, quæ ſexum vicerunt, & virtute ſe viragines præſtiterunt.

Nec *Viros* celebrat Sapiens quoslibet, aut vulgaris virtutis, & famæ; ſed *glorioſos*, c qui ſcilicet glorioſa & Heroica virtutum facinora ediderunt, per quæ gloriam apud Deum, Angelos, & homines numquam interituram adepti ſunt.

Et parentes, inquit, *noſtros*, *d* à quibus genus ducimus, unde prognati ſumus; quantum porrò gloriati fuerint Judæi Patre ſuo Abraham, *e* patet & ex veterum monumentis, quæ neminem in Eccleſia Priſca, in tanta veneratione fuiſſe, vel apud ipſos Gentiles, teſtantur: adeò ut Severus *f* Imperator inter Deos ſuos Penates, Abrahami effigiem veneraretur.

Hugo Cardinalis appoſitè hæc ad mores traducit, dicens, non ſolum laudandos Parentes noſtros verbis, ſed multò magis exemplis & imitatione: g *Armantur enim filiorum animi, dum Patrum recenſentur triumphi.* Quod Chriſtus propoſuit Judæis: h *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Si filii *Benedicti* eſtis, opera *Benedicti facite.*

In generatione ſua, nempe, i *ſpirituali*, inquit Lyranus, *quantum ad edoctos ab eis, quia Doctor habetur ſicut Pater eorum. Unde Apoſtolus:* k *in Chriſto Jeſu per prædicationem Euangelii ego vos genui.*

c Corn. d Bonaert. in Eccl. cit. e Corn. f Lamprid. in vita. g Bern. ſerm. 54. in cant. h Ioan. 8. 39. i Lyran. hic. k 1. Cor. 4.

V. 2 *Multam gloriam fecit Dominus in magnificentia ſua à ſæculo.* Seu, ut Græci, multam gloriam creavit Dominus in ipſis, magnitudine ſua ab ævo. Alii legunt: Oſtendit illis Deus magnam gloriam, id eſt reddidit glorioſos, pro ſua magnificentia: l *Honor*, inquit Lyranus, *eſt reverentia exhibita alicui in teſtimonium ſuæ virtutis: ſed ſi hoc fiat ſecretò, vel coram paucis, ſic eſt honor tantum; ſi autem palàm & coram multis, ſic dicitur gloria:* qualis accedit Sanctis per Canonizationem. Priſcis enim temporibus Eccleſia Latina in Martyrologio, & Græca in Menologio, Martyrum Sanctorúmque *m* Heroicos agones nudè referebat, poſteríſque imitandos proponebat, atque hæc erat horum canonizatio; quam deinde ſecuta eſt particularis illa, & ſolemnis, quæ de more, & ſolemni ritu fit à Pontifice. Primus autem, quem legimus ſolemniter canonizatum, fuit S. Witbertus, Epiſcopus Werdenſis, quem rogatu Caroli Magni Imperatoris, SS. D. Leo III. ſub annum Chriſti 804, *n* poſt lectam ipſius ſanctiſſimam vitam (inquit Baronius) innumeráque miracula, póſtque actas preces, celebratáq; jejunia, de conſenſu Cardinalium, cæterorúmque Prælatorum, ſolemni ritu interSacratiſſimũMiſſæ officium, Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcripſit, & inſtituit illum diem ab incolis celebrandum, atque ad divina confluentibus indulgentias conceſſit. Multa denique ab omnibus adſtantibus dona oblata ad pretioſam capſam, in qua Sancti reli-

l Lyran. hic. m Corn. in Eccl. 44. n Baron. Annal. Eccl. a. 804. 11.

quiæ

quiæ collocarentur, conficiendam. Eſt autem canonizatio, publicum Eccleſiæ teſtimonium de ſanctitate, & gloria alicujus defuncti, atque unà decernitur, qui honores eidem in terris à viventibus in Eccleſia ſint deferendi.

1. Ut, qui canonizantur, inſcribantur catalogo Sanctorum, hoc eſt, jubeantur ab omnibus haberi pro Sanctis.

2. Invocantur in Eccleſia publicis precibus.

3. Templa, & altaria Deo, in memoriam eorum conſecrantur.

4. Sacrificia tam laudum, quàm Euchariſtiæ, in honorem ipſorum Deo offeruntur.

5. Dies etiam feſtivi iiſdem conſecrantur, quibus eorum memoria celebratur.

6. Pinguntur eorum imagines, & in ſignum gloriæ, qua illuſtrantur, honorantur accenſo lumine.

7. Eorum reliquiæ pretioſis thecis incluſæ proponuntur, ab omnibus publicè honorandæ.

Quæ eo cultu, honore & gloria peraguntur, ut cum Pſalte Regio exclamare liceat: o *nimis honorificati ſunt amici tui Deus.* Atque hæc omnia ad Dei gloriam, cui omnia debentur, in quem omnia referuntur. Unde alii exponunt: *Deus per hos, magnam gloriam acquiſivit, jam inde à ſæculo, magnificentia ſua.* Primò enim præclara, & glorioſa opera per ipſos, ſua magnifica potentia demonſtravit Deus. Secundò, ab omni ævo, & orbe condito ſua magnifica benignitate aliquos ſemper viros ſapientia, & ſanctimonia glorioſos mundo exhibuit quaſi lucidiſſima in nocte ſidera. Tertiò, Deus magnam gloriam ſibi acquiſivit per viros illos, quos ita gratiis, & virtutibus ſuis exornavit; ſiquidem per illos magnus, & glorioſus omnibus apparuit, & magnificentiam ſuam, quæ ab æterno fuerat, ſingulis ſæculis voluit eſſe mundo perſpicuam. q

V. 3. *Dominantes in poteſtatibus ſuis.* Id eſt, inquit Hugo Cardinalis, in *virtutibus ſuis*, quibus victoriam, & dominium in ſe, & hoſtes ſuos adepti. r Rex etenim Magnus, qui dominatur animo, & paſſionibus ſuis.

Homines magni virtute, quæ verè Magnos facit apud Dominum: nam ut Ambroſius loquitur: ſ *Eſt coram Domino magnitudo animæ magnitudo virtutis.* Multi hîc, ut ait Seneca, t *inſani amore magnitudinis falſæ: nemo quippe iſtorum, quos divitiæ, honoréſque in altiore faſtigio ponunt, magnus eſt. Quare ergo magnus videtur? cum baſi illum ſua metiris, coloſſus magnitudinem ſuam ſervabit, etiamſi ſteterit in puteo.* Talis coloſſus Benedictus etiam in lacu, & alto puteo.

Annuntiantes in Prophetis: utpotè ſpiritu Prophetico afflati, futura, occultáque prænuntiârunt; quo quàm eximius hic Sanctiſſimus Patriarcha fuerit, in Totila perſanato probavit, & mortem Summis Eccleſiæ Capitibus, famem urbibus, bellum regnis prænuntiando, declaravit.

V. 4. *Et imperantes in præſenti populo, & virtute prudentiæ popu-*

o Pſal.138.v.17. p Hugo Dionyſ.

q Janſen.Ganden. r Raban.
ſ Ambroſ.lib.2.in Luc. t Seneca ep. 95.&.76.

Iis

lis ſanctiſſima verba. u *Imperantes,* ut ex Græco patet, ſunt duces, quorum eſt jura dare populo, quem præibant, primos ſe periculis offerentes, & aliis viam exemplo oſtendentes, & ſalubria monita inſtillantes, ut ad omnem pietatem efformarent, & inducerent. Quod quemadmodum Dux, & Legifer veſter præſtiterit §. 3. videbimus. Prudentia omni Prælato, & Superiori neceſſaria eſt. Veriſſimè olim *Plato beatas fore reſpublicas* prædicabat, *ſi aut Philoſophi eas regerent, aut Reges philoſopharentur.* Et ut Præſes quondam Belgii, Primati patriæ ſarcaſmum objicienti: quamdiu à juriſperitis nobiles regi deberent? Reſpondit, quamdiu nobiles, juriſprudentiæ non ſtuderent. Rex etenim, Rector, Prælatus, ſine prudentia, eſt navarchus gubernans navem ſine clavo.

V. 5. *In peritia ſua requirentes modos muſicos, & narrantes carmina ſcripturarum.* Petitur hic laus Majorum à peritia pangendi, & pſallendi hymnos, ad honorem Dei; x *ſicut patet de David, qui laudes divinas à juventute canebat* die ac nocte, qui mos in Eccleſiam inductus, ingenti Religioſorum, omniúmque fidelium bono. Hæc verò laus Magno Gregorio, qui Ordinis veſtri lumen & columen, tribuitur, quòd cantum hymnorum, & Pſalmorum, ad meliorem ordinem, & melodiam, quæ ab eo Gregoriana vocatur, redegerit. Ad quod Paulus fideles etiam hortatur, dicens: y *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobiſmet ipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Ab hac divinas laudes ſuaviſſimè modulandi conſuetudine, Dionyſius Areopagita, z *Volucris cœli* à Chryſoſtomo appellatur: & Gregorius Nyſſenus S. Baſilium *auream Philomelam* nuncupavit, quòd dies ac noctes, in dulci hymnorum melodia traduceret. At quis concentum illum Lixovienſis Monaſterii *Benedictinorum* ſatis aſſequatur? in quo ea frequentia Religioſorum, ut continuò ſibi invicem ſuccedentes Chori, nullum die noctuque intervallum, velut cœleſtes philomelæ, à divinis laudibus relinquerent. Quod nemini mirum videbitur, qui attenderit, in uno Monaſterio ſexcentos, in alio nongentos, in aliquo mille, imò ſupra bis mille Religioſos numeratos fuiſſe, ut antè recenſuimus.

V. 6. *Homines divites in virtute.* Ubi Lyranus: *Virtutes veræ divitiæ ſunt, quia violenter auferri non poſſunt.* His inſtructus, etiam nudus, omnia ſecum portat, ut in regione vivorum patebit, quò hæ ſolæ comitantur.

Carthuſianus exponit: a *In ſpiritualibus, & temporalibus opulenti:* ut Deus in his promiſſum & benedictionem de centuplo abundè compleverit, quod *Benedictus inter omnes* expertus eſt; adeò ut Trithemius agens de Abbatiis, Præpoſituris, Prioratibus, & Cœnobiis Monialium, liberè, verè tamen pronuntiârit: b *Si unuſquiſque ſua poſſideret, tertiam partem Chriſtianitatis Sanctus* BENEDICTUS *habere crederetur.* Neque ei mirum videbitur audax illud Trithemii de ordine uni-

v Pin. x Lyran. y Eph. 5. 18.

z Chryſ. hom. de falſis Proph. a Bon. Carth. Deut. 7. 14. b Trith. l. 1. c. 2.

verſ.

verſo pronuntiatum, qui attenderit, quid de ſolo *Cluniacenſi* Monaſterio dixerit Petrus venerabilis, dum illud appellavit c *Publicum reipublicæ Chriſtianæ ærarium.* Mitto Regias, ac Cæſareas Monaſteriorum, Caſſinenſis, Cluniacenſis, Fuldenſis, aliorúmque fundationes, ut divina bonitas, & munificentia in BENEDICTO vaticinium Iſaiæ compleri voluerit: d *Mammilla Regum lactaberis, & erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ.*

Pulchritudinis ſtudium habentes. Ecquodnam illud ſtudium pulchritudinis, cui ſe totos impendebant? e *Legis & Prophetarum,* inquit Lyranus, *quorum ſtudium eſt valde pulchrum.* Terſum enimverò, & politum Scriptura ſacra ſpeculum eſt, in quo utilius, quàm puellæ, vanæ pulchritudinis amantes in fragili cryſtallo, ſe contemplantur Religioſæ animæ, eique ſe conformant, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, ejúſque pulchritudinis, veſtri Ordinis amatores facti ſunt: f Volunt alii per ſtudium pulchritudinis, accipi diligentem curam cultus divini, & decorem domus Dei. Hunc ſenſum tradit Rabanus his verbis: *Pulchritudinis ſtudium habentes, ut Moyſes, & Salomon, qui tabernaculum & templum, cum variis vaſis, & utenſilibus Domino ædificarunt.* Dionyſius Carthuſianus: *Pulchritudinis ſtudium habentes, id eſt, diligenter intenti circa ornatum cultus divini, & templi decorem:* incredibile enim eſt, quantum ornatus, & pulchritudo domus Dei, ſpectatores ad cultum, & reverentiam Numinis alliciat.

c L. 5. ep. 34. d Iſa. c. 60. 16. c. 49. 23. e Lyran. f Bonaert.

g *Pacificantes in domibus ſuis,* ſeu *pacem habentes in domibus ſuis, id eſt, in conſcientiis ſuis,* quæ pax exſuperat omnem ſenſum.

V. 7. *Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ, gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus.* Ob dies ſuos, hoc eſt, ob ea, quæ geſſerunt, dum viverent, nunc laudibus celebrantur. Lyranus: *Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ, id eſt, inter gentes generationis ſuæ, gloriam bonæ famæ adepti ſunt, per opera ſancta vitæ.*

V. 8. *Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.* Hoc eſt, illuſtrium Majorum poſteri, & ipſi gloriam apud ſuos adepti ſunt, quæ ratio fuit; ut alii etiam proprias eorum laudes celebrarent. Laus autem filiorum, in Patrum redundat gloriam, juxta illud: h *Mortuus eſt Pater ejus, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* Lyranus: *Hic conſequenter ponitur laus Patrum in filiis. nam qui de illis nati ſunt; mores paternos imitantes, reliquerunt nomen bonum.*

V. 9. *Et ſunt, quorum non eſt memoria: perierunt quaſi qui non fuerint: & nati ſunt, quaſi non nati: & filii ipſorum cum ipſis.* i Sapiens hic per oppoſitum ſubdit de malis, ut contraria juxta ſe poſita, horum ignominia, & aliorum gloria, magis eluceſcat. Porrò impii, & peccatores, non ſunt digni memoria. De iis ſcriptum eſt: k *Periit memoria eorum cum ſonitu:* quoniam diaboli gaudio, in conſummatione mundi deficient, & eorum

g Hugo. h Eccl. 30. v. 1. i Raban. k Pſalm. 9. v. 7.

memoria cum clamore noviſſimo interibit, quando mergentur in pœnam æternam. Quod dicat *filios eorum cum ipſis perire*: myſticè ſignificat, opera peccatorum in æterna damnatione, ſimul cum ipſis interire. Filii dicuntur, quia imitatores paternorum ſcelerum. Hæc Rabanus: aut etiam filii degeneres à præcelſa indole, & virtute majorum ſuorum.

V. 10. *Sed illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt.* Hic primo intelliguntur *l* Prædicatores novi Teſtamenti, qui pane verbi Dei tot millia ſuſtentârunt. m *Scimus enim*, inquit Bernardus, *quod viri illi miſericordiæ, nec ſibi vixêre, nec ſibi mortui ſunt; ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, magis autem nobis omnibus propter ipſum.* Unde viros Apoſtolicos intelligi vult: *Sunt enim hi plane viri miſericordiæ, ſive quia miſericordiam conſecuti ſunt, ſive quia miſericordia pleni* (& in pauperes, ac miſeros effuſi) *ſive quia miſericorditer nobis à Deo donati.* Talis vir miſericordiæ BENEDICTUS, miſericordia plenus, in tempore opportuno miſericorditer à Deo donatus eſt: nam cum Vitiges Gothorum Rex, exercitu centum millium Romam cinxiſſet, totámq; propè Italiam vaſtâſſet; fames per omnem Regionem adeò valida exorta eſt, ut homines velut rapidiſſimi lupi ſe invicem vorarent, atque, ut Procopius *n* memorat, ſeptemdecim viri inter dormiendum, à duabus fæminis jugulati, ac dein dentibus laniati, ad vitam hac immani eſcâ ſuſtentandam. Quin & matres, infantes coctos in ſua rurſus viſcera ingeſſerunt. Senſit id vir miſericordiæ D. BENEDICTUS, & indoluit, támque profuſa liberalitate miſerorum famem levare aggreſſus eſt, ut nihil ferè ſibi, ac ſuis relinqueret. Hinc die quodam cum alendę familiæ numeroſæ, nihil omnino ſupereſſet, præter panes quinque, & inde ſubtriſtes eſſent boni parentis filii: ut eos vidit *Benedictus*; *o* primùm paternè increpuit, tum bono animo eſſe juſſit, ſicque ad eos: *Hodie egetis annona, cras abundabitis.* Prædictioni reſpondit eventus: die enim inſequenti, ad Monaſterii portam inventi ducenti modii farinæ, in ſaccis probè clauſis, nec reſcitum unquam, quis eos aſportaſſet. Utque tanti beneficii memoria iret in poſteros; eo loci erectum altare, & in illo ſtatua marmorea D. BENEDICTI. Cujus exemplo, & alii plures viri miſericordiæ, excitati ſunt.

V. 11. *Cum ſemine eorum permanent bona.*

V 12. *Hæreditas ſancta nepotes eorum.*

Ac ſi dicat: eorum filii ſpirituales multa bona adepti ſunt. *p* Si verò quæras, quænam ſint ejuſmodi bona? reſpondeo illa eſſe, in quæ velut hæreditario jure ſucceſſerunt filii, & poſteri illi, qui paternam pietatem tenuerunt. Huic opinioni favet Oliverius noſter, qui ſic exponit: *q* Ipſorum nepotes ſunt hæreditas ſancta, id eſt, hæredes Sancti, & qui ſuccedunt Sanctis in Sancti-

l Raban. Hugo Cardin. m Bern. Ser. 3. in feſto SS. Petri & Pauli. n Lib. 2. de bello Goth.

o Chron D. Bened. Anno 59. p Pina hîc. Cornel. q Bonaert. in Eccleſ. cit.

tatem

tatem, & in hæreditatem, ipſis propter ſanctitatem, & merita promiſſam, & velut teſtamento legatam: hinc ſubditur: *Et in teſtamentis ſtetit ſemen eorum.* Sic enim Palacios: *Non ſolum parentum ad filios veniet hæreditas & Benedictio, ſed etiam ſemen ipſorum, qui ſunt nepotes* (qui ex Patriarchæ filiis, Deo geniti) *ſtabunt in teſtamento Dei.*

V. 13. *Et filii eorum propter illos uſque in æternum manent; ſemen eorum, & gloria eorum non derelinquetur.* r Quia filii Sanctorum Pariarcharum, & Fundatorum, propter parentum merita, in æternum manent, id eſt, in ævum perdurant, neque unquam excident, eorúmque poſteritas æterna eſt. Quæ de ſpirituali progenie intelligenda. Syrus vertit: *Filii eorum in operibus bonis, & uſque in ſæculum permanent, id eſt, memoria eorum, & gloria eorum oblivioni non tradetur.*

V. 14. *Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt.*

Palacios, *id eſt, in pace Dei, juxta illud: in pace in idipſum dormiam.* *Unde nos precamur defunctis noſtris, requieſcant in pace*: nam Spiritus Sanctus, cum quo pacem habuerunt, vivificavit *corpora eorum.* At peccatores, de quibus: *Non eſt pax impiis*, dicit Dominus, eorum corpora non in pace, ſed in pice ſepelienda ſunt: t *Et mors peccatorum peſſima*: & amariſſima, vel ſola memoria.

Et nomen eorum vivit in generationem, & generationem. Vani filii hominum, ut nomen ſuum æternitati commendarent, quid non commenti ſunt? alii id pilis, obeliſcis, ſtatuis inſculpſêre. Alii arboribus, membranis, chartis, libris inſcripſêre. v *Alii*, inquit Chryſoſtomus, *ſplendidas domos, balnea, porticus, ambulationes exſtruxerunt: quorum, ſi quemque rogâris, quare tantopere laboret, tantóſque ſumptus faciat? non aliud reſpondebit, quàm ut immortalem ſui memoriam, celebritatémque nominis relinquat.* Non eſt ex iis, qui recogitet, domos ſe hic luteas ædificare, quæ una cum dominis, & ſtatuis, & obeliſcis, & libris, in cineres redigendæ ſunt. Enimverò illud vel maximè execrandum, ut nomen ſit poſt fata ſuperſtes, qui hîc vilem, & infamem vitam duxerunt, aureis litteris nomina ſua ſepulcris inſcribere non erubeſcunt: *Quin & ſepulcris inſcripſerunt ſua ipſorum nomina*, inquit Baſilius, *ad propriæ oſtentationem magnificentiæ*; cùm interim eorum nomina tranſeuntium calcibus obterantur, aut pulvere inducantur. At Sanctorum nomen, in libro Vitæ indelebile: in faſtis Dei & Eccleſiæ nomina eorum, qui ex Ordine veſtro, virtute & miraculis clari, vivent in generationem, & generationem, & Auctoris veſtri *Nomen*, erit x BENEDICTUM *ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.*

V. 15. *Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudes eorum nuntiet Eccleſia.*

Hugo Cardinalis: *Sapientiam ipſorum, qui contemptis temporalibus, æterna quaſi ſapida elegerunt, narrent populi, id eſt, minores & laici, & laudes eorum nuntiet Eccleſia, ad Dei honorem, & ſui &*

r Pina. ſ Iſai. 48, v. 22. t Pſa. v. 22.

v Chryſ. hom. 30. in Gen. x Pſ. 118.

aliorum informationem. Lyranus : *Et Nomen eorum per bonam famam continuatum, & ſapientiam ipſorum ad informationem morum, & Laudes eorum, id eſt, exempla, non ſolum enuntient in ſecreto, ſed etiam in publico.*

Hactenus egregia Patrum, ac Parentum veſtrorum facinora, per Sapientem enarrari audîſtis, non ad celebrandum duntaxat, ſed ad imitandum propoſita: nam ut rectè D. Baſilius : y *Sancti non indigent noſtris laudibus ornari ; ſed nos ipſorum vitæ commemoratione indigemus imitationis gratiâ : ut enim ex igne emicat ſplendor, ex unguento diffunditur odor ; ſic ex eorum memoria, ad omnes promanat utilitas.* Nec eſt, quod quis diffidat, eò ſe ſanctitatis contingere, ac conniti poſſe, quò parentes eorum, & Majores pervenerunt ; cùm aureo ſuo flumine Chryſoſtomus, etiam ſanguine ſuo purpuratos Heroas, per acerbiſſimos cruciatus, & exquiſita tormenta nos æmulari poſſe palàm aſſeveret: z *Poſſumus,* inquit, *nos quoque eſſe, quod ſunt, ſi faciamus ipſi, quod faciunt.*

Laudatum illud apud Lacedæmonios, in quorum Senatu, atque Aula nobiliore ſpectabantur imagines, & ſtatuæ eorum, qui vel in toga, vel in pulvere Martio, de Republica eſſent quàm optimè meriti, adjecta in baſim ad poſteros hac epigraphe :

Si fueritis ſicut illi : eritis ſicut illi.

Quæ illi quondam recepto inter ſuos more ; hæc ego hodie æmulatus leviore quidem penicillo, ſed nativo colore exemplar vobis perfectiſſimum, tótque illuſtrium poſterorum viva ſanctitatis ſimulacra, mentis oculis objeci, hoc brevi lemmate ſubjecto :

Si fueritis ſicut illi, eritis ſicut illi.

Quod qua ratione præſtare, eorumque veſtigiis, quàm proximè inſiſtere valeatis, brevi, & infallibili methodo demonſtrabo. Non hortabor hîc vos, venerand Domini, ut cum BENEDICTO ferrum natare, ipſúmque ſuo ma nubrio reſtitui faciatis : non e obſeſſis corporibus dæmonen impactâ alapâ fugare : non mor tuos ſuſcitare : non cum *Maur* ſuper aquas ambulare : non cun *Placido* leænam adducere, cun *Amando* cæcos illuminare : qu miranda magis, quàm imitanda ſed omnem vobis, omnis perfe ctionis, & ſanctitatis viam, q Patres ac parentes veſtri ad bea tam patriam pervenerunt, i ipſa, quam BENEDICTUS vob dedit, Regulâ, ſanctíſque Ordin veſtri inſtitutis, exhibebo. Na ut divinè Monachorum Antiſt Baſilius : *Majorum noſtrorum v lut lux quædam, his qui ſalvantu ad vitæ viam præfulget.*

§. III.

Benedictionem dabit Legi lator. Pſalm. 83.

SAnctus nempe BENEDICTU in lege, & Regula ſua, a q eſt omnis perfectionis forma, ſanctitatis norma : ut jure hîc ſurpare poſſim illud Hipponen Præſulis : b *Benedictionem dab qui legem dedit.* Quam verò, p Legem, & Regulam, ſuis bene ctionem dederit, & in omne

y S. Baſil. orat. in Gordium Mart.
z Chryſoſt. Serm. de Martyr.

a De præſtantia Regulæ. b Aug in Pſalm. 83.

P

poſteritatem daturus ſit, paucis diſquiramus.

Illuſtres ſanctitate Patres, & eximii eruditione Doctores, miram inter Moyſem Legislatorem populi Iſraëlitici, & BENEDICTUM Monaſtici Gregis Chriſti, ſimilitudinem obſervârunt. Doctor Angelicus cumprimis aſſerit, c veterem illum Legislatorem, *re & nomine Moyſen fuiſſe,* hoc eſt, *de aquis eductum.* Fuit autem noſter ſanctiſſimus Legislator, *re & nomine* BENEDICTUS. Vel ut Gregorius: d *Gratiâ* BENEDICTUS, *& nomine.*

Secundò ait S. Thomas: *Reliquit Moyſes Ægyptum,* BENEDICTUS *mundum, quem quaſi aridum cum ſuo flore deſpexit*: nam, ut inquit S. Gregorius, e Romæ liberalibus ſtudiis traditus, *cùm in eis multos per abrupta vitiorum ire cerneret, eum, quem quaſi in ingreſſu mundi poſuerat, retraxit pedem: receſſitque ſcienter neſcius, & ſapienter doctus*: quem plures etiam à teneris æmulati ſunt, ab adoleſcentia jugum Chriſti, ejuſque inſtitutum etiam à pueritia amplexi, *ſcienter neſcii, & ſapienter docti*; contrà ac modò ab adoleſcentulis ſæculi fieri videmus, qui mundum nôſſe, ejuſque illecebras ſcire, & nequitias doceri percupiunt.

Tertiò S. Ambroſius de Moyſe ait: f *Moyſes humanæ dignitatem conditionis exceſſit, eo uſque, ut Dei vocaretur nomine: poſui, ait, te Deum Pharaonis.* An non & hic Legislator Dei nomine indigitatus eſt, cùm Deus toties in ſacris litteris vocetur BENEDICTUS? quod antiquus Floriacenſis Poëta Guazbertus, apud Aimonium ſic celebravit:

> g *Quem Deus æterna faciens in ſede potentem,*
> *Hæredem proprii nominis eſſe dedit:*
> *Nam fuit, eſt, & erit* BENEDICTUS *jure vocatus.*

Quartò, quod Moyſes dux populi fuerit, itémque S. BENEDICTUS; aliáſque utriuſque prærogativas apud S. Odonem, Guarricum Abbatem, Damianum Cardinalem, alióſque videre eſt. Ego inſtituti memor, id unum hîc ago, ut quemadmodum Moyſes in monte legem à Deo acceperit; ita & *Benedicto* in monte à Deo Regulam traditam, comprobare queam. *h* Siracides hoc de Moyſe magnificè præfatus eſt: h *Elegit eum Deus ex omni carne, & dedit illi corâm præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ.* Ei nempe in monte Sinai tabulas tradidit, & Legislatorem conſtituit. *i* Haud aliter, inquit Auctor vitæ, fuit hæc Regula S. BENEDICTI, adinſtar tabularum legis, quam in Caſſinate monte à Deo, ut videbimus, accepit. Unde Deſiderius, Caſſinenſis Abbas (qui poſtea Victor Papa III.) in conſtructa à ſe Caſſinenſi Baſilicâ, aureis litteris in abſide ſub pedibus Baptiſtæ, & Evangeliſtæ Ioannis, hos verſus deſcribi juſſit:

> *Hæc domus eſt ſimilis* SINAI *ſacra jura ferentis,*
> *Ut lex demonſtrat, hîc quæ fuit edita quondam.*

Quò ſpectat illud Sancti Odonis: k *Hunc ſpecialiter ... uam alterum*

c S. Thom. Serm. 1. de S. Benedicto. S. Gregor. l. 2 dial. c. 1. e Gregor. cit. Amb. l. 1. de Cain & Abel, c. 2.

g Guazbertus S... S. Benedicto. h Eccl. 45. i Antonius de Yepez. An. Chriſti 529. k S. Odo. ſerm. de S. Benedicto.

Moyſem Deus prædeſtinavit, per quem Monaſticæ legis decreta ſanciret. Omnem verò utriuſque hujus Legislatoris analogiam, quibuſdam velut parallelis Igniacenſis Abbas, Bernardi diſcipulus complexus eſt: l *Ille Moyſes Dux fuit exeuntium de Ægypto; iſte* (BENEDICTUS) *renunciantium ſæculo. Legislator ille; Legislator & iſte. Ille tantum miniſter litteræ occidentis; iſte ſpiritus vivificantis. Ille tam multa ſcribit intellectu difficilia, factu impoſſibilia, vel inutilia; iſte rectiſſimam vitæ ſcribit Regulam, ſermone luculentam, diſcretione præcipuam.* Etenim ut m *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*; ita non Moyſi tantum, ſed & Chriſto, legislator BENEDICTUS ſimilis fuiſſe, à piis & eruditis Scriptoribus perhibetur. Quod quidem ipſe Deus apud ſanctam Hildegardem (cujus ſcripta Eugenius III. agente Sancto Bernardo, in Concilio Trevirenſi Apoſtolica auctoritate approbavit) ſuo teſtimonio aſſeruit n *Primus,* inquit, *Moyſes in Lapideis tabulis ex præcepto meo, aſperam & duram legem ſcribens, Judæis dedit: ſed ut Filius meus eandem legem, per dulcedinem Euangelii perforavit; ſic etiam* BENEDICTUS *famulus meus propoſitum hujus Ordinis, quod ante ipſum diverſiſſima converſatio fuit, per dulcedinem inſpirationis Spiritus Sancti, diſcretam & planam viam fecit, ac per hoc plurimam cohortem ſuæ Religionis collegit; ut etiam filius meus per ſuavitatem odoris ſui, Chriſtianorum populum ſibi coadunavit.* Quid mirabilius cogitari, quid laudabilius prædicari, quàm ipſi ſummo Legislatori Chriſto comparari? atque ut ille ſuaviſſimo odore doctrinæ ſuæ, ita hunc ſuavitate o *Sanctæ regulæ ſuæ, per dulcedinem inſpirationis Spiritus Sancti* hauſtæ, omnium corda, animóſque pertraxiſſe?

Quod pronuntiatum ne cui forte temerarium videatur, irrefragabilis evincit auctoritas, regulam nempe ab ipſo Deo p inſpiratam à S. BENEDICTO, velut calamo ſcribæ, velociter ſcribentis, fuiſſe exaratam; quod primis prologi verbis ſatis innuitur, cùm dicit: q *Auſculta ô fili, præcepta Magiſtri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem* PII PATRIS *libenter excipe.* Quibus verbis nomine MAGISTRI & PATRIS, non ſeipſum; ſed Deum, vel Spiritum Sanctum, aut Chriſtum Dominum intelligit, ut diſertè S. Petrus Damiani, cùm ait: r *Quod in ipſo libri principio maniſeſtè colligitur, ſi ad quem ſua verba Spiritus ſanctus dirigat, ſubtiliter attendatur. Spiritum ſanctum dico: neque enim vir ſanctus, tantæque cultor humilitatis, protinus ut in verba prorumperet, magiſterii cathedram, & præcipuè Pii Patris ſibi privilegium uſurparet, dicens: au*ſculta *ô Fili. Sed ille* (Spiritus S.) *ſervum ſuum, propriæ vocis organum fecit, qui ſimiliter in ipſo vaticinii incipientis exordio, clamare per Iſaiam cœpit: filios, inquit, enutrivi, & exaltavi.* Addit: ſ *quod per os* BEATI BENEDICTI, *Spiritus Sanctus clamare* perhibeatur. Atque ita quoque S. Smaragdus, à ſeptingentis, & amplius annis interpretatus eſt. Nec alia de cauſa S. Gregorius hunc

l Guarricus ſerm. de S. Benedicto.
m Ioan. 1. c. 17. n Hildegard. l. 2. viſion. c. 5.

o C. 23. & 65. p Regula S. Bened. à Spiritu S. q Prolog. ad Reg. r Pet. Damian. opuſc. 13. c. 6. ſ Idem opuſc. 21. c. 1

hunc ſanctiſſimum Patriarcham ſuum, t *ſummæ veritatis diſcipulum eruditum* nuncupavit, quàm ut doceret, regulam S. BENEDICTI, non in ſchola hominum; ſed in ſchola Spiritus ſancti fuiſſe compoſitam, eruditionémque, ac doctrinam B. BENEDICTI, divinam potius, quam humanam eſſe cenſendam. Pontifici Max. adſtipulatur Doctor mellifluus, qui in eandem ſententiam hec pronuntiavit: v *Quod Beati Patris Noſtri regula docuit, hoc nobis lectio Evangelii commendat; nec aliud ſonuit veritatis Præco, quàm Veritas ipſa prædocuit.* Atque alibi: *Divina magis inſpiratione atque conſilio, quàm humana prudentia, vel adinventione* formatam teſtatur. Hæc multò antè Vindocinenſis Abbas, & S.R.E. Cardinalis, è ſuggeſtu palàm docuit, & declaravit: x *Regulam*, inquit, *Monachorum, ubi invenitur omnis perfectio, dictante Spiritu ſancto ſcripſit, nec ipſe quidem minus perfectè vixit, quàm docuit.* Unum inſtar omnium eſt ipſius Dei Matris teſtimonium, quæ hæc Divæ Brigittæ: y *Vocavit Deus* BENEDICTUM *in montem, & compoſuit regulam de Spiritu Dei, per quam multi perfecti facti ſunt, ſicut* BENEDICTUS.

Quæ cùm manifeſtiora ſint, quàm ut prolixiori probatione egeant; ſupereſt ut *benedictionem*, quam *legislator* per regulam à Spiritu S. traditam, ſuis dederit, expendamus. Gentiles Legislatores, cùm fortè legiſſent Moyſem à Deo legem accepiſſe; ſe quoque à Diis ſuis leges accepiſſe, & per oracula loquentes audîſſe, finxerunt. Ita Seleucus, Zoroaſtes, Minos, & impurus Mahometes, qui ore ad os, ſe cum Deo locutum venditabat; ídque, ut auctoritatem ſibi, ac legibus ſuis ſtolidè aucuparentur. Hac de cauſa Lycurgus, legislator Lacedæmoniorum Delphos profectus, conſuluit oraculum, reſpondítque Pythia: z *Eum Diis charum, magiſque Deum, quàm hominem eſſe, atque per leges, quas daturus, eum reipublicæ ſtatum fore, qui omnium longè eſſet præſtantiſſimus.* Quare leges ſuas Lycurgus vocavit oracula. Ita Numa Pompilius legislator, cum Dea Ægeria ſe colloqui finxit. Pythagoras Aquilam cicurem deducere ſolebat, quaſi per eam è cœlo ſua dogmata acciperet. Hi leges à falſis Diis hauſtas, maledictas, execrandas, ſacrilegas, diabolicas, omnium flagitiorum normas ſuis præcipiebant, quibus in mille errores, & præſtigias, in exitium corporis & animæ inducebant; filios & filias dæmoniis immolare, immani crudelitate compellebant. Contra hos Satanæ adminiſtros, & omnis falſitatis, ac pravitatis legislatores, a BENEDICTUS, exemplo *mitis humiliſque Magiſtri*, regulam ſanctam omnis perfectionis normam, ſuavem (*in qua nihil aſperum, nihilque grave*, ut præfatur, *nos conſtituturos ſperamus*) ſuis præſcripſit; qua hanc *benedictionem* omnium maximam ſuis dedit, ut hac velut ſcala in cœlum conſcendant, & huic inſiſtentes, certa ad æternam patriam, & regna cœleſtia, ſemita, qua BENEDICTUS præceſſit, deducantur. Ut præclarè Sanctus

t S.Greg. in l.1.Reg.l.4.c.4. v Bern. ſerm. de S. Benedicto. Homil. Ecce nos reliquimus omnia. x Vindocinenſis ſerm. de S. Bened. y Lib.3. Revel.c. 20.

z Plutarch. in Numa & in Lycurgo. a Bern, In prologo ad Reg.

ctus Bernardus ſermone de S. Benedicto: b *Celebramus hodie magiſtri noſtri* Gloriosi Benedicti *natalem, cujus dulciſſimum nomen, cum omni vobis jucunditate amplectendum eſt, & honorandum: quoniam ipſe dux veſter, ipſe magiſter, ipſe legislator veſter eſt. Imitemur hunc, fratres, quoniam ad hoc venit, ut formam nobis traderet, & viam demonſtraret.*

Poſſem, & jure meritiſſimo in commendationẽ ſanctiſſimi veſtri inſtituti adferre, quidquid aliorum Ordinum fundatores, ac Patriarchæ in laudem Regulæ ſuæ encomii contulêre.

Divus Aug. *ſpeculum* indigitavit, dum ait: c *Ut autem in hoc ſpeculo poſſitis inſpicere &c.* Quia religioſo oſtendit faciẽ animæ, ut videat, quid nævi, quid maculæ ſit.

Euthymio, & Theophylacto d regulæ *nervi ſunt, & oſſa religionis*, in quibus omnis vigor, & robur conſiſtit.

Venerabilis Beda, amuſſim, ad quam omnes actiones rectè dirigendæ, nuncupavit: e *Regulæ dicuntur à regendo, eo quod nos regant, docendo quid vitare, quid facere debeamus*, & ad amuſſim explorare.

Divo Bernardo, f *forma* ſunt vitæ Religioſæ, quibus ſublatis aut infractis, omnis religionis forma, & decor perit, ac reformatio inducenda eſt.

Seraphico Franciſco, *ſepimenta* ſunt, quibus cingitur ac munitur omnis Ordo.

Sanctus Orieſis, ab Hieronymo laudatus, *ſcalas cœli* appellat dicens: *Traditiones Patris noſtri*, scalas *putemus, ad regna cœlorum ducentes.*

Divo quoque Romualdo g *Scalæ* ſunt, quibus è terris ad cœleſtia fiat aſcenſus. Cui appellationi favet oblata illi Scalæ ſpecies, per quam, in veſte candida viſi conſcendere Magni illius Patriarchæ filii. *h*

Hos omnes tam illuſtres Regularum titulos, innumeri Benedictinæ Regulæ obſervantiſſimi, & Sanctiſſimi filii, Patris ſui *ſanctam Regulam* ſecuti expreſſerunt. Illis ſiquidem ſancta hæc regula *ſpeculum* fuit, in quo virtutum omnium ſpecies relucerent, quarum venuſtate ad eas amandum, & æmulandum accendebantur. In quo & omnes nævos, affectus inordinatos, defectus minimos, ſi quid diſtortum, indecens, incompoſitum, licet contemplari. Ut, quod rectè Hugo Victorinus de Regula Sancti Auguſtini, quam *ſpeculum* nuncupavit, de veſtra uſurpare vobis liceat: i *Quia in eo tanquam in ſpeculo inſpicere poſſumus, quales ſimus, ſive pulchri, ſive fœdi. Utrum quiſque noſtrum regulariter vivat: utrum proficiat, an deficiat: utrum Deo placeat, an diſpliceat: omnes ſuos defectus inſpicere, & corrigere, ut nemini det offenſionem, aut ſcandalum.* Nam ut *ſeipſum noſceret homo*, cum *oculus*, ſpeculum naturæ, *ſeipſum*, ut Baſilius ait, k *videre non poſſit; nec ſuos in ſe, vultúmque, oculos inflectere poſſit, homini ſpeculum natura porrexit*, ait Seneca. *l*

At longè limpidiſſimum S. Benedictus ſuis ſpeculum animæ

b Bern. ſerm. de S. Benedicto. c Aug. in Reg. c. ult. d In Matt c. 21. e Beda S. comment. f Homil. Ecce nos reliquimus omnia.

g Biblioth. Patrum p. 40. h Brev. Rom. Surius 19. Iunii. i Hugo Victor. in c. ultim. Reg S. Aug. k Baſil. hom. 9. hexam. l Sen. l. 1, natur. qu. c. 7.

pro-

propoſuit, *in quo*, ut verbis utar Divi Leonis, m *homo ſuæ mentis faciem inſpiceret, & quàm conformis imagini Dei, aut quàm diſſimilis eſſet, agnoſceret.*

Hoc regulare ſpeculum, nec polygonum, nec concavum, nec convexum; ſed planum, verum, & ſincerum; nec auget, nec minuit, nec blandiri novit, aut fallere: hoc n *ſpeculum veritatis*, inquit Bernardus, *nemini blanditur, nullum ſeducit; talem in eo ſe quiſq; reperiet, qualis fuerit.* Qualis fuerit in Choro, qualis in triclinio, qualis in dormitorio, qualis in capitulo, qualis in fratrum conſortio, qualis in publico, qualis in occulto, *talem in eo ſe quiſque reperiet.* Nam, ut inquit Auguſtinus: o *Renuntiat tibi ſpeculum faciem tuam; ſicut ſpeculum non ſentit adulatorem, ſic nec te palpes.*

2. Regulas veſtras *nervos* & oſſa eſſe, Deus olim illo Ezechielis vaticinio præſignâſſe videtur: p *Dabo ſuper vos nervos, & dabo vobis ſpiritum, & vivetis*: quia in nervis omnis vis, & vigor, & ſenſus, & motus eſt. Ab iis omnes actiones, & operationes omnium membrorum procedunt. Abſque iis nec manus ſcribere, nec lingua pſallere, nec pedes ire queunt. Hujus Sanctiſſimi Corporis membra, ſolidiſſimis Regularum nervis inſtructa, ad ſacros codices volvendos, & conſcribendos, expeditas manus; ad pſallendum & concinendas divinas laudes, expeditam linguam; ad quodvis humilitatis aut obedienentiæ obſequium, expeditos pedes habuére. Divus Hieronymus hîc docet, q *nervos omnia membra inter ſe colligare.* Quod ſi ex nervis vel unum aut lædi, aut reſcindi contingat, omnis temperamenti harmonia diſſolvitur, & interior illa membrorum unio, & connexio planè diſturbatur. Haud aliter in Religione, ubi omnes unum corpus ſunt in Chriſto, ſi hîc nervus temperantiæ diſſolvatur, illic nervus paupertatis reſcindatur; illic nervus obedientiæ lædatur, omnia membra inter ſe & caput, non ſine gravi ſenſu, diſſidere neceſſe eſt. Quam autem Sanctiſſimi viri Ordinis veſtri, *nervoſi* fuerint, & è regulis, velut è nervis, omnem vim, & robur ad omnes eximiæ ſanctitatis operationes hauſerint; patebit ex epilogo Sanctorum, quo concludemus.

3. Regula vobis *amuſſis*, eſt, ad quam infallibiliter operando, impoſſibile eſt à recto virtutis, & Regula perfectionis deficere. Similitudinem ſumit *Doctor maximus* à regula alicujus artificis, qui per regulam, ſeu amuſſim ſuam explorat, quid in ædificio rectum, & conforme, quid curvum aut diſtortum ſit: r *Ad normam*, inquit Hieronymus, *omnia diriguntur, & utrum prava rectáve ſint, cùm regula appoſita fuerit, arguuntur.* Vult quiſque veſtrûm nôſſe an vita ſua recta ſit, vel curva & diſtorta, applicet Regulas ſibi & Statuta, illico videbit, ubi exorbitet, & difformis ſit. Hac de cauſa reor à Sanctiſſimo Patriarcha veſtro Benedicto, Regulas, ac Statuta, vocari ſ *inſtrumenta virtutum*: nam aſſidua obſervatione Regulæ, qua præſcribitur ſilentium, quis neget ta-

m S. Leo ſerm. 11. de quadrag. n Ber. ſerm. 1. de 7. panib. o Aug. in pſ. 103. cõc. 1. p Eze. 37. v. 6. q Hie. in Eze. in 37.

r Hieron. in c. 6. ad Galatas. ſ Reg. c. 4. & 73.

citurnitatis virtutem acquiri; Per abſtinentiam cibi & potus, præſcripto à Regula modo, & tempore, virtutem temperantiæ comparari? Et ſic de cæteris.

Illi verò maximè difformes ſunt, qui ipſas Regulas & ſtatuta, in quibus Dei, & Superioris voluntas expreſſa eſt, ad ſuam pravam voluntatem torquere, & inflectere nituntur, quos Auguſtinus acriter perſtringit, dicens: t REGULA *eſt immutabilis: quamdiu integra eſt* REGULA, *habes undè corrigas, quod diſtortum eſt. Quòd autem volunt quidam* (tepidi, ac laxi religioſi) *qui voluntatem ſuam tortuoſam habent, etiam volunt voluntatem Dei* (adde & Superioris) *tortuoſam facere, ſecundum cor ſuum: ut faciat Deus* (& Superior) *quod ipſi volunt*, ut laxet ea, quæ Regula vetat &c. quæ ſi fiant, plumbea, & leſbia Regula eſt. Vobis autē *Regula eſt immutabilis*, & inſtituta ſunt *inſtrumenta virtutum.*

5. Ex quibus rectè conſequitur, eſſe *formam vitæ Religioſæ*, ex qua omnis ſplendor, & decor, & pulchritudo in Ordine veſtro per tot ſæcula eluxit, & ſanctitatis radios per orbem univerſum diffudit, tótqueDivorum vivæ ſtatuæ, & caſtimonia argenteæ, & charitate aureæ exſtiterunt, hoc eſt, veræ ſanctitatis *formam* accepêre.

Formam nonnulli à formando, alii quod formoſum reddat, dictam volunt. Utrúmque, inquit Vindocinenſis Cardinalis, S. BENEDICTUS ſpectâſſe videtur, ut perRegulam ad omnem perfectionem ſuos formaret, & omni virtutum genere formoſos redderet: v *Veraciter*, inquit, *dicere poſſumus, & firmiter credere debemus, quòd S.* BENEDICTUS *à Deo nobis, tanquam Apoſtolus, & Angelus deſtinatus: nam illum idcirco nobis ſpecialiter miſit Deus, ut ipſe* FORMATÆ, ET FORMOSÆ VITÆ *ſuæ exemplo, nos propriè, & ſingulariter informaret, atque ſuæ doctrinâ Sapientiæ, nobis quæ ſunt bona, familiariter nunciaret.* Ut illud Nyſſeni Antiſtitis, vos religioſiſſimi Patres, rectè uſurpare poſſitis: x *Quoniam perfectionem humanæ vitæ quærebamus, eámque, ut potuimus, adinvenimus, nihil jā reſtat, niſi ut ad exemplar illud vivamus.*

Regulas denique, contra omnes Impugnatores hujus ſæculi, & poteſtates tenebrarum, validiſſima *ſepimenta* exſtitiſſe, teſtantur tot invicti pugiles, qui pro hoc ſepimento tuendo, ad ſanguinem decertârunt: & ipſe Ordo loquitur inter tot adverſa inconcuſſus, & ſuis Regulis ſeptus, cunctis inſuperabilis.

7. Reſtat nunc *ſcalas* in cœlum erigamus, & certiſſimam ad æternam ſalutem ſemitam, per Regulas demonſtremus. Quem non anxium, & ſolicitum habet, etiam virum ſanctiſſimum, æterna de ſalute ſua prædeſtinatio? unde ſolicitudine plenus, ſic ſuos ſub integerrima diſciplina degentes compellat Bernardus: y *Quis poteſt dicere; ego de electis ſum? ego de prædeſtinatis ad vitam? ego de numero filiorum? quis ſcit, ſi omnium veſtrum, quos hic video, ſcripta nomina ſunt in cœlis, & in libro prædeſtinationis annotata? quanto putas gaudio replerentur omnia oſſa mea, ſi id ſcire contingeret?* Hæc ut ſacro horrore ſolicitos ſuos redderet, & certiores de ſalute ſua faceret.

t Auguſt. in pſal. 93. v Vindocin. ſerm. de S. Benedicto.

x Nyſſen. de vita Moyſis. y Bern. in Septuageſ. Serm. 1. Serm. 2. de Aſcenſ.

Vobis

Vobis autem annuntiat hoc gaudium ſanctus Pater veſter, & hanc benedictionem dedit Legiſlator veſter, ut, quicumque hanc Regulam ſecuti ſunt, de ſalute ſecuri ſint, beatæ prædeſtinationis candidati, per eam quaſi per ſcalam, & certiſſimam viam ad ęterna regna perventuri: hanc etenim vir Dei plenus, haud dubiè inſtinctu divino, Regulæ ſuæ optatiſſimam clauſulam ſubjunxit: z *Quiſquis ergo ad patriam cœleſtem feſtinas, hanc minimam inchoationis* REGULAM *deſcriptam, adjuvante Deo perfice &c.* FACIENTIBUS HÆC, REGNA PATEBUNT ÆTERNA. Quibus verbis exhortatus ſuos Trithemius ait: a *Viam ergo, qua itur ad Deum, nobis oſtendit* SANCTISSIMUS PATER NOSTER BENEDICTUS, *ſicut concludit in fine Regulæ ſuæ, dicens*: FACIENTIBUS HÆC, REGNA PATEBUNT ÆTERNA. Ejuſdem promiſſi meminit ſancta Hildegardis, dicens: ad ultimum verò beatus Pater omnia hæc affirmat: *Facientibus hæc, regna patebunt æterna.* Bonizus quoque Epiſcopus Sutrienſis, martyrio coronatus Anno 1089. ut tradit Baronius, *b* eidem teſtimonium perhibet in hæc verba: SANCTUS BENEDICTUS *Monachorum Apoſtolus, compendioſam, & luculentam vivendi* REGULAM, *Monachis inſtituit, quam in fine ita concludit*: FACIENTIBUS HÆC, REGNA PATEBUNT ÆTERNA.

Smaragdus denique in capite decimo octavo ad hoc alludens, ait: *Confidens de Dei miſericordia, credat, quia cuſtodientibus eam* (REGULAM) PATEBUNT COELICA REGNA. *c* Atque hac formula magni hujus Patris diſcipulus Petrus Damiani, ſuos animavit. Verum enimverò quàm hæc promiſſio, & *Benedictio* certa, & indubitata ſit, teſtantur innumera illa Sanctorum agmina, quibus hanc viam ingreſſis *patuerunt regna cœleſtia*, quam ipſe Magiſter & Legifer ſanctus Benedictus ſtravit, ut divus Gregorius, & ſanctus Bernardus, cujus melleum flumen juvat huc derivare: d *Verè* BENEDICTUS *per omnia, ſpiritualem nobis erexit* SCALAM, *cujus utique ſummitas cœlos tangit, quod in ejus glorioſo tranſitu evidenti legimus miraculo commendatum, beato Patre Gregorio ſic ſcribente*: e *Inter diſcipulorum manus imbecilla membra ſuſtentans, erectis in cœlum manibus ſtetit, & ultimum ſpiritum inter verba orationis efflavit. Qua ſcilicet die, duobus fratribus, uni longius poſito, alteri autem in cella commoranti, revelatio unius, atque indiſſimilis viſionis apparuit: viderunt namque, quia ſtrata palliis, & innumeris coruſca lampadibus via, recto Orientis tramite ab ejus cella in cœlum, uſque tendebatur. Cui venerando habitu, vir deſuper clarus aſſiſtens, cujus eſſet via, quam cernerent, inquiſivit. Illi verò ſe neſcire profeſſi ſunt. Quibus ille ait*: HÆC EST VIA, QUA DILECTUS DOMINI COELUM BENEDICTUS ASCENDIT. *Quæ eſt enim via ab ejus cella prodiens, niſi Ordo, quem idem* VIR BEATUS *inſtituit, & forma vitæ, quæ ab eo ſumpſit exordium? qua nimirum viâ, Domini* DILECTUS *aſcendit, quia non potuit vir ſanctus aliter docere, quàm vixit* Cujus ſermonem, luculento teſtimonio, ſanctus Petrus Damiani Cardinalis confir-

z Reg. c.73. a Trithem. in prolog. Reg. S. Benedict. b Baron. Tom. 9. c Damian. in Regul. Eremit.

d Bernard. declamat. Ecce nos reliq. e Gregor. lib. 2. dial. c. 37.

mat, atque hoc nomine felices Caſſinenſes, & benedictos omnes, BENEDICTI filios cenſens, amabili ſtupore exclamat: f *Beati qui vobiſcum ſunt! beati qui inter vos, & in ſanctis operibus veſtris moriuntur! pia nimirum fide credendum eſt, quia* SCALA *illa, quæ de Caſſino monte olim in cœlum videbatur erecta, adhuc palliis ſtrata, lampadibúsque coruſcat. Sicut tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum tranſmittit ad cœleſtia ſubſequentem: nec ab ejus glorioſo tramite exorbitant declinantes, jam defuncti, cujus, dum in hoc exilio viverent, veſtigia ſunt ſecuti.* Hanc itaque quicumque Regulam ſecuti fuerint; audient beatam illam ſententiam: g *Venite* BENEDICTI *patris mei.* Et quemque compellans dicet: g *Ingredere* BENEDICTE *Domini.*

O ſi amabilis, & mirabilis ea viſio, hodiernâ luce nobis objiceretur, quæ aliquando ſanctiſſimæ Virgini Aldegundi! cerneremus i *divum Amandum*, glorioſo innumerabilium Sanctorum agmine ſtipatum, quos ipſe verbis, vitæque exemplo, ad cœleſtia regna ſecum advexerat, eúmque in cœlis, ut Patrem complectebantur, ut Salvatorem venerabantur.

O ſi ea felicitas noſtra foret, ut inclytum illum Ducem BENEDICTUM, jam triumphantem in cœlis contueri liceret! videremus ibi k quinquaginta quinque millia, & ſeptingentos (ut Hiſtoriographus Regius recenſet) ex ejus Ordine divos, parenti ſuo gratulantes: l videremus univerſos Eccleſiæ triumphantis Ordines, pro BENEDICTO inter ſe concertantes.

Apoſtoli propter incredibilem lucrandarum animarum zelum, ſuum eſſe dicunt.

Martyres propter invictam in arduis patientiam, durámque in corpus ſuum carnificinam exercitam, ſibi illum aſſerunt:

Confeſſores in ſua ſubſellia jam illum receperunt.

Virgines, quòd lilium quoddam virginitatis inter ſpinas volutatus extiterit, vendicare ſibi illum contendunt.

Immò *Prophetæ*, quòd in terris mortalium fata prædixerit, Prophetam appellant:

Patriarchæ, quòd gentis innumeræ, ac ſanctiſſimæ hodie in terris militantis, & in cœlo regnantis, Pater fuerit, ſuo cœtui illum adſcribunt. Videremus m *divum Dominicum* illi applaudentem, quod ſancti Dominici Abbatis, ex ejus Ordine Religioſi, precibus, à Deo ex ſterili Matre ſit impetratus: *Divum Franciſcum* ex animo geſtientem, quòd in Portiunculæ Cœnobio Benedictinorum, prima ſanctioris vitæ fundamenta jecerit. *Divum Ignatium* Societatis JESU Conditorem gratias agentem, quòd in Cœnobio montis Serrati, ſpiritus primitias acceperit. Omnem denique univerſum Sanctorum Chorum, hoc feſtivo acroamate ſibi applaudentem, & acclamantem audiet: n Sit BENEDICTUS *in ſæcula.*

f Petrus Damian. opuſc. 36. cap. 16. g Matth. c. 25. v. 34. h Gen. 24. i Vita S. Amandi 6. Febr. k Vide Anton Yepez An. 545.

l Vernulæus Orat. de S. Benedicto. m Haefften. in Reg. S. Benedict. n Daniel, 3.

FESTUM ANNUNCIATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Luc. 1.



Hoc ſatis eſt, uno te dicere verbo. Catull. 68.

ARGUMENTUM.

GErmanæ ſorores, divinitatis filiæ (quis credat?) ante ipſum Numinis thronum altercantur;

cantur: o *Gravis quædam*, inquit Bernardus, *inter virtutes videtur orta contentio: grandis controverſia, & intricata nimium diſceptatio:* divina *Juſtitia* mortale genus perdendum; *Miſericordia* parcendum, & in libertatem vindicandum contendit: ne quid verò alterutri decederet, Filius Dei litem diremit, qui charitate perpetua, & *Miſericordia* infinita, ut hominem redimeret, ac juſtitiæ ſatisfaceret, carnem noſtram aſſumere decrevit. Ad quod mirabile, nec minus amabile, omnibus ineffabile Incarnationis myſterium peragendum, cœleſtis Paranymphus ad Virginem deſtinatur, quæ unico FIat *Verbo VerbVM è CœLo aD nos trahIt*, & intra virginea viſcera, artifice Sancto Spiritu, concepit, ut *oMnIa nobIs ſaLVtarIa fIant, per ILLVD fIat.*

Ipſe autem DEI Filius factus eſt homo, ut nos ſibi arctiùs amoris vinculo conſtringeret. *Verbum caro factum eſt*, ut omnis caro, quæ corruperat viam ſuam, Spiritus fieret, atque ad divinam quodammodo tranſcenderet dignitatem. Tu vero, ô Maria, hoc ipſo Incarnationis momento, quo Mater DEI effecta, nobis facta es *Mater miſericordiæ*. Addo ad dignitatem tantæ Matris, nullos proximius, quàm ſacerdotes accedere.

§. I. *Verbo* VERBUM.

§. II. *Dei Filius* p IN SIMILITUDINEM HOMINUM FACTUS, ET HABITU INVENTUS UT HOMO, *ut amorem noſtrum in ſe quàm potentiſſimè provocaret.*

§. III. q VERBUM CARO FACTUM,

o Bernard. Serm. 1. in Annunc. Div. Virginis. p Ad Philipp. cap. 2. verſ. 7. q Ioann. cap. 1. v. 14.

ut caro ſpiritus fieret. Deus factus eſt homo, ut homo fieret Deus. r

§. IV. *Inſtanti Incarnationis, MARIA mater DEI effecta, ſimul mater miſericordiæ: quia* IN EA, IPSA QUÆ EX DEO EST CHARITAS, NOVEM MENSIBUS REQUIEVIT. ſ

§. V. *Dei Matris excellentia: cum illa Sacerdotum confertur,* IN QUORUM MANIBUS DEI FILIUS, VELUT IN UTERO MATRIS INCARNATUR. t

r S.Thom.opuſc.57. ſ Bern. ſerm.1.de Aſſumptione Beatæ Virginis.
t Auguſtinus de dignitate Sacerd.

FESTUM

FESTUM ANNUNCIATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Luc. I.

QUæ duo inter plurima,& maxima hodiernæ feſtivitatis prodigia, ſtupore cœlum, gaudio terram, ſacro quodam horrore totam hanc rerum univerſitatem perfundunt, *Virgo Mater*,& *Deus homo*; illa ſic omnem dicendi facultatem excedunt, ut neſciam, quomodo poſſim pro altero ſatis ex voto clarè,quia obſcurum; pro altero ſatis ex merito piè,quia ſacroſanctum; pro utroque ſatis pro expectatione diſertè, quia inexplicabile, perorare: In his enim quidquid audio, quidquid video, quidquid intelligo, audio prodigia,video myſteria, intelligo Sacramenta: ut quò magis quæram, quod inveniã;eo minus inveniã, quod dicam. Quæro virginem,invenio matrem: quæro ſterilem, invenio fœcundã. Hactenus nullum habuit cum fœcunditate commercium virginitas;unde illa inter utramq; ſocietas? ad hæc quæro gloriam, invenio miſeriam: quæro Deum,invenio hominem. Quæ duo minùs inter ſe conveniunt,quæ magis diſſident. quàm divinitas, & humanitas, y *Excedit multum, ſupereminet eloquii facultatem divini operis magnitudo, & inde oritur difficultas fandi, unde adeſt ratio non tacendi*: quia ratio loquendi, eſt magnitudo beneficii nobis exhibiti; & ex eadem oritur difficultas loquendi: x *Quis* enim *loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?* Cùm ergo hæc omnia ſint & ſua magnitudine tam ampla,& ſua majeſtate tam auguſta, ut potius ſilentii, quo colantur, quàm orationis, qua explicentur, præbeant argumentum; non, quàm multa hodierna dies complectatur myſteria,ſed quàm magna contulerit beneficia, explicabo. Quæ ut & ego poſſim concinnè oratione,& vos maturè cogitatione expendere,geminas ſorores, *juſtitiam*, & *miſericordiam* coram Deo,& æquiſſimo judice, & clementiſſimo Patre, *juſtitiam* quidem pro ſe contra hominem; *miſericordiam* verò contra ſororem pro homine, perorantem ſiſtemus; tum demum quando videbimus *miſericordiam* in ſua pro hominis ſalute cauſa, exorâſſe; quot nominibus eidem hodierna die non tantum devincti, ſed obſtricti ſimus, intelligemus.

Binas, jam inde à mundi naſcentis incunabilis, Deus pro- crea-

y S. Leo. ſerm. 9. de nativ. Chriſti.

x Pſal. 105. v. 2.

creaverat naturas, rationis compotes; alteram in cœlo, ab omni corporis contagione ſecretam, Angeli: alteram in terra, ex luto, & argilla fictam, hominis. Sed quæ eſt conſtans in rebus omnibus inconſtantia, & Angelus, & homo, ambo in ſuum patrem impii, in auctorem ingrati, in regem protervi, inſigni commiſſo ſcelere, violatâ Dei amicitia, repentè exuti ſunt ejus gratia: atque adeò ex ampliſſimo, ad quod per omnes beneficiorum gradus evecti fuerant, felicitatis faſtigio, miſerrimè dejecti ſunt, ac deturbati: uterque jam erat læſæ Majeſtatis reus; unde, & par erat utriuſque conditio, ſimilis impietas, æqualis culpa, eadem pereundi cauſa: ſed (ô profundiſſimam conſiliorum caliginem) *divina juſtitia* Angelos ſemel lapſos, voluit ſemper jacere, nunquam erigi; ſemel reos, voluit perpetuò damnari, nullo unquam tempore abſolvi. De homine erat controverſia, cujus minor videbatur, in oculis *miſericordiæ*, malitia; nam ſi non iniquum: certè acerbum ei videbatur, ſingularem unius hominis culpam, fieri communem omnium pœnam. Quare hominem licet reum criminis indigniſſimi, *miſericordia*, dignum judicabat miſeratione. y *Ex hoc*, inquit Bernardus, *gravis quædam inter virtutes videtur orta contentio.* Itaque dum ſoror ejus *juſtitia*, fumantis ſulphuris, picis, & ignium cincta procellis, funeſta pompa, ac ferali triſtium inſtrumentorum apparatu, in hoc mundo, velut in devoto tragœdiis theatro, ludos luderet inſolentes, & ad ejus nutum, nunc præmicarent fulgura, nunc mugirent tonitruum fragores, nunc ruerent dirè coruſcantia fulmina, nunc concuterentur terrarum ſola, tota denique eſſet intenta ſævo negotio belli; *miſericordia* tacitè ſecum cogitabat cogitationes pacis, & conjecto in altum benigniſſimo oculo, miſſóque ex imis viſceribus ſuſpirio, *patrem miſericordiarum*, his plenis amore querelis, interpellabat: z *Nunquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc? Aut obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira miſericordias ſuas?* a *tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.* Non erat obſcurum *juſtitiæ* conſilium, quod ſecum cogitabat *miſericordia*; quæ quàm hæc ſubveniendi avida, tam illa puniendi cupida, plus propè jam excanduit in *miſericordiam*, quàm in miſerum hominem. Magna hæc viſa eſt toti cœleſti curiæ, quiritantium ſororum, & pro hominis cauſa altercantium contentio. Quare utrique dies dicta in ſacroſancto illo foro, in quo ſæculorum omnium negotia, ſuis momentis, ad ſtateram æquitatis ponderantur. Progreditur in concilium, cœlo, terræque metuenda, ſæva ſcelerum vindex *juſtitia*; terra, quocunque incedit, inſolentium motuum tumultu contremiſcit, rubent flammeæ nubes, & lucido quodam horrore, totum hoc aeris ſpatium circumfundunt. Adeſt ex altera parte *miſericordia*, blandè ridentibus oculis, malis ad gratiam rubeſcentibus, reliquis corpo-

y Bern. ſerm. 1. in annunciat. B. Virg.

z Pſal. 76. v. 8. v. 10. a Pſal. 101. v. 14.

corporis lineamentis, non ſine majeſtate quadam decora. Cauſæ huic dirimendæ,tanquam ſequeſter,& arbiter,à Patre præfigitur, *Filius Dei.* Hîc aures, animóſque erigite, hoc enim exigit cauſæ, qua de agitur, in magno illo foro gravitas ; quæ,ſive ſpectetis actorem, quæ eſt *juſtitia*; ſive patronam,quæ eſt *miſericordia* ; ſive reum,qui eſt omnis homo ; ſive judicem, qui eſt *Filius Dei*, tanta eſt , quanta nulla vel pondere major, vel eventu expectatior à quopiam poſſit excogitari. De communi omnium,qui fuerunt, ſunt, vel erunt, hominum ſalute diſcepatur, de noſtro omnium capite lis eſt; agitur an ſempiternæ apud ſuperos gloriæ hæredes, an perpetuæ apud inferos pœnæ ſimus futuri conſortes Audite conſilium,ſpectate eventum, exſpectate ſucceſſum. Primas ſibi vindicavit in dicendo, quæ prima fuerat in plectendo , *juſtitia* : quæ plena horridæ majeſtatis, ſic orſa eſt orare : Dictura pro Deo contra hominem, pro me contra hominis patronam,non eſt quod argumenta, quaſi laterent, conquiram ; ſed quæ patent, depromam. Neſcis, ô ſoror mea,te in homines non poſſe eſſe piam, quin propè impia ſis in Deum ? quid aliud eſt, velle homini reo parcere,quàm nolle hominis Auctorem perſiſtere ? quid? an te fugit illud de Deo effatum: b *Ego Dominus, & non mutor*? & ſuum ſcilicet de homine perdendo decretum,quod æterno edicto ſancivit Sapientia, mutabit propter hominem ? propter hominem ? qui impiè ambitioſus illius affectavit eſſe conſors naturæ, cujus nec merebatur eſſe particeps gratiæ ? propter hominem? qui cùm Dei beneficio eſſet,non tantum ſupra meritum, ſed ſupra votum felix, quaſi pertæſus ſuæ felicitatis, maluit Dei præceptum violando eſſe miſer , quàm obſervando,felix ? propter hominem? cujus ſi ſpectes originem, nil abjectius;ſi naturam, nil humilius ; ſi indolem, nil eſt perverſius ? debuerat homo DEUM amare, quia Pater ; vereri , quia Dominus ; colere,quia beneficus ; metuere, quia ſeverus erat. At impius,Patrem non agnovit ; arrogans,Dominum ſprevit ; ingratus, beneficum offendit ; pervicax,ſeverum contempſit. Quid hominem ad caſum impulit? naturæ imbecillitas ? ſeptus erat, atque munitus divinæ gratiæ præſidio. Serpentis,qui illi impoſuit,aſtutia ? pollebat divinitus ſibi collatâ prudentiâ. An regnandi cupiditas? ſed rerum omnium cupitarum cum ſummo dominatu potiebatur. Ad hæc, commiſſum crimen excuſando defendere voluit, quod accuſando deflere debuit : bis reus, ſemel ſceleris commiſſi,iterum defenſi; quaſi majus dedecus eſſet, peccatum fateri, quàm peccâſſe. Nunc autem, quoniam mores, ac vitia parentis imitari, genus obſequii judicatur, abjecerunt omnes filii ejus pietatem, ne exprobrare Adamo parenti ſuo ſcelus videantur, ſi piè vivant. Unde nunc adeò in publicum miſſa eſt impietas,ut innocentia inter homines jam non ſit rara,ſed nulla: licere omnes, quod cuique lubet, jus putant. Imò quod unum habere ſolent mortales, etiam perditiſſimi,in malis boni,jam perdiderunt peccati verecundiam ; & ab

b Malach.3.v.6.

& ab illis, in quibus nulla peccandi eſt verecundia, ſperanda eſt peccati pœnitentia? vis à Deo, homini conferri gratiam, poſt tantam ab homine Deo illatam injuriam? injuſta eſt tua pro homine querimonia, ſi vel dicas eum non meruiſſe, quam patitur, pœnam; vel aſſeras mereri, quâ excidit, gratiam. Quid quærit homo ſera ſolatia? tunc decuit, cùm licebat; de modo, quo vindicari poſſit homo in libertatem, ſera eſt deliberatio: prius proſpiciendum homini erat, ne amitteret libertatem, quàm deliberare, quomodo amiſſam recuperaret. Fateor, durus eſt æternæ ſervitutis uſus, & ideo à principio non fuit ſuſcipienda, vel ſuſcepta æquanimiter ferenda. Scio, miſer eſt homo, ſed ſuo flagitio: periit, ſed ſuo vitio: cecidit, ſed non tam impulſu alieno, quàm arbitrio proprio; pereat ergo homo, cui pereundi tanta fuit libido; jaceat, cui ſtandi ſumma erat libertas, cadendi nulla neceſſitas. Quid ergo, ô ſoror, arguis meam de commiſſis ſceleribus vindictam, quæ eſt ad omnium diſciplinam? noſtra ultio, eſt correctio; pœna, eruditio; ira, doctrina; nunquam homini tantum profuiſſem obſequio, quantum profui ſupplicio. Religioſum eſt odium, odiſſe impios; laudanda crudelitas, plectere impietatem; illis parcere, ſæva eſt bonitas, affabilis immanitas. Imò ſi doles me perdere perditos, ſi nolis perire ſceleratos, videberis quaſi voluiſſe, eos ſcelera perpetrare. Vide ergo, quanta tibi ſit impoſita neceſſitas, cùm non poſſis cum homine pangere pacem, quin mihi indicas bellum: mihi, tibi, DEO, noces, ſi homini faves: c *Totus moriatur Adam neceſſe eſt cum omnibus, qui in eo erant, qua die vetitum pomum in prævaricatione guſtavit.* Hæc pro æquitate, hæc pro ſe, hæc contra hominem, & hominis patronam, *miſericordiam*, *juſtitia.* Illa contra hominem prolata rationum momenta, cùm non levis eſſent ponderis, non leviter *miſericordiam*, volentem pro homine dicere, perturbârunt: non tamen, ne diceret, perculerunt, vel à dicendi propoſito avocârunt. Æquitas cauſæ, pro qua orabat, ut orandi ei præbuit audaciam, ſic & exorandi præſtitit fiduciam. Ergo ſingulari modeſtiâ animorum conciliatrice, oculis in terram dejectis; Ordior, ait, magis à voto, cujus opto fortunatum ſucceſſum, quàm à ſpe, cujus timeo infortunatum eventum. Utinam privatus meus dolor, fiat publici doloris redemptio! quibus humani generis non querimoniis miſerum caſum, ſed næniis miſerrimum funus, perſequar? vincit officium linguæ calamitatis magnitudo, quam neſcio, an non ſatius ſit honorare ſilentio, quàm extenuare verbis? quid ô ſoror mea, priſtinam Adami exaggeras felicitatem, cui nunc pars magna miſeriarum eſt, audire, quid fuerit? miſerias ejus accumulas, dum à miſeriis illum olim eximium fuiſſe commemoras: cùm in omni adverſitate fortunæ, infeliciſſimum ſit genus infortunii, fuiſſe felicem: d *Eget miſeratione creatura rationalis, ait* MISERICORDIA, *quoniam miſera facta eſt, & miſerabilis valde.* Fateor, cecidit Adam, non alieno impulſu, ſed ſuo arbitratu; ſed heu! quàm acerbum, unius hominis

c Bern. Serm. 1. de Annunc. B. V. d Bern. cit.

minis culpam, fieri omnium ruinam! cadendi, non inficior, Adamo nulla erat neceſſitas; ſed adde, quanta in filiis poſt caſum parentis, eſt intellectus cæcitas, quanta voluntatis debilitas, quæ virium omnium infirmitas? jam quivis paterni criminis hęres naſcitur. Naſcitur? nimis hoc tardum eſt; concipitur; prius damnatus ad noctem, quam aſpexerit lucem. Deinde ipſa, quam homines agitant, vita, tot agitur fluctibus, ut jã vivere magis ſit metus, quàm voti. Et certè, ſi culpam necdum omnino eluerunt, nunquid ſatis pro culpa luerunt, quãdo per quadraginta ſæculorum curricula, tanta illis malorum moles incubuit? necdum extinxit iracundiæ tuæ faces, tanta, quâ mundus periit, aquarum eluvies? ſcilicet aliorum calamitas, tua eſt felicitas, & unum hoc cenſes bonum, plectere malos: non tam imperio hominibus opus eſt, quàm exemplo. Sed ne in immenſum excurrat hæc mea, non tam pro hominis causâ oratio, quàm de ſorte hominis ploratio; eget homo miſeratione, quia jam pridem miſer fuit, & ne ſemper ſit, nec ultra ſubſidium differendum; ſed conferendum eſt citò: quia eſt quoddam genus inclementiæ, ſerò miſereri; tardè velle, nolentis eſt. Quare recordare clementiſſime Judex, tuæ naturæ, cui ut nihil magis eſt propriũ, quàm parcere, ita nil magis ab ea alienum, quàm perdere: e *Grandis controverſia, & intricata nimium diſceptatio! quis non illic diceret: bonum nobis erat ſi natus non fuiſſet homo?* ad hæc, *fateor, ait* JUSTITIA, *zelum bonum* MISERSCORDIA *habet; ſed utinam ſecundum ſcientiam; nunc autem quid prævaricatori potius, quàm ſorori judicat eſſe parcendum? at tu, inquit* MISERICORDIA, *neutri parcis; ſed tanta indignatione ſævis in prævaricatorem, ut involvas pariter & ſororem. Quid mali merui? ſi quid habes adverſum me, dicito mihi, ſin autem, quid me perſequeris?* ne tamen videar quidquam ſorori derogare, dividamus imperium; illa ſuam exerceat ſeveritatem in lapſos Angelos, ego benignitatem in lapſos homines; ſic non ideo deſines eſſe juſtus, ſi incipias in hominem eſſe clemens. Vivat homo conditus à te, & propter te; ſcio, ſi te noverim, quidvis potius ages, ne dicam, patieris, quàm ut patiaris hominem perpetuò condemnari: nimis eum amore deperis, quàm ut ſinas perire. A te, cui commiſſum à Patre in hac cauſa judicium, exſpectant omnes pro cauſæ eventu, conſiliũ, pro ſucceſſu præſidiũ. Gratâ, & ſecundâ totius concilii admurmuratione, excepta fuit hæc *miſericordiæ* oratio: f *Non nos*, clamant Angeli pacis, *talis altercatio decet: virtutum eſt inhoneſta contentio.* Quare non longi ſubſellii fuit hæc judicatio: una enimverò erat omnium hæc ſententia decretoria, hominem in priſtinam, quam ſuo ſcelere amiſerat, libertatem eſſe vindicandum; de modo, & tempore erat diſceptatio: hoc enim potiſſimum dicendo perſuadere nitebatur *miſericordia*, non tantum ut homini ſubveniretur, ſed citò, ne ſi lentè vellet, diu noluiſſe cenſeretur. g *Ut* VERBUM *caro fieret, & habitaret in nobis*, MISERICORDIA & VERITAS *obviaverunt ſibi*, JUSTITIA & PAX *oſculatæ ſunt.* Nec mora, providentia, quæ

e Bern. cit.

f Bern. cit. g Ibid.

quæ omnia in menſura, & pondere, & numero diſpoſuit, cœpit ætatum omnium curricula, jam inde à mundi origine, ad eum uſque diem, ad calculum revocare, inſpectóque magno illo horologio, in quo Rex ſæculorum immortalis omnia tempora, & momenta ad amuſſim expreſſit, cœpit ſecum diſpicere, quænam eſſet menſura temporum, quod pondus ſæculorum, quis numerus dierum. Et ecce ubi omnia accuratè recenſuit, & exactè ſubduxit calculos temporis, ad *Filium DEI* converſa, h *venit*, inquit, *plenitudo temporis, tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.* Hîc ego vos oro, obteſtórque, ut quandoquidem jam apparebit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri, ſinatis ut cum illo appareat humilitas, & ſimplicitas orationis meæ, boníque conſulatis, ſi cum Deo infante, infantior ſim in dicendo. Hic enim, dum ſermo eſt de illo pleno modeſtiæ, & humilitatis ſacramento, exiſtimo non violaturum me Rhetorum præcepta, ſi potius cum Eccleſia loquar piè, modeſtè, humiliter, quàm cum Tullio doctè ornatè, eleganter.

§. I.

Verbo, VERBUM.

Filius DEI miſericordiâ motus ſuper filios hominum, ubi intellexit jam tempus eſſe miſerendi, cupidus homini ſubveniendi, imò ad ipſos homines veniendi, accerſito ad ſe cœleſtis legionis Tribuno fortiſſimo (quod ipſum ejus nomen exprimit) Gabriele: i *Vade*, ait, *& dic Filiæ Sion, ecce Rex tuus venit.* Ipſe momento ad terram delapſus, quærit eam ad quam fuerat legatus; quid dico quærit? una in tam cæca mundi caligine virgo, clariſſimarum virtutum fulgore, ita totum terrarum orbem replebat, ut non fuerit diu quærenda, quæ eligeretur, ſed ſtatim eligenda, quæ eminebat. Ille Paranymphus, ſacræ Virginis domum (ſi hæc domus appellanda eſt potius, quàm officina pietatis, & virtutum omnium delubrum) arcana illi ſanctiſſimæ Triados exponit conſilia: k *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus* JESUM: *hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.* Erat hoc grande myſterium, plenum immenſi ſtuporis, ac horroris ſacramentum. Hinc Virgo ad Angelum: l *Quomodo fiet iſtud?* ac ſi diceret: *Quî fieri poteſt, ut quod natura non habet, uſus neſcit, ignorat ratio, mens non capit, pavet cœlum, ſtupet terra: (l) creatura miratur, unde cœli & terræ; carnis & Dei repentè tantum proveniat commercium; ut Deus in hominem, homo in Deum, Dominus in ſervum, ſervus verteretur in Dominum: fierétque divinitatis & humanitatis ineffabili modo una ſemper, & ſempiterna cognatio?* *quomodo* antiquus dierum fiet infans unius diei? *quomodo* Rex ſæculorum immortalis, fiet mortalis? *quomodo* ſic aſſumet humanitatem, ut non perdat divinitatem: manens quod erat, ſuſcipiens quod non erat? *quomodo* Virgo concipiet virum? m *quis attingat arcanum DEI, partum Virginis?* illud mirabile & inconceptibile *quomodo*, per

h Galat. 4. v. 4. i Matth. 21. v. 5.

k Luc. 1. l Chryſoſt. Serm. 143. (l) Idem Serm. 72. m Chryſol. Serm. 143. Cornel. à Lapide in Luc. c. 1. v. 33.

novem

novem horas detinuit Dei legatum, iterum, iterúmque percunctando: illud, quod prædicis futurum, *quomodo*, fiet? quid ad illa Angelus? *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te.* Illud inexplicabile arcanum, illud, quod omnem creatam intelligentiam excedit myſterium, Spiritus Sancti opera perficietur; non eſt quod quæras, *quomodo fiet illud*? ubi ad faciendum accurrit, & concurrit is, per quem omnia facta ſunt, cui omnia ſunt poſſibilia, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum: ipſe dixit, & facta ſunt. Itaque ſi dixeris *fiat*, quidquid dixeris, fiet. *n* Quod ut ad mores referamus, ubi ſpirat Spiritus Sanctus, illic repentè, quæ erant amara, fiunt dulcia: quæ aſpera, plana: quæ dura, mollia: quæ gravia, levia: quæ obſcura, lucida: quæ moleſta, jucunda: quæ impoſſibilia, poſſibilia. Hæc nunc tibi applica, dum ſubinde in meditatione tua exardeſcit ignis, dū à Deo dilatatur cor tuum, & cœleſtis Prætor miſsâ mappâ, dat ſignum ineundi certaminis, & glorioſæ victoriæ: jámque tibi certum eſt, totius naturæ, quin & gratiæ conatu, eniti ad culmen virtutis, & faſtigium perfectionis, ad verticem ſanctimoniæ. Tot, tam multa, tam ardua animo hæc meditanti occurrunt, quæ oportet facere, omittere, perferre, audire, ſupra naturam difficilia, ſupra vires ardua, ſupra robur intolerabilia: ſum genio imbecillis, animo imbellis, ad omnem flatum timoris, aut ſpei mobilis: naturæ conditione delicatus. Tamen o *dixi, nunc cœpi*, ſtat animo à virtute ſtare, vitiis nuntium remittere, mundi jugum excutere, è cœno emergere, ad frugem bonam me recipere, non comperendinabo, non cunctabor, nunc curram per viam mandatorum, & ſic curram, ut comprehendam: nunc p *perſequar inimicos meos*: nunc extendam ad fortia manum meam, nunc cœpi. Hæc ubi mecum ſtatui, ac propè me facturum juravi; illico ſe opponit corrupta natura, & reponit: *Quomodo fiet iſtud*? conſuetudo naturâ potentior, æſtu ſuo ſe totam abſorbet; hujus autem violentum eſt imperium; porrò eam tot annis corroboratam, ſtirpitus evellere, *quomodo fiet iſtud*? amor laſcivus, qui me ſuis illecebris irretitum, lenociniis captum, blanditiis implicatum tenet, hic amor omnis animo eſt evellendus; & qui erga varios fuerat vagus, debet erga ſolum Deum eſſe unus: *Quomodo fiet iſtud?* ubivis pro arbitrio tuo ſolebas indulgere genio, vivendo ad cupiditatem hilariter, edendo ad ſatietatem liberaliter, bibendo ad ebrietatem immaniter: inter molliſſimas anſerum exuvias, & olorinas plumas ad clarum mane dormire, effundere te in omne genus voluptatum, denique perpetuò colere hilaria, agere ſaturnalia, vivere bacchanalia; jam verò animus, qui prius effrenatus volitare liberè ſolebat, in gyrum modeſtiæ, ac diſciplinæ erit cogendus: corpus inedia, vigiliis, flagellis, aliiſque afflictionibus macerandum: *quomodo fiet iſtud*? quod ſi jam à corpore, ad animam, animum transferas: neceſſe eſt pravos motus, & indomitos affectus, qui tam feroces intus ludos ludunt, mentémque

n Morale. o Pſalm. 76. v. 11.

p Pſalm. 13. v. 28.

vitiis mancipatam penitus labefactant, coërcere, ac rationis fræno comprimere, ne laſciviant: ſed *quomodo fiet iſtud*? injuriæ acceptæ memoria te ducit ad vindictam? remittenda eſt injuria: ira te tranſverſum abripit, & præcipitem agit? coërcendus eſt ejus impetus, ne ruas, & corruas. Invidia contabeſcis? ſæpe tibi occinendum erit illud Romani Philoſophi:

q *Nunquam erit felix, quem torquebit felicior.*

Voluptas te allicit? non eſt admittenda: proclivius enim erit illam non admittere, quàm admiſſam dimittere. Omnes hæ animi perturbationes rationi ſubdendæ, ac frænandæ, ut quælibet animo obtemperet, cuilibet animus, ut dominus, imperet; jam verò, cum hoc ſit immenſi laboris, & virtutis, *quomodo fiet iſtud*? hæc infirma caro, hæc corrupta natura, hęc inveterata conſuetudo, hic homo vetus:

r *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.*

Sta in gradu, perſta in propoſito, tibi inter hæc terriculamenta firmiter conſta: induêris virtute ex alto: enim vero *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*, qui omnia amara dulcia, ardua facilia, impoſſibilia reddat facilia, quia nihil ei impoſſibile eſt.

Nunc, ut eò revertamur, unde digreſſi ſumus; perceperat ex cœleſti interprete myſterium abſconditum à ſæculo, Virgo latens in abſcondito: & jam meditabunda hærebat ſolicita, quid ſe reſpondere, vel pro immenſo tantæ rei momento deceret, vel pro abjecta ſortis ſuæ conditione oporteret. Quid dubitas virgo? explorata eſt tibi Dei voluntas, nec ignota tibi ejus poteſtas: tuus requiritur pro conſenſu nutus, ut inde ſequatur omnium ſalus: à tuo ore hærent ſuſpenſi cœli, terræ, inferi, angeli, homines, dæmones: expectat ex alto Æternus Pater, ut filium ad nos mittat: expectat Altiſſimi Filius, ut ad nos deſcendat: expectat qui à patre, filióque proceſſit, Spiritus Sanctus, ut Te virtute Altiſſimi obumbret: tota denique rerum univerſitas, quid ſis cœleſti oratori reſponſura, expectat: quia tota ejus ſalus, eſt expectatio Salvatoris. Tantum dic verbo FIAT, & illico erit *verbum caro factum*; verbum illud FIAT, verbum maximæ conſolationis, verbum ſummæ expectationis, & divinæ miſerationis, ut ſuaviſſimè hoc ſuper argumento diſſerit melliſluus Bernardus: ſ *Expectat Angelus reſponſum, expectamus & nos, ô Domina, verbum miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis: in ſempiterno Dei* VERBO *facti ſumus omnes, & ecce morimur; in tuo brevi reſponſo, ſumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Ex ore tuo pendet ſolamen miſerorum, redemptio captivorum, ſalus denique univerſorum*; tantùm opus eſt, unam in cœleſtem illam curiam vocem emittas, *fiat*, & hac percuſſa mirabili, & amabili palinodiâ, *verbo verbum* à regalibus ſedibus mittet. Magni in rebus humanis ponderis eſt unum *fiat*, à Dynaſtis, Regibus, Pontificibus prolatum; at longè majoris efficaciæ, ac momenti, hoc virginis *fiat*; cùm per illud mortalium caducæ

q Seneca de ira lib. 3. c. 30. r Virg. lib. 6.

ſ Bern. ſerm. 4. ſuper miſſus.

digni-

dignitates, fugacéſque honores, ac beneficia parum ſtabilia conferantur; per iſtud verò virginis *fiat*, celſiſſima illa, atque in æternum Dei matris dignitas, Mariæ conferenda & quod omnia exſuperat, *Deus homo*, & *homo Deus* futurus ſit. Si qui litem habent, quæ per plures annos ventilata eſt, ubi decretoria dies advenit, omnes animis pendent, ut in favorem ſententia pronuntietur: qui multo labore, & ſudore, frequenti libello ſupplici oblato deſudârunt, ut dignitatem adipiſci, in aulam admitti queant, avidiſſimè expectant, ut unum favorabile *fiat* poſtulationibus ſuis impetrent. Qui vitam ob debita non ſua, ſed aliena culpa contracta, in carcere, in tenebris, & umbra mortis exegêre, cauſámque ſuam longo tempore egêre, ad unum illud, & unicum, quo redimendi eſſent, *fiat*, ardentiſſimè anhelant. t *Hoc* FIAT, *ſupplicat à te, ô virgo pia, flebilis Adam cum miſera ſobole ſua exul de paradiſo: hoc Abraham, hoc David, hoc cæteri flagitant Sancti Patres, qui habitant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat.* Inducit Bernardus Adamum, & Evam, cum ſuis poſteris quaſi adeuntes cubile, & thalamum virginalem, aurémque parieti opponentes, ut auſcultent, quid Angelus nuntiet, quid virgo tanquam filia pro patre, & matre reſpondeat, qui, ſicut omnium parentes, ita & fuêre peremptores: v *Da virgo reſponſum feſtinanter. O Domina reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & ſuperi; ipſe quoque omnium Rex, & Dominus, quantum concupivit decorem tuum, tantum deſiderat & reſponſionis aſſenſum.* Hæc Bernardus mellifluo ſuo ore, & calamo lacte manante; ac tandem concludit: *Reſponde verbum, & ſuſcipe* VERBUM: *profer tuum, & concipe divinum: emitte tranſitorium, & amplectere ſempiternum.* Dic ergo Maria, FIAT:

x *Hoc* SATIS EST, UNO TE DICERE VERBO.

Cùm ergo jam finem & dicendi cœleſtis orator, & expendendi incomparabilis virgo feciſſet, nílque ut perdito homini ſalus conferretur, requireretur, niſi Virginis conſenſus (adeò ſcilicet totum genus humanum ab unius Puellæ ore pendebat) tandem illa jam nihil in ſe habens hominis, præter figuram corporis, tota divina, utpote quæ expectabat in ſe *hominem Deum*, unum verbum quod lætitiam cœlis, gaudium terris, invidiam propè Angelis, ſalutem hominibus, horrorem dæmonibus attulit, magnum ac mirandum illud FIAT, quo *verbo verbum* è ſinu Patris, traxit, pronuntiavit. Verè tunc eructavit cor ejus verbum bonum, quia qui ſummum bonum eſt, VERBUM CARO FACTUM EST. y FIAT, *inquit, mihi de* VERBO *ſecundum* VERBUM TUUM. VERBUM *quod erat in principio apud Deum*, FIAT *caro de carne mea, ſecundum* VEBBUM TUUM. FIAT *obſecro mihi* VERBUM *non prolatum, quod tranſeat; ſed conceptum, ut maneat, carne videlicet indutum, non aëre.* FIAT *mihi non tantum audibile auribus, ſed & viſibile oculis, palpabile manibus, geſtabile humeris. Nec* FIAT

t Bern. cit. v Ibidem.

x Catull. eleg. 68. y Bern. ſerm. 4 ſuper miſſus.

mihi

mihi VERBUM *ſcriptum, & mutum, ſed* INCARNATUM *&* VIVUM: *Hoc eſt, non mutis figuris, mortuis in pellibus exaratum, ſed in forma humana meis caſtis viſceribus vivaciter impreſſum: & hoc non mortui calami depictione, ſed S. Spiritus operatione. Eo videlicet modo* FIAT *mihi, quo nemini ante me factum eſt, nemini poſt me faciendum* O magnū! ô mirabile FIAT. z *O verbum breve; ſed efficax, & omni conſolatione dignum!*

Libet virgineum illud FIAT, cum divino, quo omnia creata ſunt, conferre, & longè majora, ac mirabiliora per Marianum, quàm per Divinum FIAT, patrata eſſe comperiemus. a *Dixit Deus,* FIAT *lux, & facta eſt lux*, quæ aëris tenebras omnes diſcuſſit; ſed hôc virginis FIAT, factus eſt b *fons lucis*, & ſpirituales mentis tenebras fugat. Ad illud, factum eſt firmamentum; per hoc, quod in immenſum exſuperat, Conditor firmamenti, factus eſt homo, & petra, ac firmamentum Eccleſiæ. Ad illud, facta ſunt duo luminaria, Sol, & Luna; per hoc, illuxit nobis divinitas & humanitas: per illud *fiat* verbi divini, conditi ſumus, iterum morituri; per hoc virginis, verbum concipientis, æternùm victuri reficimur, & inſtauramur: per illud deniq; facta eſt mundi creatio; ſed ad hoc fieri incepit mundi redemptio; tanta fuit illius *fiat* vis, & potentia, ut ore melleo Apis Claravallenſis: c *In ſempiterno verbo Dei, facti ſumus omnes, & ecce morimur; in tuo brevi reſponſo, ſcilicet* FIAT, *ſumus reficiendi, ut ad vitam revocemur.* Confirmat idipſum D. Anſelmus, de excellentia virginali: d *Cuncta quæ Deus bona, & utiliter fecit, in eo ſtatu, in quo condita ſunt, eſſe deſtiterunt; & per hanc virginem, in priſtinum ſtatum revocata ſunt, & reſtituta; unde verè, & audacter auſim affirmare de Virgine, quod Joannes de* VERBO: *& ſine ipſo factum eſt nihil, ita ſine virgine, nihil eſſe refectum. Majus igitur aliquid attribuit Deus* FIAT *virginis, quàm ſuo.* Terram, Cœlum, luminaria, creata omnia, per unum *fiat*, verbo Domini firmata, & creata ſunt; at Marianum FIAT, tantò excellentius, ac potentius eſt, quantò carius Deo ſtetit mundum condere, quàm redimere; hominem creare, quàm Deum incarnari, ut ſcitè obſervat Andreas Hieroſolymitanus: e *Dixit Deus:* FIAT *lux, &c. & facta ſunt omnia. Dixit virgo:* FIAT *mihi ſecundum verbum tuum; & factum eſt opus maximum; imperantis Dei* FIAT, *ſecutum eſt cœlum; obedientis virginis* FIAT, *ſecuta eſt admiranda Verbi divini incarnatio, atque ita* VERBO, VERBUM. Deus immortalis: unico *fiat*, immortalis factus eſt mortalis: O myſterium! Æternitas, temporalis: ô prodigium! Immenſitas anguſta: ô miraculum! Antiochus Rex Syriæ miſit Pompilium legatum, ad Ptolomæum Regem Ægypti, pacis fœdera poſtulantem: cúmque Ptolomæus reſponderet, hac ſuper re ſe cum concilio ſuo acturum, ac deliberaturum, Pompilius ſcipione, quem manu tenebat, circum ipſum Regem circulum fecit, liberè edicens, nullas ulterius moras trahendas; ſed *antequam huic circulo excederet, reſponſum daret*: & confeſtim Rex pacis conditionibus annuit.

z Idem ſerm. in converſ. S. Pauli. a Gen. 1. v. 3. b Ioan. 3. c Bern. ſerm. 4. ſuper miſſus. d Anſelm. de excell. virg. c. 11.

e Andr. Hieroſol. ſerm. de Aſſumpt. B. V.

dignitates, fugacéſque honores, ac beneficia parum ſtabilia conferantur; per iſtud verò virginis *fiat*, celſiſſima illa, atque in æternum Dei matris dignitas, Mariæ conferenda & quod omnia exſuperat, *Deus homo*, & *homo Deus* futurus ſit. Si qui litem habent, quæ per plures annos ventilata eſt, ubi decretoria dies advenit, omnes animis pendent, ut in favorem ſententia pronuntietur: qui multo labore, & ſudore, frequenti libello ſupplici oblato deſudârunt, ut dignitatem adipiſci, in aulam admitti queant, avidiſſimè expectant, ut unum favorabile *fiat* poſtulationibus ſuis impetrent. Qui vitam ob debita non ſua, ſed aliena culpa contracta, in carcere, in tenebris, & umbra mortis exegêre, cauſámque ſuam longo tempore egêre, ad unum illud, & unicum, quo redimendi eſſent, *fiat*, ardentiſſimè anhelant. t *Hoc* FIAT, *ſupplicat à te, ô virgo pia, flebilis Adam cum miſera ſobole ſua exul de paradiſo: hoc Abraham, hoc David, hoc cæteri flagitant Sancti Patres, qui habitant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat.* Inducit Bernardus Adamum, & Evam, cum ſuis poſteris quaſi adeuntes cubile, & thalamum virginalem, aurémque parieti opponentes, ut auſcultent, quid Angelus nuntiet, quid virgo tanquam filia pro patre, & matre reſpondeat, qui, ſicut omnium parentes, ita & fuêre peremptores: v *Da virgo reſponſum feſtinanter. O Domina reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & ſuperi; ipſe quoque omnium Rex, & Dominus, quantum concupivit decorem tuum, tantum deſiderat & reſponſionis aſſenſum.* Hæc Bernardus mellifluo ſuo ore, & calamo lacte manante; ac tandem concludit: *Reſponde verbum, & ſuſcipe* VERBUM: *profer tuum, & concipe divinum: emitte tranſitorium, & amplectere ſempiternum.* Dic ergo Maria, FIAT:

x *Hoc* SATIS EST, UNO TE DICERE VERBO.

Cùm ergo jam finem & dicendi cœleſtis orator, & expendendi incomparabilis virgo feciſſet, nílque ut perdito homini ſalus conferretur, requireretur, niſi Virginis conſenſus (adeò ſcilicet totum genus humanum ab unius Puellæ ore pendebat) tandem illa jam nihil in ſe habens hominis, præter figuram corporis, tota divina, utpote quæ expectabat in ſe *hominem Deum*, unum verbum quod lætitiam cœlis, gaudium terris, invidiam propè Angelis, ſalutem hominibus, horrorem dæmonibus attulit, magnum ac mirandum illud FIAT, quo *verbo verbum* è ſinu Patris, traxit, pronuntiavit. Verè tunc eructavit cor ejus verbum bonum, quia qui ſummum bonum eſt, VERBUM CARO FACTUM EST. y FIAT, *inquit, mihi de* VERBO *ſecundum* VERBUM TUUM. VERBUM *quod erat in principio apud Deum,* FIAT *caro de carne mea, ſecundum* VEBBUM TUUM. FIAT *obſecro mihi* VERBUM *non prolatum, quod tranſeat; ſed conceptum, ut maneat, carne videlicet indutum, non aëre.* FIAT *mihi non tantum audibile auribus, ſed & viſibile oculis, palpabile manibus, geſtabile humeris. Nec* FIAT *mihi*

t Bern. cit. v Ibidem.

x Catull. eleg. 68. y Bern. ſerm. 4 ſuper miſſus.

mihi VERBUM *ſcriptum, & mutum, ſed* INCARNATUM *&* VIVUM: *Hoc eſt, non mutis figuris, mortuis in pellibus exaratum, ſed in forma humana meis caſtis viſceribus vivaciter impreſſum: & hoc non mortui calami depictione, ſed S. Spiritus operatione. Eo videlicet modo* FIAT *mihi, quo nemini ante me factum eſt, nemini poſt me faciendum* O magnū! ô mirabile FIAT. z *O verbum breve; ſed efficax, & omni conſolatione dignum!*

Libet virgineum illud FIAT, cum divino, quo omnia creata ſunt, conferre, & longè majora, ac mirabiliora per Marianum, quàm per Divinum FIAT, patrata eſſe comperiemus. a *Dixit Deus,* FIAT *lux, & facta eſt lux*, quæ aëris tenebras omnes diſcuſſit; ſed hôc virginis FIAT, factus eſt b *fons lucis*, & ſpirituales mentis tenebras fugat. Ad illud, factum eſt firmamentum; per hoc, quod in immenſum exſuperat, Conditor firmamenti, factus eſt homo, & petra, ac firmamentum Eccleſiæ. Ad illud, facta ſunt duo luminaria, Sol, & Luna; per hoc, illuxit nobis divinitas & humanitas: per illud *fiat* verbi divini, conditi ſumus, iterum morituri; per hoc virginis, verbum concipientis, æternùm victuri reficimur, & inſtauramur: per illud deniq; facta eſt mundi creatio; ſed ad hoc fieri incepit mundi redemptio; tanta fuit illius *fiat* vis, & potentia, ut ore melleo Apis Claravallenſis: c *In ſempiterno verbo Dei, facti ſumus omnes, & ecce morimur; in tuo brevi reſponſo, ſcilicet* FIAT, *ſumus reficiendi, ut ad vitam revocemur*. Confirmat idipſum D. Anſelmus de excellentia virginali: d *Cuncta quæ Deus bona, & utiliter fecit, in eo ſtatu, in quo condita ſunt, eſſe deſtiterunt; & per hanc virginem, in priſtinum ſtatum revocata ſunt, & reſtituta; unde verè, & audacter auſim affirmare de Virgine, quod Joannes de* VERBO: *& ſine ipſo factum eſt nihil, ita ſine virgine, nihil eſſe refectum. Majus igitur aliquid attribuit Deus* FIAT *virginis, quàm ſuo.* Terram, Cœlum, luminaria, creata omnia, per unum *fiat*, verbo Domini firmata, & creata ſunt; at Marianum FIAT, tantò excellentius, ac potentius eſt, quantò carius Deo ſtetit mundum condere, quàm redimere; hominem creare, quàm Deum incarnari, ut ſcitè obſervat Andreas Hieroſolymitanus: e *Dixit Deus:* FIAT *lux, &c. & facta ſunt omnia. Dixit virgo:* FIAT *mihi ſecundum verbum tuum; & factum eſt opus maximum; imperantis Dei* FIAT, *ſecutum eſt cœlum; obedientis virginis* FIAT, *ſecuta eſt admiranda Verbi divini incarnatio, atque ita* VERBO, VERBUM. Deus immortalis: unico *fiat*, immortalis factus eſt mortalis: O myſterium! Æternitas, temporalis: ô prodigium! Immenſitas anguſta: ô miraculum! Antiochus Rex Syriæ miſit Pompilium legatum, ad Ptolomæum Regem Ægypti, pacis fœdera poſtulantem: cúmque Ptolomæus reſponderet, hac ſuper re ſe cum concilio ſuo acturum, ac deliberaturum, Pompilius ſcipione, quem manu tenebat, circum ipſum Regem circulum fecit, liberè edicens, nullas ulterius moras trahendas; ſed *antequam huic circulo excederet, reſponſum daret*: & confeſtim Rex pacis conditionibus annuit.

z Idem ſerm. in converſ. S. Pauli. a Gen. 1. v. 3. b Ioan. 3. c Bern. ſerm. 4. ſuper miſſus. d Anſelm. de excell. virg. c. 11.

e Andr. Hieroſol. ſerm. de Aſſumpt. B. V.

Quot luſtra, quot ſæcula fluxerunt, dum pacem cum Deo miſeri mortales poſtulârunt, & expectârunt: aſſiduæ moræ, ac remoræ nectebantur: expecta, reexpecta: veniens, veniet, & non tardabit, non longè ab unoquoq; noſtrûm: multa proferebantur merita, multa heroica veterum Prophetarum facinora; ſed in ſupremo illo Sanctiſſimæ Triados concilio res agitanda videbatur. Donec tandem Rex immortalis, à Virgine circulo incluſus, juxta vaticinium Iſaiæ: *fœmina circumdabit virum*, qui pacem orbi reddidit.

Theologorum Aquila Aquinas, tria in hoc myſterio maximè ſtupenda concurriſſe aſſeverat: infinitam ſapientiam, infinitam potentiam, & infinitam bonitatem: f *Licet alius modus fuiſſet Deo poſſibilis; nullus tamen ita congruus, ut dicit Auguſtinus: congruebat enim ipſi Reparatori, & reparabili, & reparationi. Congruebat Reparatori, quem decebat ſuam ſapientiam oſtendere, potentiam, & bonitatem. Quid autem potentius, quàm conjungere extrema ſummè diſtantia? magna enim potentia fuit in cōjunctione diſparium elementorum; major in conjunctione illorum ad ſpiritum creatum; maxima verò in unione ad ſpiritum increatum, ubi maxima eſt diſparitas. Quid verò ſapientius, quàm quod ad completionem totius univerſi, fieret conjunctio primi, & ultimi, hoc eſt verbi Dei, quod eſt omnium principium: & humanæ naturæ, quæ in operibus ſex dierum, fuit ultima omnium creaturarum? quid benevolentius? quàm quod Creator rerum, communicare ſe voluit rebus creatis? & hæc benignitas magna fuit in conjunctione ſui, cum omnibus rebus per præſentiam: major, quia communicavit ſe bonis per gratiam: maxima quia ſe communicavit Chriſto homini, & per conſequens generibus ſingulorum in unitate perſonæ.* Ubi extrema inter ſe maximè diſtantia, conjuncta ſunt: natura divina, & humana in eodem ſuppoſito hypoſtaticè unita: principium & finis copulata: ſummum & infimum connexa: natura creata cum increata: actus purus cum pura potentia: immortalis cum mortali: æternus cum temporali: Deus-homo, Verbum caro. Quæ omnia, ad unum illud virginis *fiat*, facta, & peracta ſunt: *Nec Deus quidem factus eſt homo, niſi virgo diceret*: FIAT. g

Sanè neque hoc quomodo dicam, neque quomodo taceam, reperio: ſi enim taceo, ipſe amor Chriſti potentiùs meam, quàm olim Crœſi infantis, linguam reſolvet; ſin autem ad dicendum ora laxâro, vereor in tam ſublimi rerum argumento, me nihil, vel parum allaturum. Quis enim in hoc tam vaſto divinæ humanitatis pelago, in illa altiſſima abyſſo, rationum bolide fundum valeat inveſtigare, ubi Arrii, Neſtorii, Eutychetes, Appollinares, aliique innumeri, velificantis ingenii temeritate abrepti, ad brevia & ſyrtes, imò ad portum ſalutis alliſerunt, & infelici naufragio, velis, remíſque ad ſtyga trajeceruut? porrò ſi omnis difficultas cujúſque cognitionis, ab eminentia rei ſuper naturam cognitivam, aut à rebus, quarum nullum in naturis veſtigium iſtiuſmodi reperitur, deſumitur; compertum eſt, nullum Angeli-

f S.Thom. opuſc. 60. de human. Chr. art. 1.

g Bern. ſerm. 4. ſuper miſſus.

cum

eum, nedum humanum intellectum transfretando poſſe commenſurare ortum geminum unius, bis natum, ex Deo, ex Virgine; non duos tamen ſed unum Filium. O myſteria humanis mentibus abſtruſa! ut è Filia Pater naſceretur, etſi mendacio cæca fabula anſa non ſit; fieri tamen potuiſſe, humana natura veſtita Divinitas oſtendit: & ut faciliùs filiæ nomen tribuas, virgo permanſit. O inaudita fœcundæ virginitatis encomia! in momento hominem perfectiſſimum, corporis quidem mole exiguum; ſed plenitudine ſcientiæ, & magnitudine divinitatis, virum perfectum! ô miraculum longè excelſiſſimum! ô inenarrabile divini amoris prodigium!

§. II.

Dei Filius h *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, ut amorem noſtrum in ſe quàm potentiſſimè provocaret.*

DOctor Angelicus, de quo illuſtriſſimum illud è Petri cathedra, Joannis XXII. cum pro canonizatione exquirerentur de more miracula, exſtat teſtimonium: i *Non eſſe de ejus miraculis vehementer curandum: quippe qui tot miracula fecit, quot quæſtiones determinavit.* hic 3. p. q. 1. art. 2. *utrum neceſſarium fuerit verbum Dei incarnari?* inter varias rationes, hanc adfert, ut ſuum erga nos amorem comprobaret, noſtrúmque in ſe concitaret, k *tertiò*, inquit, *ad charitatem, quæ maximè per hoc excitatur: unde Auguſtinus*: l *quæ major eſt cauſa adventus Domini, niſi ut oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nos?* & poſtea ſubdit: m *ſi amare pigebat, redamare non pigeat.* Dilectione perpetua non Angelos apoſtatas, ſed mundi peccatores, inter quos ego primus ſum, dilexit, uſque adeo, ut re ipſa conteſtetur, n *charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te*, & ſaccum mortalitatis tuæ indutus ſum, *miſerans tui*; traxit ultimam Deus amoris lineam, cum lineamenta aſſumpſit noſtra. O amor infinite, quomodo exhauriris in bene merendo de me! cùm nec tibi, ô Deus Omnipotens, reſtet potentia, qua majora, digniora, excelſiora opera pro me poſſes facere: nec ſapientia ſit reliqua, qua poſſes excogitare: nec voluntas poſſibilis, qua poſſes optare: nullum enim præſtantius, nullum præſentius remedium noſtri generis excogitari, aut eſſe potuit, quam incarnatio Filii Dei, quod fuit infinitæ miſericordiæ: o *Non poteſt Deus majus aliquid facere, quàm Deum fieri hominem.* O immenſa bonitas, & amoris exceſſus, cui ceſſit omnipotentia divina! viciſti Deus artes, & vota illa ſacroſancta, & infinita quaſi limitâſti. Quomodo non vincis infirmitatem meam, ſuſpendis cogitationes meas, & limitas deſideria mea, ut nihil coner, cogitem, velim, niſi te? Filii, quos enutrîſti Domine per creationem, te ſprevimus: quomodo quos inſuper honorâſti, & ex-

h Ad Philipp. 2. v. 7. i P. Raynaudus pietas ſpecialis puncto 5. S. Thom. 3. p. q. 1. art. 2.

l Aug. lib. de cathed. rud. c. 4. m Ibid. n Ieremiæ 31. v. 3. o Damaſcen. l. 1. orthodox. fidei.

& axaltâſti uſque ad conſortium tuæ majeſtatis,te ſpernere poſſumus, & non amare, qui nos amando, ſprevisti te uſque ad conſortium noſtræ vilitatis? De hoc mirabili & amabili verbi incarnati myſterio, p *etſi difficile ſit dignè,aptéque diſſerere; non eſt tamen liberum Sacerdoti in tanto divinæ miſericordiæ Sacramento,fidelibus populis ſubtrahere ſermonis officium: cùm ipſa materia,ex eo, quod eſt ineffabilis, fandi tribuat facultatem, nec poſſit deficere quod dicatur, dum numquam poteſt ſatis eſſe, quod dicitur.* Sed inde fortè doles, quod hoc tam immenſum beneficium capere non poſſis; imò inde gaude,quia plus tibi datum, quàm capere poſſis. Amabo te, ſi tanta tibi pecunia daretur, ut eam numerare non valeres, num inde doleres? quinimò gauderes, donum ejuſmodi eſſe, ut captum tuum excederet; ſic tibi datus eſt Deus homo. O Domine, quantùm ſolatium habeo in hoc redemptionis beneficio, cùm te video in noſtræ ſubſtantiæ forma, noſtræ miſeriæ ſocium, & amatorem! nonne alio modo redimere nos poſſes, quamvis minore juſtitiæ rigore? nonne poteras creare Angelum excellentiſſimum, eximia gratia præditum, qui pateretur ſaltèm inferni dolores? nonne poteras ipſe, ſervato ſtrictæ juſtitiæ tuæ jure, ſine tot cruciatibus? At ut totum noſtrûm occupares amorem, id feciſti. Fortaſſe ſi alius Redemptor; alius Creator eſſet, plus amaremus Redemptorem noſtrum,quàm Creatorem. O amor mi! qui omnia feciſti in numero,pondere, & menſura, cur tu auctor naturæ, in qua nihil ſuperfluum, nil redundans feciſti, in redemptione quaſi turbâſti omnia? Extra te, & morem tuum abreptus, nullum numerum ſervaſti cruciatuum, nullum pondus pretioſi ſanguinis tui oſtendiſti, nullam menſuram ſatisfactionis neceſſariæ; ſed ſupereffluente cruore tuo,ſuperabundanter redemiſti, ſine menſura omnia faciens. Certè quia arbiter tanti operis immenſus erat amor, in hoc opere voluiſti, velut viſibilem amorem tuum facere, cùm nos increduli non crederemus ex aliis operibus, & beneficiis. Hoc beneficium evincit meum amorem, quia convincit te amantem eſſe. Ex cæteris beneficiis conjicio te amare, in hoc video. Cætera beneficia non obſtant, quin aliquis putet ſine amore facta; de hoc nemo poteſt ſuſpicari,niſi cum amore immenſo effectum.Cætera etiamſi fierent non amando,indemnis majeſtas eſſet tua, & ſalvum decus divinum; iſtud non cenſetur conſentaneum,ſervata auctoritate divinitatis, factum ſine amore fuiſſe. Cætera facta abſque dilectione, digna etiam eſſent laude, & reverentia, at illud ſi non fuiſſet amor cauſa,indecorum videretur, non dicam Deo, ſed homini, dignum vituperio, & contemptu. At quia impoſſibile eſt te facere indignum aliquid, evidentiſſimè cognoſco me amari. Regium eſſet etiam eos, qui non amarentur, alere,ſervare, locupletare, & benefacere; dignum eſſet id majeſtate ſuprema; At ſi Rex Summus ſe ad vilia dejiceret, cum lixis, coquis, & ſervis ſtabulariis converſaretur, conveſceretur, eodem

p S. Leo ſerm. 11. de Paſſ. Dom.

eodem habitu indutus, quis non contemneret, ineptire, & inſanire diceret? ſolum illum excuſaret, nimius in ſuos amor, ut artificio illo amorem erga ſe conciliaret, aut aliquid iſto ſtratagemate, in obſequium dilectionis tentaret. Hoc privilegium amor habet, quod ipſi Philoſophi fatentur, ut infamiam numquam contrahat, ac omnem notam aboleat eorum, quæ ſi facta ſine amore eſſent, indigna, & indecentia haberentur. Nihil Domine indecorum tuæ divinitati facere potes; quare omnia feciſti me amando, cùm exinanitus majeſtate tua, ad viliſſimæ creaturæ conſortium te abjeciſti. Amor hic extorquet amorem meum, ignis ignem accendit, amor amorem ſuſcitat. Sed quid opus erat, ut fieres homo, ut accenderes homines? An quia ignis non agit, niſi in conjunctam materiam? ignis enim in ſuæ naturæ puritate, & ſphæra, circa cœlum, dicitur non urere, nec ullam materiam ſolidam accendere; neceſſe eſt, ut in aliena materia ſit, ut fiat viſibilis; ſic tu Domine in ſinceritate puriſſimæ tuæ naturæ, tametſi amor es, & ignis comburens, non ita accendebas homines, niſi factus homo; ut ignis cœli non accenderet lignum, niſi cum ignis factus eſt in ligno, aut alia craſſiori materia, quàm ætheris: alia ligna tunc accendet, conſpicua jam, & viſibilis flamma. Tuus amor viſibilis, cum factus es homo, non poteſt non accendere, & urere homines. Quis tam ferreo pectore, ut hoc amoris igne non totus colliqueſcat? S. Bernardus Serm. de diligendo Deo, contemplatione incarnati Verbi totus exardeſcens, exclamat: q *Tantam dulcedinem exhibuit in carne, ut duriſſimi cordis ſit, quiſquis eum toto affectu non diligat.* O Domine, ſi tibi debeo me totum propter creationem, quantum debeo huic amori tuo? fateor debere plus quam me ipſum, quantò tu major me es, qui pro me dediſti teipſum, & toties dediſti, naſcendo, vivendo, moriendo, reſurgendo, & SS. corpore tuo nutriendo. Fac ut totum, quod tuum fuit creatione, & reſtauras redemptione, faciam ego totum tuum amore; hunc à te exigit, ut cum D. Thom. loquar, r VERBUM *non qualecumque; ſed ſpirans amorem*; pro minimo beneficio tuo, ſi per totam æternitatem, ut referrem gratias, paterer univerſos inferni cruciatus, nihil ſatisfacerem; quia ab amore tuo infinito procedit, adeóque omnem infinitatem creatæ retributionis excedit infinitè; quid faciam pro tot, & tantis, & præcipuè pro iſto, quo ſimilitudinem noſtram indutus, & habitu inventus ut homo, exhibes mihi luce clarius, amorem tuum infinitum. O myſterium! quod dum cogito, mente concido. O amorem! quem dum effero, linguâ hæreo. ſ Gaudeamus igitur, inquit S Leo, *quod ad eloquendum* (& capiendum) *tantæ miſericordiæ ſacramentum impares ſumus: & cum ſalutis noſtræ altitudinem promere non valeamus, ſentiamus nobis bonum eſſe, quod vincimur.* Ingens quidem donum eſt remiſſio peccatorum, ſic enim ab æterno nos

q S. Bernard. Serm. de diligendo Deo.
r S. Thom. 1. p. quæſt. 43 art. 4. ad 2.
ſ S. Leo. Serm. de nativitat. Domini.

liberat incendio; majus eſt nobis ſuam gratiam elargiri, qua hæredes Regni, & divinæ efficimur conſortes naturæ; ſublimius eſt dare nobis gloriam, quia eſt gratia conſummata, & beatitudo noſtra; ſed multò ſublimius eſt, naturæ noſtræ hypoſtaticè unitam, divinam dediſſe perſonam, Verbum Patris: unde Paulus: t *Qui proprio filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* ſive enim orbem faceret, ſive reficeret, hoc uno ſibi ſimilis, quod utrobique donaret; hoc uno diſſimilis, quod tunc homini largiretur ſua, nunc ſe. Exhauſit divinus Amor capaciſſimam gratiarum pharetram, inſumpſit omnia beneficiorum tela, dum tandem ſe Amor in amatum conjecit. Viderunt olim Judæi JESUM ad Lazari ſepulchrum lacrymantem, & attoniti tanta amoris magnitudine, quæ ei lacrymas extorſerat, exclamabant omnes: v *Ecce quomodo amabat eum!* ô vos Angeli! dum videtis filium Dei inclinantem cœlos, deſcendentem ad terras, & poſtpoſitâ naturâ veſtrâ, induentem naturam humanam, propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, dicite ut Judæi illi: *Ecce quomodo amabat eum!* vos dæmones, dum videtis vos, propter unicum ſcelus momento commiſſum, æternis ignibus addictos, ſine ſpe ulla gratiæ; hominem verò poſt infinita in Deum perpetrata ſcelera, ad tantam à Deo evehi gloriam, ut illius jam fiat non tantum particeps gratiæ, ſed conſors naturæ, frendentes præ invidia, admirantes præ ſtupore, & vos exclamate: *Ecce quomodo amabat eum?* denique quando propter hominem altitudo ſubmittitur, fortitudo debilitatur, potentia infirmatur, Sapientia celatur, Verbum ſilet, gloria obſcuratur, Majeſtas confunditur, æternitas intra temporis anguſtias conſtringitur, hoc eſt, dum propter hominem; Deus fit homo, muta omnia & inanima, ſi loqui, & humanâ voce reſonare jam poſſent, quid aliud clamarent, quam cum Judæis: *Ecce quomodo amabat eum!* & tu homo quid ad hæc? etiam nunc tibi labor erit amare *Jeſum*? adeóne durum eſt amare amorem? amare debueras etiam vindicantem Judicem, & amare refugis amantem Patrem? imò eum, qui nunc eſt *frater*, & *caro noſtra*? quid potuit, qui omnia poteſt, plus facere propter hominem, quàm hodie, dum factus eſt homo? x *Venit*, inquit Bernardus, *in carne, & tam amabilem ſe exhibuit, ut illam nobis impenderet charitatem, qua majorem nemo habet, ut animam ſuam daret pro nobis. Quiſquis ſanè nec ob hoc converti voluerit, nónne meritò audiet: quid debui facere tibi, & non feci?* ô excelſam hominis dignitatem!

Eò hodierna die evecta humanitas, unde ſolum Deum ſuſpicit Creatorem, & univerſam deſpicit creaturam: quippe nobiliſſimum poſt divinitatem beatitudinis objectum, eſt humanitas Salvatoris, tam ſingulari modo Divinitate refulgens, ut plus ex ſe plendoris, ac venuſtatis, quàm omnis Sanctorum ſocietas, aut cœleſtium ſpirituum frequentia diffundat: Hoc tantum eſt beneficium,

t Ad Rom. 8. v. 32. v Ioan. 11. v. 36.

x Bernard. Serm. de diligendo Deo.

ficium, ut ſi gravibus auctoribus credimus, y hinc emanârit fœdiſſimus ille caſus, & numquam ſatis deplorata, ac deploranda ruina Angelorum. Nam uti docent Baſilius, Cyprianus, & Tertullianus, Deus ſtatim ubi Angelos procreavit, iiſdem verbi incarnationem revelavit, & Deum hominem adorandum propoſuit; vidit hoc, & invidit ventoſiſſimus ille ſpiritus *Lucifer*, ejúſque ſequaces inter ſe quiritari, & murmurare, quid hoc? Deus homo, & Deus non Angelus? de homine limo dici poterit: homo eſt Deus, & de nullo Angelorum dicit poterit: Angelus eſt Deus? prædixítque Lucifer divinatione, ſed non Divinitate ſe ſimilem Altiſſimo futurum, exardeſcit etiamnum non minus cœlo, quàm inferno, dum terræ filios, in ſuo ſolio videt dominari: dum eò videt hominem exaltari, ut univerſa Eccleſia, cœlites, & inferi, ad illa verba: *Et homo factus eſt*, & ad illa: VERBUM *caro factum eſt*, genua flectant. Res digna eſt relatu, quam gravis Auctor refert, z cùm in ſacrificio Miſſæ de more recitaretur. & VERBUM *caro factum eſt*, quidam ſtetit, & elephantum inſtar, cæteris adgeniculantibus, noluit genua flectere: adfuit ſatan, & alapam illi ſacrilégo inflixit, dicens: *O ingrate! audis Deum pro te hominem factum, & te non inclinas? ſi pro me hoc Deus feciſſet, in æternum me illi inclinarem*; ſi incuſſerit dæmon alapam illi, qui ad illa ſacra verba non flexit genua, quoties, ſi Deus permitteret, incuteret alapas iis, qui huic tam amabili myſterio ingratiſſimi, omnem pro beneficio injuriam rependunt.

Hæc dum expendis, & conſideras, ô homo! ut reſipiſcas, a *vide quid de Deo tuo ſentias, vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus, & amplectendus ſit, qui tanti te æſtimavit: imò qui tanti te fecit. Propter te à Deo Patre exivit, & matrem Synagogam reliquit, ut adhærens ei, unus cum eo ſpiritus efficiaris*. Stupetis, credo, attoniti, ad tam grande, quod audîſtis ſacramentum, & tam terribile myſterium: plus ſtupebitis, ubi intellexeritis alteram tanti myſterii cauſam: illa exprimitur in Symbolo Concilii Conſtantinopolitani, & propè quotidie repetitur à Sacerdore, dum ad aram facit, his ipſiſſimis verbis: *Qui propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt.* Deberétne eſſe capillus in vertice, qui non præ horrore ſe erigeret; vel gutta ſanguinis in venis, quæ præ amore non ebulliret? vel membrum in corpore, quod præ ſtupore non obrigeſceret, auditis illis verbis: *Et homo factus eſt*? Itáne placuit tantæ Majeſtati homo pugillus luti, ex argilla factus, è pulvere fictus: cujus conceptio iniquitas, ortus fœditas, tota vita, univerſa vanitas: ut filius Dei, qui bonorum noſtrorum non eget, *propter nos homines*, fiat homo? *propter nos homines?* quos illos? peccatores, hoſtes, ingratos, quos & ſuo Auctori, & Redemptori nôrat fore injurios. Quod propter nos tales homines Deus factus ſit homo, quis hominum capiat? nónne poſt illud inexplicabile beneficium, Paulus

y Vide Suarez de Angelis, l. 7. c. 13. n. 7.
z Labata tit. Chriſti incarnat.

a Bernard. Serm. 2. Dom. 1. poſt Epiph.

tanquam vocaliſſimus præco, poteſt per omnes omnium terrarum Regiones, quanta poteſt maximâ vocis contentione, in verba illa olim ſcripta ad Corinthios exclamare, b *ſi quis non amat Dominum noſtrum* JESUM *Chriſtum, ſit anathema*; meritò eſt anathema, cùm Deo incarnato infinitis debeat titulis amor noſter conſecrari, quaſi votivum anathema; poſt tantum tantæ dilectionis teſtimonium, adhuc vel unicum ab homine committi flagitium, deberet haberi quaſi immane quoddam prodigium. Imò plùs aſſero: ſi poſt tantum nobis à Deo exhibitum beneficium, quantum eſt Dei incarnati myſterium, reperiretur ex toto cœtu hominum, unus homo, qui auderet, non dico aliquod ejus præceptum violare, aut legem, quam tuliſſet, infringere, aut onus ſibi impoſitum excutere, aut in re gravi illius obluctari voluntati; ſed momento unico, delicto leviſſimo, & ſemel duntaxat, ipſius diſplicere Majeſtati, tanta deberet æſtimari illius rei indignitas, tam intolerabilis atrocitas, ut vel ideo deberet horrore immenſo concuti tota rerum machina, ſol obſcurari, luna non dare lumen ſuum, ſtellæ cadere de cœlo, commoveri virtutes cœlorum, terra tota ſub ejus pedibus tremore concuti, hiſcere, factáque immani voragine, ut illum abſorberet, diſcedere? quod ſi, ut eſt, veriſſimum judicas, jam te tot recenſitis malis, dignum pronuntias, atque adeò tui Judex, te ipſe reum condemnas: nónne hoc eſt, non dicam prodigium, ſed prodigii portentum, c & *diabolicum miraculum*, ubi propter nos homines *Verbum caro factum eſt*, omnes propè homines (ut alia flagitia omittam) adhuc volutari in carne, & ſanguine? quare dum filius hominis propter homines incarnatus eſt, cujus caro non novit corruptionem, renuntiemus carni, & ſanguini, & deſideria carnis non perficiamus.

b 1. Cor. 16. v. 21. c Gulielm. Pariſ.

§. III.

VERBUM CARO FACTUM EST, *ut caro ſpiritus fieret: Deus factus eſt homo, ut homo fieret Deus.* Joan. 1. v. 14.

QUid cauſæ fuiſſe exiſtimatis, quòd benignus, & longanimis Deus, in juſtam iram exarſerit? quid ex omnibus mortalium flagitiis graviſſimum extitiſſe arbitramini, d quod rerum omnium conditorem ad urbium, & orbis, omniúmque creaturarum excidium provocârit? e *Videns Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore: pœnitet eum quod hominem feciſſet in terra; & tactus dolore cordis intrinſecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi.* Vidit multam malitiam hominum; ſed ex omni, ſcire vultis, cur pœniteat eum feciſſe hominem: cur tactus dolore intrinſecus, & hominem, & omnia, quæ propter hominem creata, perdere ſtatuerit? f *Omnis quippe* CARO *corruperat viam ſuam.* Joannes Chryſoſtomus, de quo

d Peccatum carnis, orbem perdidit. e Gen. 6. v. 5. f Ibidem v. 6.

ſtu-

ſtupendum illud fertur elogium: g *Niſi hic fuiſſet, Chriſtum nova neceſſitas adactura fuerat, ad terras ſecundo adventu reviſendas; ut orbem terræ, ad tribunal ſupremum, reum citaret, ac judicaret.* Hic ſuper illud Geneſeos aureâ ſuâ facundiâ ſic diſſerit h: *Eo quod* CARNALIBUS OPERIBUS *ſeipſos totos dedunt, & animæ ſubſtantia abutuntur, & quaſi ſola* CARNE *circumdati, carerent anima, ſic vitam ſuam abſumunt: perpetuus enim ſcripturæ mos eſt,* CARNEM *vocare* HOMINES CARNALES; *ſicut virtute præſtantes, carnis expertes nominat. Sic Paulus loquitur:* i *vos autem non eſtis in* CARNE; *non quod carne non eſſent circumdati; ſed quia carnem geſtantes, ſuperiores erant carnalibus affectionibus, & ſenſibus. Quemadmodum autem de his Paulus dixit: vos non eſtis in carne, eò quòd carnalia deſpiciebānt; ſic de illis dictum eſt, eò quod ipſi ſunt* CARNES: *nam licet animam rationalem haberent potiorem ſui partem; perinde tamen vivebant ſine ratione, ac ſi* SOLA CARNE *conſtarent,* peccatum carnis, ignis libidinis omnem ætatem corripuit, omnem ſexum corrupit. k Quid Sodomam, & Gomorrham, quid Pentapolim locum deliciarum, & quaſi terreſtrem Paradiſum in cineres redegit? rationem aſſignat Gregorius: l *Deus deſtruxit pentapolim, igne punitus fuit ardor libidinis;* ſupplicium de iis ſumptum, fuit infernalis pluvia ſæviſſimi ignis ſulphuris, & hic ignis omnes quinque civitatum habitatores, viros & mulieres, & innocentes parvulos, beſtiáſque vivas abſumpſit, omnes domos, atque ampliſſima ædificia, cum omni quantumvis pretioſa ſupellectile, & omnem circà Regionem, cunctáque terræ virentia ſubvertit. Innocentius III. pœnam huic ſceleri congruentem aſſerit: m *Pluit Dominus non imbrem, vel rorem; ſed ſulphur, & ignem. Sulphur ſuper fœtorem luxuriæ: ignem, ſuper ardorem libidinis; quatenus pœna eſſet ſimilis culpæ. Nec miſiſſe dicitur, ſed pluiſſe, quatenus ipſo verbo magnitudinem, & abundantiam pœnæ notaret.*

At quàm terrifica ratione ſubverterit, & in carnales illos deſævierit, attendite: omnis illa regio, lacus quidam facta eſt, n qui *mare mortuum* appellatur, nec uſquam gentium in hoc genere quidquam eo lacu horribilius unquam viſum eſt: ſi quidem aqua inſtar bituminis craſſa eſt, & ſalſiſſima: quidquid tangit, inficit: nec ulla res in ea vivit, nec poteſt vivere; nam quidquid vivi ingreditur, emoritur, quin & aves prætervolantes, ſtatim morituræ decidunt: peſtilens mephitis, vel ex reſiduo carnis peccato exhalat. Hujus verò maris mortui latitudo, octo paſſuum millia; longitudo, quadraginta millia protenditur; quo toto regionis ſpatio, & integra circumcirca leuca, nihil prorſus utile creſcit: & ſi qua naſcatur arbor, fructum atrum, carbonis inſtar producit, quo tam infame, & immane flagitium poſteris in omnem æternitatem horroris eſſet; Chryſoſtomus ejus enormitatem conſiderans, exclamat:

g In Græcorum meniis cit. Raynaud. pietas ſpecialis de cultu ob ſacras Scripturas. h Chryſoſt. hom. 22. in Geneſ. i 2. Cor. 13. k Gen. 6. l Greg. lib. 4. mor. c. 10.

m Innocent. in l. de contempl. mundi cap. 25. n Franc. Arias theſaurus inexhauſtus Tract. c. 22. tit. lucis.

o *Quot tandem obſecro gehennæ his plectendis* (Sodomitis) *ſuffecerint?* aliam terrificam plagam, libidinoſis à Deo immiſſam, Paulus inſinuat 1. Corinth. 10. v. 8. *Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt uno die viginti tria millia.* Quod Chryſoſtomus, Anſelmus, Cajetanus, referunt ad illum locum Numer. 25. v. 10. *Et ceciderunt viginti quatuor millia hominum*, ob fornicationem cum filiabus Moab, qui omnes, ut ait Moyſes, juſſu Dei in patibula ſuſpenſi ſunt. Horrendum ſupplicinm; at ſi omnes fornicarii nunc in patibulum agendi, credo quod hunc numerum 24000, excederent, & patibula deficerent. Sed parum hoc, Regiones integras, tertiam orbis partem Salvianus fœdæ libidinis flammis deflagrâſſe queritur: p *Quis neſcit*, inquit, *Africam totam obſcœnis libidinum tædis ſemper arſiſſe? non ut terram, ac ſedem hominum; ſed ut Ætnam putes impudicarum flammarum.* Demum totius orbis vaſtiſſimum fuiſſe incendium neceſſe eſt, quod omnia flumina, nec totus Oceanus reſtinguere potuit, cœlum ipſum cataractas ſuſtollere debuit, quo ignis ille libidinis, ut Albertus Magnus ſenſit, qui totum orbem incenderat, deleretur: ſic enim prima Veritas palàm conteſtatur: q *Finis univerſæ carnis venit coram me, delebo hominem, quem creavi.* Atque mox cauſam ſubjungit: *Omnis quippe* CARO *corruperat viam ſuam.* Confirmat idipſum Philippus Abbas bonæ ſpei: r *Rectè*, inquit, CARNI, *quæ nullo in cœleſtia deſiderio ferebatur, aquas diluvii ſuperinducere comminatur, & interficere omnem carnem, quæ ſpiritui noluit obedire; ſed propriis voluptatibus inſervire: quæ noluit paſſiones corporis execrari; ſed in illis ſenſu perdito volutari.* Accedit Hugo Card. ſ *Dicturus Moyſes de diluvio, cauſam præmittit, quæ eſt luxuria: videntes filii Dei filiás hominum, quòd eſſent pulchræ, &c.* Quid, quod jam mundo generali cataclyſmo quaſi baptizato, ut Hieronymus loquitur, t rurſus vitia carnis repullularunt, adeò ut Chriſtina mirabilis, manifeſta viſione in Spiritu viderit, univerſum mortale genus hiſce Veneris flammis correptum, ac corruptum eſſe, jámque Deum vindicem ignem, & ſulphur pluere decreviſſe, ni ſuis ipſa precibus, & corporis afflictationibus hanc igneam nubem avertiſſet. Orbem univerſum? itáne verò? Ergo nullus ab hac flamma immunis? nec viri, nec fœminæ, nec pueri, nec ſenes, nec cœlibes, nec conjugati.

Graviſſimum hîc auctorem Angelicum Doctorem adduco; qui exponens illud Joannis: *Mundus totus in maligno poſitus eſt*, ſic ait: v *totus mundus in maligno, id eſt, in malo igne poſitus eſt*, nempe luxuriæ, ut Lyranus affirmat. Jam infernus dilataverat os ſuum, & tartareis libidinis flammis totus orbis exæſtuans, infernum referebat: homines in dæmones incarnatos abierant; ſic ſenſit è purpuratorum Patrum Senatu Eminentiſſimus Doctor B. Petrus Damiani: x *Nonne*, inquit, *videtur tibi infernus, in quo vide-*

o Chryſ. hom. 4. in Epiſt. ad Rom. p Salvian. l. 7. de provident. q Gen. 6. r Philippus Abbas de obedient. Cler. c. 6.

ſ Hugo in Gen. c. 6. t V. Cor. in Gen. c. 38. v S. Th. in 1. Ioa. c. 5. x Damian. l. 5. Epiſt. 5.

videlicet diabolus inhabitat, & concupiſcentiarum ignes exæſtuare non ceſſant? iſtic enim de luxuria ſulphureus fœtor oboritur, & de cogitationum crebreſcentium tenebroſa caligine, tanquam teterrimi fumi volumina generantur &c. Hæc itaque flebilis anima, gehenna facta eſt, tartarus, & infernus, quam & cruciant tormenta curarum, & vitiorum vaſtat incendium. Quam ob rem dicit Iſaias c. 57. animæ libidini deditæ: *Humiliata es uſque ad inferos*; ut enim notat in hunc locum Hieronymus: y *Revera grandis humilitas, imò & uſque ad inferos præcipitatio, de luce, & culmine caſtitatis, in tenebras lupanaris, imò in barathrum libidinum præcipitari.* Ideò etiam dicitur Prov. 7. *Viæ inferi domus ejus* z *Meretricis ergo*, ut expendit Auguſtinus, *pro inferis ponitur domus; quia ignem inferni habet, neminem repellit, & omnem intrantem ad ſe trahit*: atque ex hoc inferno, ipſo tartaro inferiori, ac deteriori a *revocare gradum, ſuperáſque evadere ad auras, hoc opus, hic labor erat.* Quam difficultatem expreſſit Caſſianus b *Spiritus ipſe Sanctus non ſemel, domum turpitudinis* (& illecebras carnis) *vocat vias inferni*; ut qui in illud barathrum inciderit, ſuper ſe puteum clauſiſſe os ſuum deprehendat.

Nulla itaque humano generi in hoc prolapſo, redemptio erat; donec quæ terris, & orbe jam dudum exulârat c *Virginitas è cœlo accerſivit, quod imitaretur in terris: hæc nubes, aëra, ſidera, Angelóſque tranſcendens, Verbum Dei in ipſo Patris ſinu invenit*: è cœlo ſcilicet accerſitum, in terras deduxit virginitas Dei filium, ut *verbum*, quod in ſinu Patris erat Virgo (quia d *prima Trias virgo eſt*) eſſet & virgo in ſinu Matris, & ab illo, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed Spiritu, caſta generatione Filii Dei naſceremur; ideò inquit Ambroſius: e *Verbum* CARO *factum eſt, ut* CARO *fieret Deus.* Quo ſenſu Cornelius noſter: f *Caro* ſignificat per Synecdochen Hebræis familiarem, totum hominem: quaſi diceret: *Verbum factum eſt caro*, id eſt, Filius Dei, factus eſt homo Simili modo potuiſſet Joannes dicere: *Verbum Dei, factum eſt anima*, id eſt, homo animatus, & vivus; maluit tamen dicere *caro* potius, quàm anima, g *ut oſtenderet quod Deus factus ſit* CARO *viliſſima & infima, ut nos ex* CARNE *per concupiſcentiam, & peccatum corruptiſſima, fieremus quaſi Dii, & Filii Dei, ipſique Deo conſanguinei.* Toletus Cardinalis, quem Dominicus Sotus propter ingenii excellentiam, prodigium appellare conſueverat, conſimili ſenſu h: *Dedit poteſtatem filios Dei fieri, quia verbum caro factum eſt*: Si enim filius Dei, filius hominis factus non fuiſſet, utique homo non factus eſſet filius Dei. Quam cauſam adfert S. Auguſtinus: i *Per hoc*, inquit, *factum eſt, ut nati de* CARNE CARO, *poſtea naſcendo de Spiritu, Spiritus eſſemus.* Ad hoc Chriſtus Filius Virginis, qui ab Jeremia vocatur k *dux*

y Hier. in Iſa. c. 57. z Aug. ſerm. 107. de temp. a Virg. l. 6. b Caſſian. coll. 4 c. 7. prov. 7. c Amb. lib. 1. de virgin. in initio.

d Greg. Naz. in carm. de virg. e Amb. cit. Ioan. 1. v. 14. f Corn. hic. g Alegambe biblioth ſcript. Societ. h Toletus in Ioan. c. 1. i Aug l 2 de peccat. mor. & remiſſ. c. 24. k Iere. 3. v. 4.

virginitatis. Hieronymo dicitur l *Sponſus virginalis* : Epiphanio, m *ſponſus incorruptionis* : Ambroſio, n *Dei ſanctitas, Dei caſtitas* : Leoni Magno, o *virginitatis Filius*; ad hoc, inquam, incarnatus eſt, ut caro Spiritus fieret, & homo carnalis, ſpiritualis, totúſque virgineus. Sed huic doctrinæ, ſi quis non obaudierit, Bernardum audiat: p CARNALIS HOMO *non percipit ea, quæ ſunt Spiritus*; *ſed jam capiat, & carnalis*: *quia* VERBUM *factum eſt* CARO. *Si nihil præter* CARNEM *novit audire*, *ecce* VERBUM CARO *factum eſt. Audiat illud verbum vel in* CARNE. *O homo in* CARNE *tibi exhibetur Sapientia illa quondam occulta*, *ecce jam trahitur de occultis, & ipſis ſe ingerit ſenſibus* CARNIS TUÆ. CARNALITER *prædicatur tibi*, *fuge voluptatem* (fuge carnalia deſideria) *quia poſita eſt mors ſecus introitum delectationis.* Altius intonat Paulus Epiſtola ſecunda ad Titum: q *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri, omnibus hominibus*, *erudiens nos* : *ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo*. Cornelius hîc, ſecularia deſideria ex Græco vertit, *mundanas concupiſcentias, hoc eſt*, CUPIDITATES CARNIS, ſeu ut Bernardus loquitur: r *concupiſcentiam carnis*. In eundem Pauli locum Hieronymus potenter hortatur his verbis: ſ *Toties negamus nos, quoties priora vitia calcantes, deſinimus eſſe, quod fuimus, & incipimus eſſe, quod non fuimus.* Ut qui prius carnales, obſcœni, laſcivi oculis, oſculis, lingua, manibus, auribus, deſideriis, cogitationibus, incipiamus eſſe caſti, continentes, virginei, oculis, & ore, verbis, corpore & animo; quod inſigni converſione à carne ad ſpiritum oſtendit Ambroſius: t *Vivendum eſt ita*, inquit, *ut huic mortali moriamur uſui*, *ſeipſum ſibi homo abneget, & totus mutetur: ſicut quemdam adoleſcentem ferunt poſt amores meretricios peregrè profectũ, abolito amore regreſſum, veteri occurriſſe dilectæ, quæ ſe non interpellatam mirata, & ſe non cognitam rata, rurſus occurrens dixerit* : *Ego ſum illa*, *reſponderit*; *ſed* EGO NON SUM ILLE; Non ſum, qui fueram, non ſum ille homo carnalis, ſed ſpiritualis, vici carnem cum concupiſcentiis ſuis. O ſi hanc vocem quiſque veſtrûm hodie uſurpare poſſet! v *O quando continget*, exclamat Seneca, *omnibus oppreſſis affectibus*, *& ſub arbitrium adductis, hanc vocem emittere*, VICI. Auguſtinus execratur, ac deteſtatur tempus illud, quo omne ingenium, & ſublimem, quam acquiſierat rerum omnium ſcientiam, in brutis voluptatibus, & carnis ſpurcitiis inſumpſerat: x *Quid eſt hoc*, inquit; *Ecce ſurgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris, ſine corde, ecce ubi volutamur* IN CARNE ET SANGUINE. Quot reperire eſt præclaro ingenio, & eximia eruditione præditos, qui illud Auguſtini uſurpare poſſunt: *Nos cum doctrinis noſtris volutamur* IN CARNE ET SANGUINE; omnes cogitationes, conceptus, ſtudia inſumentes, ut carnis deſideria explere valeant? Quot divites, & opulentos numerare eſt,

l Hier. in Ioel. m Epiph. pag. 152. n Amb l. 1. de virg. o S. Leo ſerm. 1. in Epiph. p Bern. ſerm. 3. de nativ. Dom. q Ad Titum 2 v. 11. r Bern. ſerm. 11. ex parvis. ſ Hier. in 2. ad Titum v. 11.

t Amb. l. 2. de pœnitent. c. 10. v Sen. Ep. 72. x Aug. l. 8. conf. c. 8.

eſt, qui omnes ſuas opes, aurum, monilia profundunt in pellicem, cui carnaliter conſueſcunt? Quot corpore valentes, firma valetudine, & viribus, omnem ſubſtantiam cum prodigo conſumpſerunt, & venereâ lue computruêre? ô homo carnalis quiſquis es, agnoſce dignitatem tuam, ad quam te Filius Dei pro te factus homo, evexit: Clemens Alexandrinus ait, y Chriſtum ſua incarnatione terram in cœlum mutâſſe, ut ex hominibus Angelos, imò Deos faceret. Chryſoſtomus: z *Factus filius hominis, dilectiſſimus Dei Filius, ut filios hominum faceret filios Dei* Diſertiſſimè, ac diviniſſimè S. Thomas: a *Unigenitus Dei Filius, ſuæ Divinitatis volens nos eſſe participes, naturam noſtram aſſumpſit: ut homines Deos faceret, factus eſt homo*; ut homo, qui caro erat, fieret Spiritus, & qui particeps brutalitatis, divinitatis particeps fieret. Quod ſi adhuc tibi parum, aut ſatis non eſt, *Verbum caro factum*, ut te ex inferno inferiori concupiſcentiæ, & luxuriæ eriperet, alterum tibi potentiſſimum reſipiſcendi motivum Doctor Hipponenſis proponit; hæc carnis vitia, Deum pro te incarnatum, ad horribilem illam ſacratiſſimæ paſſionis, & mortis lanienam perduxiſſe; ubi enim induxit illos laſcivientes, juxta illud Sap. b *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter: vino pretioſo, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis: coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat* LUXURIA NOSTRA. Et quò hæc omnia vergunt? concludunt tandem: *Morte turpiſſima condemnemus eum.* Quis crederet, de iſtis roſis acutiſſimas ſpinas naſcituras, de carne luxuriante, mortem Filii Dei originem habituram? unde exclamat ſtupore correptus, in hunc locum Auguſtinus: *A talibus ligatus, cæſus, interfectus eſt Dominus; quis de coronis florentibus, cruenta vincula formidaret? quis de ſuavibus poculis, dolores graviſſimos prævideret? quis de mollibus pratis, tam durum crucis lignum prænoſceret?* quis de peccato carnis, mortem Filii Dei pro nobis incarnati præſagiret? unde nec myſterio vacat, Redemptorem noſtrum, ut totum mundum ſalvum faceret, die Veneris in crucem ſuffixum fuiſſe, ut præclarè Chriſtianus Poëta:

c *Luce obiit Veneris, Veneris fle turba: videtur*
Cauſa Dei paſſi, non minima eſſe Venus.

Verumenimverò, ſi nec humanitas, & benignitas Salvatoris noſtri, quæ in carne apparuit; ſi rubrum illud pretioſi ſanguinis mare, ignem illum libidinis, qui carnem tuam, & intima viſcera depaſcitur, reſtinguere non valet; d ipſa hujus ſceleris fœditas, æternæ ſalutis certiſſima jactura, ac ipſum denique æternum inferorum incendium, ut e *ignibus ignes* compeſcas, potenter permoveat, & vehementer impellat. Nulla peccati fœditas eſt, quæ ita tenaci-

y Clemen. Alexan. adhort ad gentes. Corn. in c. 1. Ioan. z Chryſoſt. hic. S. Thomas opuſc. 57. b Sap. 2. v. 8.

c Novarin. Schediaſmata pag. 116. d Turpitudo, & fœditas libidinis. e Ovid. l. 2. met.

tes

ter animum inquinat, & tam turpiter corpus deturpat, quàm luxuries: hoc vel ipſi gentiles in errorum caligine ſua viderunt. Seneca de brevitate vitæ c. 6. f *Imprimis illos numero, qui nulli rei, niſi vino & libidini vacant: nulli enim* TURPIUS *occupati ſunt. Cæteri etiamſi vanæ gloriæ imagine teneantur, ſpeciosè tamen errant. Licet avaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes, injuſta vel bella: omnes iſti virilius peccant. In* VENEREM AC LIBIDINEM *projectorum*, INHONESTA LABES *eſt*; quæ adeò turpis, & tetra eſt, ut ipſa etiam voluptas carnalis, ſi nemine mortalium, ne Deo conſcio haberi poſſet, per ſe homini fugienda, & deteſtanda foret. Sic è Stoa Philoſophus: g *Etiamſi ſcirem & Deos veniam mihi daturos, & homines non cognituros; tantum propter* CARNIS VILITATEM, *peccata* CARNIS *fugerem.* h Aſſonat Romano Philoſopho Romanus Orator: *Si Deos*, inquit, *homineſque celare poſſemus, nihil* LIBIDINOSE *faciendum.* Pudet vel impunè carni vacare. i Quid ad hæc Chriſtiani? in quos *tuba Evangelii* Paulus detonat: *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* Relege veſtigia luxuriæ: quid reliquit, ubi voluntas aſſenſu deliquit, niſi mœſtas, & turpes in memoria imagines, opacas in intellectu tenebras, tetram in voluntate nauſeam, fœda in ſomnis ſpectra: infamem in nomine notam, immenſum in toto homine ob præterita mœrorem, ob præſentia pudorem, ob futura horrorem. Hi ſunt hujus amaræ radicis, amariſſimi, & putridi fructus, & nondum obſtupeſcunt tibi dentes? Doctor Angelicus, an à ſcientia, an à puritate Angelica nomen ſortitus, jure diſceptant; hic ad fœditatem hujus turpiſſimi flagitii magis exaggerandam, quod multis fortè inauditum, adfert: dæmones ſuperiores priſtinæ excellentiæ ſuę memores, dedignari ad iſtas ſordes ſe demittere; ſed infimos eorum, ad hoc vacare, ut homines ſuggeſtionibus turpibus, & obſcœnis infeſtent; unde lib. 5. de eruditione Principis c. 51. ſic ait: k *Dicunt magiſtri aliquos eſſe dæmones, qui memores ſuæ antiquæ nobilitatis, non dignentur de peccato luxuriæ tentare.* Confirmat exemplo Luciferi: *Signum hujus eſt, quod Lucifer tentans Dominum in deſerto, non tentavit eum de hoc peccato.* Ex quo conſequitur, homines nobilitatis, & dignitatis ſuæ oblitos, pro quibus Dei Filius carnem noſtram aſſumpſit, & ſanguinem fudit, ipſis dæmonibus impudentiores, ac nequiores eſſe, dum actu deſideria carnis perficere non erubeſcunt. Quorum meretriciam frontem, & impudoratam mentem non ferens Caſſiodorus, his verbis inſurgit: l *Cùm cætera vitia ſe quibuſdam virtutum tegumentis oppallient, mens hujus* TURPITUDINIS *conſcia, tantum prima fronte præfert ſuæ accuſationis horrorem, & non ſolum ea hora, qua impia caro, perniciosa voluptate perſtringitur; ſed etiam quoties audit aliquid de* TURPITUDINE SUA, *rubore perfunditur,*

f Seneca de brevit. vitæ c. 6. g Seneca lib. 2. de Clement. h Cic. offic. i Hieron. in apol ad Pammach, ad Rom. 6. 21.

k S. Thom. l. 5. de eruditione Princip. c. 51. l Caſſiodor. l. de amicitia. ❡. Lamentabilis querela.

abſen-

abſentiámque captat, & immundi operis recordatione torquetur.

Accedit, è turpiſſima hac camarina, fœtidiſſimos morbos, epilepſiam, elephantiaſim, luem veneream, quæ intima viſcera, totúmque corpus miſerè depaſcitur, ſcaturire. Homo carnalis, dum voluptatem quærit, dolorem invenit; ſi quidem luxuria, blanda peſtis, non animam duntaxat inquinat, ſed corpus quoque corrumpit, & vitam extinguit: m *Libidinoſa, intemperánsque adoleſcentia, effœtum corpus tradit ſenectuti*, adoleſcentiæ florem perdit, roſas è genis, è fronte lilia aufert, & eheu! quos, quámque tetros flores, quam fœdas gemmas, eorum loco reponit? & quàm diris peſtibus mactat partes, quæ peccaverunt! non procul à ſe diſtant Venus, & venenum. Quid mirũ eſt, ſi ſe maculat, qui veneno inhiat? an non ex hoc vitio oritur morbus turpiſſimus, & perniciosiſſimus, *quem alii Gallicum, alii Neapolitanum vocant?* n *eſt autem Indicus*, ait Vives, illinc enim eſt *in hunc orbem invectus, cum quo in illa Hiſpanienſi Indiâ, infantes naſcuntur*. Hultenus & Manardus viri docti ajunt o hanc luem cœpiſſe in Valentia Hiſpaniæ Tarraconenſis, quo tempore Carolus Francorum Rex expeditionem Italicam parabat; cum elephantiacus quidam nobilis miles ad nobile ſcortum accederet: quicumque igitur deinde ad mulierem ingreſſi ſunt, eo malo infectos fuiſſe, elephantiaſi in illud degenerante. Quod alterum hujus luis malum eſt, quoſdam audivi dicere, ſe in Italia numquam magis ab hoc flagitio abſterritos, quàm quando medicos comitati ſunt ad valetudinaria, in quibus magno numero, ingenti cruciatu, venereâ lue laborantes ſecabantur, mutilabantur, uſtulabantur; miſeram horum lanienam libro integro complexus eſt Hieronymus Capivaccius, medicus Patavinus, qui narrat p ſe ex curatione luis Gallicæ, pluſquam octodecim millia coronatorum lucratum. Vultis plura? Avicenna lib. 3. de anima, cap. ult. tradit, q multò plus uno actu venereo hominem debilitari, quàm ſi quadrageſies tantum emitteret ſanguinis. Sed præ his ſanctioris diſciplinæ medicum audiamus: r *Hæc* LUES SORDIDISSIMA *contaminat carnem, & mentem effœminat: multis eſt annexa doloribus hæc voluptas, quæ non ſolùm animæ periculum, ſed etiam corpori inducat exitium.* Animæ verò fœtorem ſuper omnem cloacam, ac putens cadaver, graviorem eſſe, cœleſtis Genius Anachoretam edocuit: ſ accidit enim, ut ſanctus Antoninus refert, Angelum aſſumptâ ſpecie humanâ, unà cum Anachoreta profectum, pertranſiſſe locum, in quo horrendum in modum fœtens cadaver projectum erat. Ubi hic advertit Anachoretam nares obturare, cauſam ſciſcitanti, reſpondit: ſe fœtorem ferre non poſſe. Subticuit Angelus, & perrexit. Non ita multò poſt, laſcivus juvenis, ſuperbè, & ſplendidè indutus, paſtillos

m Cic. lib. de ſeneſt. n Lud. Vives in lib. 22. S. Auguſt. de civit. cap. 22. o Pineda in Iob, c. 2. v. 8. ſect. 5.

p Hieronym. Capivaccius de lue venerea c. 2. q Pontani Attica Bellar. p. 7. c. 4. V. Biſciola in ſubſci. lib. 20. c. 3. Caſſiodor. lib. de amicitia. ſ Antonin. 4. part. ſum. tit. 14. c. 6. ex vitis Patrum, Hieron. ad Principiam.

olens,

olens, & *muſco mure fragrans*, gratiſſimum longè, latéque ſpirans odorem, in via occurrit; ad cujus præſentiam Angelus vultum avertit, & nares occluſit, hanc pio aſcetæ rationem ſubjiciens: juvenis ille laſcivus incomparabiliter plus fœtet coram Deo, & Angelis, quàm quodvis putidiſſimum cadaver coram hominibus. Fœtor hic adeò peſtilens eſt mephitis, adeò intolerabilis, ut ſi eam percipere contingeret, hominem hac labe luxuriæ infectum non lecto, nec tecto, nec urbe, degere permitteret; ſed in deſerta, teſqua, ab omni hominum conſuetudine amandandum judicaret. Optimè benignus Dominus filius Virginis, Veneris vitio fœtorem & putredinem, cadaveribus graveolentiorem addidit, ut hic viva corpora eorum, in quibus mortuæ ac miſeræ animæ ſepultæ, computreſcerent. Mephitim earum, quę hac lue infectę, quandoque, ſupra omnem cloacam in confeſſionali percepi, quibus & nares, & palatum putredine exciderant. Audite Chryſoſtomum: t *Reſoluta circumferunt corpora, atque agmine quodam infirmitatum repleta; quibus ad cumulum malorum, podagræ, tremor, & immatura ſenectus: & eſt eis vita ſemper cum medicis, & medicamentis; ſenſus autem ipſi, tardi, graves, obtuſi, & quodammodo ſepulti.* Unde unicum hic mihi votum, ut ea cœlitus gratia obveniret, quæ S. Philippo Nerio, ob illibatam animi, corporíſque integritatem, x *ut eos, qui puritatem colerent, ex odore; qui verò ſecus, ex fœtore dignoſceret,* admonendóſque ſolennibus illis verbis ſibi duceret: y *Malè oles, fili, malè oles*; quàm multos hic ſanctus, ſi viveret, hujus urbis juvenes, puellas, conjugatos detegeret, & diceret: *Malè oles adoleſcens, male oles filia, malè oles conjugate*; atq; utinam vel ſic perſtricti, fœditatem ſuam deteſtarentur.

Denique ſi nec ipſe pudor ab infami flagitio revocat, nec fœditas à turpiſſimo ſcelere retardat, terreat vos fatale ęternę z reprobationis Theta, & lata contra impuros ſententia, quam Spiritus Sanctus Paulino ore pronuntiavit: a *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt.* At cœlo, & beatitudinis Regno excluſi, quò abjicientur? ad hoc per Joannem reſpondet: b *Fornicatoribus*, in mercedem brevis, & brutæ voluptatis, dabitur pro æterna gloria, immenſum *ſtagnum* inferni, ardens ſæviſſimo *igne*, & tetris odoribus plenum; cui primò veræ, & maximè ſeveræ ſententiæ ſubſcribit Caſſiodorus: c *Nihil remanet de opere impudicitiæ: citò præterit, quod delectat, & permanet ſine fine quod cruciat. De actu quidem immunditiæ nihil remanet, niſi fœda, & fœtida recordatio peccati, in tormentum animæ,* EXSPECTATIONEMQUE INFERNI. Hoc terrificum divinę reprobationis, & æternæ damnationis fulgur, cùm vir rectus, ac timens Deum perhorreſceret: d *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, ut non*

t Chryſ hom nemo læditur niſi à ſeipſo. x Breviar. Rom. 26. Iunii.

y Rho variæ virt. hiſtor. lib. 7. c. 1. §. 9. z Peccatum carnis, & luxuriæ certum reprobationis ſignum. a 1. Cor. 6. v. 9. b Apoc. 21. v. 8. c Caſſiodor. lib. de amicitia, §. lamentabilis querela. d Iob. 31.

cogi-

cogitarem de Virgine: quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem Omnipotens de excelſis? ubi Julius Cæſar Recupitus de ſignis reprobationis: e Ergo in eo, qui vel ſimplici carnis incentivo aſſentitur cogitando de Virgine, Deus neque partem habet, neque hæreditatem: *Quod eſt annumerari inter reprobos.* Addit infra, de adulterio loquens: f *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*; ſi devorans uſq; ad perditionem, utique uſque ad damnationem. Quò ſpectat illud Auguſtini libro de conflictu vitiorum: g *O quam parva eſt, concubitus hora* (aut alterius fœdæ libinis mora) *quâ* PERDITUR VITA FUTURA; *quod autem emolumentum affert id, quod tam citò perducit* AD TARTARA? quid, quod ejuſmodi quaſi de ſalute ſua ultrò conclamantes clamitet Apoſtolus, dicens: h *Deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis*? Ergo impudicitia deſperationem parit; deſperatio verò damnationem; quibus autem gradibus ad hoc barathrum deſcendatur, explicat gloſſa in Job, cap. 31. *Viſum*, inquit, *ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio,* DESPERATIONEM DAMNATIO.

Hactenus dicta, ratione & argumentatione probantur: quò aliquid magis eſt deviativum ab ultimo fine, eò magis eſt reprobationis ſignum; ſed luxuria eſt maximè deviativa ab ultimo fine, ergo &c. Major patet: quia terminus reprobationis, eſt oppoſitus termino prædeſtinationis, qui eſt aſſecutio finis ultimi. Minor probatur: quia id quod maximè trahit ad ſenſibile, maximè deducit ab intelligibili, & potiſſimum à puro, & ſummo intelligibili, quod eſt Deus, maximè abſtractus à ſenſibus; Sed luxuria maximè omnium trahit ad ſenſibile, quia trahit ad delectationem inter ſenſibilia vehementiſſimam; ergo maximè deducit à Deo, puro & ſummo intelligibili, & ſic eſt maximè deviativa à fine ultimo. Omnium paſſionum libidinem vehementiſſimam eſſe, non Philoſophi duntaxat, & Medici; ſed & Theologi, ac SS. Patres tradidêre: vel unum omnium Doctorem D. Thomam attendite, qui diſceptans, utrum fornicatio ſit graviſſimum peccatum? ſic ad propoſitum noſtrum reſpondet: i *Dicitur in gloſſa 1. ad Corinth 7. quod ardor libidinis in luxuria eſt maximus. Et inde eſt quod Auguſtinus dicit in libro de agone Chriſtiano, quod inter omnia Chriſtianorum certamina duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi eſt quotidiana pugna, & rara victoria.* Tum ſubdit, nullo alio flagitio plures reprobari, & in æternum damnari: k *Iſidorus dicit in libro de ſummo bono, quod magis per carnis luxuriam humanum genus ſubditur diabolo, quàm per aliquod aliud: quia ſcilicet difficilius eſt vincere vehementiam hujus paſſionis;* ut fuerint, qui dicerent, etſi inferni fauces apertas viderent, temperare ſibi non poſſe. Ad hos ergo impurę Veneris amoſios devorādos, dilatavit infernus animā ſuā.

e Recupitus l. de ſignis prædeſt. & reprob. ſign. 8. f Iob. c. 31. v. 12. g Auguſt. l. de conflictu vitiorum c. 24. h Epheſ. 4. v. 17.

i S. Th. 22. quæſt. 154. art. 3. k S. Th. cit.

Horri-

Horribile dictu eſt, quod S. Remigius Epiſcopus Rhemenſis pronuntiavit: l *Demptis parvulis, ex adultis, propter carnis vitium, pauci ſalvantur.* Confirmat P. Hieremias Drexelius: Memini inquit, & horreo, quod à pręceptore meo audivi: m *Si centum juvenes damnentur, è centenis illis, 99 ob vitium carnis damnari.*

Altera tot pereuntium in cœno libidinis cauſa eſt, quòd ſemel infixi, difficillimè inde emergere queant, ut verè de illis Tertullianus: n *Inenatabile excuſſis profundum eſt, inextricabile impactis naufragium eſt, irreparabile devoratis hypobrychium in luxuria eſt*; nec minus ſeverè Petrus Bleſenſis: o *Grave enim eſt conſueta relinquere* (veteres amaſias, pellices, concubinas, aliáſque ſordes relinquere) *& ferè impoſſibile eſt triumphare* DE CARNE, *ſi de nobis ipſa prius triumphaverit.* p Nihilominus, quamvis tanta ſit difficultas emergendi è fovea libidinis, in quam miſellæ animæ infeliciter fuerint prolapſæ, támque operoſa ſit reſtinctio ignis tartarei per peccata ſuccenſi; tamen ſperanda illis ſemper eſt cum miſerentis Dei auxilio, quod numquam deeſt, ad nitorem regreſſio, dummodo non pigeat, ex ſancti Nili monito; q *cor ſuum ſedulò, ac diligenter conſervare, continentiámque colere, ac crebras preces cum gemitu fundere, cæteráque alia facere, quò* CARNIS FORNAX, *quam Babylonius Rex cupiditatis illecebris accendit, Spiritus Sancti præſenti ope, atque auxilio extinguatur.* Altitudo foveæ ad inferos uſque depreſſæ, & profunditas abyſſi, in quam facta ſit dejectio, non debet ſpem adimere emerſionis, cùm nullum ſit adeò irremeabile barathrum, quin ex eo liceat evadere. r Ceada erat altiſſimè dehiſcens fovea apud Spartanos, in quam maximè de criminibus damnatos pręcipites agebant. Dejectus eſt in illud barathrum Ariſtomenes Meſſenius, poſt prælium captivus, cum quinquaginta de ejus prætoriâ cohorte. Hæc quinquagena alliſu miſerè periit: Ariſtomenes verò, advolante aquila, expanſis alis ſubeunte cadentis corpus, ita illud libravit, ut omni ex parte illæſus, ad ima barathri deferretur. Et cùm jam triduum egiſſet in imo tetri illius hiatus, ac veſte obvoluta decumberet, extremam vitæ horam exſpectans, audito ſtrepitu quodam per ſubluſtres tenebras, vulpem vidit cadavera appetentem: quam ſubiiſſe per oſtiolum aliquod ſuſpicatus, propiùs accedentem manu alterâ apprehendit: alterâ quoties ſe vulpes convertiſſet, chlamydem mordicus prenſandam objiciebat, trahendum ſe belluæ per invia præbens; donec notato cuniculo, per quem poſſet vulpes evadere, veluti manumiſſam ſivit effugere; perque eam manibus grandefactam cavernulam, ad ſuos evadit. Potis eſt divina gratia, & ſ *aquila magnarum alarum*, Chriſtus, ut eum Ezechiel appellat, prohibere, ne is qui ceciderit, collidatur, & ne detruſus in ba-

l S. Remig. in Epiſt. ad Rom. c. 1. m Drexel. Nicetas l. 2. c. 12. n Tertull. lib. de idol. c. 24. o Petr. Bleſenſis Ser. 34. p Adhortatio. ut omnis caro, quæ corrupit viam ſuam reſipiſcat. q S. Nilus lib. de octo vitioſ. cogit. cap. de fornic.

r Pauſanias lib. 4. Raynaudi Maria Ægypt. pag. 173. ſ Ezech. 17. v. 3.

ra-

rathrum, t *partes vulpium, id eſt, dæmonum* fiat; ſed quà minus affulgere ſpes videatur, exitum inveniat; uti Magdalena, Samaritana, Maria Ægyptiaca, Thais, Zoe, Pelagia, aliæque innumeræ ex inferno inferiori liberatæ ſunt, quarum mirabiles converſiones, & divinas metamorphoſes, Theophilus Raynaudus doctè, & diſertè expoſuit *v.* Quin & Davidis, aliorúmque Sanctorum lapſus, in ſacris litteris expreſſos, ne infixi in limo profundi deſperent, exploratum eſt: ſic porrò Chryſoſtomus: x *Nec ſolum opera Sanctorum bona nobis ſunt ſcripta; ſed & peccata: ut hæc quidem fugiamus, illa verò imitemur. Neque hoc ſolum; ſed monſtrat inſuper divina Scriptura & juſtos eſſe lapſos, & peccatores magnam agentes pœnitentiam, quo utrinque ſufficiens nobis eſſet remedium: & neque qui ſtetit confidentior ſit, videns & juſtos cecidiſſe; neque qui in peccatis eſt, deſperet, viſis tot qui reſipuerunt, & ad ſummum virtutis apicem pervenire potuerunt.* Ac tandem concludit: *Itaque nullus, qui in profundum ipſum malitiæ deſcendit, ſalutis ſuæ ſpem abjiciat; ſed ineffabilem Dei miſericordiam cogitans, audiat verum Deum per Prophetam dicentem: Num qui cadit, non reſurgit? & qui averſatur, non revertitur? & iterum: Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat.* Quis non deſperatum de illo Sarmata crederet, *y* qui in vaſtæ arboris emedullatæ, & annoſitate cavatæ hiatum, melle ſuperexundante repletum, imprudens decidit: ubi per biduum hæſit, ægrè tollens de ſummo melle caput: cumque ſe ibi periturum arbitraretur, grandis urſa, catulis comitata duobus proſiliit, mella captans, quam Sarmata, protendens è lento brachia viſco, invaſit, tergum prehendens. Bellua verò dum magnis viribus retinentem certat excutere, extraxit è profundo mellis lacu hærentem ſibi validè Sarmatam: qui è mellico vado eductus, feram perniciſſimè fugientem dimiſit, & ſibi redditus, imminentis mortis metu eſt ſolutus. Haud diſſimiliter, infoſſas voluptuario lacui animas, ſi magno niſu prehendant oblatam evadendi opportunitatem, emergere, & impendens in melle exitium declinare, poſſibile erit. Evaſerunt ad hunc modum è malitiæ barathro, & altiſſima luxuriæ foſſâ, in quam prolapſæ erant, pleræque quondam animæ, ad magnam ſanctitatem eductæ, de quibus Orator aureus: z *E malitiæ barathro ſurſum aliqui aſcenderunt in cœlum, ex ſcenáque & orcheſtrâ, ad Angelicam migravêre converſationem, & tantam virtutem exhibuerunt; ut expulerint dæmonas, & alia multa fecerint hujuſmodi ſigna. Et his plenæ quidem ſunt Scripturæ, plena verò nobis exemplorum vita. Et meretrices, & molles ora Manichæorum obſtruunt, qui malitiam immutabilem eſſe dicunt*, id eſt, peccatorem non poſſe redire ad pœnitentiam. Adverſus hanc blaſphemiam, militat humanitas, & benignitas Dei Salvatoris noſtri, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, *homo factus & incarnatus eſt.* Scio non deeſſe Theologos, qui alium finem incar-

t Hugo Cardinal. in Pſalm. 62. v. 11.
v Vide Raynaud. Muſcan. Ægyptiac. Pœnitentia ſordes extergens diſſert. 1.
x Chryſoſt. hom. 9. in Geneſ.
y Iacob Biderman. lib. 3. Epig. 128. Raynaud. cit.
z Chryſoſt.

carnationi *Verbi divini* præſtituunt; ita ut ſi nullæ eſſent animæ redimendæ, & homo non peccâſſet, tamen Verbum caro fieret. Ita aliquot recentiores, & ſubobſcurè nonnulli veterum; tamen probabilior Theologia contrarium affirmat, cum D. Thoma 3. part. qu. 1. art. 3. & lect. 4. in 1. ad Timoth. c. 1. ita Valentia 3. p. d. 1. q. 1. punc. 7. Leſſius opuſc. de Chriſti prædeſt. n. 2. Vaſques, Maldonatus, & latiſſimè Juſtinianus, Joan. 3. v. 5. ad illud: *Apparuit, ut peccata noſtra tolleret.* Proferunt in hanc rem auctores prædicti, Scripturas omnino multas & numeroſa Patrum agmina, quos inter explicatiſſimè Sanctus Auguſtinus his verbis: a *Nulla fuit cauſa veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicinæ cauſa.*

Rogo ergo vos b *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto*, ut & Paulum monentem audiatis c *Si Spiritu facta* CARNIS *mortificaveritis, vivetis.* Hoc amore Verbi Incarnati, *Verbum* ex Virgine *caro factum*, quiſque veſtrûm cum Auguſtino, gemitibus inenarrabilibus poſtulare non ceſſet: d *Fac me, bone Jeſu, fac me rogo, amore & deſiderio tuo, deponere onus* CARNALIUM DESIDERIORUM, *& terrenarum concupiſcentiarum: dominetur carni anima, animæ ratio, rationi gratia tua.* Unde & illud: e *Imperas nobis* CONTINENTIAM. *Et cum ſcirem, ait quidam, quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum: per continentiam quippe colligimur, & redigimur in unum, quo in multa defluximus: minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui ſemper ardes, & numquam extingueris, charitas Deus meus, accende me;* CONTINENTIAM *jubes, dā quod jubes, & jube quod vis.* Nunc ad Dei Matris, in qua Verbum caro factum, dignitatem procedamus.

a Aug. Serm. 9. de verb. Apoſt. b Lucæ 1. v. 78. c Rom. 8. v. 13. d Aug. manuale. c. 5. e Idem l. 10. conf. c. 29.

§. IV.

Inſtanti Incarnationis, Maria Mater Dei effecta, ſimul Mater miſericordiæ, quia in ea, ipſa quæ ex Deo eſt charitas, novem menſibus requievit. Bernard. Serm. 1. de Aſſumpt. B. V.

IUvat Beatæ Virgini, ex conceptione Filii Dei, eminentiſſimum maternitatis titulum gratulari, in quo,

f *Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem,*

Nullæ enim fœmimæ, niſi à partu matres dicuntur; at virginem concepto verbo factam Dei matrem, nondum puerperam, agnovit Eliſabetha, dicens: g *Unde hoc mihi, ut veniat* MATER *Domini mei ad me*? Angelus quoque verbum non conceptum; ſed in utero Virginis natum Joſepho denuntiat: h *Quod enim in ea* NATUM EST, *de Spiritu Sancto eſt*; ídque ſic dictum putat D. Baſilius, i ut ſignificaretur, Corpus Chriſti

f Theophyl. Raynaud. diſticha mariana. part. 1. punct. 5. n. 12. g Luc. 1. Didac. Stella hic. h Matt. 1. v. 21. i Baſil. Serm. de nativ. Dom. Deaponte in Matth. hic Cornel.

ſta-

ſtatim à ſua conceptione perfectè fuiſſe formatum, & animatum, ut docet S. Thomas part. 3. art. 1. *Ipſa formatio corporis fuit in inſtanti, propter virtutem agentis infinitam, ſcilicet Spiritus Sancti, per quem corpus Chriſti formatum*, & quæſt. 34. *Oportuit, quod in primo inſtanti conceptus, Corpus Chriſti eſſet animatum anima rationali, juxta illud Damaſceni; ſimul caro, ſimul Dei caro, ſimul caro animata, anima rationali, & intellectuali.* Unde doctiſſimus Salmeron: k *Mariæ* MATERNITAS, *ut ita dicam, conceptionis illius comes fuit.* His poſitis, excellentiam Dei Matris proſequamur. l Hæc adeò eximia dignitas eſt, ut inter tria, quæ Deus per omnipotentiam ſuam non poteſt facere majora, aut meliora, maternitas cenſeatur: ſic etenim Doctor Angelicus p. 1. q. 25. a. 6. m *Utrum Deus poſſit meliora facere ea, quæ facit, reſpondet ad 4. dicendum quod humanitas Chriſti, ex hoc quod eſt unita Deo: & beatitudo, ex hoc quod eſt fruitio Dei: & Beata Virgo, ex hoc quod eſt* MATER DEI, *habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus; & ex hac parte non poteſt aliquid melius eſſe Deo;* poteſt Deus inexhauſta ſua omnipotentia plantas, flores, fontes longè meliores facere, quàm fecerit: poteſt Solem, Lunam, Stellas meliores facere: poteſt homines, Angelos multò nobiliores, ac perfectiores condere: poteſt alios mundos creare, quorum plateæ ex auro mundiſſimo, lapides, adamantes, ædes omnes templo Salomonis ſimillimæ forent: denique, ut ait Doctor Seraphicus, n *majorem mundum poſſet facere Deus, majus cœlum, majorem* MATREM, *quàm* MATREM *Dei, non poſſet facere Deus*: ſi enim quò altior eſt Filius, eò dignior Mater cenſenda eſt, quis jure ambigat, quin Filii infiniti authoritas & dignitas, in Matrem ipſam redundet, ac honorem immenſum illi conciliet, quæ ſola cum Patre, Filio æterno dicere poteſt: o *Filius meus es tu, ego genui te.* Quò fit, ut Matris Dei dignitas, omnem omnium Sanctorum, ac beatarum mentium excellentiam infinito intervallo excedat; ſic porrò Damaſcenus: p *Dei Matris, & ſervorum Dei, infinitum eſt diſcrimen*; quemadmodum qui in domibus Regum ſerviunt, quamtumvis illuſtres ſanguine, immenſum ab ipſo Rege, & Regina diſcrepant; ipſius verò ſummi Regis, & Matris ejus, cui omnis humana & Angelica natura famulatur, cum nullis creaturis comparatio inſtitui poteſt. Id ex figura Eſtheris dilucidè D. Bonaventura adumbravit: q *Maria Domina Angelorum, & hominum, deſignatur in Eſther Regina, quæ in una famula innitebatur: altera eam ſequebatur. Duæ famulæ ſunt, Angelica & humana natura. Humana eſt famula, Dominam ſequens in mundo, colligens virtutes, & exempla Mariæ. Intelligentia Angelica, eſt famula, ſuper quam Maria innititur in cœlo;* Adeò ut quidquid in cœlo, & in terris eſt, ſolo Deo excepto, Matre Dei minus ſit, ut rectè B. Petrus Damiani Cardinalis: r *Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem*

k Salmeron. tom. 3. trac. 30. l Matris dignitas. m S. Thom. part. 1. q. 25. art. 6.

n Bonav. in ſpeculo c. 8. o Caniſius lib. 3. de virg. c. 13. p Damaſc. orat. 1. de dorm. virg. q Bonav. in ſpeculo c. 3. r Pet. Damian. in nativ. B. V.

ſum-

ſummæ divinitatis intra ſui ventris clauſit arcanum ? attende Seraphim, & in illius Superioris naturæ ſupervola dignitatem, & videbis, quidquid majus, eſt minus Virgine, ſolúmque opificem opus illud ſupergredi. Probat id D. Thomas ex eo, quod quando Deus aliquem ad munus aliquod eligit, & præordinat, ſimul confert ei idoneitatem, & omnia requiſita ad illud aptè adminiſtrandum; ita Fundatoribus Ordinum ad tam excellens opus electis, majora præ cæteris talenta, & gratias ad id requiſitas contulit: diſcipulis verò ad Apoſtolatum vocatis, longè præcellentiores; cùm autem maternitas Dei, omnia in immenſum tranſcendat, ſupra omnes, ſingulares dotes, ac gratias Virgo Maria conſecuta eſt. Sic docet in illud Pauli: *Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti*, ubi ait: ſ *Deus cuilibet rei dat ea, per quæ poſſit conſequi perfectionem ſuæ naturæ. Unde quia conſtituit miniſtros novi teſtamenti, dedit & eis idoneitatem ad hoc officium exercendum.* Sic ut menſura gratiarum, & donorum ex altitudine muneris, ac ſtatus ſumenda ſit. Hinc eliciunt Doctores, inter omnes Sanctos, ſupremam habuiſſe gratiam Apoſtolos, & Joannem Baptiſtam. t Cùm verò ad maternitatem Dei, Virgo electa ſit, quod *munus ſua operatione, fines divinitatis propinquius attingit*, qualis & quanta illi debetur ex hoc gratia? qualis prærogativa? quæ & quanta dignitas, ac poteſtas? quid vis dicam? prorſus ſupra, & extra omnes creaturas, altioris Ordinis, & planè divina; ut jure meritiſſimo Anſelmus: v *Hoc ſolum, quod* DEI MATER *eſt, excedit omnem altitudinem quæ poſt Deum dici, vel cogitari poteſt.*

Nunc quod nos ſpectat, conſiderandum occurrit, quod titulus *Dei Matris*, qui Virgini ſummam ſupra omnes creaturas gloriam, dignitatem, & poteſtatem contulit, nobis etiam peccatoribus gratiam, miſericordiam, & ſalutem à filio impetrandam adpromiſerit: Ex quo enim Mater Dei, ex eodem principio *Mater miſericordiæ* effecta eſt. Hoc ſe nomine inſignivit ipſa Deipara. Nongenti viceníque anni à partu Virginis fluxerant, x cùm S. Odo Cluniacenſem vineam excolens, fortè per ſylvam latronibus infeſtam, iter haberet, ex eis unus, ſimul atque vultum ipſius amabilem, & ſerenum intuitus eſt, corde compunctus ad ejus ſe pedes abjecit, demiſſa voce obſecrans, ut ipſius miſereretur; cùm autem rogaret vir beatus, quid vellet? in monaſterium ſe recipi petiit, addens: ſi me Pater abjicis, rectà eo in perditionem; porrò animam meam Deus à te requiret. Tum verò miſericordia motus vir pius Cluniacum præmiſit, ubi in monachum attonſus, ſingularis converſionis teſtimonia edidit, ut in tempore brevi, explêrit tempora multa, & delêrit delicta maxima; etenim non multò pòſt, ad extrema deductus, S. Odonem ad ſe vocavit, ad quem ille: hac nocte, Pater, divina mihi viſio objecta eſt, qua ſeſe mihi ſtitit illuſtriſſima, & ſummæ auctoritatis Domina, quæ propinquior facta,

ſ S. Thom. in 2. ad Cor. 3. v. 4.

t Idem 22. q. 103. a. 4.

v Anſelm. lib. de excell. virg. c. 2.

x Barrii 2. Metamorphoſis. 6. 15. n. 10.

cogno-

cognoſcis me? inquit. Me id pernegante: *Ego ſum*, ait, *Mater miſericordiæ*. Cui ſtatim intuli: quid me facere jubes, Domina? & illa: poſt triduum venies ad filium meum, certam horam deſignans; venit dies, & hora, & placidiſſimè obdormivit; ut ex hoc ipſo ſatis conſtet, veram fuiſſe ejus viſionem. Quid ad hæc Beatiſſimus Odo? magnis ille incedere lætitiis, atque illuſtrem Matris miſericordiæ, quo ſe ipſa compellârat, titulum admirari, & miſericordiam venerari, ac amare non deſtitit, qua homini perdito, ac facinoroſo, paucorum menſium ſpatio, reſipiſcenti, eam à filio mentem, gratiam, & miſericordiam impetrârat, quam alii vix poſt ſexageſimum annum in omni auſteritate actum, ſperare audeant. Affecit profectò res illa tam validè, gratioſéque Odonem, ut deinceps Matrem Dei, non alio, quàm *Matris miſericordiæ* nomine appellârit, quod jam orbe univerſo receptum eſt: y *Quid miſericordius B. Maria, quæ à cunctis fidelibus* MISERICORDIÆ MATER *eſſe comprobatur*? hujus tam amabilis denominationis duplex ratio adferri poteſt. Fuit enim Maria Mater Chriſti, qui ipſa miſericordia eſt, juxta illud: z *Deus meus, miſericordia mea*, quia miſericors erga nos, ut jure cum Regio Vate exclamare poſſimus: a *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*, quod D. Bernardus b de Chriſto accepit; ſed maximè genuina ratio denominandi B. Virginem, *Matrem miſericordiæ*, ducenda videtur ex phraſi ſcripturæ, quæ more Hebræorum, vocavit Deum, *Patrem miſericordiarum*. Ex quo recte conſequitur, ut quæ *miſericordiam* genuit, Mater miſericordiæ nuncupetur; & ut Deus *Pater miſericordiarum*, illa, proportione ſervata, *Mater miſericordiæ* dicatur. Appoſito ad propoſitum confirmandum argumento utitur Bernardus. c *Regina*, inquit, *cœlorum eſt*, MISERICORS *eſt, denique* MATER EST UNIGENITI *Filii Dei; nihil enim ſic poteſt poteſtatis ejus, ſeu pietatis magnitudinem commendare; niſi fortè aut non creditur Dei Filius honorare matrem: aut dubitare quis poteſt omnino in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo charitas* (& miſericordia) *novem menſibus corporaliter requievit*. Quemadmodum enim fieri aſſolet, ut qui pomum odoriferum, cinnamomum, aut alia aromata manu geſtârit, fragrantiam, ac odorem illum retineat; ita viſceribus virginis, non potuit non miſericordiæ divinæ virtus participari: d *Quid de fonte pietatis procederet, niſi pietas? Quid mirum, ſi pietatem exhibent viſcera pietatis? nonne qui pomum in manu tenuerit, dimidia die, reliqua diei parte, pomi ſervabit odorem. Quantum igitur viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem menſibus requievit?* utar hic encomio, quod D. Auguſtinus ex Cicerone deprædicat, cum de C. Cæſare loquitur: e *Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior miſericordia eſt.* Quam Doctor Angelicus ſic de-

y Hugo victorin. inſtit. monaſt. Serm. 65
z Pſal. 58, v. 18. a Pſal. 47. v. 10.
b Bern. ſerm. 1. de purif.

c Bern. Serm. 1. de Aſſumpt. B. V.
d Bern. Serm. 1. de nuptiis Canæ Gal.
e Aug. lib. 9. de civit. c. 5.

finit:

finit: f *Miſericordia eſt alienæ miſeriæ, quædam in noſtro corde compaſſio, qua utique ſi poſſumus, compellimur ei ſubvenire.* Ubi miſeriæ nomine, intelligit Sanctus Doctor mali pœnam, qua vita mortalis repletur, ut tot actibus *miſericordiæ* hanc Matrem incaleſcere certum ſit, quot animi, corporiſque miſeriis eximere nos quotidie invenitur: g *nihil auſterum in ea, nihil terribile*, nihil aſperum, nihil immite; Filio quidem omne judicium ſervatur, & Rex juſtitiæ nuncupatur; ſed clementiæ, ac miſericordiæ partes Maria ſuſcepit. Quod divinè S. Thomas expendit, dum hiſtoriam Aſſueri, & Eſtheris, de Chriſto, & Maria exponit, his verbis: h *Dixit ei Rex: quid vis Eſther, & quæ eſt petitio tua, ut detur tibi, & quid vis fieri? Etſi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.* Quæ ſic applicat: *Summitatem ejus virgæ, Virgo Beata tetigit, quando Filium Dei in utero concepit, & ſic dimidiam partem Regni Dei impetravit, ut ipſa ſit Regina* MISERICORDIÆ, *cujus filius eſt Rex juſtitiæ.*

Sed quid ergo ab Eccleſia *ſpeculum juſtitiæ* nuncupatur? myſterium eſt, quod cuilibet, naturam ſpeculi contemplanti manifeſtum fiet: in quo, ſi quis ſe conſpexerit, ſiniſtra in dexteram mutatur. Filius Dei, qui miſericors, & juſtus eſt, dextera ſua Olivam, ſiniſtra rhompheam igneam geſtare ſolitus, juxta illud Pſaltis: i *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine*; dum in ſpeculo Mariano ſe contemplatur, rhomphæa juſtitiæ, in Olivam miſericordiæ convertitur, atque ad hujus virginei ſpeculi benigniſſimos radios, omnis judicis Dei, leonis de tribu Juda, ira refringitur, ac temperatur. Quod alia naturali ſimilitudine illuſtrat S. Antoninus: k Sol, inquit, per Zodiacum diſcurrens, in ſigno Leonis eſt ardentiſſimus; ſed ingrediens ſignum Virginis, mitigatur. Ita Sol juſtitiæ, Deus noſter, in veteri teſtamento, erat ut Leo rugiens, Deus ultionum, peccatores terribiliter puniens; ſed ferventiſſimo amoris æſtu accenſus, & in uterum Virginis intrans, factus eſt totus ſuavis, & mitis, & miſericors. Nec vacat myſterio, quod Virgo, ſignum cœleſte, inter Leonem & Libram conſtituta ſit: nam ad eundem modum Beatiſſima Virgo, *ſignum magnum*, Leonis de tribu Juda iram, & juſtitiæ rigorem disjungit, & ut Mater miſericordiæ temperat, ac componit. Denique Matrem Dei, totam ad ſubveniendum miſeriis noſtris factam eſſe, omnes SS. Patres loquuntur, atque innumeri, qui pietatis illius viſcera, ac miſericordiæ ubera experti ſunt, teſtantur. Audio Dei Matrem illud Canticorum ad Filium uſurpantem: l *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Et mox: *Botrus cypri dilectus meus mihi.* Quomodo ô ſanctiſſima Virgo, hæc inter ſe conveniunt, faſciſculus myrrhæ, & botrus cypri? cum myrrhæ faſciſculus nil niſi amaritudinem: botrus verò cypri, nil niſi ſuavitatem, & delicias ſpiret? Filius ergo tuus ſimul amarus eſt, & ſua-

f S. Thom. 22. q. 30. art 1. g Bern. ſuper Salve Regina. h S. Thom. præf. in Epiſt. canonic, l. Eſth. c. 5. i Pſal. 100. v. 1

k Antonin. part. 4. tit, 15. c. 21.
l Cant. 1.

ſuavis, durus & mitis? Richardus à S. Laurentio: m *Faſciculus fuit Chriſtus in veteri lege; ſed inter Mariæ ubera factus eſt dilectus, ac ſuavis, & mitis.* Pergit porrò: *Sicut enim ſanguis in ſe horribilis, in uberibus efficitur lac, quod dulce eſt, & delectabile ad bibendum: ſic Filius, qui in lege erat terribilis, inter ubera Mariæ, factus eſt mitis.*

Quod ut pleniùs, ac uberiùs proſequamur, notandum eſt, naturalem matris in filios affectum, longè teneriorem, ac benigniorem eſſe, quàm patris, qui durior, ac ſeverior in ſuos eſt, ut expreſſit Seneca: n *Nónne vides,* inquit, *quantò aliter matres indulgeant? illi excitari jubent liberos ad ſtudia obeunda maturè: feriatis quoque diebus non patiuntur eſſe otioſos, & ſudorem illis, interdum lacrymas excutiunt. At matres fovere in ſinu, continere in umbra volunt, nunquam triſtari, nunquam laborare.* Solidior hujus benignitatis, indulgentiæ, ac miſericordiæ maternæ auctoritas D. Thomæ eſt, qui ex ſua, & Ariſtotelis mente: o *Matres,* inquit, *magis ſunt amantes filiorum, quàm patres*; idque quàm maximè, ſi eos ſuis uberibus lactârint; quia ut verè Clemens Alexandrinus, & experientia comprobat: *Aluiſſe, & lactâſſe, amoris incitamenta plura habet*: quæ profectò *amoris incitamenta*, ſi in ullam mortalium, in Virginem Matrem redundârunt, quæ ipſam Miſericordiam lactavit, ſic porrò Richardus Victorinus: p *Adeò pietate replentur ubera tua, ut alicujus notitia miſeriæ tacta, lac fundant* MISERICORDIÆ, *nec poſſis miſerias ſcire, & non ſubvenire. Et quid mirum* (ô Maria) *ſi* MISERICORDIA *affluis, quæ ipſam* MISERIDORDIAM *peperiſti; cùm enim* MISERICORDIAM *lactâſti, ab eadem* MISERICORDIÆ *ubera accepiſti.* Stupet B. Alanus, ut maximum orbis miraculum, & pietatis prodigium, quod filia lactet patrem: ubi enim illa cœleſtis Epithalamii verba, *dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur,* expendit: *O beata Mater,* exclamat, *quæ ubere eum lactas, qui omnibus* UBERA MISERICORDIÆ PROPINAT. *O mira res, Filia lactat patrem!* Deprædicavit, & pictis tabulis mandavit antiquitas, filiam parentem carceri mancipatum, ut inediâ periret, q quamtumvis à cuſtodibus excuſſam, ne quid inferret, velut infantem pectori admotum aluiſſe; verum enimverò, hæret animus attonitus ad aliud pietatis, & miſericordiæ arcanum, dum non ſolum filiam patrem, & quidem Virginem Deum lactare conſidero; ſed & eadem Dei genitricis ubera, non juſtis duntaxat, ſed & peccatoribus lactanda exhiberi conſpicio.

Plutarchus de educandis liberis ſolerter diſcutit, & diſcernit quæſtionem, dicens: r *ſapientem fuiſſe naturæ providentiam conſtat, quæ duo mulieribus ubera dedit, ut ſi gemellos peperiſſe contingeret, duplices ad alendos fontes haberent.* Habet & mater miſericordiæ duo ubera, quibus gemellos, maximè naturâ, genio,

m Richard. à S. Laur. lib. 4. de laud. Virg. n Seneca lib. Quare bonis viris mala accidant. o S. Thom. 22. quæſt. 26. art. 10. Clem. Alex. lib. 1. pæ dag. c. 3. p Richard. Victorin. c. 23. in Cant.

q Valerius Max. lib. 5. c. 4. r Plutarch. de educand. liberis.

ingenio, probitate, & improbitate diſpares lactet, juſtos & peccatores; quod præclarè expreſſit Richardus Victorinus, tractans illud: ſ *Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli*, id enim perinde eſſe ait Richardus, ac dicere, beatam Virginem lac inſtillare hinc peccatoribus, inde juſtis. Ipſum diſſerentem audite: t *Quid mirum, ſi B. Virgo, & peccatoribus reconciliationis, & piis gratiæ lac fundit, quæ mundum reconciliavit, & ipſam gratiam peperit, imò ipſum fontem gratiæ? meritò igitur* MISERICORDIA *ejus, curſui hinnulorum comparatur: quia velocius occurrit ejus pietas, quàm invocetur, & cauſas miſerorum anticipat. Hæc autem ſunt ubera tua, ô Beata, quibus miſeros lactas, dum* MISERICORDIAM *eis impetras.* v *Lactas miſeros, & ab ipſa* MISERICORDIA LACTARIS; *ab ipſa recipis, quod refundis. Carnalia in te Chriſtus ubera ſuxit, ut per te nobis ſpiritualia fluerent*; quæ primum juſtis ac dilectis tibi filiis demonſtrâſti. x S. Fulberto Epiſcopo Carnotenſi, Deiparæ addictiſſimo, graviter ægrotanti, ipſa ſuaviſſimo cantu accinuit, atque ut lacte virgineo morborum æſtum reſtingueret, eadem, quæ olim Verbum infans ubera ſuxerat, ei quoque ſugenda præbuit. Sic inter præclara cœli munera, quibus lectiſſima virgo Catharina Senenſis, y eximia omnium virtutum gloria, toto orbe enituit, Mariani amoris inſigne teſtimonium fuit, quod ipſa Mater miſericordiæ, cœlo ad eam delapſa, poſt ſuaviſſima colloquia, poſt oſcula, & verè maternos amplexus, ſacratiſſimis ſuis illam uberibus aliquando admovit, & ut virgineo lacte non ſolum & labra proluerit, conceſſit; verum etiam ut ipſum miſericordiæ ſinum, cœleſtis nectaris deliciis ebria veluti exhauriret, ingenti munere donavit, quo ſummum omnium virtutum incrementum brevi tempore conſecuta eſt: nullum etenim alimentum plus parvulis virium, ac roboris, quàm lac maternum conferre ſolet; quod ad animum referens Richardus à S. Laurentio, z excogitavit eas animas, quæ paulò antè adoleſcentulæ vocatæ ſunt, Cant. 1. *Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis*, ſimul atque Mariana ubera ſuxerunt, jam viros robuſtos nuncupari; ita ut à lacte Mariano ejuſmodi celeres progreſſus hauſerint, viriles animos conceperint, virtutem Heroum ebiberint: *Memores uberum tuorum, recti diligunt te.* Richardus: *Quia ſuperius dixerant Angeli ad B. Virginem, adoleſcentulæ dilexerunt te nimis, quia meliora ſunt ubera tua vino; ne in ſanctis animabus, nomen fœminei generis aliquid infirmitatis innueret, eaſdem animas, quas vocaverant adoleſcentulas, rectos vocant quaſi viriles, non effœminatos,* & progreſſu virtutum jam viros perfectos. Sed neſcio, quo collactaneum Chriſti, encomio, D. Bernardum, lacte & melle manantem ſatis extulero, qui ut unicus Matris miſericordiæ Benjamin exſtitit, ante ſtatuam ejus dum filiali affectu in hæc verba prorupit: *Monſtra te eſſe matrem* Virgo Mater, exerto ubere, fon-

ſ Rich. Victor. c.23. in Cant. t Idem eit. v Quoſnam Mater miſericordiæ lactârit. x Baronius An. Chriſti 1028. y Raym. de Capua, in ejus vita. Maracius lilia Mariana. pag. 64.

z Richard. à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. part. 3.

tem

tem lactis labris ejus inſtillavit. Quid autem ex illo ubere dulcedinis, quid gratiæ, quid virtutis, quid ſanctitatis hauſerit, quis valeat enarrare? occurrit hic Doctor Seraphicus, qui *Mariam* appellare non dubitavit, a *nutricem ſanctitatis, cujus lacte omnes, qui unquam fuerunt, eruntque justi, & ſancti aluntur.* Felix qui hoc lacte nutritur, & Mariam nutricem habet, ſanctitatis exemplum, ſanctitatis Matrem, ut & Marianos amores, & virgineos mores ex ejus ubere ſugat. Omnium pænè gentium opinio fuit, nutrices, mores in alumnos ſuos cum lacte derivare. Unde Lactantius: *b Nutrices*, inquit, *mores ſuos vel bonos, vel malos, in pueros, quos alunt, cum lacte tranſmittunt.* Quod monuit etiam Avicenna *c*, & experientiâ comprobatum eſt. Quidni ergo, qui Virginis ubere lactati ſunt, ſi virgineos mores, Marianos amores, manſuetudinis, miſericordiæ, humilitatis, charitatis, ſanctitatis omnis ſuccum in ſe derivârint? niſi fortè quis credat naturam plus poſſe, quàm gratiam.

Atque hæc de miſericordiæ ubere, quo juſtos & dilectos filios; nunc de altero, longè ſuavius ſcaturiente, quo peccatores lactat, ut juſtis ſimiliores reddat, pauca dicamus.

Solerter & ſagaciter egiſſe videtur mater Catonis, quæ, ut refert Plutarchus, *d* ſimul cum filio Catone, alium infantulum, quem non pepererat, lactabat, quem poſtea filio ſocium adjungeret, ut eodem uterque nutritus lacte, ſimiliores ſibi, & nutrici amantiores adoleſcerent. Neſcio quid ſimile in Sara nobis indicari, de qua Gen. 21. v. 7. *Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium.* In Hebræo eſt: *quod Sara lactaret filios.* Unde exurgit controverſia, quomodo dicatur Sara filios lactare, quę unum tantum genuerat Iſaac? communis Hebræorum reſponſio eſt, Saram vicinarum mulierum filios, domum ſuam convocare ſolitam, lactâſſe, cui rei cauſam addunt alii, & inter cæteros Mendoſa noſter, *e* voluiſſe Saram plures alumnos pariter cum filio ſuo nutrire, ut eandem omnes indolem, & pietatem, cum eodem lacte nutricis ſugerent, atque ita Iſaac inter optimos collactaneos feliciter adoleſceret, quorum familiaritate ſine periculo profanæ contagionis uteretur. Mater miſericordiæ his longè prudentior, filiis etiam alienigenis, diſcolis, perverſis; ipſis, inquam, graviſſimis peccatoribus ſua ubera porrigit, ut miſericordiæ & gratiæ lacte hauſto, dilectis ſuis filiis, hoc eſt, ſanctis, imò & Filio ſuo, moribus & virtutibus ſimiles reddantur. Ingens fuit miſericordiæ Matris beneficium, *f* quod Clerico cuidam, cæteroquin vano, & improbo contulit, cui hoc ſolenne erat, ut nunquam templum præteriret, quin Chriſto, & ſanctiſſima ejus Matre ſalutatis, diceret: *Beatus venter, qui te portavit, &* UBERA *quæ ſuxiſti.* Luc. 11. Hunc morbus eò jam deduxerat, ut morti proximus, lin-

a Bonaven. in Pſalm. Novarini umbra Virg. pag. 125. b Lactant. lib. 5. de provid. c Avicenna lib. 1. fer. 3. doct. 1. c. 2. d Plutarch. in vita Catonis.

e Mendoza Tom. 3. in c. 1. Reg. c. 14. nu 1. annot. 16. ſect. 2. f Vincent. Belluac. in ſpeculo lib. 7. c. 84. P. Caſpar Tauſch. de Matre doloroſ. l. 3. praxi 6. §. 3

guam ſibi, ac labia dentibus miſerè dilaniaret. Cùm Mater miſericordiæ, memor hæc eſſe labia, hanc linguam, quæ toties beata ubera prædicâſſent, illico adfuit, & ex uberibus illis, expreſſo in os ejus ſacratiſſimo lacte, linguam, labia, totum deniq; hominem ſanitati reſtituit; neque hoc contenta beneficio, longè præcellentius adjecit, gratiam illi impetrando, ut mundo ſpreto, religioni ſe daret, cum dulci pietatis, & vitæ ſanctioris ſenſu deinceps victurus, quem ex uberum illorum dulcedine traxiſſet. Deum immortalem! quanti tandem eſt, hanc ſibi Matrem habere, ut ejus teneri amatores Chriſti Jesu collactanei fiant! quare & exclamare mihi lubet cum muliere illa Evangelica, g Marcella nomine, pediſſequa S. Marthæ: *Beatus venter, qui te portavit, &* UBERA *quæ ſuxiſti*, quæ multò gravioribus peccatoribus, miſericordiæ ſuæ lac uberrimè propinârunt, & quantumvis obduratos ipſa lacte ſuo emolliit, atque ex nigris candidos, totóſque lacteos effecit. Sic ſperare jubent incolæ Bethlehemi, & Chriſtiani Latini, & Græci, & impii Saraceni, ut refert Chriſtophorus de Caſtro: h nimirum dum Virgo Mater fugiens in Ægyptum, Deo infanti lac porrigeret, lactis guttis in prædurum antri ſcopulum decidentibus, rupem illam emollitam, ac dealbatam fuiſſe inſtar farinæ candidiſſimæ, ex qua, aquâ ſubactâ, parvuli panes efficiuntur, qui morbos varios diſpellant, præcipuè contractionis lactis in fœminis; unde vocantur panes illi: *Lac Dominæ noſtræ.* Et quidam ex noſtris hos viderunt panes, qui terram illam perluſtrârunt. Quomodo hæc ubera de cœlo plena, non emollient ſaxeos peccatorum animos? nam ut ſuprà diximus, ſi miſericordia ſic dicta eſt, quod alterius miſeriæ ſubvenire ſoleat, quænam miſeria gravior, quàm lethali noxa, veſte gratiæ, omnibus meritis ſpoliari. Deo inimicum conſtitui, & æternæ damnationis reum agi? quàm immenſæ illud miſericordiæ, quod huic tantæ miſeriæ, miſericordiæ Mater etiam ultro ſubvenire conſuevit? Et *quia lac in carne gratuitum*, inquit Iſidorus, *ubi mater non quærit accipere, ſed dare; hic mater gratis dat, & contriſtatur, ſi deſit, qui accipiat.* Exemplorum pleni hiſtoriarum libri, plena antiquorum vetuſtas. Illud recens, & inſolens, multíſque, ut credo, hactenus inauditum, miſericordiæ ubera graviſſimæ peccatrici, Mariam tenui duntaxat nominis Mariani vinculo ſibi obſtrictæ, exhibuiſſe, & filium ſuum virgineo lacte quaſi ebrium, omnium injuriarum immemorem reddidiſſe. Ut diſertè docet Cardinalis Halgrinus in illud Cant. 1. i *Meliora ſunt ubera tua vino.* Ubi ait: *Melioris, potentioris, & uberioris efficaciæ ſunt ubera B. Virginis, quàm vinum: nam vinum inebriare poteſt hominem, ut præteritarum ſit immemor offenſarum: & ſit facilis ad condonandum, & largus ad donandum; ubera verò Virginis, Deum quaſi inebriare potuerunt: nam poſtquam de Matris uberibus bibit, ac ſi cum lactis dulcedine, dulcedinem bibiſſet* MISERICORDIÆ, *projecit ab* ocu-

g Maraccius lilia Mariana p. 248. Luc. 11.

h Chriſt. de Caſtro in hiſt. Dei c. 10. nu. 2. Veg. Theol. Mariana, n. 695. Silveſter Petra ſancta, Tom. 3. Thaum. p. 181.

i Halgrinus in Cant. 1.

oculis ſuis peccata noſtra poſt tergum: & factus eſt largus ad dandum peccatorum veniam. Quod hiſtoria à P. Joanne Bapt. Cancelloto relata comprobabit. *k* In oppido Geldriæ, ad inferiorem Germaniam, non longè ab urbe Neomago, ſacerdos rure degebat religioſus ac pius, nomine Gilbertus; aderátq; apud eum neptis Maria, rei domeſticæ curam gerens. Hæc ab avunculo mittitur aliquando Neomagum, ut coëmeret, quæ domi neceſſaria viderentur; ea tamen conditione mandatum ab altera accipitur, ut ſi ante confectum negotium adveſperaſceret, in urbe apud amitam ibi ſatis commodam pernoctaret, poſtridie domum honeſtius, non ſine comitibus reditura. Ergo cum ad Solis occaſum coëmptione peracta, non poſſet in ſuum oppidum niſi noctu incomitata reverti, ad amitam ex avunculi præſcripto divertere cogitur. At illa fortè tum ex rixa, quam cum muliercula quadam habuerat, in furias acta, viſam ibi repentè neptem, ſui non bene compos, affecit probris, & excluſit hoſpitio. Conſilii inops virguncula, ex urbe per tenebras noctis egreditur, & non longè à mœnibus, prope ſepem mœſta conſedit. Mox verò ex deſperatione ferè in amentiam abrepta, non Deum, non Virginem, non cœlites, ut antea; ſed malum dæmonem in auxilium vocat, ut eo adjutore addicatur morti, & ſive laqueo ſuſpenſa, ſive aquis merſa, ſive ex alto ſaxis alliſa, vitam ſimul, & calamitatem effugiat. Adeſt illico malus genius, ſub medici circumforanei, vel agyrtæ perſona; deinde explorata, cognitáque mœroris cauſâ, opem miſeræ pollicetur, certámque ſalutem, modò Mariæ nomen, quod gerebat, in aliud ſibi permutet. Indiga auxilii puella, perfido conſiliario aures dabat, ſed jucundiſſimum nomen deponere conſtanter renuebat: ad hæc, nomen ipſum execratus dæmon, ſe diſceſſurum minatur, ni Maria juſſis obtemperet, atque inſuper eam interdicit uſu muniendi ſe ſigno crucis. Ne multis, acquieſcit illa iniquo interdicto, omnémque conditionem vel duriſſimam profitetur ſe recipere, unâ tantum exceptâ Mariani nominis permutandi, quod habebat altè medullis inſcriptum, nec deleri ullo caſu cenſebat. Itaque larvatus orci prædo, ne prædam relinquat, novum aſtum excogitabat, per quem illius capiendæ ſpes erat. Agedum, inquit, cùm tanti ducas iſtuc nomen, ut nolis omnino dimittere: retine primam tantum ejus litteram, & reliquas miſſas fac. Vocêris ergo deinceps expreſſo notæ illius ſono, atque eſto tibi nomen EMME pro MARIA. Acquievit altera conſilio, & paſſa eſt ſuo veteri, ſaluberrimóque nomini, unicam tantum ejus particulam, elementum nempe primum M. ſubſtitui, non omnino miſera, quod hoc pendentem quaſi filo, Mariani nominis affectum retineret. Sed peſſimo deinceps adhærens ſocio, plurimis, maximíſque ſe obſtrinxit flagitiis, quæ vulgare non licet, in ejus non modo contubernium, ſed conjugium, quod aures horrent, ad-

k Cancellotus in annal. Marian. An. Chriſt. 56. Deip. 70. p. 486. Lyreus Triſag. l. 3. ton. 8. Puella dæmoni devota, miſericordia B. Virginis convertitur.

admiſſa Antverpiæ,& alibi, vitam duxit infamem; donec ſcelerum tædio affici cœpit, favente procul dubio Deipara, Puellæ ſuæ quondam cognomini. Hoc unum poſcit ab incubo, ut liceat ſibi Neomagum ad urbis feſta proficiſci. Annuit poſtulatis alter, ducítque volentem, quò petebat. Die feſto Sacroſanctæ & individuæ *Trinitatis*, ambo in oppidum ſub meridiem ingrediuntur; qua ad frequentiorem panegyrim, erectâ in foro ſcena, pium drama dabatur, exhibens *Dei Matris miſericordiam*, ac facilitatem, ad exorandam divinam pro quovis peccatore clementiam. Sed aliud intereà longè amœnius cœlo ſpectaculum agebatur, ubi pro perdita hac Filia, & Maria peccatrice Cacodæmoni mancipata, Dei Mater Filio, miſericordiæ ubera oſtendit, & injuriarum quaſi ebrium, immemorem fecit, ut hîc quadret illud Richardi à Sancto Laurentio: l *Recordabor, quod de te carnem ſumpſerim, quod lac de tuis uberibus ſuxerim, & iſta recordatio, tanquam vini potus, præſentis irritationis, & indignationis obliviſci me facit, ne feſtinem ad vindictam.* Sic factum eventus docuit. Pupugit námque puellæ animum fabulæ opportuniſſimum argumentum, quod rata, ut revera fuit, monitum ſuum; damnavit illico anteactæ vitæ noxas, totoque ſexennio admiſſa flagitia uberrimis lacrymis expiavit. Obſtitit quidem initio ſalutaris pœnitentiæ, conjux ille tartareus; ſed felicem exitum lacrymarum, atque impetratam ſonti per merita Deiparæ veniam prohibere non potuit.

l Richard. à S. Laur. l. 5. de laud. Virg.

Nam primùm avertere à ſpectaculo puellam, concipientem inde ſacros ardores, fruſtra conatus eſt; mox larva depoſita in altum abreptam, impetu majore ad certum interitum eliſit in terram. Tandem illo recedente, ab indigenis, & maximè à Gilberto avunculo cognita, de saniorum conſilio, offertur expianda ſummo Pontifici, quoniam graviora ſcelera, non Sacerdotes quoſcumque, ſed ſupremum Tribunal petebant. Facta eſt Romano Hierarchæ flagitiorum exomologeſis, atque ab eo ad expiationem impoſita pœna, ut nimirum rea tribus annulis ferreis, collum ſibi, & brachium utrumque tamdiu conſtringeret, donec ſive attritu per longum uſum inducto, ſive accedente deſuper Dei manu, aliquando diſſolverentur. Id autem ut ex voto ſuccederet, reverſa in patriam, addixit ſe deinceps mulierum pœnitentium cœnobio, ubi ſub miſericordiæ Matris patrocino, excolere cœpit religioſis virtutibus animum, & quarto ſupra decimum anno decurrente, ex quo huic ſacro cœtui dederat nomen, noctu inter cubandum, diſrumpi ab Angelo ferreos circulos ſenſit, ſéque Deo conciliatam omnino cognovit. Denique ut coronas augeret, altero abhinc anno nondum exacto, inter Matris miſericordiæ brachia, & ubera, vitam abſolvit. Uſque adeò vel unicum Mariani nominis filum, quo velut ex uberibus Mariæ puella adhuc dependebat, orco exemit, & cœlo adſcripſit. Ubi obiter notandum, ſicut Deus olim Abrahamo nominando litteram addidit, ut credentium Patrem ſua peculariter ami-

amicitia dignaretur; ita etiam ex Mariæ nomine, unica nota ſervata, exegit à ſe mulier Ditis tyrannidem, cui tamdiu captiva ſervierat. Quid adverſus dæmonem ſperare non jubet *Maria Mater Miſericordiæ* expreſſius invocata? Et ſi vel inane nomen gregariæ Puellæ impoſitum tantam apud Dei Matrem, ejúſque Filium, miſericordiam impetrârit, quid non poterit auguſtiſſimum Mariæ Deiparæ nomen? ubi illud etiam obſervandum occurrit, optimè parentes filiabus ſuis conſulere, dum aquis luſtralibus tingendis, nomen hoc dulciſſimum Mariæ imponi volunt. Sed rectè monet Nyſſenus, *m* grave ſupplicium mereri illas, & filias, & fœminas, quæ cum vocentur hoc pulchro, & Sancto MARIÆ nomine, vanæ, garrulæ, & impudicæ ſunt, cum vel ipſe titulus illas monere, & movere deberet, ut ſint receſſus ſtudioſæ, devotæ, pudicæ, verecundæ, prolixæ in oratione, *&c.* Aliàs hoc nomine indignæ ſunt, & potius Thaides, Floræ, Veneres nuncupandæ. Myſterio quippe non caret, quod S. Lucas agens de Maria Magdalena, dicat: n *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Cur eam ſuo nomine non compellat? quia *erat in civitate peccatrix*, & adeò honorificam compellationem dehoneſtaret. At ubi lacrymis eluit crimina, ubi amore Chriſti incenſa, nomen illi reſtituitur: o *Valde manè una Sabbatorum venit ad monumentum, Maria Magdalene, & altera Maria*, jam altera effecta, ut ait Chryſologus, ab ea quæ fuerat. Nemo ergo peccatorum vereatur ad Mariam accedere, Maria neminem repellit: fidem adſtruit mellifluus Bernardus, grandi fiducia dicere auſus: p *Sileat miſericordiam tuam, Virgo Beata, ſi quis eſt, qui invocatam te in neceſſitatibus ſuis, ſibi ſenſerit defuiſſe. Nos quidem ſervuli tui ceteris in virtutibus congaudemus tibi; ſed in hac potius nobis ipſis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur; ſed* MISERICORDIA *miſeris ſapit dulciùs*, MISERICORDIAM *amplectimur charius, recordamur ſæpius, crebrius invocamus: hæc eſt enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnibus impetravit.* Certè miſericordia Virginis adeò eluxit, & elucet toto orbe, ut graviſſimi & deſperatiſſimi peccatores, apud eam, miſericordiam invenerint: nec poteſt tanta eſſe peccatoris miſeria, quin major ſit Virginis miſericordia. Hanc in Puella comprobatam dedimus, accipite in juvene. *q* Anno currentis ſæculi 1652. Ratiſbonæ annum agens ſextum & decimum juvenis, à juvenibus in ſylvam deductus, ubi varii varias ludicras artes diabolicis preſtigiis exercere aggreſſi; permiſit tandem & ſuum nomen inſcribi ſchedæ, cui ſuum, pluriúmque aliorum nomen inſcripſerat alius nobiliſſimo loco natus Adoleſcens, antè dæmoni devotus; & hic ſchedam malo genio tradidit, qui apparuit in ſchemate venatoris, ac miros ludos illis faciebat. Videre erat inter ſe luctantes unicornes, elephantes promuſcide diglandiantes, urſos ac lupos ſaltantes, ipſaſque arbores cho-

m Nyſſenus de Sanct. n Luc. 7. o Matth. 28. v. 1. Chryſolog. ſerm. 75.

p Bern. Serm. 4. ſuper miſſus q Oratione Sodalitatis liberatur juvenis dæmoni devotus.

reas ducentes. Lepidiſſimum ſpectaculum inter ſe ſimii dabant. Ad hæc audiebantur tubarum, tympanorum, cornuum, buccinarum ſtrepitus; tum pauſa interpoſita, luſciniæ, alaudæ, acanthides, aliarúmque avium concentus toto nemore reſonabant. Inopinatò demum menſa omnium altilium, ſylveſtrium ferarum, bellariorum ferculis inſtructiſſima ſeſe oculis exhibuit. His, aliiſque oblectamentis novum ſuum Clientem, cum aliis ſociis ſibi devotis oblectavit. Quibus peractis, ad propria reverſus, horrore admiſſi ſceleris juvenis percuſſus, & pœnitudine ductus, ad D. Brunonis aſceterium confugit. Indignati ſocii, ope ſagæ uſi, necromanticis diris, 17. Aprilis dæmonem in hunc ſacerrimi, atque auſterrimi Ordinis tironem immiſerunt, à quo per quatriduum fuit inſeſſus. A magiſtro Novitiorum, aliiſque adhibitæ preces, aliáque remedia. Ipſe Novitius ad *Matrem miſericordiæ* recurrens, ultro formulam Sodalitatis, *Sancta Maria, Mater Dei, & Virgo, ego te hodie in Dominam, Patronam, & advocatam eligo &c.* ſcribere meditabatur; ſed ægrè admodum perficere potuit ob dæmonem in digitos emigrantem, & neſcio quo liquore impedientem, quidquid ſcriberet. Re tamen perfecta, illico, atque è veſtigio miſericordiæ Mater præſto fuit: quamprimum enim dictam formulam magiſtro novitiorum, aliiſque affuſis recitare occepit, fit ei ſpectabilis Virgo, & ad illa verba: *Suſcipe me in ſervum perpetuum,* reſpondit: *Fiet,* dúmque novitius pergeret: *Adſis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deſeras in hora mortis,* iterum ſubjecit, *ſe adfore.* Hoc accidit 19. menſis. Quarto die ab immiſſo dæmone, gravius ſæviebat malum; adhibiti ſunt exorciſmi, & adjuratus dæmon faſſus eſt, ſe ad triennium immiſſum fuiſſe à juvenibus illis viginti duobus; ſed finitis Litaniis Lauretanis, ſe cogente *Matre miſericordiæ* deceſſurum, dato prævio ſigno, quod fuit, ingens corporis tortura, & excarnificatio, ut à tribus viris validis, ac robuſtis, vix potuerit contineri. Pulſo dæmone, adfuit Angelus, qui ſignificat proximo die fore, ut ſuum nomen, & ſchedam ipſe recipiat Hujus tam fauſti nuntii magiſter Novitiorum factus conſcius, ſequenti die ſacrũ facturus de SS. Trinitate, ad aram accedit, aperto Miſſali prodit ad medium Altaris, inde deſcenſurus, ut inchoet ſacrum; cùm ecce in medio aræ ad pedes Jeſuli, quem ſculptum ex ligno tenet Virgo Mater, ſchedulam Novitii nomine, & cognomine notatam, pollicis longitudine, nemine alio eam vidente, conſpicatur. Verùm ubi cœpto introitu Miſſæ dixit: quia *fecit nobiſcum* MISERICORDIAM SUAM, ſcheda movetur, & ſe vertit ad latus ubi flectebat Novitius: qua conſpecta, præ gaudio deliquium animi patitur; deinde duo alii, juxta eum flectentes, eandem viderunt. Finito Sacro accepit ſchedam magiſter Novitiorum; réque per monaſterium vulgata, cantatum in gratarum actionem ſolenne officium, & *Te Deum laudamus.* Hæc omnia, & plura alia P. Sigefridus Miqueſius, litteris datis Patavio 28. Aprilis 1652. ad R.P. Joan-

Joannem Schega, Confeſſarium Ser. Archiducis Leopoldi Bruxellas, aſſerens totius rei ſeriem, ut peracta eſt, ſibi enarrâſſe magiſtrum Novitiorum, idémque ſibi confirmâſſe ipſum Novitium olim ſibi notum. O Maria! r *Quis* MISERICORDIÆ TUÆ *longitudinem; & latitudinem, ſublimitatem, & profundum queat inveſtigare? longitudo ejus uſque in noviſſimum diem, invocantibus eam, ſubvenit univerſis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque* MISERICORDIA *plena ſit omnis terra. Sublimitas ejus, civitatis ſupernæ reſtaurationem invenit. Profundum ejus, ſedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit redemptionem: per te enim cœlum repletum, infernus evacuatus, inſtauratæ ruinæ cœleſtis Jeruſalem, expectantibus miſeris vita perdita, data eſt.* Miſericordia ejus attingit à fine uſque ad finem. David miſericordiæ ſuæ amplitudinem oſtentans, dicebat: (r) *Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo* MISERICORDIAM? omnem ſuam miſericordiam ad Saulis domum limitavit; at immenſa Dei Matris miſericordia non ad domum, non ad urbem, ſed orbem univerſum ſe extendit: ſ *omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi.* Neſciunt miſericordiæ ejus ubera exareſcere; ſed quo plures ex iis hauriunt, hoc uberiùs fluunt, ut *ſuo melleo cõmendavit eloquio* Chriſti collactaneus Bernardus juxta illud: *Meliora ſunt ubera tua vino.* Ubi ſic ait: t *Vinum fluit ab uvis, quæ premuntur in torcularibus; ſed tamen ſi iterum, & tertiò premantur, nil inde extrahitur. At ab ubere fœminæ nutrientis filium, illo evacuato ſemel, iterum replentur, ut alatur, & delectetur infans, quoties ubera ſugit Matris*; quod longè veriſſimum in ubere Dei Matris de cœlo pleno.

r Bern. Serm. 4. ſuper miſſus.
(r) 2. Reg. 9. ſ Bern. ſuper Salve Reginæ. t Idem Serm. 1. ſuper miſſus.

§. V.

Dei matris excellentia cum illa ſacerdotum confertur, IN QUORUM MANIBUS DEI FILIUS, VELUT IN UTERO VIRGINIS INCARNATUR. Auguſt. lib. de dignitat. Sacerdot.

UT conſtet, quæ & quanta ſit Sacerdotum dignitas, quis eis honor, & reverentia debeatur; quæ, & quanta in illis cordis, & corporis puritas requiratur; eos cum Dei Matre, qua dignior, excelſior, purior non exſtitit, conferamus. Expoſuimus ſuprà majoris efficaciæ, ac potentiæ, fuiſſe Marianum illud *fiat*, quo Verbum caro factum eſt, quàm divinum, quo cœlum, & terra creata ſunt. *Ipſe dixit & facta ſunt*, ac ſex diebus omnia operatus eſt. Hæc Patris in creando potentia res creatas, terrenas, corporeas, corruptibiles produxit; ſacerdos verò, *Verbo Verbum*, increatum, cauſam cauſarum, Deum & hominem, qui non moritur, nec videbit corruptionem. v Ad hanc prorſus divinam ſacerdotum potentiam, age confer millies millenas mundorum myriades, manifeſtò comperies, finitorum omnium ad infinitum

v Nierenb. aſcet. l. 2. doct. 4. c. 24.

nullam eſſe comparationem poſſe. Atqui mundum, & ea quæ in mundo ſunt, produxit potentia Patris; Sacerdotis verò potentia produxit Filium Dei in Sacramentum, & ſacrificium, quo admirabilior poteſtas eſt ſacerdotis transſubſtantiatione Filium Dei, quàm creatione res perituras Dei Patris producentis. Accedit inſuper, & excedit excellentia ſacerdotis in hoc Dei Matrem, quod illa ſe habuerit paſſivè, & benedicto ſolum ventre, & carne ſua, contulerit ad prolem, quod ſuum erat, & humanum ex ſua naturali potentia, licet Deo ſuper naturam mirabiliter operante; at ſacerdos quodammodo dici poteſt Pater Chriſti, habendo ſe activè: unde dicitur Sacris operari, facere Sacra, divina patrare, ídque ex intentione mentis, ventre nobilioris, éxque data vi Spiritus divini, habet ſe effectivè. Virgo Mater obumbrante Spiritu Sancto conſentiens concepit, hæc verba proferens: *Fiat*, (en paſſivè ſe habens) *mihi ſecundum verbum tuum.* Sacerdos verò activè velut generat, & *quodammodo fit Pater Dei*, dum his verbis: *Hoc eſt enim corpus meum*, Dei Filium producit. Non me, ſed B. Alanum hac ſuper re diſſerentem audite, qui hæc Chriſti revelantis verba deſcripſit: x *Sicut tali in epithalamio ſum incarnatus ſemel in Virgine Matre, ita quodammodo rurſus in quolibet Miſſæ ſacrificio, eſſe Deus homo, in arca ſancta exiſtens ſacramentaliter incipio. Quod enim verbum in verbo ſalutationis caro factum eſt, qui Deus homo factus eſt in utero Virginis, idem verbum in verbo conſecrationis, idémque homo Deus, fit in manibus Sacerdotis; modo licet diverſo, eodem tamen obumbrante Spiritu Sancto. Forma iſtud potuit verborum vitæ per os ſalutantis, pérque Mariæ vocem conſentientis. Hoc forma valet verborum vitæ conſecrantis, per miniſterium Miſſam celebrantis, Dei Spiritu utrimque mediante. Cùm itaque tali ratione Sacerdotes* FIANT MIHI QUODAMMODO PATRES, *par eſt ut eandem mecum ſortiantur* MATREM MARIAM, *& in ſponſam accipient.* Atque ut alios omittam; hanc ſacerdotis dignitatem cum excellentia Virginis componens Africanus Præſul, exclamat: y *O veneranda Sacerdotum dignitas! in quorum manibus Dei Filius, velut in utero Virginis,* INCARNATUR. Quò ſpectat ritus Eccleſiæ, quæ feſto Sanctiſſimi Corporis Domini, præfationem eandem in Miſſa concinit, qua in nativitate ejuſdem utitur; ut hujus, & illius myſterii quandam inter ſe parem innuat conformitatem, & quodam modo identitatem. Atque ut Verbo Domini omnia creata ſunt, ita & Virginis verbo Verbum, & Sacerdotum rurſus incarnatur.

Quare non eſt, ô hæretice, quod quæras, aut queraris, quomodo id fiat? *Quomodo hic poteſt nobis ſuam carnem dare ad manducandum?* os tibi obſtruet, & oculos aperiet Eccleſiæ lumen Ambroſius: z *Quis ſermo Chriſti conficit Sacramentum? nempe is, quo facta ſunt omnia: juſſit Dominus, & factum eſt cœlum: juſſit Dominus, & facta eſt terra: juſſit Dominus, & facta ſunt maria: juſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergo*

x B. Alanus c. 26. Serm. 3. p. 4.

y Aug. l. de dignit. Sacerd. z Amb. de Sacram. l. 4. c. 4.

quàm

quàm operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe, quæ non erant, quantò magis operatorius eſt, ut quæ erant, in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat; ſed audi dicentem: ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. Ergo tibi ut reſpondeam, non erat Corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem, dico tibi, jam Corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt: Ipſe mandavit & creatum eſt. Argumentum hoc ſcitè, & eruditè D. Bernardinus Senenſis proſequitur, ac plures excellentias ſacerdotis adducit: quibus non ſolum adæquare, ſed exſuperare illum hac in parte Deiparam oſtendit dicens: a *Sacerdotalis poteſtas, ſuperat poteſtatem Virginisglorioſæ, & omnium creatorum*, ídque in quatuor excellentiis. *Primò quidem in brevitate: qui enim haberet clavem, quæ quinque revolutionibus aperiret ſeram, potentior eſſet ea, quæ eandem ſeram octo revolutionibus aperiret; lingua Virginis, clavis exſtitit Paradiſi, quæ octo dictionibus, quaſi tot revolutionibus aperuit ſeram: nam dum Angelo reſpondit,* ECCE, *non fuit cœli reſerata ſera; neq; etiam cum ſecundò adjunxit,* ANCILLA *&c.* ſed octo hiſce: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* b *Major in hoc ſacerdotalis dignitas, & poteſtas, cum per quinq; conſecrationis verba (hoc eſt enim Corpus meum) januas aperiat Paradiſi, atque de cœlis, ad terram Chriſtum trahat.* Quod ſi potentior, ac gratioſior apud Regem cenſetur, qui paucis verbis impetrat, quod alius pluribus; ex mente D. Bernardini, divina Majeſtas quadam faciliori ratione contulit ſacerdoti, verbum è ſinu Patris in terras evocare, quàm Virgini. c *Secundò excedit poteſtatem Virginis ſacerdos in majoritate: nam cum Chriſtus in uterum Virginis venit, tanta brevitate circumamictus eſt, ut ſi jam conceptus in Virgine, poſitus fuiſſet ſuper palmam, vix eum humanus oculus percepiſſet; licet divinitus & anima, & corpore, atque omnibus interioribus, & exterioribus membris, & lineamentis perfectè completus eſſet, ut verificatur ex eo, quod Iſaias 10. & Apoſt. ad Rom. 9. de Chriſto teſtatus eſt.* VERBUM ABBREVIATUM FACIET DOMINUS SUPER TERRAM: *ſed ad Sacerdotis imperium deſcendit Chriſtus tam magnus, ſicut regnat in cœlo.* Primo conceptionis inſtanti, Chriſtum in utero Virginis, d apiculæ quantitatem non exceſſiſſe, docet Theologorum omnium Coryphæus S. Thomas, & Magiſter ſententiarum; omnibus tamen membris perfectiſſimè effictum; in ſacerdotum verò manibus SS. Chriſti Corpus ea mole, & quantitate, qua reſurrexit, & regnat in cœlis, præſens ſiſtitur. e *Tertiò excedit virginis poteſtatem in immortalitate: nam in utero mortalis fuit, & paſſibilis; in Altari verò eſt impaſſibilis, & immortalis.* Virgo Mater genuit Dominum, parvulum, non loquentem, non ambulantem, ſervulum; Sacerdos verò facit adeſſe Deum hominem ad placitum, glorioſum, regnantem in cœlis. Virgo Mater genuit flentem, ſitientem, eſurientem, algentem, in carne paſſibilem, & mor-

a S. Bern. Serm. 20. feria 3. poſt. Dom. 2. quad. a. 2. c. 7. b 1. Excellent. Sacerd. qua Dei Matrem exſuperas.

c 2. Excell. Sacerd. d S. Thom. in 3. diſt. 3. q. 5. magiſter ſent. l. 3. diſt. 3. e 3. Excell. Sacerd.

mortalem; Sacerdos eundem ſiſtit impaſſibilem, immortalem, corpore glorioſum, & divina Majeſtate circumdatum. *f Quartò quoque Virginis poteſtatem excellit in replicabilitate: Nam ſi B. Virgo replicâſſet millies illa ſui conſenſus verba:* ECCE ANCILLA DOMINI, FIAT &c. *Filius Dei numquam amplius de illa ſumpſiſſet carnem; ſed ſacerdos quoties conſecrat Corpus Chriſti, toties deſcendit de cœlo Filius Dei*, toties, ut cum Auguſtino loquar, *g in ſacerdotum manibus, DEI Filius, velut in utero Matris incarnatur.* Si in contentionem duo quædam adduxeris; hinc Euchariſtica illa admiranda pariter & adoranda, quæ per Sacerdotem patrantur: inde virginem concipere ſine viro, Deum hominem fieri, Matrem fieri, & Virginem permanere; haud facilè ſtatueris, quod alteri anteponas: *h* naturam ſuperant utraque, divina omnipotentia operatur utrinque; ſed hinc in virgine, unica, ſemel, ad breve tempus, unicâ in Palæſtina; inde verò operatur in homine ſacerdote, Angelo corporeo, terreſtri Deo: nec in uno, ſed in pluribus, ídq; ſæpiſſimè uſq; ad conſummationē ſæculi: ubiq; locorum, ab ortu Solis, uſque ad occaſum, juge Sacrificium operatur. Fuit in conceptione, Maria Mater gratiæ, gratia plena; ſed nullo per hoc ſpeciali charactere inſignita, ex cujus vi, & poteſtate plures tales productura foret, parerétque Filios. At ſacerdos in ſui inauguratione, divino in anima inſignitur charactere, quo & à cunctis ſegregatur Chriſtianis, & præ cunctis Angelis Deo devovetur, ejúſque poteſtas, víſque characteris, non ſolùm tempore æternabit; ſed & opere poſſet perennare cum perpetua potentia, ni Deus eam functionis executionem ad mortalium in terris officium, ætatémque contuliſſet. Cæterum compertum eſt, dignitatem Ordinis, ac poteſtatem conficiendi Corpus, & Sanguinem Domini, ac remittendi peccata, Deiparæ collatam non fuiſſe, ut fusè Theologi apud Chriſtophorum de Vega in Theolog. Marian. 1469. O mirabilis poteſtas ſacerdotum! ô inexplicabilis dignitas!

Hoc tamen Deiparam inter, & ſacerdotes intereſſe tenendum eſt, quòd in ſupradictis illam quidem hi ſuperare videantur; verum quod ad modum duntaxat, non quo ad ſubſtantiam facti. *i* Quia Virgo beatiſſima eſt eatenus Dei Mater ſubſtantialis, quod dederit illi eſſe verum hominem novum, ex ſe talem natum, qui ante fuit non homo; ſacerdos autem jam antè hominem Deum, facit exiſtere in ſacramento, ut non niſi anagogicè, quaſi Chriſti pater queat appellari. Itaque præcellunt in modo; in facto Deipara, eo quod ſacerdotalis operationis ſit fundamentum.

Alterū eſt, quod k *regale ſacerdotium*, ex eo quod *in ſacerdotum manibus Dei Filius incarnetur*, tanta dignitas ſit, ut Regiam, & Angelicam excedat, ac Divinæ comparetur. Quod Regiam attinet, Innocentius III. lib. 1. decre-

f ¶4. Excell. Sacerd. g Aug. lib. de dignit. Sacerd. h Nierenb. doct. aſc. l. 2 doct. 4. c. 24.

i Nierenb. cit. k 1. Petr. 2. v. 9. Dignitas, ac poteſtas ſacerd. Regiam, & Angelicam excedens.

tal.

tal. epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem, illa verba Geneſis 1. *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præeſſet diei; & luminare minus, ut præeſſet nocti*, ſic ad propoſitum noſtrum exponit: *l* quod imperium non præeſt, ſed ſubeſt ſacerdotio: per luminare porrò majus, nempe Solem, qui præeſt diei, myſticè ſacerdotem, qui regit immortales animos; per luminare minus, nempe lunam, quæ præeſt nocti, intelligi Regem, qui corporibus dominatur, & nocti hujus vitæ mortalis præeſt: *Ut quanta*, inquit, *eſt inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoſcatur:* Quantum igitur ſol lunam, & altitudine, & magnitudine, & pulchritudine, & agendi efficacitate antecellit, tantum Regi Pontifex, ac omnis ſacerdos anteſtat. Imò cùm ſacerdos divina operetur, ſimúlque præſit animo, rectè colligit idem Innocentius, quantum divina humanis, & animus corpori præſtat, tantum ſacerdotem Regi præcellere.

Hactenus oraculum ſummi Pontificis: quem ne pro ſeipſo magis, quàm pro Ordine loqui putes, è profanis Regibus unum producam, qui de profana, ſacráque Majeſtate quid ſentiat, audite. Is erat Rex Agrippa, qui ad Cajum Cæſarem ita ſcribit: *m Avos*, inquit, *proavóſque Reges habui; & ex his etiam aliquot ſummos Pontifices: quam illi dignitatem pluris faciebant, quam Regiam; rati, quantò Deus anteſtat homini, tantò Pontificatum Regno excellentiorem: ad illius enim curam, divinas res; humanas ad hujus pertinere*; & quamvis de dignitate Pontificia loquatur; tamen ratio excellentiæ, quam aſſignat, etiam convenit ſacerdoti, qui Rege terrena tractante, divinis incumbit. Atque his, aliiſque de cauſis, ſacerdotum honor lege divinâ ſancitus eſt: n *Honora Deum*, inquit Siracides, *ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes*; Græci legunt, *glorifica*; gloria autem eſt clara cum laude notitia; itaque Vatablus vertit: *Magnifacias ſacerdotes*; à quo non abludit Tigurina, qui eoſdem hic ſcribit *magnificandos eſſe*: idque ab imis, & ſummis, atque coronatis capitibus. In Regiis mentibus magnus ille de ſacerdotio ſenſus, ingens æſtimatio, demonſtratióque honoris olim inſedit, cujus argumenta ſpectavit omnis antiquitas, aureáque Conſtantini ſæcula, ipſóque imprimis auctore, cujus hoc pietatis, hoc demiſſionis eſt argumentum, dignum omni memoria. *o* Cùm ageretur Concilii Nicæni Synodus, ipſe religioſiſſimus Imperator, tamdiu pedibus inſtitit, donec omnes Patres conſediſſent, & *tunc*, ut hiſtorici verbis utar; *non aliàs ſedere ſuſtinuit, quam* SACROSANCTUS SACERDOTUM CHORUS, *annuiſſet*. Nec cæteris altiore ſolio, ſed ſede humili, ac depreſſa, etiam infra pedes, ac veſtigia ſacerdotum. Hæc Auguſtus, & pius Imperator, qui ſenſerat etiam Dominum ad piſcatorum, & initiandorum tantum pedes aliquando in

l Innocent. III. lib. decret. Antonin. 3. part. tit. 19. c. 1. §. 14. m Philo. Heb. lib. de legatione ad Cajum.

n Eccleſ. 7. o Praxes honorandi ſacerdotes. Acta Concilii Nicæn. & hiſt. tripart.

ge-

genua accidiſſe. *p* Sic Boleſlaus Poloniæ Rex coram ſacerdote nunquam ſedere voluit. Sed monet me Annæus Seneca, q *quoniam inſtruenda eſt vita exemplis, non ſemper confugiamus ad vetera*, recentiora videamus. Potentiſſimus Hiſpaniarum Rex Philippus II. verè Catholicus, *r* Regiam Majeſtatem incorrupta veneratione ſacris hominibus ſubmiſit, dum *Franciſcum à Puero* Jesu, licet viliſſimo loco natum, & religioſam ſervitutem apud Diſcalceatos Carmelitas profeſſum, ſed ſancta ſimplicitate admirabilem, coram ſe, ac Reginâ cibum ſumere voluit; Regióque curru ſecum extulit ſibíque eo facto plus honoris, quàm ſacerdoti contulerat eum venerando, apud Deum, & homines emeruit. Quod ſi tam illuſtria Imperatorum, ac Regum, ſacerdotalis venerationis teſtimonia, magnates, ac nobiles, perverſi noſtri ſæculi, quo ſacerdotes, imò & Antiſtites contemptui ſunt, non commoveant; ruborem illis incutiat, vel ipſa gentilium, ac barbarorum Regum de hoc ſacro ordine æſtimatio. *ſ* Japoniis præſertim Regulis, gladium neque etiam dum dormiunt, deponere, apud eos mos eſt, nec ferrum reliqui, niſi ante Regem ponunt, ſummæ venerationis argumentum. Advenerat Coſmus Turrianus Societatis Jesu, & nulla re, niſi ſacerdotio, virtutúmque Apoſtolicarum commendatione ſpectabilis Hoc ſatis habuit præpotens Rex Omuræ, ut ſumma veneratione proſequeretur; numquam ad illum adibat, quin præ cubiculi foribus pugionem à latere ſolveret, & exarmatus intraret. *t* Huic minimè conceſſit Franciſcus Bungi Rex, qui adhuc Japonicarum ſuperſtitionum tenebris obrutus, Xaverium pannoſum, & ſqualidum, ut ad ſe adventantem audivit, aulicos, milites prætorianos, ſolenni pompâ venienti occurrere, & ipſe in occurſum progredi, & ſecum aſſidere, & poſitæ dapis particulam more gentis ſua manu porrigere, & adverſus Bongiorum inſolentiam tutari voluit. At nunc, ô tempora! ô mores! omnia perverſa ſunt: nunc in publicis congreſſibus, in ſacris ædibus, in publicis ac privatis menſis, primus honos divitibus, ſplendidis indutis, nobilibus, potentibus ſæculi, dignitatibus ac titulis ſæcularibus turgidis confertur: viris infulatis longè illis poſthabitis, Sacerdotibus, Eccleſiæ Paſtoribus, ad infimum convivii locum detruſis; aut ad famulos amandatis. Magna certè ſtoliditas, imò deteſtanda inſania, ac execranda perverſitas, plus honoris deferre ancillæ, pediſſequæ, quàm ipſi Dominæ: primas, ac ſummum locum cubiculario, aut Secretario in capite menſæ, neglecto aut poſtpoſito Principe aſſignare. Is abuſus, & longè gravior, ac deteſtabilior indies contingit, dum ſæculares Domini, quin & vanæ, & vagæ amaſiæ, Chriſtis Domini præferuntur: & Sacellani de ſorte Domini, inter lixas, & caculas habentur, nec ullo apud Toparchas ſuos loco, aut

p Cromerus l.2. hiſt. Poloniæ. q Seneca Ep 83. r Ioan Rho variæ virtutum hiſt. l.4. c.7. ſ.3. In vita Franc. de Sales, c.48. Ioan. Nadaſi Annus Angelicus pag. 262.

ſ Rho.cit. noſtra, §.24. t Rh. cit. §.5.

nume-

numero ſunt. Hinc ſuam laudabilem libertatem deſumpſit Leontius Lydiæ Epiſcopus, v qui, ut refert Baronius, accerſitus ab Euſebia Auguſta, faſtuoſa muliere, reſpondit: *Si me ad te venire volueris, debita Epiſcopis reverentia ſervata, ego quidem ingrediar; tu autem ſtatim de ſublimi iſto ſolio deſcendens, reverenter mihi obviam procedas, & caput meis manibus ſupponas, benedictionem acceptura: ac deinde ego ſedeam, tu reverenter adſtes, cùm juſſero, dato ſigno ſeſſura; ſi hæ tibi conditiones placuerint, veniam ad te; ſin alio modo, non tam multa dabis, ut nos honore Epiſcopis conveniente neglecto*, DIVINI SACERDOTII *inſtitutum violemus.* Hunc verò honorem, ac reverentiam, non ſibi ſacer Præſul faſtu aliquo, aut inani gloria ductus ambiebat; ſed Ordini, ac dignitati ſacerdotali exhibendum, ſeculares Principes, ac Magnates docere voluit. Conſimili libertate noſtris temporibus uſus illuſtriſſimus Archipræſul Mechlinienſis Matthias Hovius, qui rogatus à Sereniſſimo Archiduce, menſæ benedicere, cùm accumbere non juberetur, poſtero die rurſum rogatus, reſpondit: Sereniſſime Princeps: *Ubi non manduco, non benedico*, quo libero, & religioſo dicto Princeps edoctus, eum ſibi aſſidere voluit; qui honor omni ſacerdoti, præ laicis jure debetur, ut ſanctiſſimus Præſul Turonenſis ſuo exemplo tradidit. *Divus Martinus* ab Imperatore *maximo* menſæ adhibitus, x oblatam ſibi à miniſtro pateram, honoris ergo, primum *Martino* dari juſſit, ratus quòd eam deinde ex ipſius manu eſſet accepturus; at ſecus accidit: ſacellano etenim ſuo eam tradidit, ut vel eo doceret ſacerdotalem dignitatem, etiam regiæ anteferri oportere; nec minor apud Imperatricem ejus valuit auctoritas, quæ ſæpius repulſam paſſa ægrè tandem à S Præſule obtinuit, ut menſæ ſuæ vel ſemel aſſideret. Hic Imperatrix ipſa menſam illi ſternere, aquam manibus affundere, cibos coquere, potum præbere, & ſedente *Martino*, illa ſtare, ac miniſtrare. Denique à menſa, fragmenta panis, micáſque colligere, & reliquias illas Epiſcopalis cœnulæ, imperialibus epulis anteponere.

Quid ad hæc novi homines, primi thoracis nobiles, qui dum relicta officinâ, & mercatura, conquiſitis facultatibus ſibi titulos, toparchias, & nobilitatem emerunt, viros religioſos, ac ſacerdotes deſpiciunt, non dico convivio, ſed ne pileo dignantur. Quid ad hæc vani illi, & inſani Philoſophiæ, ac Juris tirunculi, qui ubi manum ferulæ ſubduxêre, hoc ipſo gloriantur, quod tecto capite, plumis ſuis multò leviores ſacerdotes prætereant. y Legatus Turcicus cùm coram Principe tectus ſtaret, hanc irreverentiæ pœnam tulit, ut tribus clavis, cydaris capiti ejus affixa fuerit; ſi pilei eorum, qui dum tecti ſacros myſtas alloquuntur, aut tranſeunt, capiti clavis ferreis per tempora adactis affigerentur, quàm prompti hi leviculi forent, ut ſalutarent: qui hac pœna longè digniores ſunt, quàm Legatus, coram laico Principe tectus conſiſtens;

v Baron. Tom. 3. An. Chriſti 325. n. 16. ex Suida & Euſtorgio. x Severus Sulpitius in vita c. 23. Baron. An. Chriſti 386.

y Pennequin, amour divin.

cùm

cùm ipſi Angeli, & cœlites ſacerdotum dignitatem longè ſupra ſuam proni venerentur, ut ex dicendis patebit.

Audîſtis quo in loco apud mortales fuerint ſacerdotes; z audite quo in honore apud immortales. Movet divus Chryſoſtomus illam quæſtionem, cur ſtella Magos Reges, ad Chriſti cunas duxerit? cur deinde ab iis reduxerit non ſtella, ſed Angelus? reſpondet, illud dignitati Regiæ, hoc ſacerdotali majeſtati, ac ſanctimoniæ fuiſſe conceſſum. Reges venerant, redierant ſacerdotes, quibus nobiliorem comitatum, quàm Regibus præſtare oportebat: a *Nec jam ſtella*, inquit, *eos, ſed Angelus ſuſcipit: quia ſcilicet adorando facti fuerant ſacerdotes, cum ſupplicatione etiam muneribus oblatis*: Ita Regibus obſecuta eſt ſtella, ſacerdotibus Angeli, magnæ illæ mentes, & ſupremæ cœlorum intelligentiæ; ut ex eo conficias, quantum ſtellas inter, & Angelum intereſt, tantum Regem inter, & ſacerdotem differre. Ad hoc ipſum diſcrimen revocari poteſt & illud, in cœlis Seraphinos, famulantium more ſtare coram Deo ſuo, ut eos olim vidit Iſaias: b *Seraphin*, inquit, *ſtabant*; & Danielis 7. *centena millia aſſiſtebant ei*. At Apoſtoli, & ſacerdotes etiam in cœlis cum Deo ſedere dicuntur. Teſtor illud Chriſti apud Evangeliſtam oraculum: c *Cùm ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim*. Stare famulorum, ſedere dominorum, & in hoc etiam beatis mentibus ſuperiores. Unde nec ſacerdotibus deferre erubeſcunt, ut celebre illud factum declarat in vita *B. Franciſci de Sales*, magni Præſulis: hujus confeſſarius Dequœzus, etiamnum in juvenili ætate, tutelari ſuo genio adeò familiaris, ut eum aſpectibili, & amabili ſpecie præſentem ſibi ubique cerneret; ita reverebatur, ut ſive ingrederetur, ſive egrederetur, ſive procederet, ſemper illi primas deferret, & primum locum cederet, quod officii beatus Genius aſpernatus non eſt. At poſtquam Dequœzus cœleſti ſacerdotis honore ornatus eſt, præire ſacerdotem noluit, neque id genus officii admiſit à familiariſſimo, urbaniſſimoque cliente. Id ex Angelo Apocalyptico confirmari videtur, qui Joannem ſe adorare noluit, prohibuítque his verbis: d *Vide, ne feceris; conſervus tuus ſum*, idque propter dignitatem ſacerdotalem; quia indecens quodammodo cenſeretur, ut qui manibus Deum præferunt, Angelorum pedibus ſubſternantur, ut e Ferrarius, Viegas, Mendoza. Quis non probandum, laudandum, imitandum duxerit, ſenſum *Seraphici Patris Franciſci*? quem teſte Bonaventurâ, ſolitum dicere audio: ſi eadem viâ pauperrimo ſacerdoti, & cœleſti genio, aut cuivis divo, non ſacerdoti, adeóque ſi S. Ioannii Baptiſtæ occurriſſet, ſe ſacerdoti primum, & ampliorem honorem exhibiturum. Quod qua ratione intelligendum, vide Hautin *f*. Probari denique hæc dignitas, ac poteſtas

z Dignitas, ac poteſtas ſacerd. ſuperat Angelicam, ac etiam Sanctorum.
a Chryſoſt. hom. 7. in Matth. b Iſaiæ 6. v. 2. c Matt. 19. v. 28.

d Apoc. 19. v. 10. e Ferrarius, Viegas hic. Mendoſa, l. 1. reg. c. 2. annot. 19. ad litt. ſect. 2. in vita. f Hautin. de Euchariſt. pag. 337.

ſtas ſacerdotalis poteſt ex eo, g quod nec in terris, nec in cœlis major reperiatur, adeóque ipſi æterno Numini quodammodo comparetur.

S. Ambroſius vocat ſacerdotes, h *Domini Vicarios.* Sanctus Ignatius, i *Divinorum bonorum œconomos, ſociósque Dei.* Clemens Romanus, k *terreſtres Deos*, quia in aliquam Dei ſimilitudinem, Numinis communionem, & poteſtatis communicationem admiſſi, humanam quaſi exuiſſe videntur. Nôſtis enim illud primæ Veritatis teſtimonium: l *Ego dixi, dii eſtis.* Et *ipſe Deus ſtetit in Synagoga deorum,* id eſt, ſacerdotum. Quam nominis majeſtatem agnovit etiam magnus ille ab Areopago Dionyſius, dum dixit, m *quod Pontifex* DEUS FIAT, *inter homines divinus, & numine ſacroſancto plenus.* Quę perſuaſio non tantum ab Eccleſia, viríſque ſanctis recepta ex pio quodam exceſſu mentis, guſtúque divinorum; verùm etiam ad barbaros uſque dimanavit, eorúmque animos auguſta quadam illius ordinis majeſtate commovit. Nicephorus, gravis Auctor, ſcribit, n Theotimū, Scythiæ Epiſcopum, à virtute, & mirifica dignitatis amplitudine, in ea fuiſſe opinione, ut paſſim ab Hunnis appellaretur Deus Romanorum. Quis igitur non videat, ſic exaltari, & honorari, quoſcumque voluerit Deus ſic exaltari, & honorari? ut Jeſſæus Propheta dixerit: o *Secundum altitudinem tuā Deus, multiplicâſti Filios hominum*; ubi ad rem noſtram Chryſoſtomus: elevaſti, extuliſti. Ut non videatur mirandum, quod de ſacerdotio dixit Iſidorus Peluſiota: p *Eſſe divinum quoddam, & omnium, quæ inter homines expetuntur, velut extremam metam.* Ut ſi parentes habeant filios, atque de iis deliberent, ad quid officii, vel dignitatis illos vel prece, vel pretio apud magnates promovere queant, nôrint omnium, quæ *inter homines expetuntur, velut extremam metam eſſe*, q filium habere ſacerdotem; quod non plebeiis, ſed nobilibus, ac Regiis domibus ſummo ſolatio, & gaudio fuit, ut pluribus poſſem demonſtrare.

Ex hactenus dictis patet, ſi ea ſit poteſtas, dignitas, excellentia ſacerdotum, ut omnem omnium Ordinum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Confeſſorum, & Angelorum præcellat, atque ipſi Dei Matri comparetur, r qua puritate, munditia, ſanctitate myſta Dei præditus eſſe debeat. Præclare hoc de argumento B. Petrus Damiani: ſ *Si Redemptor noſter tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modò de virgineo utero naſceretur; ſed etiam à nutritio Virgine tractaretur, & hoc cùm adhuc parvulus vagiret in cunis; à quibus nunc obſecro tractari vult corpus ſuum, cum jam immenſus regnat in cœlis? ſi mundis manibus attingi volebat in præſepio poſitus, quantum nunc corpori ſuo vult adeſſe munditiam, jam in paterna Majeſtatis gloria ſublimatus?* animam ſolaribus radiis puriorem,

g Excell. ſacerd. divina, & Deo ſimillima. h S. Ambr. in c. 11. ad Cor. i S. Ignat. Epiſt. ad Poly. k Clem. Roman. conſtit. Apoſt. l. 2. c. 26. l Pſ. 81. m Dionyſ. de Eccl. Hierarch. c. 1. n Nicephor. l. 12. c. 15. o Pſal. 11. v. 9.

p Iſid. l. 2. Ep. 52. q Barrii ſolitud. r Quanta debeat eſſe puritas ſacerd. ſ Petr. Damian. l. 1. c. 6. Aguado de V. ſacram. pag. 320.

hu-

humanæ nil fæcis habentem, ſacer ille Antiochenus Præſul requirit: t *Quo non oportet eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio, quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc dividentem? os quod igni ſpirituali repletur? lingua quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? cogita quali ſis inſignitus honore, qua menſa fruaris: quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde ſplendorem: hoc nos paſcimur, huic nos unimur, & facti ſumus unum Chriſti corpus, & una caro.* Angelicam omnem, atque ipſam Dei Matris (ſi poſſibile eſſet) puritatem, gratiam, ſanctitatem, ut ſacerdos excederet, non dignus haberetur ad hoc tam divinum peragendum myſterium. Fuit ſanctiſſima Virgo à noxa orginali, & ab omni nævo actuali libera: gratiâ uberiori, quam omnes Sancti ſimul præventa: præ ipſis Angelicis ſpiritibus puritate, & ſanctitate eximia: innumeris donis cœleſtibus prævie quam Dei Filium conciperet locupletata; ut quid nihilominus in myſtico cantico *Te Deum laudamus* (quod teſte D. Gregorio v Ambroſius & Auguſtinus prolocuti ſunt) dicitur: *Tu ad liberandum ſuſceptaurus hominem, non horruiſti Virginis uterum?* x Quis horror, ô Domine, in divinam tuam cadere poterat puritatem, ne uterum Virginis intrares, cœlo puriorem, paradiſum deliciarum, ad cujus pulchritudinem ſol & luna, omnésq; cœli faces obtenebreſcunt? quam tibi nauſeam parere poterat hujus puriſſimæ ſanctiſſimæq; Virginis ineffabilis munditiei, cui cedere debent puriſſimæ cœlitum mentes? tamen in comparatione infinitæ Dei puritatis, cum qua nulla in creatis poteſt inſtitui comparatio: atque ſuppoſita infinita Dei immenſitate, quam cœli cœlorum non capiunt, horrorem adferre poterat, quod in locum adeò exiguum, & tenebroſum introiret. Idque in laudem Virginis decantat Eccleſia, ut prærogativas ejus extollat; quod quem cœli capere non poterant, ſuo utero concluſit. Tum ut nos commoneret, qua mentis puritate, quo animi, corporíſque nitore excellere debeamus, ut Dei Filius non horreat in ſinum cordis noſtri introire.

t Chryſoſt. hom 60 ad popul.
v Gregor. l 3. dialog. x Lanza de Euchariſt. hom. 2. §. 8.

Sed quid miri, tantam requiri puritatem in Chriſti ſacerdotibus, cùm vel ipſi Ethnici, & gentiles eam in ſuis ſuſpectârint. Unde caſtos antiquitas ſacerdotes (videant, & invideant heterodoxi noſtri) appellavit:

y *Quique ſacerdotes caſti, dum vita manebat.*

Et Ovidius de ramo quo ſacerdotes coronantur:

z *Qui cæſus ab arbore pura*
Caſta ſacerdotum tempora fronde tegit.

Jovis ſacerdotes in creta caſtam duxiſſe vitam, teſtatur Euripides apud Porphyrium lib. 4. de abſtinentia. Unde idem Poëta:

a *Caſtus Jovis æde ſacerdos.*

Quantò æquius, ut legis novæ ſacerdotes, b *in quorum manibus Dei Filius incarnatur*, puri, caſti, mundi ſint, oculis, linguâ, manibus, mente, & corpore. Quare ſacerdotes cœlibes, quaſi cœlites

y Virgil. l. 6. Æneid. z Ovid. lib. 2. faſt. a Idem lib. 1. faſt. b Auguſt. cit.

appellantur, ut loquitur Euſebius Cæſarienſis : c *Ab hac mortali vita ſejuncti, ipſum dumtaxat corpus in terra gerentes; cogitatione verò & animo, in ipſo cœlo degentes, quaſi quidam cœlites, reliquorum hominum vitam deſpiciunt : quippe qui pro univerſo genere ſupremo omnium Deo ſacrati ſunt.* Hinc factum, ut quaſi divinos homines, & terreſtres deos, eximiæ ſanctimoniâ animæ ſacerdotes veneratæ ſint. Tales exſtitêre d S. Hedwigis, Duciſſa Poloniæ. S. Eliſabetha Regina, B Maria d'Ognies, Maria de Raggii, S. Thereſia, S. Catharina Senenſis, quæ veſtigia ſacerdotum exoſculabantur; hæc porrò ita à Patre æterno edocta eſt : e *Quæcumque reverentia ſit ſacerdotibus, non eis, ſed mihi ſit, ex virtute unigeniti Filii mei, quem eis ego commiſi miniſtrandum.* Et ſtatim ſubdit : *Quare propter hujuſmodi miniſterium, eſtis compulſi, reverentiam eis exhibere.* Nec minus reverentiæ, ac venerationis ſancta Radegundis oſtendit, dum ipſum pavimenti Altaris pulverem, quem ſacrificantis pedes contactu ſuo quodammodo conſecraſſent, pretioſiſſimis ſuis deterſum veſtibus, atque collectum ſeorſim à ceteris ſordibus, ut rem ſacram locavit, ne profanaretur. Quæ omnia nemo quiſquam nimis Religioſa duxerit, ſi attenderit, ſacerdotem uno ſacrificio plus gloriæ conferre, f quàm ſi mille matres Chriſti, & mille mundos cum infinitis Angelis ad Deum laudandum produxerit. Quæ de ſublimi ſacerdotum, cum Dei Matris excellentia ſupra dicta ſunt, quadam etiam ratione, g ad eos omnes ſpectare videntur, qui, dum ſacra ſynaxi reficiuntur, ſacratiſſimum corpus impaſſibile, immortale, glorioſum, intra cordis ſui ſinum recipiunt, quod Deipara paſſibile, vulnerabile, mortale, virgineo ſuo utero geſtavit. Ad quod myſterium referri poſſunt, quæ divinus vates cecinit : quia h *creavit Dominus novum ſuper terram, fœmina circumdabit virum* : anima enim ſancta, & Sponſa Chriſti per hoc ſacramentum circumdat Filium DEI; in hoc quippe, inquit eruditus Scriptor, i ſimiles ſunt ii, qui Chriſti Corpus ſuſcipiunt, Beatiſſimæ Virgini Mariæ, Matri Dei; de qua hic locus potiſſimum exponitur, quia quem cœli capere non poſſunt, ſuo pectore, & gremio circumferunt, & circumdant. Ideo Remundus eremita ait : k *Benedicta ſit devotiſſima fides hujus Beatiſſimæ Genitricis, quæ in Altaris Sacrificium dimiſit tam pulchram ſimilitudinem de ſeipſa.* Cùm Deus homo factus eſt, divina virtute, puriſſimus Virginis ſanguis & caro in Chriſti Corpus commutata ſunt; at in ſumptione Euchariſtiæ, quod non minus ſtupendum, noſtra caro, divina metamorphoſi, in Chriſti carnem & ſanguinem convertitur, quod prima Veritas Auguſtinum edocuit : l *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me:*

c Euſeb. Cæſarienſ. lib. 1. demonſt. Euang. c. 9. d In vita Boſius lib. 20. de ſignis Eccl. cap. 5. e Catharin. Sen. in dialog. Tract. 3. c. 116. f Hautin. de V. ſacram. num. 538.

g Qua ratione etiam communicantes ſimiles Deiparæ, Chriſtum in pectore geſtant. h Hierem. 31. v. 22. i Euſebius Nierenb. doctrinæ aſcet. l. 2. doct. 4. c. 21. k Remund. erem. lib. de laudib. Virg. l Auguſt. lib. 7. conf. c. 10.

nec

nec tu me in te mutabis, ſed tu mutaberis in me. Divinè, ut addecet, hoc myſterium pertractans Nierenbergius, mirum hîc arcanum expendit: *m* in aliis Sacramentis & gratiis, inquit, homo unus Spiritus fit cum Deo, in hoc etiam una caro cum JESU: tantâ unione, ut ſubſtantialis, naturalis, & realis à Patribus & Doctoribus dicatur, ut jam ſim, unus tecum, & reſpiciam, & venerer ut carnem participem carnis tuæ, ſimulque duo in carne una: & glorier ego, dicens: ego nunc caro Chriſti, & os ex oſſibus JESU. Sacramentum hoc magnum eſt, in Chriſto, & Eccleſia; per illud myſterium, ut loquitur Cyrillus n *concorporei* ſimus cum Domino gloriæ, Filio Dei, & Mariæ, juxta illud Pauli: † *Unus panis, & unum corpus ſumus, omnes qui de uno pane participamus:* o per hunc enim omnes in unam veluti hypoſtaſim perfectam inſerimur, & veluti incorporamur, ait Leſſius; ſicut partes alimenti convenienter intus applicitæ, per meatus naturæ incorporantur nobis, unáque fiunt hypoſtaſis nobiſcum. Ita Chryſoſtomus: p *Semetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperavit, ut unum quid ſimus, tanquam corpus capiti coagmentatum: ardenter enim amantium hoc eſt*; ut non injuria, quivis ab hac menſa recedens, queat illud integerrimæ virgunculæ Agnetis uſurpare: *Nunc corpus ejus, corpori meo ſociatum eſt, & ſanguis ejus ornavit genas meas.* Atque huc ſpectavit Iſidorus Peluſiota, cum docuit, q *communionem* appellari, propter *conjunctionem cum Deo*; quæ profectò tam excellens, tam divina eſt, ut amplioris beneficii loco numerare debamus, *r* quod carnem ſuam optimus *Jeſus* noſtræ ſic conjungat, quàm quòd naturam humanam hypoſtaticâ unione ſibi copulârit. Nam hoc beneficium, ſi præciſè ſpectes, maximè ad Sacroſanctam Chriſti humanitatem pertinet; quippe quæ hoc pacto ad eſſe perſonale divinum evecta ſit, & omnium bonorum effecta particeps; cæteris verò omnibus communiter decus tantummodo contulit, & dignitatem; hîc autem Euchariſtico illo vinculo, ſingulis non modò conjungit ſeſe, ſed & divinitatem obligat, ad procurandam corporibus noſtris, multóque magis animis felicitatem. Piè pariter ac doctè hoc argumentum tractat Jacob. Gornicius, in exercitiis paſſionis; qui ubi omnes Chriſtianos impenſè concitavit in hujus admirationem charitatis, hanc ſubinde cauſam reddit, hiſce verbis: *Quamvis enim magnum, & admirabile opus fuerit*, inquit, *quod Deus Omnipotens humanam aſſumere naturam, noſtróque mortali contegi ſacco dignatus eſt; hoc tamen opus cuncta illius opera multis poſt ſe reliquit intervallis. In illo námque opere, noſtram in ſe recepit humanitatem: in iſto verò ſuam no-*

m Nierenb. de adoratione in Spiritu lib. 3. cap. 11. n Cyrillus Ieroſol. catecheſi. 5. † 1. Cor. 10. o Leſſius de perfect. divinis lib. 12. cap. 15. p Chryſoſt. hom. 61. ad pop.

q Iſidor. peluſ. lib. 1. Epiſt. 228.
r Synaxis majus eſt beneficium in ſingulos, quam quod Chriſtus naturæ humanæ ſe copularit.

bis

bis largitur divinitatem humanitati conjunctam, atque unitam, ut eam intra nos ſumamus: in illo noſtram ipſe humanitatem; in iſto ejus nos induimus divinitatem. O quis infinitam abyſſum altiſſimæ charitatis hujus ullo poſsit intellectu contingere, quam Deus nobis in hoc ſublimi, & admirabili voluit declarare Sacramento? hæc animo ruminans Sanctus Godefridus, Præſul Ambianenſis, Angelicam puritatem in celebranda Miſſa præ ſe tuliſſe fertur, ídque ea præcipuè de cauſa, quòd myſterium incarnati Verbi tum perpenderet: quod ſemel cum una humanitate, in utero Virginis ad redemptionem generis humani pertractatum eſt; Euchariſticum verò indies & ubique. Ideo Laurentius Juſtinianus Serm. de Euchariſtia: ſ *non minus*, inquit, imò amplius *pro ſanguinis poculo, quàm pro redemtionis debes pretio. Semel pro te datum eſt pretium: ſed poculum quotidie conſecratur*; ídque non uno Nazarethi virgineo cubili, ſed orbe univerſo, atteſtante Propheta: t *Ab ortu Solis uſque ad occaſum, in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*; quod expendens Paſchaſius lib. de Corp. & Sang. cap. 4. *Chriſtus* inquit, *qui paſſus eſt* SEMEL, *quotidie ſuper altare immolatur*, quotidie animæ, & corpori noſtro unitur, & *unicuique fidelium Chriſtus ſemetipſum per myſterium commiſcet* v. Quid, quod frequenter communicando, verbum incarnatum diutius in corpore noſtro ferre poſſimus, quàm Dei Mater, quæ novem menſibus illud in utero geſtavit. Novem menſes complectuntur dies 275. horas 6600. quadrantes 26400. x Species autem ſacramentales cum dicantur ad horæ quadrantem perdurare, ille qui 72 annis & 4 menſibus vixerit, ac indies hoc epulo refectus fuerit, adæquabit tempus Deiparæ: qui frequentius, etiam tempus novem menſium exſuperabit; quod privilegium facilè ſacerdotibus contingit, qui indies ad aram ſub ſpeciebus panis, & vini, diutius perſeverantibus, faciunt. Ex quibus omnibus rectè conſequitur, homines ſæculares, cujuſcumque dignitatis ſint, Sacerdotibus omnem reverentiam, & venerationem præſtare debere; quod ſi humanitus fortè, ex tam Sacro Ordine labi contingeret, caſum ejus potius flere, & crimen tegere, quàm propalare ſtudeant, juxta illud Exodi 22. y *Diis non detrahes*, id eſt ſacerdotibus, ut interpretatur Gregorius, Cyrillus, & Theodoretus. Hoc inculcat Hieronymus: (y) *Abſit ut de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradu ſuccedentes, Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt, per quos & nos Chriſtiani ſumus: qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant.* Hinc piiſſimus Imperator Conſtantinus dicere ſolitus: ſi ſacerdos aliquis ſcandalnm committeret, ſe purpura injecta illud tecturum. At ne ſcandalo ſint, ad aliud nunc extremum devolvor.

Si quantò major ſacerdotum dignitas, hoc & major puritas, & ſancti-

ſ Laur. Iuſt. Serm. de Euchar. t Malach. cap. 1. v Chryſoſt. hom. 83. in Matth.

x Lugo diſp. 20. de Sacram. Eucharistia. pag. 387. y Exodi. 22. v. 28. (y) Pædagog. Chriſt. tit. Sacerd.

ſanctitas requiratur; patet quàm immane ſacrilegium ſit, z ab impuris ſacerdotibus, ſacrilegis manibus hæc ſancta tractari, juxta illud:

a Omne animi vitium, tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò qui peccat, major habetur.

Conferet hic audire invectivam illam Hieronymi, qua Sabinianum jure perſtringit, qui in Eccleſiam, ubi quondam præſepe Dominicum fuerat, irruit temerarius, non ut Sacrificium offerret, ſed ut ſacrilegium perpetraret; in quem ſic detonat graviſſimus Doctor. b *Samuel quondam lugebat Saulem, quia pœnituerat Dominum, quod unxiſſet eum Regem ſuper Iſraël: & Paulus Corinthios, in quibus audiebatur fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes quidem, voce flebili commonebat: ſi hoc Propheta, & Apoſtolus, nulla ipſi labe maculati, clementi in cunctos mente faciebant, quantò magis ego ipſe peccator in te debeo facere peccatore, qui non vis erigi poſt ruinam, nec oculos ad cœlum levare; ſed prodita Patris ſubſtantia, porcorum ſiliquis delectaris: Deum ventrem vis habere pro Chriſto, ſervis libidini, gloriaris in carne, & confuſione tua, & quaſi pinguis hoſtia, in mortem propriam ſaginaris, imitariſque eorum vitam, quorum tormenta non metuis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te hortetur.* Et paulò pòſt, inſolito quodam divinæ eloquentiæ non tam flumine redundans, quàm fulmine excandeſcens: c *Infeliciſſime*, inquit, *mortalium, tu ſpeluncam illam, in qua Dei Filius natus eſt, & veritas de terra orta eſt, & terra dedit fructum ſuum, de ſtupro condicturus ingrederis? non times ne de præſepi infans vagiat, ne puerpera Virgo te videat, ne Mater Domini contempletur? Angeli clamant, Paſtores currunt, ſtella deſuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hieroſolyma turbatur: & in cubiculum Virginis, decepturus Virginem irrepis? Paveo miſer, & tam mente, quàm corpore perhorreſco, ponere tibi volens ante oculos tuos, opus tuum.* Tum hujus turpiſſimi Apoſtatæ omnes laſciviæ technas, & ſacrati capitis fœdas lenonis illecebras proſequitur dicens: *Tu inter oſtia quondam præſepis Domini, nunc Altaris, amatorias epiſtolas fulciebas, quas poſtea illa miſerabilis, quaſi flexo adoratura genu, inveniret, & legeret. Et ſtabas deinceps in choro pſallentium, & impudicis nutibus loquebaris.* His enaratis, in ſacrilegum illum exclamat; & ego in illi conſimiles: *Prô nefas, non poſſum ultrà progredi. Prorumpunt lacrymæ antè, quam verba, & indignatione pariter ac dolore, in ipſo meatu faucium, ſpiritus coarctatur. Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ? ubi torrens fluvius Demoſthenis? nunc profectò muti eſſetis ambo, & lingua veſtra torpeſceret. Inventa eſt res, quam nulla eloquentia explicare queat: repertum eſt facinus, quod nec mimus fingere, nec ſcurra ludere, nec Attellanus poſſit effari.* Quaſi diceret, ceſſit eloquentia malitiæ: nam neque in roſtris, ubi res figuris augentur, & amplificantur: neque in Theatris, ubi majora veris finguntur, hoc ſacrilegium adeò indignum ſatis poteſt repræſentari. Petrus Bleſenſis Serm. 38:

z Contra ſacrilegos Sacerdotes, & Apoſtatas. a Iuven. ſat 8. b Hieron. ad Sabinian. Epiſt. 48. c Hieron. ep. ad Sabinianum.

Quicumque ad Altare Domini accedit inquinatus luxuria, juxta Filium Virginis, idolum ponit Veneris; qui ſacra illius verba Sacramenti, ore immundo profert, in faciem Salvatoris ſpuit, & cum in os immundum ſanctiſſimam carnem imponit, eam quaſi in lutum platearum projicit. Quis non factum illud Adriani Imperatoris prorſus ſacrilegum deteſtetur, qui, ut antri Bethlemitici, ubi divinus infans vagiit, religionē demoliretur; in eo ſtatuam Adonidis erexit? d *ut inſpecu* (loquor cum Hieronymo) *ubi Chriſtus parvulus vagiit, Veneris amaſius plangeretur.* Nunc verò in templis, ubi Deus noſter non per menſes aliquot, ſed annos, & ſæcula corporaliter requieſcit, impuris, ac ſacrilegis Sacerdotum manibus, in quibus rurſus incarnatur, contrectari, quis præ indignitate hoc tam immane flagitium ſatis exhorreſcat? Tertull. lib. de idololatria c. 7. loquens de iis, qui idola fabricabant, & corpus Chriſti conſecrabant: *Prô ſcelus!* exclamat, *ſemel Judæi Chriſto manus intulerunt, iſti quotidie corpus ejus laceſſunt. O manus præcidendæ!* Altius, altius hîc exclamandum in ſacrilegos ſacerdotes, qui manus ad illicita extendunt: O manus præcidendæ! qui oculos in ſpeciem mulierum conjiciunt! ô oculi eruendi! qui ſermones laſcivos effutiunt: ô linguam evellendam! qui cogitationes, & prava deſideria corde fovent: ô cor configendum! neceſſe quidem, ut veniant ſcandala; ſed hanc cerbeream ſacerdotum ſpumam, hos Eccleſiæ infames abortivos, obviis ulnis hæretici excipiunt, primariis cathedris præficiunt ſuos Paſtores, & Doctores, qui ſacro & incredibili charactere inſigniti, fornicariis meretricum (quas vocant uxores) amplexibus ſeſe turpiter, ac ſacrilegè innectunt: e *Neſcitis*, inquit Paulus, *quoniam corpora veſtra, membra ſunt Chriſti? tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? abſit?* Quæ verba Doctor Africanus pro rei indignitate graviſſimis verbis exaggerat: f *Non dicat in corde ſuo, peccata carnis non curat Deus. Neſcitis, inquit Apoſtolus, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?*

Sed fortè ait aliquis: templum Dei, animus meus eſt, non corpus meum; infelix interpretatio, punienda cogitatio. Vis nôſſe apertam ſententiam. neſcitis, inquit idem Apoſtolus, quia corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritus Sancti? jam non contemnatis corporalia peccata. Jam vide quid facias de templo Dei. Si eligeres in Eccleſia facere adulterium intra iſtos parietes, quid te eſſet ſceleratius? modò autem tu ipſe es templum Dei. Vide ne offendas templi habitatorem, ne deſerat te, & in ruinam vertaris. Sed fruſtra omnes Apoſtoli, Hieronymi, Auguſtini, aliorúmque Patrum ſeveriſſimæ commonitiones, teſte Euſebio, qui ait g *Nulla certè in mundo tam crudelis beſtia, quàm malus ſacerdos. nam corrigi non patitur, neque veritatem unquam audire poteſt, & ut breviter dicam, omnes præeminet malitia.*

Ad cœleſtes itaque comminationes, & æterna, quæ eos manent ſupplicia convertamur, ſi fortè

d Hieron. ep. ad Paulin.

e 1. Cor. 6. v. 15. f Aug. Serm. 16. de verbis Dom. g Euſebius ep. ad Damaſum: de morte Hieronymi.

iis percellantur. Recurrat animo præceptum, quod olim priſcis Sacerdotibus traditum eſt: h *Omnis homo qui acceſſerit de ſtirpe veſtra, ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt Filii Iſraël Domino, in quo eſt* IMMUNDITIA, *peribit coram Domino*; quæ Seleucienſis Antiſtes baſilicè expendens, ait: i *Si tales minæ adverſus eos poſitæ ſunt, qui temere ad ſacra accedunt, quæ ab hominibus ſacrificantur: Quid dicendum eſt de eo, qui in tantum, ac tale myſterium* (ut eſt Euchariſticum) *temerarius eſt*, & ſacrilegus? & ſtatim ſubdit, quod c. 2. diſertè aſſeruerat: *Tantò ſceleſtiorem eſſe eum, qui nunc impurus Chriſti Domini Corpus ſacrificat, quàm illum, qui olim ſanguinem arietum, & taurorum immolabat, quantò Chriſti Domini Corpus excellentius eſt, quàm arietes, & tauri.* k Si ille qui Sacrificia taurorum immundus attigerit, perierit coram Domino; quomodo non tantò ſceleratior ſacrilegus Sacerdos in æternum peribit? ſi fornicatores, & adulteri, cœlo excludendi, & inferorum ſuppliciis excarnificandi; quid de his ſentiendum putatis? Ediſſerat Pontifex Maximus Innocentius III. l *Turpe dictu, ſed turpiſſimum actu, dici liceat, ut agi non libeat. Quidam nocte Filium Veneris agitant in cubili, manè Filium Virginis offerunt in Altari. Nocte Venerem amplexantur, manè Virginem venerantur. At ſi verum eſt, imò quia verum eſt, quod dicit Apoſtolus, fornicatores, & adulteri Regnum Dei non poſſidebunt.* Cúmque Sacerdotis dignitas ſuprema ſit, neceſſe eſt, ut eorum peccata graviſſima cenſeantur, nec ullo ſuppliciorum genere ſatis dignè expientur. Quare Divus Ambroſius l. de dignitate ſacerdotali. cap. 3. poſtquam dixit, nihil eſſe in hoc ſeculo Sacerdotibus excellentius, ita monet: *Quod ſumus*, inquit, *profeſſione, actione potiùs, quàm nomine demonſtremus, ut nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini: ne ſit nomen inane, & crimen immane: ne ſit Deifica profeſſio, & illicita actio*; ſed pane Angelorum, vino quod germinat Virgines enutriti, virginea carne paſti, Spiritu vivamus, & mundo corde, mundis manibus, Verbum pro nobis Caro factum offeramus.

h Levit. 22. 3. i Baſil. l. 2. de Baptiſm. c. 7. Plagæ & vindict. in ſacrileg. Sacerd. k P. Raynaud. Maria Ægypt. pag. 213.

l Innoc. III. Serm. 2. in die cinerum.

FESTUM

gLorIosa IESV DOMINI NOSTRI resVrreCtIo.

Quis eſt qui aſcendit, niſi qui deſcendit.



Revocare gradum, ſuperasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt. Virg. lib. 6. Æneid.

ARGUMENTUM.

MOrtuum ſibi prædilectum filium Joſeph, amariſſimis lacrymis flevit Jacob; quem ut audi-

vit vivere, & in Ægypto regnare, ad tam inſperata nuncia: m *Revixit ſpiritus ejus.* Amabiliùs, & longè amariùs Chriſti Parens MARIA, JESUM, cujus typum Joſeph geſſit, verè extinctum luxit: & uberiori gaudio exultavit ſpiritus ejus, ubi illum vivere, & reſurrexiſſe ſuis ipſa oculis conſpexit, & decorem indutum complexa eſt, in has voces erumpens: *Sufficit mihi, ſi* JESUS *vivit.* n Ipſo reſurgente, *Sepulchra aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*; ut & nos cum Chriſto reſurgente, è ſepulchris concupiſcentiæ, temulentiæ, avaritiæ, omniſque nequitiæ, reſurgere poſſimus: atque hac ſolemnitate, inter juvenes, ſaltem unum hæc vox inſtar tubæ noviſſimæ excitet: p *Adoleſcens tibi dico, ſurge.* Inter filias, vel una ſit, ad quam Chriſtus clamat: q *Puella ſurge: & reverſus eſt ſpiritus ejus, &* RESURREXIT CONTINUÒ.

Denique inter obduratos, & cœno vitiorum conſepultos, unus Lazarus jam fœtens è monumento reſurgat.

§. I. *Omnes qui in monumentis ſunt peccatorum, ad ſpiritualem Reſurrectionem evocantur.*

§. II. *Adhortatio ut qui ſpiritualiter mortui ſunt, reſurgant cum Chriſto.*

§. III. *Signa & effectus Reſurrectionis ſpiritualis.*

m Gen. 45. n Guarricus Serm. 1. de Reſurrect. p Luc. 7. v. 14. q Luc. 8. v. 54.

SOLEMNITAS
REDEMPTORIS CHRISTI RESURGENTIS.

Nuntiaverunt Jacob, dicentes: Joseph vivit. Gen. 45.

PRimum Adamum Protoplaſtes Deus in limo finxerat; nunc factus è fictore pictor, ſeipſum ſecundum Adamum feliciùs cruore pinxit. Hanc ſolam hiſtoriam mortis, vitæ magiſtram, mortales veneramini, in qua Hiſtoriographus divus amor, ſeipſum unicum *Verbum* tranſcripſit ſtylo clavorum, ſanguinis atramento in membrana membrorum. Artis divinæ miraculum fuit, hiſtoriam redemptionis humanæ, Iliade prius cruciatuum deſcriptam, momento explicare, ac tantum luminis picturæ ſuæ inter umbras conferre. Nulla unquam à ſæculo, & uſque in ſæculum talis exſtitit metamorphoſis; qualis & nobis, ſi cum Chriſto è tumulis peccatorum reſurgamus, expectanda eſt. Redemptor noſter tandem triumphator, poſt victam morte ſua mortem, expugnatum erebum, orbem terrarum cœleſtibus armis ſubactum, ligno victore, nocte in diem radiante, tumulo migrante in Capitolium Triumphi, linteo ſepulchrali in vexillum immortalitatis explicato, ſanguineis lethalium vulnerum notis in aſtra converſis, ubi animam beatiſſimam, corpori ſanctiſſimo, Divinitatis vi, quæ numquam ab utroque diviſa fuerat, adamantinis nodis iterum illigavit, ſuperûm civium pæana canentium, laureato ſtipatus exercitu, cœpit non jam in corde terræ; ſed palàm totâ naturâ plaudente, victoriarum ſuarum trophæa circumferre, & qui cœlo diem, in cruce eclipſim paſſus, eripuerat in meridie ſui amoris, nunc illam reſtituit inter tumuli umbras, & ut maximam faceret diem reſurrectionis ſuæ, ipſam antecedit auroram. Reſurgente Domino, terra iterum inſolitis viſa motibus conquaſſari; ſed erratis inter ſiderum veſtrorum errores Aſtrologi; cùm in cœlo tantum trepidationis motum adſtruitis: nunc tellus, ſuſpenſo ferè præ ſtupore cœlo, & immoto, tota trepidavit: niſi veriùs dicamus, omni trepidatione excuſsâ, orbem redemptum, novum exultationis motum inchoâſſe. Nunc etenim ubi luctus in citharam, voces flentium in organum, planctus in plauſum, feſſus in jubilum converſa; Triumphatori

tori noſtro, qui mortuus erat, & revixit, omnibus & nervis, & modulis, cœlum & terra admodulatur, & gratulatur, atque gaudiis exultat inſolitis. Quemadmodum olim ſanctus ille Senex, dilectus Deo Jacob, ut chariſſimi Joſephi mortem accepit, & togam ſanguine fluētem, in luctus totum ſe dedit, & amorem Joſephi viventis, demortui dolore æquavit. Verùm poſtmodo, filii ex Ægypto reduces, *nuntiaverunt Jacob, dicentes*: r JOSEPH VIVIT; *quo audito revixit ſpiritus ejus & ait, ſufficit mihi, ſi Joſeph filius meus vivit Vadam, & videbo eum, antequam moriar.* Hæc ubi hac ſolennitate Abbas Igniacenſis ſuis pro concione expoſuiſſet, hanc ſibi objectionem facit: ſ *Dicetis forſitan mihi, bene, ſed quid ad rem? quid de Joſeph ad gaudium hujus diei, ad gloriam Reſurrectionis Chriſti? Jeſum, non Joſeph eſurimus, ſalvatorem, non ſomniatorem: dominatorem cœli, non Ægypti: non qui pavit ventres, ſed qui paſcit mentes.* Typum, & figuram attenderant; ſed quid ſub ea lateret, non perſpexerant, quod ut manifeſtet, ait: *Ovum, ſive nucem appoſui vobis, fratres, frangite teſtam, & invenietis eſcam. Joſeph diſcutiatur, &* JESUS *invenietur.* Singula expendite, & quàm Joſeph in JESU, & JESUS in Joſeph inveniatur, attendite: *Joſeph venditus à ſuis, ſuos à morte redemit. Prius humiliatus, ſic exaltatus. Denique pro merito appellatus Salvator mundi.* Mitto cætera, ad propoſitum venio: *Nuntiaverunt Jocob dicentes*: JOSEPH VIVIT. Hic vos paucis compello: an ab orbe condito ulli tabellarii, aut curſores extraordinarii, nuntiârint adeò inopinata, inexſpectata? nuntiârint adeò certa, indubitata, quàm filii nuntiaverunt parenti ſuo ſeni dicentes: *Joſeph vivit.* Quis credat? quomodo in animum inducat, prædilectum ſuum Joſeph vivere, & dominum in omni Ægypto, quem à fera peſſima devoratum planxerat, & crudeliſſimæ mortis teſſeram, ſanguinolentam veſtem contrectârat. Quis hîc luctam illam doloris & gaudii; hæc tam inopinata, tam auſpicata, tam indubitata nuncia, linguâ exponere, aut animo complecti valeat? facilius nobis ſit gaudii hac die noſtri menſuram, ex illa colligere.

Certè inter omnes dies à principio, quo Deus cœlum & terram condidit, hactenus mundi faſtis recenſitas, nulla eluxit mundo felicior, Chriſto jucundior, toti rerum univerſitati auſpicatior, quàm hodierna, qua tot ſæculis in umbra mortis ſuſpirantibus priſci ævi Patribus; afflictiſſimæ Virgini luctu & dolore propè conſepultæ, totíque generi humano exſpectanti ſpem, & Reſurrectionem magni Dei, nuntius ait: JESUS *vivit.* Hæc demum eſt t *dies ſalutis, hæc dies quam fecit Dominus, hæc dies boni nuncii*; non qua civitas vi expugnata, aut clades hoſtibus illata, vel victoria, victoriæque inſignia relata, ſed quâ cœleſtis Jeruſalem reſerata, ipſe erebus expugnatus; inferorum phalanges proſtratæ; univerſa mundi machina ſubjugata, ab eo, qui devicta morte triumphat, & *vivit* JESUS. v *Ju-*

r Gen. 45. ſ Guarricus de Reſurrect. Dom. Serm. 1.

t 2. Cor. 6 Pſalm. 117. 4 Reg. 7.
v Guarricus Serm. 1. de Reſurrect.

cunda vox hujus felicis nuntii! puto equidem (vos alloquor, qui conſurrexiſtis cum Chriſto) *ſi unquam amaſtis* Jesum, *ſeu vivum, ſeu mortuum, ſive redivivum; hodie cum tam crebrò in Eccleſia perſonant nuncii Reſurrectionis, cor veſtrum in vobis gloriatur ſibi & dicit: nuntiaverunt mihi, dicentes:* Jesus Deus meus vivit. *Quo audito revixit ſpiritus meus, qui dormitabat præ tædio, vel languebat præ tepore, aut nimiâ deficiebat puſillanimitate.* Præcipue tamen tu, ad hæc tam bona, tam læta nuntia, *Regina cœli lætare:* quem enim à triduo inter extremos cruciatus ſpectâſti inclinato capite tradere Spiritum, *Jeſus vivit.* Ultima Dei Mater vidit, cùm ſtabat juxta crucem, filium morientem; ultima cæteris abeuntibus ſacro ſepulchro adhæſit; x prima ſpectare debuit reſurgentem. Teſtantur hoc, ſuffragante communi fidelium ſenſu, graviſſimi PP. & Doctores, S. Bernardus, Serm. de Reſurrect. Greg. Nyſſ. orat. 3. de Reſurrect. Bonaventura in vita Chriſti c. 87. Suarez aſſerit, ſine ulla dubitatione credendum eſſe, Chriſtum redivivum, primùm Virgini Matri ſuæ apparuiſſe, & paulò pòſt ſubdit: y *Videtur hic fuiſſe perpetuus Eccleſiæ ſenſus, quia nullum reperimus initium, quando hoc cœperit in Eccleſia doceri.* z Diſerte S. Ambroſius: *Vidit Maria reſurrectionem Domini, & primò vidit, & credidit.* Si verum illud oraculum Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, &* manifestabo illi meipsum, à Matre primum ſpectari debuit Filius redivivus, cui fidei & amoris, & honoris, & omnium virtutum tribuendus eſt principatus. Sed quis Filii, matriſq; dulces amœbæos, & vitæ æternæ diverbia, amplexus, & oſcula, referre mortalium queat? unicum *Verbum* viſum, Filius, omnia fere loquentis matris verba, gaudiorum mole oppreſſit; unde divini triumphi epinicion amori Mariano tribuendum eſt, non ori. Adumbrare Matris gaudium ſtylo ſuo, quoquo modo nititur Rupertus: a *Perpendere geſtit Chriſtiana devotio, quantus torrens gaudii repente inundans, locúmque vulneris replens, animam ejus ferro doloris confoſſam inebriavit, cum redivivus Filius, illi ante omnes mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam ſuam annuntiavit, & dulcia carnis ſuæ vulnera, quam illa veram de carne ſua carnem conceptam peperit, deoſculanda præbuit.*

Ineffabilis etiam ipſis Angelis hæc Mariana lætitia extitit, ut loquitur Anſelmus: b *Hanc immenſitatem gaudii ejus penetrare quis laboret? Quoniam quæ ipſis Angelis Dei eſt admiranda, & impenetrabilis, non facilè crediderim, quod cuivis homini mortali poſſit eſſe penetrabilis,* aut enarrabilis; quæ divina, ſilendo, & ſentiendo potiùs, quàm loquendo tractantur: unde adorationem poſcunt, ut explicentur, non orationem.

Sed à Maria ad alteram Mariam veniamus. Abſterge, ô Magdalena, omnē ab oculis lacrymam ceſſent querelæ, & planctus, quia quem ploras mortuum, *Jeſus*

x Deipara prima vidit Chriſtum reſurgentem. y Suarez. 1. 2. in 3. part. diſp. . ſem. 1. z Ambr. de virgin. l. 3.

a Rupert. lib. 7. de divin. offic. c. 25. b Anſelm. de excell. virg. c. 6.

vivit. Prodite ex umbra in Solem, è latebris in conſpectum, ô Apoſtoli, quia quem lugetis in monumento ſepultum, ſurrexit, & *Jeſus vivit*; c & tu, ô anima, *noveris, quod Spiritus tuus planè in Chriſto revixerit, ſi quod ſequitur, ex ſententia* (hoc eſt ex toto animo & corde) *dixeris: ſufficit mihi*, SI JESUS VIVIT. Quem piiſſimum affectum, ut omnium cordibus imprimat, exclamat: *ô vocem fidelem, & planè dignam amicis Jeſu! ô caſtiſſimum affectum, qui ſic loquitur: ſufficit mihi*, SI JESUS VIVIT. *Si vivit, vivo, cùm de ipſo pendeat anima mea, imò ipſe ſit vita mea.* Ei itaque hac die, quam fecit Dominus, cum B. Mechtilde gratulemur millies & millies cum ea ingeminemus: d *Scio, quod Redemptor meus vivit, vivit Jeſus*; quo brevi veræ fidei cantico, *Sponſus ejus Chriſtus* omnes cœlites exultâſſe, eámque ejuſdem reſurrectionis participem effectam, denuntiavit. Aut ſi lubet, fauſta hæc ac feſtiva ad illum cum B. Garſia de Valentia, Ord. Minim. vota trigeſies hac die ingeminemus: e *Chriſtus vivit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, Chriſtus nos ab omni malo defendat.* Diem unum jam à tot ſæculis, & inter tot dies anni, & menſes, & annorum luſtra, ac ſæcula, mille votis exoptavit magnus ille Patriarcha Abraham, de quo Joan. 8. f *Exultavit ut videret diem meum. Vidit, & gaviſus eſt*, quem diem illum exoptâſſe, & quo exultâſſe illum exiſtimatis? S. Gregorius, g hunc diem fuiſſe aſſerit, in quo ei revelatum myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. Juxta Sanctum Chryſoſtomum, *h* fuit dies quo Chriſtus opus noſtræ redemptionis in morte conſummavit. Lyranus *i* diem hunc deprædicat fuiſſe, quo de Virgine Deus homo factus eſt. Ad propoſitum noſtrum Theodoretus, cujus ſententia placet, dicentis *k* eſſe diem reſurrectionis, illum diem omnium ſæculorum diademate coronatum, reginam dierum, & *verè dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Doctor Angelicus ſermone de hac ſolenni die, cauſas exultandi, & lætandi, varias adducit: Exponens enim illud Matth. 24. *Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit*, ſic diſſerit: l *in his verbis quinque notantur. Primò infinita Domini noſtri Jeſu Chriſti bonitas. Secundò, delectabilis ipſius ſpecioſitas. Tertiò, admirabilis ipſius charitas. Quartò, jucunda Dei ſolemnitas. Quintò, fervens mulierum charitas.* de quibus titulis, ut ibidem proſequitur, ſolus ſermo ſufficeret. Tum ſubdit: *Fecerunt illum diem ſolennem tria: primò, cœlum, Angelum mittendo*; *Matth.* 28. *Angelus Domini deſcendit de cœlo. Secundò terra, Matth.* 28. *Ecce terræ motus factus eſt magnus. Tertiò infernus, Sanctos reſtituendo. Matth.* 27. *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Ergo cœlum, terra, infernus, teſtimonium reddiderunt reſurrectionis Jeſu Chriſti.* Iterum ingeminare libet: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea,* quia dies admirabilis, amabilis,

c Guarric. cit. d Ext. l. 1. grat. c. 51. l. 5. c. 17. Barrii de gunſte van Ieſus, feſto Pentec. e Hiſt. Ord. l. 7. Barrii. cit. f Ioan. 8. v. 56. g Greg. hom. 8. in Evang.

h. Chryſoſt. hom. 14. i Lyranus in Ioan. k Theodoret. in prænot. c. 10. l. S. Thom. ſerm. in feſto Paſchæ.

deſi-

deſiderabilis. *Admirabilis*, quia mors ſuperatur, vita reparatur, aditus æternitatis reſeratur. *Amabilis*, quia objectum humanitatis divinæ reſurgentis, ſi ſolum in cœlis eſſet, omnes Martyres, Confeſſores, Virgines, optimè cruciatus ſuos, dolores, labores collocatos ducerent, modò hoc tam amabili ſpectaculo frui poſſent. Eſt & *deſiderabilis*, à cœlis, ut reparentur ruinæ; à terris, ut illuminentur homines ſedentes in tenebris; à mortuis, ut ſuſcitentur, & in novam vitam reſurgant. Quare meritò Pſaltes Regius, quemque ad voces lætitiæ, & exultationis invitat, dicens: m *Lætentur cœli, & exultet terra.* Meritò hac die quam fecit Dominus, per univerſum orbem feſtivum pæana concinit Eccleſia: *In reſurrectione tua Chriſte, alleluja, cœlum & terra lætentur, alleluja.* Etenim ſi nox illa, qua Redemptor noſter in vitam mortalem deſcendit, ut dies illuminata fuerit, & cœleſtes Choraulæ ſuaviſſimum genethliacon per aëra cecinerunt: n *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus*: Quidni, inquit Ambroſius, hoc die omnibus exultandum, quo non ex utero Virginis moriturus, ſed ex Virgine tumulo ſemper victurus prodivit? o *Beatum corpus*, inquit, *cuſtodivit virgo tumulus incorruptum, ſicut ſervavit illud Mariæ uterus illibatum: ſicut enim de Matris utero vivus exivit, ita de Joſeph ſepultura vivus reſurrexit; niſi quod glorioſior ſit iſta, quàm illa nativitas: illa enim mortale genuit, hæc edidit immortale.* En quantò glorioſius fuit renaſci Dei filium in terris, quàm naſci: è tumulo redivivum; quàm ex utero vivum apparere? naſcenti genethliacon Angeli cecinêre, renaſcenti epinicion & Superi, & inferi, & mortales omnes decantavêre: unus naſcentis gaudia cœli legatus denuntiavit: *Annuntio vobis gaudium magnum*; renaſcentis, & reſurgentis, non modò geminatâ lætitiâ cœlites, ſed & alius ſuper alium nuntius, & teſtes oculati omni exceptione majores nuntiârunt, quia Joſeph, id eſt *Jeſus vivit.* Chriſto vita noſtra moriente, *monumenta aperta ſunt*: p Ambire viſa eſt tellus divinum corpus; unde omnibus ſepulchris patentibus, ubique exceptura tantum hoſpitem, ſinum aperuit. A Sole tenebricoſo, luna ſanguineâ, terræ motu, conflictu lapidum, totiúſque conſternatione naturæ, apertis ſepulchris, fortaſſe ſuſpicati ſunt mortui, adventaſſe diem extremum, & non expectato tubicine Angelico, claſſicum funeſtæ illius pugnæ, in qua omnia excidentur, perſonante reſurrexerunt. Mortui homines numquam credidiſſent Deum mori potuiſſe, niſi redivivum vidiſſent. Opportunè tamen mortui reſurgitis: nam nunc, etiamſi ſublatus judex videatur, judicium eſt mundi, non juſtitiæ, ſed miſericordiæ: non iræ fulmina, ſed radios gratiæ, benignitatis, & indulgentiæ in peccatores evibrans: non per Angelos tuba terribili, ſed ſibilo leni, & virtute ex alto, pretio ſanguinis, altiùs quam ſanguis Abel exclamans: *Surgite mortui.* Aperiuntur itaque mortuorum conditoria, & terrifica illa cadaverum congeries, ſanie,

m Pſal. 95. n Luc. 2. o Amb. ſerm. 56.

p Pallavicin. in vita Deip. de reſurrect.

nie, tabo, ac vermibus ſcatens, tribuo omniũ oculis manifeſta exponitur, antequam mortuis vita reddatur; ut muſicorum organorum valvæ, antequam ſpiritu, ac ſono animentur, reſerari conſueverunt: quod cum fieri videmus, paulò poſt muſicum concentum expectamus; ideóque prius patent, ut divino organiſtæ mora nulla ſit, manúmque artificem ſoni tubis illico poſſit admovere. Tum ut primogenitus mortuorum, & Rex ille, cui omnia vivunt, in hoc lucis theatrum, princeps chorum duceret immortalium: Atque hæc Doctoris Angelici, aliorúmque PP. ac Doctorum, communis aſſertio eſt. Hic itaque ad illa verba: q *Monumenta aperta ſunt; & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, ſurrexerunt*, citans Hieronymum, ſic ait: *Multa corpora Sanctorum reſurrexerunt, ut Dominum oſtenderent reſurgentem; & tamen cum monumenta aperta ſunt, non antè reſurrexerunt, quàm reſurgeret Dominus, ut eſſet primogenitus reſurrectionis ex mortuis.*

§. I.

Omnes qui in monumentis ſunt peccatorum, ad ſpiritualem Reſurrectionem evocantur.

HÆc mortuorum è tumulis ſuis reſurgentium, cum Chriſto reſurgente, caterva, nos admonet, ut è ſepulchris peccatorum, per eum *qui eſt vita, & reſurrectio noſtra*, reſurgamus; ſic etenim ad mores D. Hieronymus: r *Monumenta aperta ſunt &c. Hæc videntur typum ferre credentium, quod priſtinis errorum vitiis derelictis, & cordis emollita duritia, qui prius erant ſimiles tumulis mortuorum, poſtea agnoverint creatorem, & ad vitam gratiæ per pœnitentiam ſurrexerint.* Quod ſi vel unicum ſcelerati hominis monumentum, ubi mortua anima computruit, non ad triduum, ſed ad momentum reſerari, & oculis mentis aperiri contingeret, tantus omnes peccatores terror invaderet, ut quantocyus è ſepulchris vitiorum, proſilirent, & non jam corpora peccatorum, ſed *corpora Sanctorum*, Chriſti reſurgentis gratia, reſurgerent. Quod diſertè, non ſine ingenti omnium ſolatio, D. Thomas tradidit: ſ *Monumenta dicuntur corpora peccatricum animarum, id eſt mortuarum Deo; cum autem per gratiam Dei, animæ hujuſmodi fuerint reſuſcitatæ, corpora eorum, quæ prius fuerant* MONUMENTA PECCATORUM, FIUNT CORPORA SANCTORUM, *& videntur à ſeipſis exire, & ſequuntur eum, qui reſurrexit: & in novitate vitæ ambulant cum eo, & apparent multis videntibus opera bona ipſorum.* Quid, quod omnium bonorum operum, ac virtutum meritis, quæ ſecundum Theologos reviviſcunt, accedente inſuper gratia, qua de vitiorum ſepulchro peccator reſipiſcit, ſanctior quàm ante fuerit, reſurgat. Hoc autem qua ratione fiat, audite: t *Petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: id eſt corda ſine vita gratiæ, quæ oratione, & confeſſione debent aperiri, ut inde prodeant mortui in reſurrectione vitæ. Nota ordinem,*

q S. Thom in Matt. c. 27. r D. Hieron. in Matth. c. 27.

ſ S. Thom. in Matt. c. 27. cit. Origen. t Hugo Card. in Matt. c. 27.

terra

terra, id eſt cor peccatoris movetur per timorem: Petra ſcinditur per contritionem, monumenta aperiuntur per confeſſionem Corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt, id eſt congeries ſanctorum operum & totus cœtus virtutum, quæ omnia per peccatum dormierant, reſuſcitati per pœnitentiam, venerunt in ſanctam civitatem, id eſt, Eccleſiam, & tunc debent apparere multis, ut ſicut multos per malum exemplum corruperant, ſic multos per bonum exemplum ædificent. Quare hac ſolenniſſima die, quam fecit Dominus, omnes divini verbi præcones, quaſi noviſſimam tubam, exaltent mecum vocem ſuam: *Surgite mortui,* & de monumentis peccatorum exite!

Ac primum potatores, helluones, combibones, u *dapibus vinóque ſepultos*, è tabernis, popinis, ſympoſiis reſurgere addecet; cùm ebrietas, magno teſte Auguſtino, x *vivi hominis ſepultura ſit.* Quod ſi tormenti genus maximè truculentum ſit, hominem *vivum* tumulari, ut Zenoni Imp. temulento accidit; *profectò*, exclamat Chryſoſtomus, y *ſi poſſes animam hominis, peccatis* (gulæ, & ebrietatis) *involutam oculis cernere, non dubitares multò melius eſſe in ſepulchro jacere vivum corpus, quàm jacere animam in vivo corpore, vino ſepultam.* Teſtis ille helluo, & epulo Euangelicus, qui ſepultus in inferno; ſed crapula, & temulentia mortuus, vivo etiamnum corpore tumulatus jacebat z *miſer*, inquit Chryſologus, *accepit antè animæ, quam corporis ſepulturam: nec ante quieti corporis, quàm pœnali traditus eſt ſepulchro, ut vivat pœnæ ſemper, cùm ſit ſemel mortuus vitæ,* nempe animæ. Et dubitas adhuc è tali ſepulchro ſurgere? ſurgite, ſurgite, qui ſediſtis toties ad miſcendam ebrietatem, ut omnibus tabernis, ac diverſoriis, ſi amicus amicum, ſocius ſocium, uxor maritum quærat, inſcriptum legatur: SURREXIT, *non eſt hîc.* Solebat hic propè in dies, & multam noctem, crapula, & ebrietate totus ſepultus jacere; ſed jam SURREXIT, *non eſt hîc.* Nunc conſpicere mihi videor innumera, eáque teterrimam mephitim exhalantia, a *ſepulchra concupiſcentiæ*; quiſquis es fili prodige; laſcive *Adoleſcens, tibi dico ſurge*; vel ipſum, quod circumfers lue venereâ, intima viſcera, & medullas depaſcente, diffluens corpus, ſuper omnem cloacam, ac putens cadaver intolerabiliter fœtens, te admonet, ut reſurgas. Mezentius Tyrannus tormenti genus inuſitatum, & prorſus barbarum excogitavit, vivos homines mortuis, ac fœtidiſſimis cadaveribus colligando; horreſco referens, quod Divus Auguſtinus narrat de iis, b qui quondam inciderunt in manus Hetruſcorum prædonũ, quorum ſæviſſima immanitas referri ſine animi commotione non poteſt. Etenim viatores, quos exſpoliârant, trucidabant, & ad exaggeratam crudelitatis rabiem exſaturandum, viva corpora mortuis colligabant, ita ut ſingula viventis membra, mortuis ipſius cadaveris correſponderent. Quod à Mezentio Tyranno hauſiſſe videntur, de quo illud:

u 3. Æneid. x Aug. cit. à Corn. in Prov. p. 2. p. 254. y Chryſoſt. hom. 28. in Matth. z Chryſolog. ſerm. 124.

a Lib. numer. c. 33. v. 16. b Auguſt. lib. 5. contra Petilianum c. 15.

c *Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,*
Tormenti genus.

Quid tam fœdum, aut horrendum? nihil ſanè, niſi quod peccatoribus contingit, quorum mortuæ animæ, vivis corporibus, nexu infeliciſſimo copulantur; qui ideo à ſancto Hilario dicuntur: d *Intra corporum ſuorum emortua domicilia conſepulti.* Hic autem cadaveroſus fœtor, & peſtilens mephitis, maximè ex venerea peccatricis animæ cloaca exhalat; quod Deus quandoque miris modis oſtendit ſervis ſuis. Sancta Catharina Senenſis vidit cœleſtem genium nares obturantem, ob fœtorem hac lue infecti tranſeuntis. Ita fœtet omnis anima hoc tetro flagitio ſepulta, e *ubi in homine non homo cernitur, ſed cadaver.* f Decor Romulidum, Franciſca Romana, habens præſentem aliquam perſonam peccato carnali coinquinatam, adeò vehementem percipiebat fœtorem ex illa prodeuntem, ut cogeretur in aliam partem convertere faciem: & quò quis magis hoc vitio eſſet infectus, eò majorem ſentiebat fœtorem. Et cùm aliquando cogeretur tranſire domos, in quibus meretrices habitabant, adeò vehementer tetro fœtore percellebatur, ut pænè ſemimortua remaneret, & ad defectum virium perduceretur. Hoc ſi ſibi perſuaderet illa, & iſta, quæ electrum, & paſtillos olet, quàm citò è ſordium ſepulchro reſurgeret? g *Interroga conſcientiam peccatoris*, inquit Ambroſius, *nónne graviùs fœtet omnibus ſepulchris?* & tu adhuc minùs fortaſſe, ac mitiùs duxeris, vivo corpori mortuam ac fœtentem animam per menſes, per annos, longè acerbiùs colligatam teneri? h *Reſponde, quæſo,* ait Chryſoſtomus: *ſi quis cadaver putridum circumferens per civitatem vagaretur, nónne omnes eum fugerent? hoc de te cogita, qui animam peccatis* (iíſque fœdiſſimis luxuriæ) *obrutam, atque mortuam circumducis.* Sed numquid & tu Filia, quæ fortè recens, & i *modo defuncta es*, cui ſcintillæ timoris Domini, ac priſtini fervoris, virginei pudoris ſub cinere doloſo ſuperſunt, mortua reſurges? nam, ut aureo Ravennatis Præſulis ore loquar, k *modo defuncta eſt, hoc eſt, dicere, adhuc vitæ manet calor, adhuc animæ veſtigia videntur, adhuc eſt in via Spiritus.* Et alibi, ut oſtendat ſtatim ad vitam reſurgendum: l *Suſcitaverat Dominus filiam Jairi, Principis Synagogæ; ſed adhuc funere calente*; non exſpectavit donec frigidum cadaver à libitinariis elatum, in ſepulchro conderetur; porrigit & tibi hodie Chriſtus reſurgens victricem manum ſuam: facem recens extinctam, etiamnum fumigantem, & quaſi ſpiritum trahentem, facilè luci reſtitues; quo velut ſpiranti ſymbolo monemur, ac docemur, animas Deo mortuas, illico ad lucem gratiæ revocandas. Doctor Seraphicus, mutato nomine, hæc de te dici aſſerit: m *Hujus filiæ ſuſcitatio, eſt animæ peccatricis juſtificatio*, eáque repentina, ſine mora; *ſed modò; non dicit anno præterito, ſed modò: ne tardes converti ad*

c Virgil lib. 8. Æneid. d S Hilarius in Pſal. 67. n. 7. e Chryſolog. Ser. 120. f In vita lib. 1. c. 11. g Amb. lib. 1. offic. c. 12.

h Chryſoſt. hom. 74. in Matt. i Matt. 9. k Chryſol. Serm. 34. l Serm. 63. m Bonav. Ser. 1. in Domin. 23. poſt Pent.

Domi-

Dominum, & ne differas de die in diem Tum ſubdit: *Væ ergò illi, cujus anima* NON MODÒ, *ſed ante annum, imò ante triginta, vel quadraginta annos defuncta eſt, & adhuc non petit eam ſuſcitari* ! in quo, quam malè talis ſibi conſulat, quámque difficilis poſt tot annos, quæ modò facilis eſſet reſuſcitatio, exemplo Lazari confirmat, dicens: *Quantis lacrymis, & orationum clamoribus, ſuſcitanda eſt anima mortua quadraginta annis? en quot lacrymis, & clamoribus Chriſti, ſuſcitatur Lazarus quatuor diebus defunctus*, ut paulò pòſt videbimus. Sed obſervandum, prius Chriſtum turbam tumultuantem, & tibicines domo ejeciſſe, quàm filiam vitæ reſtitueret: n *Tibicines iſti, ſunt dæmones, tentationes, & delectationes* (per infames procos, & amaſios) *ſuggerentes*, & laſcivis verbis, ac canticis, puellarum auribus prurientes: *Turbam tumultuantem*, idem Doctor ait, *eſſe turbam amicorum carnalium: item cogitationum immundarum, & affectionum libidinoſarum*, quæ ex prava laſcivientis juvenis conſuetudine potiſſimum excitantur. His ejectis, clamat ad aures cordis tui benignus Deus: p *Puella, tibi dico, ſurge*; fiétque tecum, ut confido, quod hiſtoria Evangelica ſubdit: *Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat.* Obvium verò confeſtim reſurgendi modum, ac medium, divus Bonaventura, confeſſionem ſuggerit: q *Filia tua, eſt anima tua defuncta per culpam, cui manus Chriſti imponitur per gratiam.* Quæ manus impoſitio in ſacramento pœnitentiæ, vitam gratiæ operatur; ſic ſentit Hipponenſis Præſul: r *In accuſatione tuiipſius, quare confiteris, niſi quia ex mortuo vivus factus es? Scriptura quippe ait* Eccl. 17. *à mortuo, quaſi qui non ſit, perit confeſſio; ſi perit à mortuo confeſſio, qui confitetur vivit: & ſi peccatum confitetur, utique à morte* REVIXIT. Pergit porrò: *Si peccati confeſſor revixit à morte, quis eum ſuſcitavit? nullus mortuus eſt ſuiipſius ſuſcitator. Ille ſe potuit ſuſcitare, qui mortua carne, mortuus non eſt.* Ille per gratiam confitentem ſuſcitavit, & adhuc vinctum per Vicarios ſuos, qui poteſtatem habent ſolvendi, liberè fecit in via mandatorum Dei ambulare: ſ *Jam vivebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Eccleſia, niſi quod ait Dominus continuò ad Diſcipulos: ſolvite illum, & ſinite abire?* addit Lucas, filiam mortuam non modò ſurrexiſſe, & ambulaſſe; ſed & alterum ſignum veræ reſurrectionis adfert, eam manducâſſe: *Juſſit illi dari manducare*, t quæ ad ſpiritualem reſurrectionem referens purpuratus Pater: *Primum*, inquit, *eſt* RESURGERE, *id eſt, peccata dimittere. Secundum eſt ambulare, bonis operibus inſudare. Tertium eſt, manducare panem Euchariſtiæ.* In eandem ſententiam venerabilis Beda: v *Bene,* SURREXIT, *& ambulat: quia anima à peccatis reſuſcitata, non ſolum à ſordibus ſcelerum exſurgere; ſed & bonis proficere debet operibus: & mox neceſſe eſt, ut cœleſti pane ſatietur.* Si ad contactum mortui Eliſæi cadaver temerè in tumulum ejus projectum, x RE-

n Hugo Cardin. in Matt. c. 9. p Marci c. 5. q Bonavent. cit.

r Auguſtin. Serm 8. de verbis Domini. Reſurrectio ſpiritualis per confeſſionem. ſ Auguſt. ibid. t Reſurrectio per Euchariſtiam. Lucæ 8. Hugo Cardin. hic. v Beda in c. 5. Marci. x 4. Reg. c. 13. v. 21.

VIXIT, *& ſtetit ſuper pedes ſuos*; quidni ad intimum complexum vivificantis Chriſti, anima mortua reviviſcit? hiſce reſurgendi mediis adhibitis, ſi hodie è cœno luxuriæ tu puella, tu juvenis, tu conjugate, & conjugata, quaſi *è ſepulchro concupiſcentiæ* reſipiſcas, omni proſtibulo, fornici, cubili, ſtrato, angulo, villæ ſuburbanæ; omni arbori, ſub qua proſternebaris, inſcribi verè & laudabiliter poterit: SURREXIT, NON EST HIC. Aliàs, ut ſeverè monet Ambroſius: y *Iſraëlitæ egreſſi de* SEPULCHRIS CONCUPISCENTIÆ, *venerunt in Haſaroth*, quæ teſte Ambroſio, *beatitudo interpretatur*; *quoniam niſi carnis concupiſcentias quis ſepelierit, ad æternam beatitudinem pervenire non poterit, dicente Apoſtolo: Caro, & ſanguis, regnum Dei non poſſidebunt.*

Nunc actus reſtat ultimus, íſque difficillimus, ut non mortuos duntaxat, ſed & z diu inveteratâ peccandi conſuetudine ſepultos, ad vitam è monumentis revocemus. Curioſè olim obſervavit Hipponenſis Antiſtes: a *Tres tantum mortuos inveniri à Chriſto reſuſcitatos viſibiliter. Quot autem ſuſcitaverit, quis novit? ſed tres non fruſtrà commemorati.* Filia in domo, adoleſcens extra portas, Lazarus quatriduo ſepultus. *Puella* facilè, ſolo nutu, porrigendo manum, ut modò defuncta. *Adoleſcens* ad ſolam vocem Domini: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Sed Lazarus ſummo molimine; lacrymatus eſt Jeſus, infremuit, venit ad monumentum, jubet lapidem tolli, orat Patrem, clamat voce magna. Myſterium nôſtis? rimemur, & miremur: b *Iſta tria genera mortuorum, ſunt tria genera peccatorum.* Filia Archiſynagogi in domo jacens mortua, eos deſignat, qui cogitatione, ac nudo conſenſu, in corde peccant. Adoleſcens elatus extra portas, eos qui ad opus externum proceſſêre. Lazarus quatriduanus in monumento, jámque fœtens, qui in prava conſuetudine computruerunt: *Sunt*, inquit idem Doctor, *intus qui peccatum in corde habent, in facto non habent: dicit enim Dominus, jam mœchatus eſt in corde ſuo. Alii poſt conſenſum, eunt in factum, tanquam efferentes mortuum, ut quod latebat in ſecreto, appareat in publico.* At verò alii, CONSUETUDINE MALIGNA *preſſi, tanquam* SEPULTI, *ut de Lazaro dictum eſt, jam putent.* Idem confirmat magnus Gregorius: c *Redemptor noſter puellam in domo, juvenem extra portam, in ſepulchro Lazarum ſuſcitavit; adhuc quippe, quaſi mortuus jacet in domo, qui latet in peccato: jam quaſi extra portam educitur, cujus iniquitas uſque ad inverecundiam publicæ perpetrationis aperitur: ſepulturæ verò aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ, etiam* USU CONSUETUDINIS *preſſus gravatur.* Adeò ut qui conſuetudini pravæ diutius adhæſerunt, velut lapide molari preſſi, ac ſepulti ſint. Hoc in argumento diſertiſſimi ſunt Eccleſiæ Patres, è quibus paucos adducam.

Beatus Laurentius Juſtinianus, Patriarcha Venetus, eos ſepultos

y Ambroſ. in tract. de manſionibus, manſio 14. z Reſurgendum è ſepulchro pravæ conſuetudinis. a Auguſtin. Serm. 44. de verbis Domini.

b Auguſt. cit. c Gregor. lib. 4. moral. c. 25.

cum

cum Lazaro aſſerit, qui longa peccandi conſuetudine computruerunt: d *Obruti peſſima conſuetudine, tanquam quodam aggere* (aut gravi lapide) *niſi grandi, ac terribili voce excitentur, è monumento reſurgere nequeunt.* e Quod magno molimine, & contentâ voce cuilibet veſtrum nequidquam ſæpius inclamatur: *Lazare, veni foras.* Compellat & te, ut reſurgas, Africanus Doctor Auguſtinus: f *Mortuus eſt peccator, maximè ille, quem* MOLES CONSUETUDINIS *premit malæ vitæ. Quis eum ſuſcitabit, niſi qui ſemoto lapide clamavit, dicens: Lazare, prodi foras! quid eſt autem foras prodire, niſi quod occultum erat, foras prodere? qui confitetur, foras prodit; foras prodire non poſſet, niſi viveret? vivere non poſset, niſi reſuſcitatus eſſet. Dicit ergo aliquis, quid prodeſt Eccleſia, ſi jam confeſſus, voce Dominica reſuſcitatus prodit? quid prodeſt Eccleſia confitenti, cui Dominus ait: quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? ipſum Lazarum attende, cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Eccleſia, niſi quod ait Dominus continuò ad Diſcipulos: ſolvite illum, & ſinite abire.* Tandem audi è Claravalle D. Bernardum, quaſi noviſſimam tubam intonantem: *Lazare, veni foras,* qui jam non quatriduo duntaxat, ſed quadriennio, & amplius, in tetrico illo, & terrifico ſcelerum ſepulchro computruiſti: g *Lazare, veni foras, ne in tanto fœtore diutius immoreris. Caro putrida, putredini proxima eſt. Lazare, veni foras, abyſſus abyſſum invocat: abyſſus luminum & miſericordiæ, abyſſum miſeriæ & tenebrarum. Major illius bonitas, quàm iniquitas tua. Lazare, inquit, veni foras; ac ſi manifeſtius dicat, quouſque conſcientiæ tuæ caligo te detinet; veni foras, procede, reſpira in lucem miſerationum mearum*; ut ſepulchro pravę conſuetudinis tuę, fornicandi, jurandi, blaſphemandi, fallendi, mentiendi, ſpurcos ſermones effutiendi, adamante, aut celte inſculpi poſſit: *Surrexit, non eſt hic*; de iſtiuſmodi enim regius vates ait: h *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Ubi Hugo Cardinalis, ſepulchrum ſunt detractores, unde ait: i *Patens, ad cadavera ſcilicet peccatorum recipienda, & fœtorem emittendum per detractionem. Secundò detractores comparantur ſepulchro, quia verba fœtida proferunt, & denudant peccata aliorum.* Jam propè mihi exciderant, & prætereunda cenſebam ſplendida mauſolæa, & ſepulchra pario marmore incruſtata, atque aciem effugerant, ut inter mortuos non cenſendos putarem, qui exteriori ſanctitatis ſpecie, & politico fuco, omnium oculis vivere videntur. Sed hos Hieronymus verè mortuos, & è ſepulchris ſuis dealbatis, in vitam evocandos ſuggerit, dum ſic illos aggreditur: k *Monumenta aperta ſunt, de quibus ſcriptum eſt: vos eſtis ſepulchra extrinſecus dealbata, quæ intus plena ſunt oſſibus mortuorum. Ideo ſunt aperta, ut egrederentur de iis, qui prius in infidelitate*, in atheiſmo, ſimulatione, hypocriſi, *mortui erant, & cum reſurgente Chriſto, atq; vivente, viverent.* l Tu homo verſipellis, qui *intus Nero, foris Cato*, intus dęmon, foris

d Laur. Iuſtin. l. de caſto connubio, c. 7. e Chryſol. Ser. 120. f Aug. Ser. 8. de verbis Dom. g Bern. Ser. 4. de Aſſum. B. Vir.

h Pſal. 5. i Hugo Card. hic. k Hier. ad Hedibiam, qu. 8. Corn. in Matth. c. 27. l Hieronym. Epiſt. 58.

Ange-

Angelus, de ſepulchro tuo dealbato ſurge; de ejuſmodi Hugo Cardinalis: m *Nota, ſepulchrum dici quaſi ſemipulchrum; tales ſunt hyprocritæ, exterius nitidi, interius fœtidi.* Tales illi, qui apparent hominibus jejunantes, & quos alibi depinxi, *n*, tales illi, & illæ, quæ ſe nequiter humiliant, ut coram hominibus, quódque maximè execrandum, ipſis Chriſti Vicariis, confeſſariis ſuis, ſpiritu ferventes, & vitâ cœleſti prædi-tæ appareant; cùm intus fœteant, & plenæ ſint oſſibus mortuorum. Unam in exemplum adduxiſſe ſufficiat. Auctor eſt Nicol. Cardin. Cuſanus, à Nicolao V. Pontifice in ſacrum ordinem purpuratorum Patrum adſcitus, vir æque pius, ac doctus, Tomo 2. exercitiorum, l. 7. *o* mulierem fuiſſe, externâ ſpecie moribúſque ſanctam ac piam, quæ peccata ſua frequenti exomologeſi expiabat, peccatricem ſe, atque improbam, nequam Dei ſervam, ore pleniſſimo profiteri non deſinebat; confeſſarius tractandarum animarum peritus, veritus, ne, ut ſanctus Auguſtinus loquitur: *Simulata ſanctitas, foret duplex iniquitas*, poſt plures ab ea iteratas ejuſmodi confeſſiones, & ſui velut peripſema execrationes, ſubjunxit, ſe quoque audiviſſe aliàs, idem de ea dici à notis, & cognatis, proinde tempus eſſe, ut ſe corrigat, & emendet. Quo illa audito, turbari, iraſci, ac convitia in illos ſpargere, ac ſplendidè omnes, aſſerere, mentiri. Reſpondit illico confeſſarius, ſe nunc experiri, illā verè improbam, ac verſipellem, hominum oculis, inſtar ſepulchri dealbati, mundam videri velle, ac tempus eſſe, ut ex hoc ſepulchro reſurgeret. Tales ſunt, quæ minutas imperfectiones, motus primò primos Ordinario exponunt, urgent, inſtant, ut plures corporis afflictationes, jejunia per hebdomadem aſſumere poſſint, miram ſanctitatis ſpeciem ſpirantes; interim gravi cœno ſæpius immerſæ, in ignoti ſacerdotis aures, ſine pudore, aut propoſito, ſordes deponunt, ut probæ, piæ, & ſanctæ videantur; quæ profectò, ut difficillimè, hac tamen die, è ſepulchris dealbatis potenter evocandæ ſunt. Atque ita fiet, ut, quemadmodum Chriſtus ad inferos deſcendit animas liberaturus, & glorioſus inde reſurrexit; vos qui ad inferos deſcendiſtis, animas veſtras, ac ſociorum perdituri, reſurgere poſſitis: cygnum, aut anatem (ut in præfixo ſymbolo patet) imitando, quos hoc verno tempore vivariis ſuburbanis innatantes, cernitis in profundum ſe dimittere; ſed rurſus è limo profundi aſcendere, & in auras emergere, ſubjecto lemmate:

p facilis deſcenſus averni;
Sed revocare gradum, ſuperáſque
evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

m Hugo Cardinal. in Luc. c. 11.
n Lux Euang. art. 2. Dom. 5. poſt Pent.
o Cardin. Cuſanus, Thom. 2. exerc. lib. 7. Liræi apoph. p. 259. Vide Lux Euang.

p Virg. l. 6. Æneid.

§. II. *Ad-*

§. II.

Adhortatio ut qui ſpiritualiter mortui ſunt, reſurgant cum Chriſto.

UT veriſſimum comprobetur illud Apoſtoli: q *Vos cum eſsetis mortui delictis, & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſæculum mundi hujus: in quibus & nos aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ; Deus autem qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, & conreſuſcitavit.* Ad hanc ſpiritualem reſurrectionem non jam aliquem è ſublimiori ſchola Theologum, aut è Chriſtiana Stoa Philoſophum, non magnum quempiam ex orthodoxi Lycei ſpatiis pædotribam; ſed innocentem è campis aëris populum, canoram, inquam, avium plebem appello, ad quam ſuos non ſemel æterna Patris Sapientia ablegavit, dicens: r *Reſpicite volatilia cœli*, quorum diſciplina, exemplóque id effici poſſe perſpiciebat, quod ſexcentis alias rationibus, vix dum eis perſuaſiſſet. Reſpicite & vos volatilia cœli, quámque illa cum Chriſto reſurgendi methodum tradant, attendite. ſ Fuit ex Angliæ nobilibus vir morum probitate, vitæq; genere conſpicuus, qui magno terræ ſanctæ viſendæ deſiderio, peregre profectus in Saracenum viæ comitem incidit, dúmque per procérum, ac denſum arboribus nemus, iter haberet, plures in arboribus aves vidit, alias quaſi mœſtas ramis inſidentes, jacentes alias exanimes, alias alis in crucis modum paſſis, quaſi evolaturas, immotas tamen. Cantum à tot ſylvarum choraulis hoſpes exſpectabat; ſed expectatione ſua ubi ſe fruſtratum advertit, rogavit ſocium, quid cauſæ ſubeſſet? Reſpondit Saracenus, frequentem toto illo nemore avium numerum eſſe, & annum totum ſuaviſſimis illic avium cantillantium modulis perſonare, non Decembri, non Januario, non Junio, non Majo, vel Octobri, non anno toto, volucrum concentum deeſſe; ſed illa ipſa, quæ Chriſto, Magno Deo pro mortalibus morienti, funebris, & exitialis eſt, hebdomade, omnes emori, & quaſi commori morienti Deo; at verò ubi ab illa, quæ paſſionis eſt Dominica, ita mortuali ſilentio ſepultæ jacuere, ſuam etiam Palingeneſim illas habere, & ipſa Chriſti reſurgentis Dominica die, cum reſurgente Chriſto reſurgere, ac redivivis vocibus, novos modulos reſurgenti accinere, & quidquid novi ſpiritus in corpuſculis geſtant, in guttur colligere, atque in ſuaviſſimos modulos ad anni uſque ſequentis triſtem Dominicam, cantu ſuaviſſimè explicare. Quid ad hæc, ô peccatores! qui non per paucos dies, aut hebdomadem t *mortui delictis, & peccatis* jacuiſtis? nunquid vos hodie *convivificari oportet in Chriſto, & reſuſcitari*? Quid ad hæc ô religioſæ, ſed volatiles animæ? nonne à

q Ad Philippen. 2. v. 1. 2. 3. 4. 5.
r Matt. 6. v. 26. ſ Arnoldus Rayſius in Hierogazophylacio Belg. p. 247. Adrian. Lyræus de imitatione Ieſu patient. p. 559

t Eph. c. 2. v. 1.

docta

harum avium ſchola id didiciſſe licuerit, ut è ſomno deſidiæ, ſocordiæ, ignaviæ, Chriſto reſurgente conſurgatis, & quiſque nunc in has voces erumpat: t *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, &* EXSURREXI. Unde Guarricus Abbas duplicem obſervat Reſurrectionem: unam peccatorum è ſepulchris gravium delictorum; alteram ignavorum è veterno: u *Animabus ipſis* DUPLICEM GRATIAM RESURRECTIONIS *ſimplex* CHRISTI RESURRECTIO *præparavit, dum & quotidie* REVIVISCUNT *à morte peccati per operationem myſterii, & hodie maximè* RESURGUNT *à ſomno torporis per devotionem gaudii: Quis enim ille tam piger, aut tepidus, qui hodie audiens vocem illam omni gaudio plenam:* RESURREXIT DOMINUS, *non totus in exultatione ſuſcitetur, non totus* REVIVISCAT, *& recaleſcat Spiritu?* Hinc ne fortè animæ Deo devotæ, viri timorati, religioſi, ac religioſæ exiſtiment Redemptorem noſtrum duntaxat reſurrexiſſe, ut mortali noxa conſepultos, vivificaret, atque adeò ſibi non eſſe reſurgendum, pergit Sanctiſſimus Prælatus, melliflui Doctoris diſcipulus, ſe ſuóſque ad ſpiritualem reſurrectionem animare, dicens: x *O anima mea, ego dormivi, &* EXURREXI, *ait Chriſtus. Surge & tu quæ dormis, &* EXURGE À MORTUIS, *& illuminabit te Chriſtus. Annon, fratres, mortuo ſimilis, qui adhuc ſtertit orto jam ſole, qui adhuc negligentia, & ſocordia premitur, quaſi deſperato ſepultus torpore, jam ubique gratia reſurrectionis rutilante?* Denique monet unumquemque noſtrum Tertullianus: y *Aſpice ad ipſa exempla divinæ poteſtatis; dies moritur in noctem, & tenebris uſquequaque ſepelitur. Funeſtatur mundi honor, omnis ſubſtantia denigratur: ſordent, ſilent, ſtupent cuncta. Ita lux amiſſa lugetur; & tamen rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum ſole, eadem, & integra, & tota univerſo orbi* REVIVISCIT, *interficiens mortem ſuam, noctem: reſcindens ſepulturam ſuam, tenebras. Revolvuntur hyemes, & æſtates, & verna, & autumna, cum ſuis viribus, moribus, & fructibus.* Dein pergit enarrare: *arbores veſtiri, poſt ſpolia flores denuo colorari &c.* Ac tandem concludit: *totus igitur hic ordo revolubilis rerum, teſtatio eſt* RESURRECTIONIS; ut ubi oculi inciderint, *Ordo revolubilis rerum, teſtatio ſit* RESURRECTIONIS, mentéſque, ac voces excitet in laudes, ac gratulationes Domini reſurgentis, & nos exſtimulet ad novam animi ſeneſcentis, & tantum non mortui reſurrectionem. Ad quod, nos ipſum peropportunum reſurrectionis tempus admonet, quo omnia vireſcunt, reſurgunt, ac quaſi mortua reviviſcunt; unde & in horto reſurrexiſſe, ſolerter obſervat Ambroſius: z *In horto Salvator redivivum corpus aſſumit, & inter florentes arbores & cadentia lilia, carne jam mortua refloreſcit, & ita germinat de ſepulchro, ut germinantia, & nitentia cuncta reperiat: ſic enim poſt hyemalis rigoris frigidam quodammodo ſepulturam, pullulare elementa omnia feſtinârunt, ut* RESURGENTE DOMINO, *& ipſa* CONSURGERENT: *nam utique ex* RESURRECTIONE CHRISTI, *aër ſalubrior eſt, Sol candidior, terra fœcundior. Si igitur cum refloreſcit*

t Pſal. 3. v. 9. u Guarricus de reſurrect. Dom. ſerm. 3. x Guarricus ibid. y Tertull. lib. de reſurrectione carnis.

z Amb. tom. 3. ſerm. 62.

Chriſti caro, omnia floribus veſtiuntur, neceſſe eſt, ut cum idem fructum affert, etiam univerſa fructificent. Hæc ubi ſecum expenderent, & attenta mente revolverent religioſæ animæ, ſuppudebat eas, omnia inanimata Chriſto reſurgente conſurgere,& non pariter, ac potiori jure cum ipſis reſurgere. Chryſologus Serm 103. a *Semina naſcuntur, creſcunt, adoleſcunt, juveneſcunt, ſeneſcunt, decidunt, & moriuntur, & iterum vitalibus ſepulta ſulcis, reſoluta putredine ſalutari ex morte in vitam ſuam redeunt: de corruptione propria ſuſcitantur.* Ex quibus concludit, ſi Deus hoc per dies, per menſes, per annos facit, *dat morti, vitæ reddit, quare quod in omnibus ſemper facit, ſemel facere non poſſit in nobis? homo, ſi tibi omnia ſuâ ex morte* REVIVISCUNT, *cur tu Deo, tua non reviviſcas ex morte?* Tempus itaque eſt, & nunc eſt,ut qui in monumentis ſunt, reſurgant: Chriſtus etenim b *tantum contulit nobis,ut qui moriturus non erat,quia Deus erat, noſtra ille morte moreretur, ut nos ejus Spiritu viveremus,* qui antea delictis, & peccatis mortui eramus. Deus per Ezechielem, capite 33. v. 11. dicit: c *Nolo mortem peccatoris.* & cap. 18. v. 32 *nolo mortem morientis, dicit Dominus*, quaſi moriens quædam vita ſit peccatoris. d Ego certè ſpirantem, imo ſuſpirantem potius mortem dixero, inter flagitia agentem Spiritum, anhelantémque. Aſſentietur facile Divus Paulinus, qui epiſt. 12. ad Severum, habens præ manibus illud Pauli ad Epheſios 5. v. 14. *Surge qui dormis*, e *&* EXURGE à MORTUIS, *& illuminabit te Chriſtus*, dum paululum ea, qua ſolet elegantia, verba immutat, nos monet appoſitè in hunc modum: f *Surge qui dormis, & attinges Chriſtum: hoc eſt, diſcute carnalis inertiæ ſomnum: à mortuis curis, hoc eſt, à converſatione carnali eripe mentem, & attinges Chriſtum obtemperando præceptis ejus.* Mortuis ſæculi curis, & carnis concupiſcentiis,nos vocat ad Chriſtum: quia ſicut in ipſo vita eſt,ita in converſatione carnali,mors eſt,& interitus animæ; qui etiam ludendo, & ridendo incurritur, cum amariſſimis digniſſima ſit lacrymis, nec orbis pretio jactura ejus æſtimanda.

a Cryſolog. Serm. 103. & 118. b S. Ambl. l. 3. de SpirituSanct. c. 18. c Ezech. c. 33. & 18. d Peccatum mors animæ.

Tota gentilitas rapta eſt in admirationem, & ſtuporem, contemplando excellentiſſimum inter omnia opera g Protogenis miraculum venuſtatis, in quo ſeptem omnino annis, omnes artis, & induſtriæ ſuæ vires, ac nervos contulit, tanta diligentia, ut vix tempus ſomno, aut refectioni tribueret, *lupinis tantum pro cibo, & potu uſus.* Hæc tabula tanto in pretio,& æſtimatione habita eſt, ut Demetrius Rex Rhodum obſidens, cum illam partem quatere deberet, ubi hæc imago aſſervabatur,obſidionem ſolvere maluerit, quàm tale opus tam rarum, tam præclarum perdere. Delata dein fuit Romam in templum pacis, quam ut Apelles attentius contemplatus eſt, raptus totus in admirationem,exclamavit: *O eximium opus! mira res! ſummus labor! artificium maximum! ſed deeſt illi* GRATIA, *quã ſi habuiſſet,*

e Ad Eph. 5. v. 14. f Paulinus ep. 12. ad Severum. g Plinius lib. 35. c. 10.

procul

procul dubio foret immortalis. Huic imagini complures ex vobis ſimiles; quæ venuſtate corporis, & aſcititiis pigmentis, omnibus ſpectandæ; ſed *deeſt omnibus gratia*, quæ vita animæ eſt. Unde rectè cadit in ejuſmodi illud Sap. 15. h *Effigies ſculpta per varios colores, cujus aſpectus dat inſenſato concupiſcentiam, & diligit* MORTUÆ IMAGINIS SIMILITUDINEM SINE ANIMA. Graviter æquè, & ingenioſè Theodoretus, ſceleſtum hominem, utpotè mortuum, tanquam ſepultum, & terræ mandatum defleri debere aſſerit: exponens enim illud 1. Timoth. c. 5. v. 3. *Quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*, ſic ait: k *immodicæ deliciæ rationem obruunt, & efficiunt ut in corpore, tanquam in aliquo* SEPULCHRO JACEAT. Copioſiùs Ambroſius proſequitur hoc idem l. 2. de Cain, & Abel. cap 9. l *Impii, etiamſi videantur vivere, miſeriores tamen ſunt omnibus* MORTUIS, *carnem ſuam, ſicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam ſuam. Quid enim aliud eſt, quam* SEPULTA, *quæ intra humum volvitur, & terrenæ avaritiæ cupiditatibus, cæteríſque vitiis includitur, ut gratiæ cœleſtis auram ſpirare non poſſit?* Infelix profectò illa anima eſt, quæ non ſecus, ac terræ mandatum cadaver, conſcientiæ corroditur vermibus, & putredine corrumpitur peccatorum, quemadmodum Rex pœnitens lamentabatur: m *Putruerunt, & corruptæ ſunt citatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* David extus purpura, & byſſo amictus perambulabat; ſed intus, in corde mortuus putebat; quod de omni peccatore affirmare non dubitâro, Auguſtino magiſtro, & duce, ſic ſcribente: n *Mortui ambulant, & viventes portant funera ſua; vivere quidem videntur in corpore, ſed mortui probantur in corde.* Formidandum ſanè ſpectaculum, aut potitus ſpectrum, mortuum videre ambulantem. Sed faceſſit aliquibus negotium, quod legitur cap. 32. Exodi, ubi Moſes deſcendens ex monte, mandavit, armata manu vituli profanos adoratores omnes trucidari: o *Cecideruntque in die illa viginti tria millia hominum*; ſi tamen de numero occiſorum, ab Hebræis quæras, affirmabunt interemptos non expleviſſe numerum trium millium. Verba textus ex Hebræa lectione ſunt: *Ceciderunt in die illa quaſi tria millia hominum.* Abulenſis nodum ſolvit his verbis: p *Computantur in littera Hebraica ſolum illi, qui fuerunt occiſi tanquam principales in ſcelere Idololatriæ: in littera noſtra computantur illi, qui fuerunt peccantes, & occiſi*; nempe in anima. Ubi vides tam peccantes, quam gladio interemptos, cenſendos eſſe mortuos; ſed nota diſcrimen. Auctores Hebræi utpote rudiores, craſſioréſque in percipiendis divinis, non computant inter mortuos, niſi quos gladius è medio ſuſtulit: non enim percipiunt aliud mortis genus, longè lacrymabilius, & deflendum magis, quod animæ infert culpa lethalis, quovis percuſſore atrocior, quovis interfectore crudelior. Duplicem inter ſe mortem, corporis & animæ, confert S. Fulgentius; at unam altera lon-

h Sap. 15. k Theodoret. in 1. ad Timoth. c. 5. v. 3. l Amb. l. 2. de Cain & Abel, c. 9. m Pſal. 37. v. 6.

n Aug. lib. de 10 plagis. o Exodi 32. p Abul. in Exod. q. 36.

gè acerbiorem: q *Prima mors animæ, quam ſibi homo intulit, ſecundæ mortis eſt cauſa. Et ſecunda mors, quam Deus homini reddit, primæ mortis eſt pœna. Et quia iſtam ſibi homo injuſtus injuſtè intulit, illam à juſto judice juſtè percepit*; hæc verò *mors animæ*, quantum præ morte corporis timenda, & flenda ſit, ex Magno Gregorio hauriamus, qui Davidicam illam proſopopœiam, qua Martyres loquentes inducuntur, ſic ad rem noſtram interpretatur: r *Humiliâſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos* UMBRA MORTIS. Ubi ait: ſ *Umbra mortis, mors carnis accipitur: quia ſicut vera mors eſt, quâ anima ſeparatur à Deo, ita umbra mortis eſt, qua caro ſeparatur ab anima. Unde rectè, voce martyrum per Prophetam dicitur: humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos* UMBRA MORTIS: *quos enim conſtat non Spiritu, ſed ſola carne mori, nequaquam ſe vera morte, ſed umbra mortis dicunt operiri.* O ſtolidi! O ſtulti mortales! qui umbram mortis, hoc eſt corporis, cujus vel ipſa amata eſt memoria à Deo, reformidant, ut duriſſima quæque perpeti ad effugiendum; omnia quæ poſſident, elargiri ad redimendum non dubitarent; & in mortem veram, ac ſeveram animæ, ſponte irruunt, & ſibi adſciſcunt, nec ut amoliantur, quidquam laborant:

Ut corpus redimas, ferrum patieris, & ignes:
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?

Ut autem duplex mors eſt, t ita & gemina reſurrectio; de hoc præclarè Laurentius Juſtinianus: v DUPLICEM, inquit, *ſcimus eſſe* RESURRECTIONEM, *unam corporalem, alteram ſpiritualẽ; corporalis quidem univerſalis erit, & in fine celebrabitur ſæculorum; ſpiritualis autem quotidie agitur per Dominum* JESUM, *ſicut ipſe ait*: x EGO SUM RESURRECTIO ET VITA. *Sanè* UTRAMQUE RESURRECTIONEM *præcedit mors, quoniam nemo reſurgere dicitur, niſi qui prius fuerit mortuus. Hoc Apoſtolus ſuo confirmans teſtimonio, ait*: y *quod ſeminatur, non vivificatur, niſi prius moriatur.* Mirabilis ſanè Chriſti reſurgentis potentia, & amabilis gratia, ut per illum, qui eſt primogenitus mortuorum, omnes in noviſſimo die reſurgamus; at longè major, & mirabilior, ut per illum omni die, per menſes, & annos, peccator è ſepulchro vitiorum ſæpius reſurgat, & luci gratiæ reſtituatur: Nam z *toties reſurgit homo, quoties peccatum dimittit.* Eodem ſpectat illud Auguſtini: Joan. 5. *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent* a *Nondum de ſecunda reſurrectione, id eſt, corporum loquitur, quæ in fine futura eſt; ſed de prima, quæ nunc eſt, non autem iſta corporum, ſed animarum.* Atque ut animi ſui ſenſum exponat, & nos pleniùs inſtruat, hæc addit: *Habent enim & animæ mortem ſuam in impietate, atque peccatis; ſecundum quam mortem mortuæ ſunt, de quibus* Matthæus cap. 8. ait:

q Fulg. ad monimum lib. 1. Duplex mors. r Pſalm 43. ſ Greg. lib. 4. mor. cap. 17. t Duplex reſurrectio.

v Laurent. Iuſtinian. opuſc. de contemptu mundi c. 12 de duplici reſurr x Ioan. c. 11. y 1. Cor. 15. z Hugo Cardin. ad Coloſſ. 3. v. 1. a Aug. de civit. l. 20. c. 6.

Sini-

Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos, ut ſcilicet in anima mortui, in corpore mortuos ſepelirent. Propter illos ergo impietate, & iniquitate (temulentia, luxuria, perfidia, injuſtitia) *in anima mortuos, venit, inquit, hora, & nunc eſt, ut qui audierint, viverent: ut qui vivunt, non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt,* ET RESURREXIT *propter juſtificationem noſtram: ut ex impietate juſtificati, tamquam ex morte vivificati, ad* PRIMAM RESURRECTIONEM, *quæ nunc eſt, pervenire poſſimus.* Cui luculentiſſimo documento, & firmiſſimo argumento, non habeo, quod addam.

§. III.

Signa, & effectus RESURRECTIONIS SPIRITUALIS.

DIcet aliquis, quî ſcire poſſum, me cum Christo reſurgente, veraciter conſurrexiſſe; b *quanto putas gaudio*, ut cum Bernardo loquar, *replerentur omnia oſſa mea, ſi id ſcire contingeret?* rem magnam, ac miram poſtulas, quámque, ut pro merito, & dignitate ponderes, ac æſtimes, prius tibi indicandum putavi, inter omnia Omnipotentis opera à Theologis ſummum exiſtimari, c juſtificationem impii, ſeu reſurrectionem hominis mortui, ad vitam ſpiritualem. Quod ubi oſtendero, ſigna, & effectus veros, an cum Christo reſurrexeris, allegabo. Sanctus Thomas 2. quæſt. 113. art. 9. quærit, an reſurrectio ſpiritualis, ſeu juſtificatio, ſit maximum opus Dei? quod diſputare, ac diſceptare, multis veſtrum, peregrinum, ac paradoxum videbitur; id enimverò in quæſtionem vocare eſt: an hæc reſurrectio ſpiritualis, ſeu juſtificatio impii, quod idem eſt, majus opus ſit, quàm creatio rerum omnium ex nihilo; quàm condidiſſe cœleſtes illas, ac nobiliſſimas intelligentias in gratia; quàm denique Sanctis omnibus ſeipſum communicâſſe in viſione beatificâ, ac gloriâ donâſſe æternâ. Ad hæc, ut cum Christo reſurgere ſtudeatis, communis illa Angelici Doctoris, divi Auguſtini, aliorúmque Patrum, ac Doctorum ſententia eſt. Ac primum quidem docet ſanctus Thomas, quod reſurrectio ſpiritualis, ſeu d *juſtificatio impii, eſt majus opus, quia terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quam creatio cœli & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis:* per gratiam enim inchoatur in juſtificato ipſa beatitudo, quæ eſt participata æternitas, altioris ordinis, quàm ſit quæcumque duratio rei naturalis, quod magni Auguſtini confirmat teſtimonio, qui cùm dixiſſet, e *quòd majus eſt, quod ex impio fiat juſtus, quam creare cœlum & terram, ſubjungit: cœlum enim & terra tranſibit; prædeſtinatorum autem ſalus, & juſtificatio permanebit.* Quid, quod *in illis tantum opera Dei; in his autem etiam ſit imago Dei.* Quò ſpectat illud Nazianzeni, qui

b Bernard. Serm. 2. de Aſcenſion.
c Reſurrectio ſpiritualis, ſeu juſtificatio impii, opus Dei maximum probatur.

d S. Thom. 1.2. q. 113. art. 9. Roellin. in 12. qu. 113. art. 9. Malderus, Ariaga & Lorea, de gratia. S. Thom. cit.
e Auguſt. in Ioan. Tract. 72.

qui nos nobiliùs reſtauratos, quàm creatos aſſerit, dicens: *Creatos reſtauravit, ac refinxit; & quidem figmento diviniori, primúmque figmentum multis partibus ſuperante.* Idipſum ex alio capite probatur, quod ſumma facilitate cœlum, & terram, ac omnia quæ in eis ſunt, nullo molimine, ſolo verbo creârit: f *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* Atque hæc, ſi Auguſtino credimus, g *in momento*, & ut Sapiens ait, quaſi *ludens in orbe terrarum*, Proverb. 8. vix manu appoſita, ſed extremis dumtaxat digitis, ut admirabundus Propheta exclamat: h *Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.* At ut hominem reficeret, è ſepulchro vitiorum ſuſcitaret, quantum laboravit? quin & majora horum, id eſt, omnibus miraculis in una reſurrectione ſola juſti, patrantur: i *Plus*, inquit ſanctus Gregorius, *fuit converſio Pauli Chriſtum perſequentis, quam Lazari quatriduani in ſepulchro fœtentis reſuſcitatio*; & meritò, quia dum mortuus à funere excitatur, datur vita carni, iterum moritur&; animæ verò nunquam deſituræ: hinc tu opus patras longè mirabilius, dum Dei gratiâ excitante reſurgis, quam ſi omnibus in mundo cæcis diem, ſurdis auditum, mutis ſermonem; ægris ſanitatem dares, imò mortuos in vitam revocares. Accedit, omnia creata, elementa omnia, ſine ulla reſiſtentia obedire voci, ac nutui omnipotentis Dei, ſolum hominem, quem proprio voluntatis reliquit arbitrio, ut ad juſtificationem cooperaretur, reſiſtere, atque adeò reſuſcitari non poſſe, niſi gratiâ adjuvante, & Chriſto velut manum porrigente, eam volens comprehenderit: k *Reſurrexit*, inquit Auguſtinus, *propter juſtificationem noſtram. Quid eſt propter juſtificationem noſtram? ut juſtificet nos, & juſtos faciat nos. Eris opus Dei non ſolum quia homo es, ſed etiam quia juſtus es: melius eſt enim te juſtum eſſe, quàm te hominem eſſe. Si hominem te fecit Deus, & juſtum tu te facis, melius aliquid facis, quàm fecit Deus. Sed ſine te, fecit te Deus. Qui ergo fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te.* Quod accipiendum, non ut prædeſtinantes maligne, ſigno interrogationis, aut admirationis, interpretantur: *Qui fecit te ſine te, non te juſtificabit ſine te?* ſed verè & ſincerè reſurgenti Deo, & manum auxiliatricem porrigenti cooperando, non reſiſtendo, ut amarè queritur Patriarcha Venetus, de ſpirituali animæ reſurrectione, multos ſibi in cauſa eſſe, quod non reſurgant. l Hic aut ille, inquit, *captivatur conſuetudine delinquendi, retrahitur à ſenſualitate, repellitur ſuaſionibus dæmonum, viſibilium detinetur amore amicorum, & affinium: diſſuadetur blanditiis. Ex his ergo rectè colligitur, excellentiorem, atque incomparabiliter mirabiliorem eſſe* ANIMARUM RESURRECTIONEM, *quam corporum: & ſi fas eſt dicere,*

f Pſal. 148. g Auguſtin. lib. 4. de Gen. ad litt. c. 11. Vide Deaponte in Matth. c. 9. Quid eſt facilius, &c. h Pſalm. 8. i S. Gregor. lib. 3. dialog. c. 17.

k Auguſtin. de verbis Apoſtoli, Serm. 15. l Laurent. Iuſtinian. de ſpirituali animæ reſurrect.

longè

longè amplius pro ſalute hominum, quàm in cæterarum rerum procreatione, atque regimine divinam laboràſſe potentiam : in creatione etenim dixit, & facta ſunt, mandavit, & creata ſunt ; quod verò pro hominibus laboraverit Deus, ipſum per Prophetam audi : m *laboravi, inquit, ſuſtinens, &c.* Hactenus probavimus, opus juſtificationis majus eſſe, ipſo opere creationis. Ad ſecundum ſic proceditur à divo Thoma : ſpiritualis reſurrectio, ſeu n *donum gratiæ impium juſtificantis, majus eſt, quàm donum gloriæ beatificantis* ; reſpiciendo proportionem, cui donum confertur : *quia plùs excedit donum gratiæ dignitatem impii, qui erat dignus pœnâ, quàm donum gratiæ, dignitatem juſti, qui ex hoc ipſo, quo eſt juſtificatus, eſt dignus gloriâ* ; o dare autem ei, qui minus dignus eſt, majus donum eſt proportionaliter ; impius verò erat dignus pœnâ, juſtificatus gloriâ, ideo eſt majus, quod illi datur gratia, quàm iſti gloria. Attendite, & intelligite, & ut in reſurrectione prima partem habeatis, contendite : ergo majus donum, & excellentius opus eſt juſtificatio impii? plúſne eſt è ſepulchro peccati mortuam animam reſuſcitare, quàm Angelos creare? quàm cœlites omnes beatificâ ſui viſione donare ? audite, quem p Doctor Angelicus ſequitur, Hipponenſem Præſulem : q *Numquid etiam his operibus majora facit, qui operante in ſe Chriſto, cooperatur ſalutem æternam, ac juſtificationem ſuam*, ſeu reſurrectionem ſuam ſpiritualem ? *non hîc audeo*, inquit, *præcipitare ſententiam. Intelligat qui poteſt, judicet qui poteſt, utrum ſit majus juſtos creare, quàm impios juſtificare.* Ac tandem divinũ illud ſuum profert judicium: *Certè enim, ſi æqualis ſit utrumque potentiæ, hoc majoris eſt miſericordiæ*; quia ut regius Pſaltes ait : r *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Imò & majoris eſſe potentiæ, tota per orbem declamat Eccleſia : *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas.* Ex quibus concludo, ſi majus donum, ac mirabilius opus Dei ſit, unum ex hoc cœtu, ex hac concione peccatorem juſtificari ; & cum Chriſto reſurgere, quàm cælum, & terram, & Angelos creare, quàm cæleſti gloria donare ; ambigere non poſſum, quin tu Adoleſcens, tu Puella, tu Lazare, & quiſquis es peccator, è monumentis veſtris ſurrexeritis.

ſ Quod ut certis ſignis, ac argumentis cognoſcere poſſitis, cujus ſcientiæ deſiderio vos perquam cupidos, ac inflammatos video, ſigna clara non pauca, ac effectus evidentes ſpiritualis reſurrectionis in medium adducam. Quondam pius Senex ore præſago vaticinatus eſt : t *Ecce hic poſitus eſt,* IN RESURRECTIONEM *multorum in Iſraël* ; id eſt, inquit Doctor Seraphicus: u In RESURRECTIONEM *à morte culpæ* Quã perfectam, & omnibus numeris abſolutam ex his colligere poteris.

1. Ut ſit reſurrectio x vera, & non apparens tantùm : nam ſurrexit Dominus *verè* y. Ita ſacri Regum annales memorant, Saulem Regem de ſucceſſu belli an-

m Iſai. 1. n S. Thom. cit. o Roellin. r. 2. qu. 113. p S. Thom. cit q Auguſtin. Tract. 72. in Ioan.

r Pſ. 145. ſ Signa, & effectus ſeu potius conditiones reſurect. ſpirit. t Luc. 2. u Bonavent. de Reſurrect. Serm. 6. Luc. c. 24 1. Reg. cap. 28. x Signum primum ut ſit vera. Luc. c. 24.

xium,

xium, priuſquam cum Philiſtæis confligeret, *Dominum conſuluiſſe*, qui *non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*; ſcilicet impio Regi, & cœlum elingue, & muta erant oracula: à quibus ubi nil accipit, Pythoniſſam adit, & ait: *Suſcita mihi Samuelem*: mirum dictu, viſúque! *vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus pallio, & intellexit Saul, quod Samuel eſſet.* Non verum hîc Samuelem; ſed ejus duntaxat umbram, & inane ſimulachrum apparuiſſe teſtantur Procopius, Theodoretus, Rupertus, Tertullianus, Cyrillus, Beda, aliíque. Huic quamplurimos Chriſtianos conſimiles reperire eſt, qui non tam *verè* è ſepulchris vitiorum ad vitam gratiæ reſurgere, quàm fictè ſimulare, & oculis hominum illudere videntur. Sic ſurrexiſſe cenſendus eſt Sardicenſis ille Præſul, quem divus Joannes, acri, & aculeato ſtylo perſtringit: a *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Non aliter hoc corrupto, & nequam ſæculo reſurgunt illi, qui in ſacro tribunali ſcelera ſua in auribus Confeſſarii deponunt; ſed ſine ullo doloris ſenſu, quaſi hiſtoricam aliquam enarrationem de alio contexerent: qui non tam pœnitere, quam irridere, & illudere cenſentur. Illuſor, inquit S. Iſidorus, *& non pœnitens cenſendus eſt, qui id facit, aut facere cogitat, cujus dolorem præ ſe fert.* Ita ſurgunt illi, quibus nullum eſt ſincerum propoſitum peccata declinandi, occaſiones vitandi, quam domi habent ancillam, aut in vicinia pellicem, aut ſodales in venerem, aut crapulam proxenetas, deſerendi. Ita denique ſurgunt, quibus ſacramentalis abſolutio in ſacrilegium vertitur, dum inveteratum odium in animo fovere, vindictam ſpirare pergunt: qui aliena, vi, vel fraude poſſidentes, ſuo Domino reſtituere nolunt: quodque nimis quàm uſitatum eſt, qui ut omnia in ſacra exomologeſi expoſuerint, unum tamen enormius, diabolicâ verecundiâ os obturante, tegere, ac reticere pergunt. Quod & iis accidit, quæ veræ probitatis, ac pietatis nomen ſortitæ, ubi humana infirmitate lapſæ ſunt, crimen ſuum fateri erubeſcunt. Quod non eſt verè, ſed fictè, & ad ſpeciem reſurgere. Sic, inquit Hugo Cardinalis: b *Plerique magicis artibus ſuſcitāt mortuos, & faciunt ambulare, & confabulari*; cùm revera meræ umbræ viventiū ſint, aut dæmones humana corpora incolentes, ac moventes. Martinus Delrio in diſquiſitionibus magicis diſceptat: c *An diabolus poſſit facere, ut homo verè reſurgat*, probátq; nō poſſe facere, ut anima hominis ſuum corpus ſubintret, & illud vivificet, informétque. Quæ concluſio eſt fide tenenda, ut fuſius ibi, & apud Suarem, Sotum, alióſque videre eſt. Poſſunt tamen magi (ex pacto) per ſuperiores, dæmones, cogere inferiores, ut cadaver ingreſſi, illud geſtent, moveant, cæteráque ad tempus faciant, quibus videantur vivere: ut factum, inquit, Lovanii à Cornelio Agrippa: is commenſalem habebat nimis curioſum; ſemel profectus aliquò Agrippa, uxori, quam poſtea repudiavit, claves muſei ſui tradidit, additâ prohibitione,

a Apoc. c. 3.

b Hugo in Luc. c. 28. c Delrio diſquiſit. mag. lib. 2 qu. 29. ſect. 1. Dæmon facere nequit, ut mortuus verè reſurgat.

ne

ne quem ingredi ſineret. d Inconſultus ille adoleſcens opportunè, importunè, non deſtitit mulierculam deprecari, ſibi copiam ingrediendi ut faceret, donec impetravit. Muſeum ingreſſus, incidit in *libellum conjurationum*, legit: en illi pulſatio ad januam; turbatur, pergit legere, pulſat iterum neſcio quis: & nihil reſpondente rudi harum rerum juvene, dæmon ingreditur, quærit cur vocatus? quid fieri jubeat? iſti vocem metus intercludit, fauces dæmon. Redit interea domum Archimagus, videt exultantes ſuper eam dęmones: utitur ſolitis artibus, adſunt vocati, narrant rem, ut geſta; ille homicidæ dæmoni jubet cadaver ingredi, & per forum (ubi cæteri ſolebant ſtudioſi frequentius convenire) obambulare, tandémque corpus deſerere. Ambulavit ille ter, quatérve, tum corpus concidit, diffugiente eo, qui regebat. Creditum diu, hunc ſubitâ correptum morte concidiſſe; ſed indicia ſuffocationis, initio rem ſuſpectam facere, poſtea tempus omnia divulgavit, & Agrippa, quas pectore occultaverat hæreſes, in Lotharingiam profugus, evomere coactus. Ad propoſitum noſtrum facit, ſic quoſdam in novam vitam videri reſurgere, qui verè mortui, & non tam à ſpiritu Dei, quàm à ſpiritu tenebrarum, & ipſo diabolo, qui eos inhabitat, moveri; qui non niſi ficte, ac phantaſtice reſurgunt. Rem nervoſe complexus eſt eruditione & ſanctitate eminentiſſimus Cardinalis: e *Quidam phantaſticè reſurgunt, & ideo non cum Chriſto, ſed cum diabolo, ut hypocritæ, quos facit reſurgere Pythoniſſa, ſicut Samuel*, 1. Reg. 28. *Illa erat divina* (ſeu maga) *ſic diabolus habet quoſdam divinos, qui dicunt alicui: ſi taliter vixeris, dabitur tibi illa præbenda, vel prælatio talis, vel laudabilis eris hominibus; & ob hoc dimittunt peccata* (deſerunt tabernas, converſationem lubricam, &c. quę optime ad mores traduci poſſunt) *ſed nota, quod* RESUSCITATI à DIABOLO, *non poſſunt diu vivere; ſic nec tales diu cavent à peccato, ſed quando ſublimati ſunt, peſſimè vivunt, & redeunt ad ſepulchra.*

Ex quo deducitur 2. ſignum reſurrectionis ſpiritualis, quod S. Bonaventura requirit: ut ſit f *immortalis*, exemplo ſcilicet ipſius Servatoris, *qui* RESURGENS à MORTUIS, *jam non moritur; ſic & tu* PERSEVERANTER RESURGAS *in converſione, ut de cætero non moriaris in tranſgreſſione*, ut poſſis ex vero uſurpare illud Davidis: g *Non moriar, ſed vivam*. Sic reſurrexêre, qui Chriſto reſurgente, *exeuntes è monumentis*, numquam ad ea redierunt, ut diſertè tradit D. Thomas, dicens: h *Quæret aliquis, quid de illis factum ſit, qui reſurgente Domino*, SURREXERUNT? *quidam dixerunt, quod iterum mortui ſunt, & in cinerem converſi, ſicut Lazarus, & cæteri, quos Dominus reſuſcitavit; ſed iſtorum dictis nullo modo eſt fides accommodanda: quoniam majus illis eſſet tormentum qui ſurrexerunt, ſi iterum mortui fuiſſent, quàm ſi non reſurgerent: Incunctanter ergo credere debemus, quia qui reſurgente Domino à mortuis reſurre-*

d Hiſtoria ficte reſurgentis. e Hug. Card. in Epiſt. ad Coloſſ. c. 3. Si conſurrexiſtis cum Chriſto.

f 2. Signum. Bonavent. in Reſurrect. Dom. Serm. 6. g Pſalm. 117. v. 17. h S. Thom. in Matth. c. 27.

ſurre-

ſurrexerunt aſcendente eo, ad cœlos & ipſi pariter aſcenderunt. Ita novo ſpiritu, & vitâ, novis animis & deſideriis, novis actibus, & virtutibus ſurgat Chriſtianus, nunquam ad peccati tumulum reverſurus; ne illi accidat, quod amariſſimè melliſluus Doctor queritur: i *Proh dolor! peccandi tempus, terminus recidendi, facta eſt* RESURRECTIO SALVATORIS. Redeunt temulenti ad pocula, luxurioſi ad conſueta proſtibula,

k *ſolitóſque reviſere nidos*

Gaudent; plerique ad vetera ſcelerum ſepulchra, è quibus multi nunquā exituri, in inferno ſepeliuntur. Quare audi, ô peccator, Nazianzenum Antiſtitem, pedo ſuo graviter comminantem: l *Cave, ne rurſus emoriaris, iiſque, qui in ſepulchris habitant, aggregeris: ac peccatorum tuorum funibus conſtringaris. Incertum enim eſt, an rurſum ex ſepulchro excitaberis.* Sed hæc pleniùs, ac uberiùs, qui volet, videre poterit in Luc. Evang. p. 1. Dom. Reſurrect.

3. Signum. Ad hoc ut non reincidas, conducet plurimum, m recedere longiùs à ſepulchro, abire à mortis ſede, à domo, quin etiam, ſi opus, ab urbe, ubi per infandum ſcelus mortuus jacueras; nôris tibi ex alto intonari illud: *Lazare, veni foras.* Exurge, recede, fuge procul ea tecta, quæ tibi pro infami ſepulchro fuêre, pro domo mortis ſepulchrali, ut de te quoque dici poſſit SURREXIT, NON EST HIC. Occaſiones, congreſſus, colloquia noxia devita, munuſcula, ſudariola, quæ ſæpe diabolicis philtris illita, in ſepulchro relinque. Animadverſione porrò dignum eſt, Lazarum cum ſudario; ſine illo, Chriſtum è ſepulchro rediiſſe. Ægypti prorex Joſephus, quem typum Chriſti diximus, tum in aliis multis, tum etiam in iſto, quod vel laciniam, cui pellex omni morte deteſtabilior manum injecerat, reliquiſſet: n *Relicto in manu ejus pallio fugit, & egreſſus eſt foras.* Hæc Euſebius Emiſſenus expendens: *Joſeph,* inquit, *detinetur à muliere, Chriſtus à morte; Joſeph pallio relicto aufugit, Chriſtus linteamina in ſepulchro reliquit, &* RESURREXIT; non ita Lazarus, prodiens è ſechro cum ſudario, quod Chriſtus reliquit, & Angelus monſtravit; nec id myſterio vacat: Chriſtus enim mortuali omni relicto impedimento reſurrexit, non moriturus amplius, immortalis in æternum: Lazarus verò morti ſubjectus iterúmque moriturus, ſecum fert ſudarium; ne & tu rurſus moriare, omne mortalis noxæ choragium deſerendum eſt, foras prodeundum, & longè à ſepulchro, hoc eſt à loco, ubi anima interiit, & ſepulta jacuit, recedendum.

4. Requirit S. Bonaventura, ut ſit RESURRECTIO INTEGRALIS; nam ut ille rectè ait: o *Chriſtus neque manum, neque pedem reliquit in ſepulchro; ſic tu à peccatis* TOTUS RESURGAS: *qui enim adhuc manus operum, vel pedes affectuum mortuos habet, vel qui converſus, injuſta bona, vel odium, vel aliud vitium non reliquit,* NONDUM RESURREXIT. Quare ſi quem aliquando

i Bern. Serm. de Reſurrect. Dom. k Virg. 1. Georg. l Nazianz. orat. in S. Baptiſmo. m 3. Signum.

n Gen. c. 39. v. 12. o Bonav. cit.

Salvator optimus evocavit è ſepulchro, totum evocavit: ſi quem ſanitati reſtituit, p *totum hominem ſanum fecit*; ita manus, quæ antea immota, & velut mortua, ſi in eleemoſynas, aliáque charitatis opera ſe promptam exerat, jam reſurrexit: pedes, qui prius mortui, & inſtitis ligati, ſi jam ad ſacras ædes, ad ſacra tribunalia, & divinam menſam properent, jam reſurrexêre: lingua, & os, quod prius in verba laſciva, perjuria, blaſphemias, ſi modò in laudes Dei erumpat, revixit. Hoc eſt, inquit Hugo, q *ſimul* EX TOTO RESURGERE, *contra quoſdam, qui dimittunt quædam peccata, quædam retinent.*

5. Denique omnia paucis complexus Apoſtolus: r *Si* CONSURREXISTIS *cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram*; ita fiet, ut in ſecunda reſurrectione, quando corruptibile hoc induet incorruptionem, cum eo *qui eſt reſurrectio noſtra*, in æternum regnemus.

p Ioan. 7. v. 23.

q Hugo ad Coloſſ. 3. r Ad Coloſſ. 3. v. 1.

FESTUM

FESTUM SECUNDUM
PASCHÆ.

Coëgerunt illum dicentes: Mane nobiſcum. Luc, 24. v. 29.



—— *Amantem injuria talis*
Cogit amare magis. Catull. eleg. 73.

ARGUMENTUM.

NOn fruſtra Dei Filius, peregrini habitu hodierna die apparuit, qui humanam carnem indutus, *quaſi peregrinus* in terras deſcendit, nec fuit ei locus

ſ Iob. 19.

in diverſorio. Quam Redemptoris noſtri indignam repulſam, piæ animæ non ſine ſuaviſſimis lacrymis recolentes, intra penitius cordis ſui cubile, hunc peregrinum excipere, & JESUM hoſpitem, longè ardentiori affectu, quàm Sunamitis illa Heliſæum, habere cupierunt, & meruerunt. Hanc autem felicitatem, ne quis veſtrûm, illis invideat, Auguſtinum adeat, & audiat dicentem: t *Non tibi abſtulit Deus illam dignationem, cum quod uni, inquit, ex minimis meis feciſtis; mihi feciſtis*; illum etenim toties hoſpitio excipis, quoties pauperem, peregrinum, tecto, lecto, & menſa dignaris. Qua hoſpitalitate Patriarcha Abraham excelluit, aliique complures Sancti, qui ſub ſpecie peregrini, Filium Dei non ſemel hoſpitem habuêre, expertique x *uberem hoſpitii ſui eſſe mercedem*; uti econtrà, graviſſima fortunarum, ſæpe etiam animarum jactura, inhoſpitales puniti ſunt. Quæ ut ad ſenſum myſticum, & moralem referamus, quæſtio non futilis nec inutilis eſt: utrum majoris virtutis, ac meriti ſit, uſurpare illud, quod olim *peregrInI DIſCIpULI In eMaVs*: y *mane nobiſcum Domine*; an cum Petro dicere: *exi à me Domine?*

§. I. *Hoſpitalitatem nolite oblivìſci.* Hebr. 13.

§. II. *Pœnæ inhoſpitalitatis, & merces hoſpitalitatis ex Divo Thoma.*

§. III. *Quæſtio. Utrum majoris virtutis, ac meriti ſit cum diſcipulis in Emaus, ex charitate dicere*: MANE NOBISCUM DOMINE; *an cum Petro ex humilitate*: EXI A ME DOMINE

§. IV. *An animæ magis expediat, Chriſtum ad conſolationem invitare præſentem, dicendo*: MANE NOBISCUM DOMINE, *an ad deſolationem, cum ſponſa clamare*: FUGE DILECTE MI, RECEDE DOMINE.

t Aug. de verb. Dom. Serm. 26. x Amb. lib. 8. in Luc. c. 12. y Luc. 24.

FESTUM

FESTUM SECUNDUM
PASCHÆ.

Mane nobiſcum. Luc. 24. v. 29.

ROmanus ille eruditione, & rerum agendarum prudentia Conſul eximus, veriſſimum illud oraculum olim effatus eſt: a *Univerſum mundum, eſſe breve diverſorium*; in quo non commorandum, ſed aliò commigrandum; unde Romanæ eloquentiæ Princeps: b *Ex hoc mundo diſcedo, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo.* Habet hoc hoſpitium, ſeu diverſorium, quòd omnibus pateat; equis & mulis, *bon logis à pied, & à cheval*, viris & fœminis juvenibus, & ſenibus nobilibus, & ignobilibus: probis & improbis, ut ex ipſo nominis etymo docet S Iſidorus: c *Diverſorium dicitur, quia ibi diverſi conveniunt.* Atque utinam, ut Hugo Cardinalis ait, d *eò diebus feſtis tantum convenirent ad confabulandum, & colludendum*, & non ad potandum, & ſcortandum. Perappoſitè enim Sandæus, libro quem inſcripſit *Artifex Euangelicus*, agens de Caupone, Mundum Cauponi confert, qui non modò exporrecta fronte, & blando vultu ſuos hoſpites excipit; verùm etiam blanditiis, & lenociniis ad ſe pellicit: f *Occurrit*, inquit Sapiens, *mulier cauponaria*, ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas. Propinatur primò vinum bonum, luculentus ignis accenditur, dapſilis menſa apparatur, mollis lectus ſtruitur, ac

g *ſomno vinóque ſepultos*

interimit. Quis non ejuſmodi diverſorium, *ſpeluncam latronum*, rectè indigitarit?

Qui patrio ſolo in terras exteras peregre profecti ſunt, teſtari poſſunt, quid periculi in diverſoriis incurrerint, quámque horrendæ carnificinæ, à cauponibus, qui latrocinia exercebant, perpetratæ fuerint. Adhuc animus meminiſſe horret illius tabellarii, qui è Belgio in Italiam tendens multa pecunia onuſtus, dum portis Urbis Paduanæ clauſis, ſero veſpere ad diverſorium ſe recipere cogitur, accidit, ut poſt cœnam ad cubile ductus ſit: ubi dum ſolus degit, lectum aperit, lintéumq; una conſperſum ſanguinis macula reperit. Hoc viſo territus, totum lectum excutit, & ſubtus cadaver recens occiſum deprehendit. Quid agat? ſpe omni evadendi pręciſa cadaver ſupra ſtratū, pileo ſuo nocturno capiti im-

a Petrarcha l.8. ep.21. b Cicero de ſenect. c Iſidor. de Orig. verb. d Hugo Cardin. c.2. Luc. v.7. e Sandæus Artifex Euang, tit. Caupo.

f Prov.7. g Virg.

impoſito collocat, atque ipſe, lumine extincto, rei exitum in aliquo cubilis angulo præſtolatur. Cum ecce intempeſta nocte tabulati valvæ panduntur, & ex fune homo demittitur, qui ſupra corpus iſtius deſcendens, malleo caput infregit, dicens: quieſce hic tabellarie in craſtinum, itaque rurſus attractus eſt. Hoc peracto, mane appropinquante, nuntius ex eminenti ſuo cubiculo Paduam proſpiciens, lodices in tenues lacinias fiſſas, invicem annectit, & ſeipſum præcipitem agit; atque urbem ingreſſus, curat per prætorem viginti milites eò curriculo contendere, qui ita cum ſedecim latronibus illò in diverſorio commorantibus decertârunt, ut tres duntaxat ſuperſtites ad Magiſtratum adduxerint. Conſimili tragœdia alii hoſpites, cum altum ſterterent, lectis ſubitò inverſis, in altas caveas prolapſi, crudeliter trucidati ſunt.

Et hæc quidem corporum, quæ in diverſoriis exercitata carnificina eſt. At longè truculentiora, & frequentiora, quæ in vaſto hujus totius mundi diverſorio, patrata ſunt animarum latrocinia.

In diverſorio, quod *Pavonem* pro inſigni habet, quot ſuperbia elati, & ambitione tumidi, vita animæ ſpoliati ſunt? quot ob punctum honoris, in duello, corporum, & animarum latrocinia perpetrata?

Ubi *Cygnus vel Anſer* pro inſigni eſt, quàm innumeri temulenti *ſomno vinóque ſepulti* ſunt?

Ad *Caput aureum*, quotuſquiſque Avarus divertens, non miſerrimè omnibus exutus, tartareo prædoni ceſſit?

In *Leone*, quò iracundi divertunt, quàm immanis cadaverum ſtrues reperienda eſt?

In diverſorio cui *Porcus* pro inſigni, tanta juvenum, puellarum, virorum ac mulierum, omniſque conditionis hominum clades, ut mundum propè exhauſiſſe videatur. O miſeranda, & execranda, orbis hujus diverſoria, omnium ſcelerum monſtris refertiſſima! & inferni prædonibus infeſtiſſima!

Quid mirum, dum Dei Filius, in carne humana h *quaſi peregrinus* factus, ſi i *non erat ei locus in diverſorio*? Mirabili & amabili ſtupore hîc exclamat Divus Auguſtinus: k *Naſcens Chriſtus non invenit locum in* DIVERSORIO, *per quem omnis creatus eſt locus, & velut peregrinus naſcitur, qui totius orbis eſt Dominus.* Non ei locus apud *Superbos, & Iracundos*, qui mitis & humilis corde. Non apud *Avaros*, l qui dat omnibus affluenter. Non apud *Ebrioſos*, qui quadraginta diebus jejunavit, neque manducans, neque bibens, qui felle & aceto potatus eſt. Non apud *Luxurioſos*, qui ex Virgine naſci voluit, & Sponſus Virginum eſt. Hinc altivolans illa Aquila Joannes m *non uſitata penna* inſonat: *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Caſti conjuges Joſeph & Maria Deo gravida, locum non invenerunt *in diverſorio*: ut dicere liceat, quod de Jove, dum cum Mercurio *humana luſtrat ſub imagine* terras, Poëtæ ex vero commenti ſunt:

n *Mille domos adière, locum, requiémque petentes:*

h Iob. 19. i Luc. 2. v. 7 k Aug. hom. 24. de temp. l Iac. 1. m Horat. Ioan. 1. n Ovid. l. 8. met.

Mille

Mille domos clauſêre ſeræ; tamen una recepit,
Parva quidem, ſtipulis, & canna tecta paluſtri;

Quo antrum Bethlemiticum ad vivum expreſſit. Diverſoria patent mulis & equis, bobus & aſinis & porcis, Thraſonibus, Euclionibus, Lenonibus: his omnes cupediæ, cubilia, aureis periſtromatis exornata, lecti eburnei comparantur; & Filius Dei ab omnibus excluſus, jacet in præſepio, & qui *in propria venit, ſui eum non receperunt.* o

Joannes Dux Andegavenſis, profectus cum exercitu ad Regnum Neapolitanum occupandum, vexillo inſcripſerat: fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes. Sed Alphonſus ſuo inſcripſerat: *Ipſe venit, & ſui eum non receperunt.* Filius Dei in propria venit, non ut aliena rapiat: venit, non ut Herodi regnum eripiat, ſed ſuum mortalibus aperiat: non ut regnet in mundo, ſed in cordibus noſtris, & non *eſt ei locus in diverſorio*, quod omnibus brutis paſſionibus, & belluinis patet affectibus. Quis non cum Magdalena de Pazzis ferventi illa anima in amabili exceſſu exclamet: p *O amor! O amor! quam paucis es cognitus, & dilectus! ſi non reperis alibi, divine amor, ubi quieſcas, veni totus in cordis mei* HOSPITIUM. Didacus Stella Religioſus, & ingenioſus interpres in Lucam, ait: q *Non erat illi locus in* DIVERSORIO: totum quippe diverſorium occupabatur ab aliis; cúmque pauperes eſſent, nemo eos excipere voluit. Idcirco neceſſum fuit, foras progredi, & in pauperrimo tugurio, & vili ſtabulo ſeſe recipere, noſtri amoris cauſa. Sed pietate motus dices: forſitan ſi ego illic eſſem, utique eos reciperem. At quomodo illud faceres, cum quotidie clamet ad oſtium cordis tui, nec aperis illi? Claudis Chriſto portam, & diabolo ipſius inimico aperis: *& dicis, te illis daturum hoſpitium?* Sed inſuper quomodo tu illos exciperes, ſi pauperes non excipis? Tu Chriſtianus? Quod ſi Evangelio credis dicenti: *Quod uni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti*, quid eſt, quod pauperem non excipis? qui nudus, & in medio gelu ambulat? Minus execrandum, quod Bethlemitici Dominum non receperunt, qui eum non cognoverunt, quam tu, qui lumine fidei ſub veſte pauperis cognoſcis peregrinum Deum.

Quæ verò pœna, quamtúmque malum ingratos maneat, qui *eum non receperunt*, Evangelicus Scriba non expoſuit, cùm tamen mercedem magnam nimis exponat iis conferendam, qui *eum receperunt.* An fortè, quia ad tam exquiſitam miſeriam, & tam acerbum tormenti genus reſervantur, ut nec lingua effari, nec calamo exarare potuerit? Oratorem aureum attendite, percunctantem hîc. r *Quid non dicis nobis Joannes, eorum etiam ſupplicium, qui eum non receperunt: ſed tantum quod à ſuis minimè receptus eſt? Quod autem ex hoc eis ſupplicum maneat, præteriiſti. Ita enim majorem in modum eos perterrere poteras. Quanam igitur cauſa id ſubticuiſti?* Solerter obſervat Sanctiſſimus Antiſtes ingens hic ſupplicium denotari, quòd nempe, cum recipiendo

o Ioan. 1. p In vita. q Stella in Luc. c. 2. v. 7.

r Chryſoſt. hic hom. 9.

eum, Filii Dei fieri potuerint, perverſa voluntate noluerint: *Et quodnam*, inquit, *majus ſupplicium eſſe poſſet, quàm ſi in eorum ponatur arbitrio Filios Dei fieri, & nolint, ſed ſponte ſua, tanta ſe nobilitate, tanto honore indignos efficiant? verum enimverò non in hac dumtaxat vita cruciabuntur, cùm nihil acceperint, ſed in ignem etiam damnabuntur æternum, juxta illud: hoſpes eram, & non collegiſtis me &c. ite maledicti in ignem æternum.* Quotuſquiſque veſtrûm eſt, qui hîc ſe reum agnoſcat, qui ad terrificum illud Judicis Dei fulgur perhorreſcat? Ex altera verò parte, *eum recipientium immenſa bona brevi enarrat: quotquot autem receperunt eum*, *inquit, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, ſive ſervi ſint, ſive liberi: ſive græci, ſive barbari: ſive ſapientes, ſive inſipientes: ſive viri, ſive mulieres: ſive pueri, ſive ſenes: ſive nobiles, ſive ignobiles: ſive divites, ſive pauperes: ſive principes, ſive privati; omnes inquit* (nemine excepto) *eodem dignati ſunt honore.* omnes adoptātur in filios, qui Dei filium recipiunt; hæredes ſunt regni cœleſtis, & cohæredes Chriſti, quo nihil ſublimius poteſt excogitari, nihil excellentius ab homine exoptari, nec quid dignius à Deo nobis donari. Si quæ in potenti, aut prædivite familia proles unica, ex aſſe omnium hæres eſt: contingat autem poſt plures annos, unam adhuc, alterámque prolem, in lucem edi; cum iis portionem ſubſtantiæ ſuæ dividat, neceſſe eſt: iſtud verò maximè impotenter ferret, ſi ſibi ſoli exiſtenti, parens alios exteros in filios & hæredes coadoptaret. ſ *Non ſic Deus*, inquit Auguſtinus: *magna benevolentia, unicus filius natus eſt, & noluit manere unus: non timuit habere cohæredes: quia hæreditas ejus non ſit anguſta, ſi eam multi poſſederint. Si aliquis habeat filium unicum, gaudet de illo magis, quia ſolus omnia poſſeſſurus eſt, & non habet, qui cum eo dividat. Non ſic Deus.* Quis tantam mercedem non avidiſſimè ambiat? quis tantam hæreditatem non quovis pretio emat, & æſtimet? Quis non eam felicitatem ſibi obtingere ardentiſſimè deſideret, & mille votis exoptet, ut Filium Dei cum Martha, & Magdalena, cum Matthæo, & Zachæo, aliíſque Sanctis, hoſpitio excipere licuiſſet? Non eſt, quod beatæ eorum ſorti invideatis, omnes vos hodie voti compotes reddam, nixus irrefragabili Hipponenſis Præſulis, quam à prima Veritate hauſit, doctrina: t *Ne quis*, inquit, *veſtrûm forſitan dicat: O beati, qui Chriſtum ſuſcipere in domum propriam meruerunt! noli dolere, noli murmurare, quia temporibus natus es, quando jam Dominum non vides in carne: non tibi abſtulit illam dignationem: cùm quod uni, inquit, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Primò igitur hoc agemus, ut hoſpitalitatem ſectantes, Deum in paupere & peregrino, hoſpitio excipiamus; & quæ ex eo merces, non ſpiritualis duntaxat, ſed & temporalis, redundet, oſtendemus. Tum qualiter v *ſub ſpeciebus panis & vini, quaſi in habitu peregrini*, ut inquit Bernardus, à nobis excipiendus ſit, & cum diſcipulis in Emmaus cogendus ad manendum, paucis demonſtrabimus.

ſ Aug. tract. 2. in Ioan. c. 1.

t Aug. de verbis Dom. Serm 26. v Bern. Serm. de duob. diſcip. euntib. in Emmaus.

§. I. *Ho-*

§. I.

Hoſpitalitatem nolite obliviſci. Hebr. 13.

DOctor Angelicus divina ſua ſcientia, & Angelica facundia, differens ſuper illud Pauli, *hoſpitalitatem ſectantes* ad Rom. 2. ſic ait: x *Ad hanc præcipuè debent nos quatuor movere. 1. Domini præceptum. 2. Sanctorum exemplum. 3 Si non fiat, nocumentum. 4. Si fiat, multiplex profectus.* Quæ cum ſolidiſſimè tractet, ipſius principiis inſiſtemus.

Circa primum, inquit, ſciendum eſt, quia Dominus triplici lege præcipit hoſpitalitatem: lege naturæ, quæ præcipit, ut ſicut ab aliis hoſpitalitatem nobis exhiberi volumus, ita exhibeamus aliis. Matt. 7. *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Lege veteri, Iſai. 50. *Egenos, vagóſque induc in domum tuam.* Et Deuteronomii c. 26. *Vt comedas tu, & peregrinus, & advena tecum.* Lege nova, Hebr. 13. *Hoſpitalitatem nolite oblivisci.*

Ex quibus patet, miſſis etiam motivis, & promiſſis divinis, ipſam rationem, & legem naturæ dictare, ut in pauperes & peregrinos hoſpitalitas exerceatur. Quiſque ſeipſum conſulat, quid ſibi intempeſta nocte errabundo, omnibus deſtituto fieri volet? quàm gratum ſibi laſſo, famelico, eſurienti, omni humano auxilio deſtituto, hoſpitio, cibo, lecto, & tecto benignè excipi? quæ hoſpitalitatis virtus tam illuſtris, ut vel Ethnicorum oculos & animos everberârit. y Pachomius (ut ejus in vita) cùm adhuc Ethnicus militaret in caſtris Licinii Imperatoris, Thebáſque cum caſtris veniſſet, viſa Thebanorum Chriſtianorum in commilitones ſuos hoſpitalitate, & charitate, ad Chriſtum converſus fuit, tantúſque evaſit, quantum jam omnes miramur. Neque ſolum primi Chriſtiani hoſpitalitatem coluerunt; ſed etiam ante quingentos annos fuit illa in pretio, & præcepto. Nam D. Burchardus, Epiſcopus Wormatienſis, qui floruit ſub annum Domini 1020. lib. 1. decretor. cap. 94. interrog. 71. docet, z Epiſcopos in ſolemni Parochiarum viſitatione, in qua de gravibus criminibus inquirunt, ex officio, quaſi de crimine interrogare debere, num in Parœcia eſſent, qui ad ſe venientibus peregrinis, aut viatoribus hoſpitium negarent. Hæc & vobis, divites, lex naturæ præcipit, ut omnes peregrinos hoſpitio excipiatis; hoc tamen diſcrimine, ut potius, & majori charitate & humanitate, egentes, quàm opulentos in domum veſtram inducatis. Quid, quod apud ipſos Gentiles, ut Polycrates narrat, a criminis notam incurrebat, quiſquis ſaltem per quinque dies, peregrino humanitatis hoſpitium denegabat. Quis autem Chriſtianus hîc ſe reum agnoſcit, aut præcepti divini tranſgreſſorem accuſat.

Circa ſecundum, ſciendum eſt, b quod exempla Sanctorum tria docent nos, circa hoſpitalitatem.

x S. Thom. in Serm. Dom. 1. poſt Epiph.

y Roſweid. in vitis Patrum Baron. ad An. 316. z Corn. in Epiſt. ad Hebr. c. 3 v. 2. a Polycrates lib. 8. c. 1. b S. Thom. cit.

1. Ut hoſpites quaſi ad nos cogamus intrare. 2. Ut eos ab injuriis defendamus. 3. Ut cum hilaritate, & feſtinatione, & abundanter hoſpitibus neceſſaria miniſtremus:

Quod primum ſpectat, argumentum ducit ex hodierno Evangelio c COEGERUNT *illum dicentes: mane nobiſcum, quoniam adveſperaſcit.* Quæ ut altius repetamus, Gen. cap. 18. Abraham multarum gentium Pater: *Sedebat in valle Mambre, in oſtio tabernaculi ſui, in ipſo fervore diei,* oculos inſtar aucupis, aut venatoris, ad omnes aditus conjiciens, ſi fortaſſis aliquis viator tranſiret, quem in domum ſuam, quaſi in caſſes pelliceret: *Sedens*, inquit Chryſoſtomus, *eos, qui præteribant,* VENABATUR. Aucupis in morem, qui omnes aves circumvolitantes pellicit, & omnibus illecebris ad intrandum compellit. Non otiosè & acedioſè hic ſedit tantus Patriarcha, ſed huic Aucupi d *apparuerunt tres viri,* & omni humanitate compulit intrare *& dixit: Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum.* Preces, & obſecrationes Abrahæ exponit S. Thomas his verbis: e *Obſecro, declinate ad ſervum veſtrum;* & opportunis, ac importunis precibus compulit intrare.

Geneſis 19. v. 3. *Loth*, qui ſpiritum Abrahami hauſerat, videns duos peregrinos (Angeli erant) *compulit illos oppidò, ut diverterent ad eum.* Hoc potentiùs, quò officioſius ſe excuſabant, ut ſub dio pernoctèſcerent.

Libro 4. Annalium Regum c 4. Sunamitis illa cùm vidiſſet Heliſæum, virum Dei, ſæpius tranſeuntem, f non obnixè modo rogavit, ut diverteret ad ſe, ſed *tenuit eum.* Quæ violenta benevolentia, ac ſancta violentia, ut in variis ſanctis eluxerit; in nullis tamen, ut ſacræ paginæ teſtantur, quàm in hiſce duobus Diſcipulis, clariùs ſeſe manifeſtavit. Ut disertè ſanctus Lucas: g *Coëgerunt illum.* Quo exemplo, inquit Magnus Gregorius, inſtruimur, quia h *peregrini ad hoſpitium non ſolum invitandi ſunt; ſed etiam trahendi:* non enim in hoſpitalitate, tantum excipientis liberalitas, ſplendidus apparatus; ſed potiùs ſincerus affectus, & amicus animus ſpectatur; dum vincula manuum, & precũ injiciuntur dúmque diſceſſum meditanti, portæ occluduntur, pontes attrahuntur, chlamys ex humeris aufertur, veſtis lacinia laceratur. Hæc manifeſta amicitiæ, & hoſpitalitatis ſigna eſſe, nemo diffitebitur. Quæ ut cum Diſcipulis Chriſti in Emmaus, in Chriſto recipiendo æmulemur, hortatur Abbas Guarricus: i *Chriſtus Dominus non modò invitandus; ſed attrahendus quadam violentiâ precis, vehementiáque fervoris, in hoſpitium cordis; ſicut de duobus Diſcipulis in typum hujus rei hiſtoria refert.* Cauſam nôſtis, cur fingat ſe aliò velle deflectere, tranſire, & longiùs ire? *Ipſe quidem non ob aliud, niſi ut probet devotionem charitatis tuæ, aliquando ſe fingit longiùs ire. Sicut & duo Angeli, Loth adorante, & obſecrante, ut intrarent, diſſimulabant tamen, dicentes: minimè, ſed mane-*

c Luc. 24. v. 29. d Gen. 18. e S. Thom. cit.

f Hugo 4. Reg. 4. g Luc. 24. h S. Gregor. hom. 13. in Euang. i Guarricus de advent. Domini, Serm. 3.

bimus

bimus in platea. Sed quid dicit Scriptura? COMPULIT *illos oppidò ut diverterent ad eum. Pia violentia, qua regnum cœleſte rapitur. Laudabilis importunitas, quæ Chriſtum hoſpitem, aut Angelos promeretur.*

S. Marcus narrat, cùm Diſcipuli eſſent in medio mari, & adverſo vento laborarent in remigando: k *Venit ad eos* JESUS *ambulans ſupra mare, & volebat præterire eos.* Quomodo voluit præterire, qui mox ad eos intravit? fidem eorum explorare, rogari & orari voluit; ſic maximè venire deſideravit, ut Doctor mellifluus rectè obſervavit, dicens: l *Super mare ambulans, cum Apoſtoli navigarent, & laborarent in remigando, quaſi volens præterire eos; nec tunc quidem illud volebat, ſed magis probare fidem, & elicere precem.* Sic ait Dilectum cum dilecta ſua cœleſti Sponſa, etiam cum anima tua agere conſueviſſe: *Nam iſtiuſ modi,* inquit, *piam ſimulationem, imò ſalutarem diſpenſationem, quam tunc corporaliter* VERBUM CORPUS *interdum exhibuit, non ceſſat indeſinenter* VERBUM SPIRITUS, *modo ſuo ſpirituali, cum devota ſibi anima ſedulò actitare.* Rogari, teneri, cogi vult: *Præteriens teneri vult, abiens revocari.*

Quid eſt, quòd pleroſque cœleſtis Sponſus prætereat, nec ad hoſpitium animæ divertat? non eſt, qui ardentibus precibus, inflammatis deſideriis roget eum, etiam profuſis lacrymis, & expanſis amoris brachiis compellat eum, prætereuntem teneat, abeuntem revocet: non enim alia de cauſa Sponſam deſerit, niſi ut audiat amabilem illam invitantis vocem: revertere dilecte mi: nam, ut inquit Bernardus: m *Forte ideo ſubtraxit ſe, quò avidius revocaretur, teneretur fortius. Nam & aliquando ſimulabat, ſe longius ire, non quia hoc volebat, ſed volebat audire: mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit.* Dic & tu, dum Deum hoſpitem nactus es: *Mane nobiſcum, quoniam adveſperaſcit,* quoniam alta nox deſolationis, tentationis mihi imminet, quoniam lux cœleſtis intelligentiæ obtenebraſcit, & priſtinus diei fervor intepeſcit: omnia exercitia ſpiritualia, ferventia deſideria, ingentia propoſita: n *Hæc omnia, ubi abſceſſerit Sponſus, perinde ac ſi ollæ bullienti ſubtraxeris ignem, quodam illico languore torpentia, & frigida jacere incipiunt.* Econtra verò, ô dulcis hoſpes animæ!

o *Quando cor noſtrum viſitas,*
Tunc lucet ei veritas,
Mundi viloſcit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Quare, ô felix anima, quæ Deum præſentem habes ſacratiſſimo corpore, & anima, & tota divinitate, omnibúſque perfectionibus divinis in hoſpitio cordis tui; ſi diſceſſum meditetur, luctare cum Jacob, & dici: p *Non dimittam te, niſi* BENEDIXERIS *mihi,* & tibi, niſi, quo eges, donum continentiæ elargitus fuerit, & benedixerit tibi: niſi alteri, quo eget, donum fidei, ſpei, charitatis impertitus fuerit, & benedixerit ei, non dimittat eũ. Dicat alius, niſi etiam temporalem benedictionem dederis mihi, ut ex longo languore corporis liberari queam: parentibus afflictis opulentior fortuna, fra-

k Marci 6. v. 48. l Bernard. Serm. 74. in Cant.

m Bern. cit. n Bern. cit. o Bernard. in hymnis. p Gen. 32.

tribus pingue beneficium, ſororibus opulentum matrimonium obveniat, *non dimittam te.* Sed nec ſic dimittendus eſt, nec pro mille benedictionibus carere eo cupit ſancta anima, ſed dicit: q *tenui eum, nec dimittam.* Quod expendens D. Bernardus ait: r *Non te*, inquit, *dimittam, niſi benedixeris mihi. Ita iſta non vult eum dimittere, & forte magis, quàm Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem; ſiquidem ille benedictione acceptâ dimiſit eum, hæc autem non ſic. Nolo, inquit, benedictionem tuam, ſed te ſ: quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? non dimittam te, nec ſi benedixeris mihi. Tenui nec dimittam.* Oſtia illi claudenda ſunt, ne per ſenſus elabatur: brachia piorum affectuum, & ardentium deſideriorum injicienda ſunt, quibus teneatur. In ſecretius cordis cubiculum deducendus eſt, ubi abſcondatur, ut dicere queas cum Sponſa: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genetricis meæ:* non in atrio relinquendus, ſed in penitius cubile rapiendus, in quo mirabiles amoris affectus, & ſtupendos gratiæ effectus operetur: nam t *ſufficiebat ad ſalutem, domum intrare; at ſecretum cubiculi, ſignat gratiam.*

Sed quid eſt, quod quæri deſideret, quòd invitari, rogari, teneri, & cogi exoptet, qui ultro ſe offert, qui clamat: u *Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum*; qui fidem obſtrinxit: x *Vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*? infinitò ardentiori deſiderio deſiderat ille cordis noſtri hoſpitium ſubire, quàm nos illum recipere. Ex oculis Diſcipulorum quidem evanuit, at ne hoſpitis, & peregrini unquam ſpeciem, & perſonam exueret, ſub ſpeciebus Euchariſticis, veſte prorſus peregrinâ, eáque tenuiſſimâ, adinvento divinitatis hactenus incognito, apud nos hoſpitari, & nobiſcum commorari *uſque ad conſummationem ſæculi voluit.* Quod melleus Doctor expendens ait: y *Tenebantur oculi eorum, quia Dominus erat in habitu peregrini: & cùm eum quotidie perſpicimus in altari, ſub ſpeciebus panis & vini, nobiſcum habitat in ſpecie peregrini.* Ardet, & ambit ut ad nos divertat; ſic tamen, ut ingratus, invitus, & inviſus hoſpes eſſe refugiat; ſed gratanter excipi, inſtanter rogari, violenter cogi deſideret. Unde idem Bernardus: z *Nec minus forſitan ille teneri vult, cùm perhibeat, dicens: deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum, quodque pollicens ait: Ecce ego vobiſcum ſum, &c. Tenui eum, inquit Sponſa, ſed nihilominus, ipſa viciſſim tenetur ab eo, quem tenet, cui alibi dicit:* a *tenuiſti manum dexteram meam. Quæ tenetur, & tenet, quomodo jam cadere poteſt?* tene & tu tenentem te, & firmiter ſtabis, nec cadere poteris. Tene eũ in memoria tua, in intellectu, in voluntate. Tene eum in oculis tuis, in manibus, in corde tuo. Tene eum in quacumque tribulatione, & adverſitate, uſque ad extremum ſpiritum. Quidquid Jesus non eſt, teneri non poteſt.

Secundò, ait S. Thomas, requiritur, b *ut hoſpites ab injuriis defen-*

q Cant. 3. r Bernard. Serm 72. in Cant. ſ Pſalm. 72. t Bern. cit. u Proverb. 8. x Matth. 28.

y Bernard. Serm. de duobus Diſcipulis euntibus in Emaus. z Bernard. Serm. 79. in Cant. a Pſ 72. b S. Thom. Serm. in Dom. poſt Epiphan. in Epiſt.

defendamus. Ita Loth feciſſe legimus Gen. 19. *Loth compulit illos oppidò* (duos Angelos) *ut deverterent ad eum.* Prius autem quàm irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum, à puero uſque ad ſenem, *omnis populus ſimul.* Qui ne quid injuriæ hoſpitibus inferrent: c *Egreſſus ad eos Loth, poſt tergum occludens oſtium, ait: nolite, quæſo, fratres mei, nolite hoc malum facere, quoniam ingreſſi ſunt ſub umbra culminis mei. Unde diſcitur, quod mos erat, hoſpites ab injuriis defendere.* Idem, quemque veſtrum obſecro & obteſtor, eo ſaltem die, quo divinum illum hoſpitem excepiſtis, nolite ei malum facere, nolite ei injuriam inferre. Ab iis quoque, qui hoſpiti malum machinantur, ipſum defendite, ne hoſpitium veſtrum domus veſtra fiat ſpelunca latronum; quod fit, dum recepto intra viſcera Chriſto, noxam lethalem in animum admittitis: Virgo Mater mulier illa eſt, inquit Eccleſia, quæ excepit Jesum *in domum ſuam*, in incarnatione, per quam eam dignitatem conſecuta eſt, ut Mater Domini effecta ſit; quæ dignitas, cuilibet Chriſtum in Euchariſtia recipienti, quodam modo confertur, ut ſanctiſſimæ Virgini *d* Stephanæ de Soncino, Deipara gratulata eſt. Et longè eminentiori modo ſacris Myſtis competit, qui non ſolùm Chriſtum recipiunt ſub tectum ſuum; ſed, ut tradit Auguſtinus, exclamans: e *O veneranda dignitas ſacerdotum! in quorum manibus Dei filius, velut in utero Virginis incarnatur.* Nunc verò ſi nefas fuerit hoſpitium illud virginale, vel originali, vel actuali ullo nævo coinquinari; quis non videat par eſſe, ut & nos animæ hoſpitium, ad quod Dei filius divertit, ab omni noxa, quæ Dei injuria eſt, vindicemus. Unde idem Doctor: f *Quoties aliquod peccatum cogitando, aut loquendo, aut etiam operando perficimus, ei qui in nobis habitat, injurias irrogamus.* Qui verò mortalem culpam admiſerit, latronem inducit, & hoſpitis ſui Deicida eſt. De quo amariſſimè queritur per Prophetam: g *Numquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta? ego ego ſum, ego vidi, dicit Dominus.* Qui eo ipſo die, quo Chriſtum hoſpitio excepit, temulentiæ, detractioni, turpiloquio, luxuriæ vacat; cacodæmonem, capitalem Chriſti hoſtem, intra ſe ſuſcipit, divinum hoſpitem exturbat. Cui maximè enormi ſacrilegio, quid par eſſe poteſt? audite Hieronymum detonantem: h *Dic Sacerdos, dic Clerice, quibus labiis filium Dei oſcularis* (intra viſcera receptum) *oſcularis labia meretricis?* vos autē omnes compello verbis Auguſtini: i *Videte, ſi juſtum eſt, ut ex ore Chriſtianorū, ubi corpus Chriſti ingreditur, luxurioſum canticum, quaſi venenum diaboli proferatur*, & hoſpiti veſtro propinetur?

Tertiò, *ut cum hilaritate, & feſtinatione, & abundanter hoſpitibus neceſſaria miniſtremus.*

In his excelluit, inquit, magnus ille gentium Pater Abraham, qui ſedebat ante oſtiū tabernaculi, *k ſeu ante januā domus in meridie*, ut tranſeuntes obſervaret, cúmque tres peregrinos adventantes con-

c S. Thom. cit. d Hautin. de ven. Sacram pag. 330. nu. 634. e Auguſtin. lib. de dignitate Sacerdot.

f Auguſtin. Serm. 210. de temp. g Ierem. 7. h Hieronym. cit. à Suarez. 3. part. qu. 66. i Auguſtin. Serm. 215. de temp. S. Thom. cit. k Chryſoſt. in Gen. hom. 41. Gen. 18.

ſpe-

ſpexiſſet: *Cucurrit in occurſum eorum, & dixit: Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum.* Quos cùm lætus excepiſſet: FESTINAVIT *Abraham, & dixit Saræ*: ACCELERA, *tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes.* Sed ne ſolo pane, & adeò frugi eos excepiſſe autumes: *Ipſe verò ad armentum* CUCURRIT, *& tulit inde vitulum* tenerrimum, & optimum, deditque puero (Iſmaeli filio, inquit Lyranus, ut eũ aſſuefaceret hoſpitalitatis operibus) *qui feſtinavit, & coxit illum. Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit coram eis.* Præ reverentia autem, & humanitate, *ipſe ſtabat juxta eos.* Ex quibus concludit S. Thomas: l *Ut doceamur hilariter, & feſtinanter, & abundanter hoſpitibus miniſtrare.*

Quot, & quanta hîc ſanctæ hoſpitalitatis documenta, & argumenta? quæ Sancti Patres, pro merito in cœlum efferunt. m *Vide*, inquit Chryſoſtomus, *exultantem in opere, & præ gaudio ſaltantẽ.* Hilaris & alacer exultat Patriarcha de receptis hoſpitibus, quaſi de capta præda: eum enim ut aucupem, aut venatorem deſcribit, dicens: n *Sedens eos, qui præteribant, venabatur.* Omnis illi expectatio longa erat, & diem perditum ducebat, quo neminem in caſſes ſuos induxiſſet; ſi quem verò nactus fuerat, geſtiebat, & lætabatur, inquit Hieronymus, o *quaſi reperta præda.*

Scio quoſdam è vobis libenter, & gaudenter hoſpitio ſuo excipere velle virum Principem, Purpuratum Patrem, opulentum Dynaſtam, Prælatum, Præſidem, Commiſſarium, vel etiam amicum, aut propinquum, à quibus vel lautam hoſpitii mercedem, vel ſibi honorificum officium, vel filio pingue beneficium, aut divitem hæreditatem præſtolantur; alios cognatos, affines, pauperes, peregrinos, exteros, torvo vultu, invito animo, angulo domus, frugali victu excipiunt, læti dimittunt, ſæpiſſimè vero excludunt.

Refert in hanc rem Robertus Holcot, divinus Sapientiæ interpres, p virum S. Matorium, magnificum ac opulentum ſibi caſtrum exædificaſſe valvis ampliſſimis, quibus omnes hoſpites pauperes, ſimplices, ac mendicas mulierculas, tecto, & convivio arceri volebat, his litteris uncialibus, foribus præfixis.

Decretum detur, ne dormiat, aut epuletur
Hîc gens villana; ſed Achilles, Plato, Diana.

Dictitans neminem tectum ſubire poſſe, niſi viros militia inſignes, aut philoſophicis præceptis, & eruditione illuſtres, aut matronas avito ſanguine nobiles. Hac epigraphe ſcripta, & foribus præfixa, terrificum habuit intempeſta nocte monitorem, Chriſtum Judicem minitantem: cœli valvas illi occluſas, qui ſuas hoſpiti peregrino & pauperi, hoc eſt ſibi, occluſiſſet. Quo nocturno viſu ille exterritus, & januam cœli ſibi occludendam veritus, ad Dei Matrem ſupplex accurrit, & lacrymis ipſam, & filium exovavit, hoc pacto, ut veteri Epi-

l S. Thom. cit. m Chryſoſt. cit. n Chryſoſt. in Gen. hom. 41. o Hieron. epiſt. ad Pammach. ſuper obitu Paulinæ.

p Holcot. in Sap. c. 19.

graphe inducta, hanc novam, quam ipſa Dei Mater ſuggerebat, ſubſtitueret:

Muta decretum, Sanctorum ſuſcipe cœtum,
Nudum Martinum, Jacobum, Laſarum, peregrinum.

Utinam hujus viri exemplo, potentes Toparchæ, & pagorum, prædiorum, ac caſtri ſuburbani Domini, etiam animum mutarent, & hoc breve Lemma foribus præfigerent, quo nudis, viris Apoſtolicis, & Religioſis, omnibus peregrinis, ædes patere ſignificarent: eraſo & deleto politico illo Tullii principio, ex Theophraſto deſumpto: *Valde decorum, patere domos hominum illuſtrium, hoſpitibus illuſtribus*; quos dum lautè tractârint, viciſſim ſperant, ſe ac ſuos ab iis invitandos; q cùm econtrà, inquit Lactantius, *Deus præceperit, ut ſi quando cœnam præparaverimus, eos in convictum adhibeamus, qui revocare non poſſint, & vicem reddere, ut omnis actus vitæ noſtræ non careat miſericordiæ munere.* Quare ibidem reprehendit Ciceronem: *Non enim juſti,* inquit, *& ſapientis viri domus illuſtribus debet patere; ſed humilibus, & abjectis: nam illuſtres illi, ac potentes nulla re poſſunt indigere, quos opulentia ſua munit, & honorat.* Æmulandum itaque, & imitandum vobis propono Magnum Patriarcham Abrahamum, qui obvios quoſque in domum ſuam inducebat: r *Non curioſè explorans eos,* inquit Chryſoſtomus, *neque requirens, an noti, vel ignoti eſſent; ſed omnibus ſimpliciter ſuam communicabat benignitatem.* Tum hoc ſalutare monitum ſubjungit: *Audiamus dilecti, & hoſpitio excepturi, nunquam quæramus, quis, & unde.* Ut præclarum illud Jobi encomium quiſque veſtrûm uſurpare queat: s *Foris non manſit peregrinus: oſtium meum viatori* omni, & ſemper patuit, ut Chryſoſtomus citatus.

§. II.

Pœnæ inhoſpitalitatis, & merces hoſpitalitatis, conſequenter ex Divo Thoma.

In utramque partem potentia ſunt ad deterrendum ab ea immanitate, & ad perſuadendum charitatem, argumenta.

Circa tertium, inquit, ſciendum, t quod tria mala, incurrunt hujuſmodi, qui nolunt hîc hoſpitalitatem ſectari: Primò; quia hic à Domino puniuntur. Sic Gen. 19. Sodomitæ à minimo uſque ad maximum, qui peregrinis apud Loth commorantibus, injuriam inferre parabant, & u *vim faciebant vehementiſſimè, jámque prope erat, ut effringerent fores,* vindicem Dei manum experti ſunt, *percuſſi cæcitate, ita ut oſtium invenire non poſſent.* Nec illi ſolum, ſed & omnes concives inhoſpitales, igne de cœlo pluente, conſumpti ſunt, teſte Auguſtino Serm. 70. de temp. x *Ecce,* inquit, *hoſpitalem domum Angeli ingrediuntur; clauſæ hoſpitibus domus flammis ſulphureis concremantur;* & immanes ac barbari inquilini, ex his flammis ad æter-

q Lactantius lib. 6. divin. inſtit. c. 12.
r Chryſoſt. in Gen. hom. 41.

ſ Iob 31. v. 32. t S. Thom. ſupra cit. u Gen. 19. x Auguſt. ſerm. 70. de temp.

nā incendia devolvuntur. Confirmat idipſum Sapiens, Ægyptiorum barbaram inhoſpitalitatem deſcribens, quorum varias plagas à Deo immiſſas cùm enarraſſet, ait: y *juſtè patiebantur ſecundum ſuas nequitias: Etenim deteſtabiliorem inhoſpitalitatem inſtituerunt: alii quidem ignotos non recipiebant advenas; alii autem bonos hoſpites in ſervitutem redigebant. Et non ſolùm hæc; ſed & alius quidam reſpectus illorum erat: quoniam inviti recipiebant extraneos; qui autem cum lætitia receperunt hos; qui eiſdem uſi juſtitiis, ſæviſſimis afflixerunt doloribus.* Et ecce è veſtigio, *percuſſi ſunt cæcitate.*

Quod ſi Ægyptii graviſſimè olim à Deo puniti ſunt, quòd filios Iſrael peregrinos non ſuſceperint, aut invitè, aut duriter tractarint, cóſque perſecuti ſint, qui benevolè exceperant; quas pœnas ſibi imminere non jure reformidet, qui Deum Iſraëlis, in carne noſta peregrinum non exceperit, aut malè tractarit? Quod ſi quos ea plaga non percellat, graviorem longè intentat, quod palàm z *in judicio confundentur.* Matth. 25. *Hoſpes eram & non collegiſtis me.* Atrociſſimè verò punientur, quia *in malum hoſpitium includentur.* Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Quo nihil terribilius ulli ſceleri poteſt interminari. Verum enimverò, quia vos ſcio potius privilegiis duci, quàm ſuppliciis, præmiis, quàm pœnis; uberrimos hoſpitalitatis fructus, tam temporales, quàm ſpirituales paucis enarrabimus: quorum primus: quod frequenter in peregrino *Sanctos Angelos*, imò Deum ipſum hoſpitem exceperint. Sic enim Apoſtolus: a *Hoſpitalitatem nolite oblíviſci; propter hanc enim quidam placuerunt, Angelis hoſpitio receptis.* Patet in Abrahamo & Loth. Ambroſius: b *Vides quia Abraham Deum recipit hoſpitio, dum hoſpites quærit. Vides, quia Loth Angelos ſuſcepit. Qui ſcis, an & tu, cum ſuſcipis hoſpitem, ſuſcipias Chriſtum?* O, ſi hoc ſcire contingeret! Attendite Auguſtinum: c *Diligenter*, inquit, *hæc audite fratres, qui hoſpitalitatem exercere non vultis, qui hoſpitem, velut hoſtem excipitis; ecce beatus Abraham, dum homines ferventer exciperet, ipſum Deum ſuſcipere promeruit. Hoc etiam in Evangelio Chriſtus confirmavit dicens:* d *Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me. Nolite ergo negligere peregrinos, ne forte, quem non excepiſtis, ipſe ſit Chriſtus.* Quare ne incredulitas vos fallat, & ſerò tanti hoſpitis repulſam lugeatis, manifeſtum vobis reddam, in peregrino Angelum, & ipſum Chriſtum ſuſcipi.

e Sanctus Gregorius Magnus, cùm peregrinos duodecim ad menſam quotidie adhiberet, aliquando tertium decimum conſpicatus inter eos, quem haud invitaverat; eum variare vultum animadvertit, & nunc apparere adoleſcentem floridum, nunc venerandum Senem: quaſi pium aliquem & innocentē Proteum. Ideò ſublatis menſis, ſeorſum interrogavit nomen, & genus; didicítque Angelum Dei eſſe, cui

y Sapientiæ c. 19. v. 13. z S. Thom.

a Ad Heb. 13. b Amb. l. 1. offic. c. 21. c Aug. ſerm 70. de temp feria 5. poſt Dom. 1. quad. ſerm. 1. d Mat. 25. e Ioan. Diacon. in vita Petra S. Thaumaſiæ. tom. 1. c. 11.

cui perinde aliàs, inopis habitu ſtipem emendicanti, ad Clivum Scauri eleemoſynam dediſſet. Et tunc is vaticinio præclaro, ei Pontificatum prænuntiavit, addidítque deſtinatum ſe à Deo adjutorem, & cuſtodem ipſius, in Eccleſiæ regimine, ac Principatu.

At *f* Sanctus Leo, Pontifex nonus ejus nominis, nocte quadam, dum quieſcerent famuli, uno ex aſſeclis ſecretioribus lumen præferente, in Palatii atrium deſcendit, jacentémque ibi leproſum, ulceribus, ac tabe manantem, humero extulit, atque in cubile ſuum deportavit. Deum fuiſſe, leproſi ſpecie, argumento eſt, quòd cum Pontifex eum ſuo collocaſſet in lectulo, conclavis oſtio clauſo, & ad locum propinquum ſeceſſiſſet, ut preces pro more, ac divinos hymnos legeret, ac poſtea ibidem humi cubaret; manè ad cubiculum reverſus, foribus patefactis, neminem in lecto repererit. Excedere autem hoc pacto potuiſſe nullum alium, niſi aliquem è Superis, aut Deum.

Nec minor fuit gratia, aut minùs mira, qua benigniſſimus Redemptor noſter S. Auguſtinum, Hipponenſem Antiſtitem dignatus eſt: *g* Domus ejus erat inſtar Abrahæ; peregrinis, exteris, advenis, pauperibus omnibus patebat, quibus alendis, ſi ſumptus, & collectæ eleemoſynæ non ſuppeterent, ipſos calices, & vaſa ſacra, ut eorum neceſſitatibus ſubveniret, conflabat. Qua eximia charitate id aſſecutus eſt, ut Chriſtum ipſum apud Tageſtam, in prima ſua eremo hoſpitem habere meruerit. Quodam enim die, cum ferventi in Dei obſequium ſpiritu exardeſceret, eccum tibi, ad fores cubiculi peregrinus quiſpiam, abjecto habitu, & contemptibili ſpecie pulſat, quem S. Pater pro conſueta in omnes advenas pietate, cùm benevolè excepiſſet, pedes eidem lavit, eúmque amplexus eſt, & ſedere juſſit, atque quieſcere. Cui peregrinus gratiam rependere volens, & ſe, qualem, ac quantum hoſpitem excepiſſet manifeſtare: *Auguſtine*, inquit *noveris te hodie Filium Dei, in carne humana recepiſſe: commendo tibi Eccleſiam meam.* Híſque dictis diſparuit, relinquens in hoſpitis ſui corde ſuaviſſimam flammam amoris, ſuæ præſentiæ teſtem, qua ipſe exinde vehementius ad ejuſdem charitatis exercitia exarſit.

Habetis viros hoſpitales. Ne ſortem tam beatam nobiles Matronæ, aliæque fœminæ illis invideant; illuſtre exemplum habent, S. Eliſabetham: Peregre forte maritus abierat, cum illa hominem mendicum, ulceribus plenum præ foribus conſpicata; non modò ſtipe donavit, verum & in Caſtrum admiſit, & menſæ adhibuit. Quin & proprio, eóque commodiſſimo, ac elegantiſſimo, variis periſtromatis, picturis, & pretioſis chryſendetis exornato cubili ipſa carere voluit, & in angulo, ac cinere deliteſcere, ut pannoſus ille & ulceroſus, regio ſuo in thalamo molliter quieſceret. Poſtero die, præter ejus exſpectationem, bene

f Ex Wiberto Archiac. Surius, in vita. g Navius in vita S. Aug. c. 6.

bene manè, maritus domum divertit: cúmque illa ſciret leproſum adhuc decumbere, & maritum videret ad cubiculum illud properare; tota anxia, & inops conſilii, eundem in conclave comitari ſtatuit, factum, & ſuſpicionem deprecatura. At dum cortinas reducit, reperit thalamum vacuum, & totum cubile mirifica fragrantia, & cœleſti odore refertum, & ipſa & viro attonitis. Quod, quid rei eſſet, dum ſolicitè ſciſcitatur, candidè illa & ingenuo rubore fatetur, quid miſero hoſpiti charitatis exhibuerit: nullo utrique conjugi dubio relicto, quin ſub peregrini ſpecie, ipſe Rex cœlorum, eorum cubili, & thalamo exceptus fuiſſet. Quod amabile prodigium tam incredibiles ſtimulos illis addidit, ut omnes opes, agros, operam pauperibus, & peregrinis excipiendis, impenderint.

Chriſtiani primævi ſæculi, à Servatore edocti, adeò in hoſpitalitatem propenſi erant, ut non ſolùm peregrinos ad hoſpitium cogerent, & pertraherent; ſed etiam domos ſuas in hoſpitium advenientibus peregrinis dicarent. Meminit hujus moris D. Auguſtinus, dicens h *Alij vovent domum ſuam eſſe hoſpitalem omnibus ſanctis advenientibus; magnum votum vovent.* Cellulas proinde hoſpitales habebant. Sic S. Paulinus: i *Tugurium noſtrum, quod à terra ſuſpenſum cœnaculo, una porticu cellulis hoſpitalibus interpoſita longiùs tenditur, quaſi dilatatum gratia Domini.* Quam Chriſtianorum hoſpitalitatem longè exſuperat, urbium & orbis caput Roma. Et ut alias brevitatis ſtudio omittam; præterire non poſſum, pulcherrimam, omníque laude dignam Ceſenæ urbis in recipiendis hoſpitibus conſuetudinem. *k* Cùm enim publicorum diverſoriorum nullus pænè hic eſſet uſus, ſinguli illius civitatis Patres, quamprimum hoſpitem conſpexiſſent, in domum ſuam excepêre, tanta hoſpitalitatis contentione, ut ſæpe res à rixis ad conflictum veniret. Decretum itaque quomodo hoſpites exciperentur: erecta enim fuit in foro columna, in cujus ambitu fixi erant tot annuli ferrei, notis diſtincti, quot eſſent nobiles familiæ, cautúmque fuit tollendæ controverſiæ cauſa, ut ad cujus annulum alligâſſet hoſpes equum, in ejus domum diverteret. Ita Jacobus Philippus Thomaſinus, Epiſc. Æmonienſis. Quod quàm non modò Deo, ſuperíſque acceptum, ſed & urbi, & nobiliſſimis hiſce familiis glorioſum, *l* probat ex Origine Illuſtriſſimæ familiæ Spinularum, aſſerítque anno 1102. Guidum, Filium Beli Vicecomitis primum Spinulæ cognomen fuiſſe nactum, cum hoſpitibus frequentioribus liberaliter exceptis, varii generis vina promi juberet. *Spina* enim Italis dolii ſiphunculus eſt, & *ſpinolare*, Liguribus eſt, vinum ex dolio haurire.

Hac igitur antiquis gentilitiis inſignibus, nempe teſſerulis viginti octo albis, & rubris, ſimul junctis, inſtrumentum illud, inſigni hoſpitalitatis exemplo, ac-

h Aug. in Pſal. 75. i Paulin. ep. 10. ad Severum.

k Iacobus Thomaſin. Teſſera hoſpitalitatis pag. 126. l Idem ibid. pag. 127. Et Aug. Iuliani Annal. Genuenſ. l. 2.

ceſſit.

ceſſit. Quem majorum morem, ſecuti ejuſdem clariſſimæ familiæ poſteri. Hanc nobilitatem qui ambit, eorum hoſpitalitatem ſequatur. Sed pergo porrò.

Si amicus amicum, virum nobilem, & præpotentem hoſpitio excipiat, libens per breve tempus, incommodum aliquod patitur, ad angulum domus ſe recipit, & in palea dormit, ut hoſpiti honeſto & nobili, de meliori loco, & lecto proſpiciat. Hæc divino hoſpiti propriiſſimè accommodat D. Bernardus: m *Quæſo te*, inquit, *quis ruſticus, ſi fortè nobilis, & præpotens quiſpiam apud eum voluerit hoſpitari, non libenter in angulo domus ſuæ, aut ſub gradibus, vel in ipſis cineribus accubabit, cedens hoſpiti ſuo locum* (ſicut juſtum eſt) *digniorem? Et tu ergo fac ſimiliter.* Tam excellens humanitatis & charitatis obſequium, & tu ſimiliter Chriſto ſub veſte pauperis, & ſpecie panis peregrino exhibe. Laudat Cardinalis Damiani Sancti Romualdi Abbatis hoſpitalitatem, dum ait: n Otto Imperator ad Claſſenſem Abbatiam, Sole jam occidente, pervenit, ut Romualdum viſeret; qui dum cellam ejus intraſſet, *Sanctus Romualdus, quia* MAGNUM HOSPITEM IN PARVA DOMO *ſuſceperat, lectulum ſuum ad quieſcendum dare dignatus eſt.* O anima! ſi expendas, quàm magnum hoſpitem in parva domo ſuſcipias, quin cubile animæ tuæ cum omnibus facultatibus ſuis, veluti pretioſiſſimis picturis exornatum, cum Eliſabetha, & cum Romualdo, lectulum cordis tui, ac mundæ conſcientiæ, tot *floribus*, *quot virtutibus* reſperſum, tanto hoſpiti ad quieſcendum dare non dedignaberis? o *Imò tota domus*, ut docet Bernardus, *illi relinquenda eſt.* Refert Paulus Venetus p, Incolas Provinciæ Camul (Tartarorum regio eſt) ad prodigium hoſpitales, peregrinos quoſcumque ſuſcipere, & ad intrandum compellere. Domo cedit Pater familias, & facit illum Dominum domus ſuæ, quidquid eſt in ærario, in pen u, in cella, dominio, & arbitrio ejus relinquens, nec antè redit, quàm hoſpes diſceſſerit. Qua ratione nos Chriſtiani, Chriſto tectum noſtrum ſubituro, totam noſtram domum, cum omnibus quæ noſtra ſunt, relinquere debeamus, latus patet differentibus campus. Ad hoc excitare vos debet, ampla, quam Dominus pro hoſpitio impertit, merces, quod D. Ambroſius de Zachæo aſſerit: q *Sciebat enim uberem hoſpitii ſui eſſe mercedem*; quam, primò quidem temporalem, tum longè uberiorem ſpiritualem deſcribemus.

r Quantum, quàm ingens beneficium, ſi mulier per plures annos ſterilitatem ſuam plorans, & impotenter cum Anna exclamans: *Da mihi liberos*, divinitus prolem nanciſci poſſet, quam nonnullæ matres magnis votis, luculentis cereis, pretioſis ex argento, & auro anathematis, pondere proli naſcituræ æqualibus exoptârunt. His omnibus benignus Deus hoſpitalitatem

m Bern. ſerm. 6. Advent. n Pet. Damian. de vita S. Romualdi c. 22.

o Bern. cit. p M. Paulus venetus l. 24. Oriental. Region. q Ambroſ. l. 8. in Lucam c. 12. r Merces hoſpitalitatis temporalis.

præ-

prætuliſſe videtur. Ambroſius: f *Abraham pro hoſpitalitatis mercede, fructum poſteritatis recepit.* Sic & Eliſæus t Sunamitidi prolem impetravit. Vos juvenes, ſi venuſtam, ſi moratam, & dotatam conjugem nanciſci velitis, hoſpitalitatem ſectamini, quam Jacob vel pecora adaquando acquiſivit: v *Iacob boves adaquavit Rachel, & gratiam reperit, & uxorē acquiſivit.* Vultis vos parentes alterā benedictionem, ut filia aut filius à medicis depoſitus ſanitati, imò mortuus vitę reſtituatur? Hoſpitalitatis officio, hanc vidua meruit: x *Eliſæus defuncti pignoris reſuſcitatione donata, reſolvit hoſpitii penſionem.* Sacri Regum annales ſic habent: Vidua Sunamitis mortuum ſibi filium y *collocavit ſuper lectulum hominis Dei,* ubi eum ProphetaEliſęus ad vitam revocavit. Solerter hic quærit Mendoſa: z cur non in lectulo pueri proprio eum repoſuit? Credo, inquit, quia ille lectulus Eliſæo hoſpiti, ex eleemoſyna datus fuerat, & propterea mirabilem quandam vim reſuſcitandi mortuos quodammodo obtinebat. Quod Divus Ambroſius innuere videtur: a *Sunamitis*, inquit, *illa magna mulier in ſuperioribus hoſpitium paravit, & ibi reſuſcitati pignoris vidit miracula.* Quod ne obſoletum videatur, matronam prædivitem Antiochenam induco, b quæ cùm excepiſſet Julianum Sabam, ſanctiſſimum ſenem, puero ſeptenni unigenito, eo ipſo die ferme orbata eſt, fortè in puteum prolapſo. In publico familiæ luctu, matrona egregia, ſexus conditione ſuperata, dolorem diſſimulavit, ne hoſpitii gratiam triſtitia interturbaret, jubénſque à fletu omnes temperare, puteo imponi operculum, miniſteriumque urgeri unicè volebat. Detrimentum pati ea officioſa charitas, & in matre admirabilis, ſanè non debuit. Accubuerat cœnæ venerandus ſenex, acceſiique puerum rogaverat. Ægrum abeſſe mater affirmaverat, ille nihilominus adduci cupiebat: ideóque re demum comperta, ad puteum deſcendit, ac puerum inſiſtere aquæ, incolumemque ibi lūdere animadvertit. Extrahitur proinde cum omnium lætitia, adiitque ſtatim ſenem, affirmans ejus ſe manu, atque complexu in aquis ſtetiſſe illæſum, nec mergi potuiſſe.

Tertio Regum c. 17. Vidua Sarepthana dicebat Eliæ, petenti à ſe ſuſtentari: *Non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho.* Poſtulavit tamen ex eo fieri ſibi *ſubcinericium panem*; fecit, & virum Dei illo, quod habebat excepit. Quo fructu? qua mercede? Hydria farinæ non defecit, & Lecythus oleī non eſt imminutus. Quod expendens MediolanenſisAntiſtes exclamat. c *Unius horæ hoſpitio, vidua illa, quæ ſuſceperat Eliam, & exiguo cibo, perpetuum toto tempore famis invenit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, ut nunquam de hydriâ farina deficeret.* Simile quid habe-

f Ambroſ. lib. 2. offic. c. 21. t 4. Reg. 4. v Ambroſ. lib. 1. de Abram. c. 5. x Ibid. y L. 4 Reg. c. 4. z Mendoſa in lib. 1. Reg. c. 9. adnot. 5. circa litt. ſect. 3. n. 7. a Ambroſ. Epiſt. 12. ad Irenæum. b Baron. anno Chriſti 370. Petra ſancta Thaumaſ. tom. 1. pag. 293.

c Amb. l. 1. de Abram. c. 25.

habemus 4. Regum 4. de Eliſæo, in oleo jugiter manante. Quod ſtupendum benignæ hoſpitalitatis beneficium ut in poſteros iret, lego perpetuo miraculo confirmatum. Sic etenim P. Silveſter Petra ſancta: *d* Ad fines Regnorum duorum, Catalauniæ, Arragoniæque, juxta oppidum Fraga, Cœnobium eſt ſanctiſſimæ Trinitatis, in quo doliolum eſt, manans oleo perenni. Atque unum eſſe perhibetur ex vaſculis viduæ, cui Heliſæus Vates, olei ubertate, hoſpitii gratiam compenſavit.

In Lege nova, prima hoſpitii beneficentia erga Chriſtum Dominum jam virum, fuit in nuptiali epulo Canæ Galilææ, ſed retributio fuit, aqua in vinum immutata; non eo die nuptiarum duntaxat, verùm deinceps quotannis in anniverſaria ejus miraculi commemoratione.

S Epiphanius, Magnus auctor, ita ſcribit: e *Factum eſt primum ſignum in Cana Galileæ, quando aqua factum eſt vinum. Quapropter etiam in multis locis, uſque in hunc diem, hoc fit, quod tunc factum eſt, divinum ſignum in teſtimonium incredulis, veluti teſtantur in multis locis fontes, ac fluvii in vinum converſi*, quos ibi commemorat. Hæc initio fecit JESUS ſigna Sed non minus miranda, conſequentibus temporibus, in gratiam hoſpitum, divinæ largitatis invenire eſt argumenta. *f* In Hibernia eſt Rupes Sancti Michaëlis, ad cujus ſacram ædem, & cœmeterium, confluunt voti cauſa peregrini numero magno. Illuc verò aves convolant, nec prætervolant, *ut præda ſint & cibus peregrinorum*, ſicut olim Iſraëlitis coturnices cœlitus ſubmiſſæ, quæ, ut Salianus ait, cubito uno aut altero à terra circumvolitantes, amœno aucupio manu capi poterant.

g Ad eam Oceani partem, quæ interfluit Hiberniam, & Hiſpaniam, ubi S. Brendani cultus percelebris eſt, freti angulus, piſcibus optimis, & ſalmonibus præcipuè mirum in modum frequens invenitur: *Eam annonam obvenire potiſſimùm hoſpitalitatis cauſa, cui erga peregrinos ibi ſtudioſiſſimè indulgetur*, vel ideò conſtat, quia ne avaritia poſſit ex illa nundinari, numquam piſces uno die capti, in poſterum diem ſervari potuerunt, etiam ſale inſperſo: etenim nocte putreſcunt ſemper, atque ad eſum omnino inutiles redduntur; ut recentes ſolis peregrinis ſerviant.

Et quiſquam adhuc peregrinis januam occludat, ubi apertis cœli valvis, tam copioſè iis annona ſuppeditatur? Malè ſanè ſibi conſulunt, qui ex hac parſimonia, ſibi lucrum accedere, & ex hoc opere pietatis, detrimentum imminere, in animum inducunt. Ut Prælatus quidam damno ſuo expertus eſt.

Cæſarius, qui ævi ſui miracula fideliter ad poſteros tranſmiſit, rem narratam ſibi ait teſte omni fide digno. *h* Abbas aliquis hoſpitum amans & pauperum, & in hos atque illos

d P. Petra ſancta Thaumaſiæ tom. 3. miracula perpetua c. 28. e S. Epiphan. hæreſi 51. Petra ſancta cit. f Petra ſancta miracula perpetua c. 28.

g Ibid. ex Giraldo. h Cæſarius l. 4. illuſt. mirac. c. 68. Lobbetius tract. aſcet pag. 357.

effu-

effuſus,ſibi ſimiles ſuo Cœnobio Curatores adlegerat, liberales liberalis. Et rectè: nam & res ceſſit quàm optimè; quo enim plures excipiebat hoſpites, quò plures alebat pauperes; eò magis augebatur Cœnobii proventus.

Ubi hîc vivere deſiit, ſucceſſit alius,& cum eo tenacitas, atque avaritia,unáque etiam curatores tenaces imprimis, atque avari. Unde etiam & hoſpitibus &pauperibus ſubtracta, quæ de more dari ſolebat,annona; ſed & ſimul à cœlo ſubtracti cenſus annui, & eò quidem, ut vix eſſet, quod menſis ſuorum inferretur: adeo inops facta erat opulentia. Quæ cauſa? paucis excipe, unius hoſpitis voce, & fide. Is fuit vir grandævus,& canus, qui à Janitore hoſpitium petiit, & ægrè tandem impetravit: hunc enim clàm & timidè admiſit,& cœnula tenui refecit,offulâ ſcilicet exoculatâ, caulibus malè unctis; quibus dum veſcitur, hæc illi Janitor:Memini probè cùm noſtra domus adeò opimis reditibus gauderet, ut vel ipſos principes, vel infulatos patres menſa liberali exciperet; jam autem vix mucidum panem, & oluſcula, exhauſtum penu ſubminiſtrat. Quæ cauſa,in occulto eſt. Cui ſenex:imò verò in aperto. Duo hic germani frates commorari ſoliti, quorum unus *date*, alter *dabitur* nuncupatur. Illum Abbas veſter expulit,& alter pulſo fratre, indignabundus quoque abiit. Revocetur prior ille, & mox redibit alter: niſi revocetur *date*, neque *dabitur* redibit unquam, & peſſum ibunt omnia. Dixit ſenex,& ſimul loqui, ſimul & videri deſiit,non ſine miraculo, & janitoris ſtupore: qui, ut erat non infelicis memoriæ, rem totam Abbati, & fratribus nuntiavit.

Sícque in melius mutata illius, & horum mente, revocatus eſt è fratribus unus, cui nomen *date*, & mox alter, videlicet *dabitur*, ſponte ad monaſterium reverſus eſt: hoc eſt, prior hoſpitalitas, prior in pauperes liberalitas exercita, & inde prior etiam opulentia rediit. Adeò verum illud Chriſti oraculum: i *Date, & dabitur vobis.*

Hujus certè veritatem experti quàm plurimi. Unum è multis, ne longior ſim,adduxiſſe ſufficiat B.Balduinum fundatorem Bodolenſis cœnobii. *k* Ad hunc divertit ſenex famelicus,tridui ſcilicet inedia confectus; cui cùm juſſiſſet dari partem dimidiam panis hordeacei, qui unicus in penu ſupererat:petiit& ſenex aliquid pulmenti, cúmque ex hoc nihil eſſet in cella, ſubridens dixit: *Domina Charitas vobis providebit.* Dixit, & abiit, & poſt puſillum rediens, mappam explicuit,niveam illam, & miri candoris, & quidem una parte plenam panibus; altera farinacea, è qua fratribus abundans coqueretur pulmentum. Utque nôſſent, unde& à quo hæc annona,ſimúlque fidem datam liberaret, addidit & illud: *Hæc vobis Domina Charitas tranſmiſit.* Dixit, & evanuit. Indubiè è cœleſtibus geniis fuit ille ſenex,quiſquis is fuit, atque ab illo ea cœli benignioris indulgentia. Ex quibus patet veriſſimum illud Ambroſii l. 1. de Abraham c.5. *Copia bona eſt Hoſpitali-*

i Luc.6.v.38. k Henriqu. in faſcic. Ceſtercienſ.l.1.c.3. Lobbetius cit.p.338.

ſpitalitas. *Habet mercedem ſuam, primùm humanæ gratiæ, deinde, quod majus eſt, remunerationis divinæ.* Quem hæc non moveant, inhoſpitali Caucaſo duriorem duxero.

Mitto alia hoſpitalitatis beneficia: Inſulam Melitenſem, ex quo Paulum excepit, omni veneno caruiſſe.

Nec inanem fuiſſe Bormenſium pietatem, qua S. Franciſcum de Paula in eo maris portu, hoſpitio excepêre: *l* nam Franciſci adventu contagioſa lues pulſa, & fugata eſt, ſalubritate in hodiernum diem perſeverante. Quod & corpus Sancti Xaverii demortui à Goanis exceptum, incolis præſtitit, peſte deterſa.

Nunc ad ea quæ excellentiora ſunt, nos extendamus, ad fructus nempe ex hoc charitatis officio profectos, *m* ſpirituales.

Primus eſt, hominem per hanc à Deo miſericordiam conſequi, quam benedictionem Paulus Oneſiphoro diſcipulo ſuo impertiit, quod ſe, & diſcipulos Chriſti ſuſcipere, eóſque ad ſe compellere ſolitus eſſet: n *Det*, inquit, *miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia me refrigeravit, & catenā meā non erubuit; ſed cùm Romam veniſſet, ſolicitè me quæſivit, & invenit.* o Nôſtis quam gratiam illi optet? ut in die judicii inveniat à Domino miſericordiam, id eſt, gratiam, favorem, & benevolentiam, ut ſcilicet judicem habeat ſibi propitium, & faventem, ut cum aliis Sanctis, benignam hanc excipiat judicis ſententiam: *Venite benedicti Patris mei. Hoſpes eram, & collegiſtis me.* Sic S. Thom. in illud Pauli: *Det illi Dominus miſericordiam*, ait: p *Optat miſericordiam futuri ſæculi, cùm dicit in illa die, in qua ſcilicet Dominus judicabit omnes, quando miſericordia eſt neceſſaria.* Tum ſubdit: *non ſolum perſonæ, ſed familiæ: quia propter bonitatem unius derivatur gratia ad totam familiam.* Unde conſequens eſt, quantum Pater & materfamilias ſibi totique familiæ bonum conferat, hoſpites excipiendo, ut ditiorem hæreditatem poſteris ſuis relinquere non poſſint. Perſpexerat hoc Paula Romana, de qua D. Hieron. q *Pauperes*, inquit, *curioſiſſimè tota urbe perquirens damnum putabat, ſi quiſquam debilis, & eſuriens cibo ſuſtentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter objurgantes propinquos, majorem ſe eis hæreditatem, Chriſti miſericordiam dimittere loquebatur*; quæ miſericordia mille benedictionibus repleret domum, liberos gratiis, & virtutibus cumularet, propinquos diſſidentes componeret, imò etiam infideles ad fidem revocaret. Quod ne cui mirum videatur, rem inauditam dicturus ſum; etiam hoſpitem, qui vel invito Domino, per aliquem pietate motum domeſticum admiſſus, tectum duntaxat ſubierat, & eo inſcio in ſtabulo pernoctârat, Domino ſalutem peperiſſe.

r Franciſcus Jojoſæus, ex duce tota Gallia celeberrimo, jam Chriſti pauper, arctiorem Capucinorum diſciplinam ſecutus, pedes de more dum peregrinatur, fortè divertit ad pagi Dominum,

l In Chron. gener. Minimorum, ad annum 1482. Petra ſancta tom. 4. pagin. 255. m Merces hoſpitalitatis, ſpiritualis, n 2. Timoth. 1. o Corn. hic.

p S. Thom. in 2. ad Timoth. 1. q Hieron. ad Euſtoch., in Epitaph. Paulæ. r Lobbetius tract. Aſcetic. pag. 398.

clien-

clientem olim ſuum. Homo hæreticus, ut adeſſe Capucinos intellexit, per internuntium famulum jubet exeſſe, & abire in malam crucem. Non tamen abiit Jojoſæus; ſed invictâ patientiâ eam hominis inurbanitatem, & barbaram inhoſpitalitatem diſſimulans, à famulo ſummis precibus impetravit, ut clam Domino, etiam incœnatis in ſtabulo nocte illa liceret eſſe. Annuit famulus, vel evictus boni Patris precibus, vel etiam quadam miſericordiâ commotus. Igitur in ſtabulum admiſſi, jucundiſſimè illi quidem noctem traduxêre, memores illius charitatis, quæ è cœli regia, è ſinu Patris Chriſtum Deum in ſtabulum attraxit. Ubi ſic exacta nox; albente primum cœlo abiêre. Haud multum confecerant viæ, cùm Franciſcus idoneum nactus hominem, Dynaſtæ renuntiari juſſit, Jojoſæum Ducem pro hoſpitio gratias agere. Perculit hominem inopina denuntiatio, maximè verò, dum intellexit ex famulo, noctem totam exegiſſe in ſtabulo: móxque conſcenſo equo, Dei famulum aſſecutus, ad pedes deſiliens, ac genua amplectens, dum inhoſpitalitatis ſuæ errorem excuſat, etiam errores fidei exuit. Leviter enim increpitus à Jojoſæo, monitus ut Chriſti paupertatem, ſeu patientiam, ſeu etiam humilitatem, in illius ſervis agnoſceret; ſaniorem mentem induit, & religioni Catholicæ, Deóque addictus eſt. Tantam ſecum adferunt peregrini, Dei miſerantis gratiam, dum lares ſubeunt, per famulum, vel ancillam, filium, aut filiam, invito quandóque, auſtero, & avaro Domino admiſſi. Quid non ſperandum, hoſpitali & munifico? ut in iis omnibus patet, qui benevolè Chriſtum exceperunt, ſtatim *ſalus domui facta eſt*, & inhabitantes ad fidem illuminati ſunt, ut peregrini hodierni in Emmaus, Matthæus, Zachæus, de quibus fusè interpretes: ſ *Hanc hoſpitalitatis mercedem habent, remunerationis divinæ.*

Seraphica Thereſa hæc conſiderans, quemque inflammare nititur, ac perſuadere, non minores, ſed mirabiliores effectus, ac metamorphoſes, Chriſtum hoſpitem in anima operari, quam ſubit. Illam differentem audite: t Si dum eſſet in mundo, ſolo contactu, ejus veſtes ſanabant infirmos, uſque adeò, ut ſcriptum reliquerit Matthæus: *Rogabant eum in terra Genezareth, ut fimbriam veſtimenti ejus tangerent, & quicumque tetigerunt, facti ſunt ſalvi*; non eſſe dubitandum, eundem Dominum facturum mirabilia, dum intra nos eſt: ſi fidem vivam habebimus; & daturum, quod petimus, dum erit domi noſtræ. Tum rationem ad propoſitum aptiſſimam ſubjungit: *Non enim ſolet hæc Dei Majeſtas malè ſolvere pro hoſpitio, ſi bene recipiatur*: nec ita venit, quin aliquantum detegat ſe animæ.

O Sacerdotes! ô devotæ, ac Religioſæ animæ! quæ toties Chriſtum hoſpitem excipitis, expertæ loqui poteſtis, quia *non ſolet malè ſolvere pro hoſpitio*. Expertæ teſtari poteſtis, quos non in interiori illo cordis hoſpitio, pios

ſ Ambroſ. lib. 1. de Abraham c. 5.
t Thereſa in vita c. 40. Lancicius opuſc. ſpirit. 10. c. 19.

motus

motus, divina cum anima colloquia, affectus ecſtaticos, dulces lacrymas, metamorphoſim mirabilem operatus ſit, ſeque totum detexerit, ac manifeſtârit. In exemplum adduco S. Matthæum, de quo Patriarcha Venetus: v *Matthæus Redemptorem ſuo lætus excepit hoſpitio. Beata planè domus, quam Dei Sapientia viſere dignatur! felix, inquam, anima, ad quam deſcendit* VERBUM, *ut illam reficiat. Utinam in cordis mei habitaculum Domino meo introire complaceat! ô ſi merear videre illum, loquentem audire, ſuſcipere admonentem, exhortantem intelligere, & diligere me diligentem! ſcio equidem, ſi ad ſervum ſuum declinare dignabitur, quòd habitationis meæ eliminabit ſordes, fugabit hoſtes, tenebras illuminabit, ſedabit rixas, tentationes diſſipabit, atque concupiſcentiarum, imbre ſuo, mitigabit ardorem.* Vultis alias benedictiones, & metamorphoſes? *Fiet domus confuſionis, orationis domus, templum oblationis, locus pacis, thalamus Sponſi, & altare laudis. Erit profectò dies ille ſingularis, celeberrimus, ſanctus, jucundus, numquam à memoria abolendus. Veni igitur ad me Domine, inſinua te mihi, ſonet vox tua, &c.* Hæc amantis, ac hoſpitem bene recipientis ardentia deſideria, hæc digna pro hoſpitio retributa præmia, & beneficium ſingulare, quod iis ſolis, & ſemper convenit: *Si bene recipiatur.* Quibus omnibus favoribus cœleſtibus deſtitutæ, fruſtra queruntur: x *Nam ſi ſubitò poſt communionem, illum relinquimus, non habebimus cauſam, cur queramur.* Quod appoſita exponit ſimilitudine: qui enim *citò ſe ad negotia proripiunt, ita facere, ac ſi Chriſto domum noſtram ingreſſo, domo ipſi exirent, & urgerent, ne Chriſtus domum eorum occupet, & incolat.*

Parva certè, ut cuique patet, humanitas foret, nec levis injuria, ſi amico, aut viro nobili ad te divertenti, pallio ſumpto, illo relicto, & inſalutato, per poſticum ipſe effugias, aut *non bene excipias.* Quemadmodum monet Hugo Cardinalis: y *Cùm tu invitas* JESUM, *vide, ne Dominum Majeſtatis ad ſordidum, & indignum invites* HOSPITIUM, *ubi nec teipſum patiantur habitare quietum uxor litigans, ſeu fumus, aut ſtillicidium.* Ubi jurgia & rixæ, ubi fumus vanitatis, ſtillicidium inanium ſermonum ac querelarum, *quæ non ad utilitatem, ſed moleſtiam habitantium*, ut exponit Hugo in illud Proverb. 19. *Tecta perſtillantia, litigioſa mulier.* Ubi ſubdit: z *De hoc ſumptum, quod communiter dicitur: Tria ſunt, quæ expellunt hominem de domo: fumus, ſtillicidium, & mala uxor, ſive mulier litigioſa, unde verſus:*

Sunt tria damna domus, imber, mala fœmina fumus,

Moraliter autem, litigioſa mulier, eſt mala *conſcientia,* in quam rectè cadit illud Ambroſii: a *numquid verè infelix iſt homo, qui hoſpitem ſecum habet peccatum, per quod ad illum aditum habet ſatanas?* cum quo non bene recipitur, nec ſedem figit Chriſtus, ſed expellitur.

Parum hoc; reperire eſt (quis credat?) qui ut præfatus ſum, hoſpitium cordis ſui, quo Divinum hoſpitem recepere, vertunt in ſpeluncam latronum, & quem de

v S. Laurentius Iuſtinian. feſto S. Matthæi x S. Thereſa cit.

y Hugo de Adventu Domini, Serm. 3. z Hugo in Prov. 19. v. 13. a Ambroſ. in 7. ad Rom.

die benignè exceperunt, nocte ſubſequente, per immane flagitium, & infandum ſacrilegium occidere, & Regem gloriæ, qui mille benedictionibus miſerum animæ tugurium cumulâſſet, crudeliſſimè trucidare non reformidant. Unde ſibi æternum, jure meritiſſimo accerſunt ſupplicium.

Ad rem facit, quod de Maximiliano Ferdinandi Imperatoris filio refertur. *b* Is Bohemiæ Rex ad Venatiónem aliquando profectus, cervum inſequitur, atque hac ratione à Nobilium comitatu in ſylvę devia, & avia delapſus, cùm per deſerta, & inhoſpita teſqua, & ſumma montium cacumina, hinc atque inde, diu multúmque obequitâſſet, nocte appropinquante, anxius ne à feris diſcerperetur, ſolicitè omnia circumſpicit, num nuſquam tugurium aliquod appáreat, ad quod pernoctandi cauſa tutò divertere queat. Proſpectâ tandem opilionis cujuſdam caſâ, calcaribus equo ſubditis, quàm potuit celerrimè eò contendit: paſtorem, hoſpitio ut ſeſe nocturno excipiat, rogat; quod ſe libens facturum opilio condicit, & ut equo deſiliens in tuguriolum ingrediatur, jubet. Cæterum opilio ille ſatis numeroſam alebat familiam: etenim habebat domi ſuæ, & filium viginti circiter annorum, & ſervum in omni nequitiæ genere inſigniter exercitatum: & uxorem, & filiolam, & nurum ſuam juvenculam, adhuc ſponſam, non ita pridem domum ductam. Cùm igitur Princeps optimus ex equo deſiliiſſet, eúmque opilionis ſervo paſcendum tradidiſſet, in Paſtoris tugurium ingreditur, ubi cœna admodum exili excipiebatur, & fortè portiuncula carnis caprinæ ei apponebatur, & foco aſſidet, ab omni planè cura, & ſolicitudine vacuus: opilione, & familiâ ejus ignorantibus, quiſnam Maximilianus ille eſſet. Quod autem bene veſtitus eſſet, & aureos annulos, & gemmas in digitis geſtaret, ac facie eſſet heroicâ, ac liberali, non obſcuro ipſum loco natum conjectabant. In magnam igitur ſpem adducti, futurum, ut ab eo opimam prædam reportarent, de ipſo è medio tollendo, conſilium impium & nefarium capiunt. Cœnâ jam peractâ, lectulus Maximiliano in parvo, & anguſto cubiculo, cui janua carioſa, & fracta appendebat, ſternitur. Qua quidem in re occupatis reliquis, juvencula illa ſponſa ad Maximilianum accedit, & fidem ſilentii ejus, quod ipſi patefactura eſſet, ab eo ſtipulatur, ac machinationes nefarias, quibus in necem ejus conſpirâſſent, commiſeratione erga bonum Principem, & horrore flagitii ducta, aperit Maximilianus ſumpto maſculo ac Regio animo, ingentem ciſtam oſtio advolvit, & ſclopos ſuos, probè prius inſtructos, in manus ſumpſit, eventum exſpectaturus. Opilio, qui hoſpitem ſuum ex venatione defatigatum perſpexerat, altè jam ſopitum ratus, lento, ac ſuſpenſo paſſu ad januam graditur; quam dum clauſam & communitam advertit, Maximilianum, ut fores pandat, inclamat, tegumenti aliquid ex ciſta ſibi depromendum. Verùm Maximilianus illum faceſſere juſſit, non

b Spangelbergius de venatione.

non integrum ſibi tam laſſo è ſtrato ſurgere. Ad hæc opilio pulſare, vociferari, & vi irrumpere tentat, ac mortem minitatur, accitis ex vicinia ſociis, quorum alii in januam arietabant, alii per feneſtras aditum parabant; ſubolfecerat enim technas ſuas ſuſpectas, aut detectas. Maximilianus rem jam virum poſtulare, & ad extrema deveniſſe intelligens, ad fores bombardas ſuas dirigit, & per eas opilionem, glande emiſſa lethaliter ſaucium humi proſternit, & è veſtigio, ciſtâ à januâ remotâ, fores aperit, & ſtricto gladio procurrens, filio hoſpitis caput amputat, & robuſtum opilionis ſervum in fugam conjicit. Necdum tamen omne periculum evaſerat: opilionis quippe conjugis clamoribus, & ejulatibus, omnis vicinia ruſticorum excita, ad arma convolant, domum circumdant, & Maximilianum, ut latronem, interimere ſtatuunt. Magnanimus Princeps, ut ſe, velut cervum à canibus, cinctum vidit, continuit ſe, dum primus fervor agreſtium ſubſediſſet. Tum intrepidè progreſſus ad tumultuantem turbam, ſe Maximilianum declaravit; quod ſi fidem dictis non haberent, ad proximum loci Gubernatorem ſe ducerent; ſin minus, perrupturum ſe virtute ſua, & armis, omnéſque poſtea reos capitis acturum. Hac brevi & potenti peroratione, multis quidem ſuſpicionem movit, ſe Principem eorum eſſe: captum tamen illum, manibúſque poſt terga revinctis, ad Gubernatorem proximi caſtri, ſimul atque illuxerat, deducunt Venerant autem eò illum inveſtigatum Satellites, ac Miniſtri Regii, qui Dominum ſuum tam inhumaniter, & indignè vinctum adduci, conſpicati, parum abfuit, quin in iſto iracundiæ fervore, rabioſos illos opiliones in fruſta diſcerpſiſſent, & ad internecionem deleviſſent. At Maximilianus riſu ſuo, quaſi ſcena comica ageretur, ſuorum juſtam rabiem attemperavit: Auctores injuriæ ſolummodo comprehendi juſſit. Opilionis ſervus capite mulctatus, & domus tam nefarii hoſpitii, flammis exuſta. Sponſa verò juvencula, magnis, & præclaris muneribus, quòd tam præſenti periculo Principem hoſpitem exemiſſet, locupletata, & à tota aula in ſummo honore, ac pretio habita.

Quis non juſtam hic in nefarios hoſpites iram Principis dictitârit? at qualis vindicis Dei pœna illos maneat, qui eum intra cordis ſui tuguriolum receptum, ſceleribus ſuis rurſus crucifigere, ut Paulus loquitur, eíque violentas manus inferre parant, quis ſatis explicet? econtrà verò, ſi bene recipiatur, ſicut apud Martham & Mariam, ſuo vos etiam dignabitur hoſpitio.

Divinè S. Auguſtinus: c *Hoſpitem Deum habes, hoſpitium acceptum fac hoſpiti tanto, & tunc ſecurus dices hoſpiti tuo, ut in eundo* (longa & tenebroſa illa æternitatis ſemita) *deducat te, & in perducendo ſoſpitetur. Dico tibi, ſi ſibi gratum exhibueris hoſpitium, gratum & gratius exhibebit tibi hoſpitium ſuum.* Tandem œſtro quodam divino percitus, in has voces erumpit. *O quàm beatus eris, ſi ho-*

c Auguſtin. tomo 9. de viſitatione infirmorum.

hoſpes Dei fueris, ſi in civitate ſua, cœleſti ſcilicet Jeruſalem manſionem acceperis! ſi Deus in die illa tibi gratias agens, dixerit: hoſpes fui, & collegiſti me: veni benedicte Patris mei, percipe regnum. Hæc promiſſio, hæc benedictio, qua major non eſt in cœlo, & in terris, facta eſt omnibus qui Chriſtum perſonatum in veſte peregrini excipiunt, juxta illud Matthæi: *Hoſpes eram & collegiſtis me: venite benedicti, &c.*

His hactenus in hoſpitalitatis gratiam, de peregrinis, & Chriſto hoſpite ſub ſpeciebus panis & vini excipiendo, fusè deductis, inter viros Religioſos, Sanctimoniales, devotas animas, pia diſſenſio, ſancta controverſia, & non levis diſceptatio eſt, quàm ex Theologorum placitis diſſolvemus.

§. III.

Quæſtio. *Utrum majoris virtutis, ac meriti ſit, cum Diſcipulis in Emaus, ex charitate dicere:* MANE NOBISCUM DOMINE; *an cũ Petro ex humilitate:* EXI À ME DOMINE?

QUod primum ſpectat, ſacræ Paginæ multis commendant, & collaudant eos, qui præ humilitate & reverentia ſe indignos Chriſti contubernio, ac hoſpitio rati, ejus præſentiam deprecati ſunt. Luc. 5. Dum Chriſtus navim Petri meditatur aſcendere, ipſe ſuæ ſibi conſcius indignitatis, eum videtur à ſe repellere, & ut è navi pedem efferat, rogat: d *Exi à me Domine; quia homo peccator ſum*: Ubi D. Ambroſius: *Admirabatur*, inquit, *dona divina: & quò plus meruerat, hoc præſumebat minus.* Sic & Centurio, quò Chriſti virtutem clariùs agnoſcit, hoc præſentiam ejus magis veretur, & reveretur. Quid hoc rei? Chriſtus ultro dicit: ego veniam ad ædes tuas; ille verò excuſat, & præſentiam ejus non deſiderari modeſtè declarat, dicens: e *Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* Quod expendens D. Auguſtinus ait: f *Tecto non recipiebat, corde recipiebat, quantò humilior, tantò capacior, tantò plenior.* Fluenta non ad præcelſa montium, ſed ad prærupta vallium gradiuntur. *Colles enim aquam repellunt, valles implebuntur.* Hipponenſi Præſuli accedit Ravennatum Chryſologus, dicens: g *Dedit debitum de humilitate reſponſum, deducere Dominum veretur ad animæ ſuæ domum, ad ſecretum cordis ſui, ad tectum conſcientiæ, in quo familia cogitationum incondita, & confuſa verſatur. Sic eum Petrus exire à ſe rogat. Agit uterque, ne indignitas hoſpitii, in hoſpitis manet injuriam.* Quantò potiori jure hæc quiſque noſtrum uſurpare poſſet, familiam cogitationum, & paſſionum, interioris domus inconditam, & confuſam, ſuámque indignitatem conſiderans; ſic & Geraſeni, qui expulſo dæmone, & præcipitato in mare cum grege porcorum, rogabant Chriſtum Dominum, ut tranſiret à finibus eorum, Matth. 8. In quem locum D. Hieronymus: *Quod*, inquit, *rogant ut tranſeat à finibus eorum, non de ſuberbia hoc faciunt, ut nonnulli arbi-*

d Luc. 5. v. 8.

e Matth. 8. f Auguſtin. Serm. 74. de temp. g Chryſolog. Serm. 15.

arbitrantur ; ſed de humilitate, qua ſe præſentia Domini indignos judicant. Denique inſolens illud in cœleſti epithalamio Sponſæ votum laudatur : *Fuge Dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnulóque cervorum.* Hoc enim amabile à Dilecto ſuo encomium, teſte Ruperto, retulit : h *O vocem dignam auditu Dilecti ! vocem de corde fideli, & mente humili !* Non diſſimiles humanitatis effectus, & reverentiæ affectus in veteri teſtamento reperiuntur; lib. 1. Reg 5. dicunt viri Azotii : *Non maneat arca Dei Iſrael apud nos.* Scelerum nempe ſuorum conſcii, detrectabant præ humilitate eam penes ſe detinere. Sic David cernens Ozam tactu arcæ, repentinâ morte percuſſum, ex timore reverentiali : i *Extimuit Dominum in die illa, dicens : Quomodo ingredietur ad me arca Domini? & noluit divertere ad ſe arcam Domini in civitatem David ; ſed divertit eam in domum Obededom Gethæi,* quem ſeipſo digniorem ad recipiendam arcam ducebat. Quaſi diceret David, inquit Carthuſianus : k *Ad domum meam introducere Arcam non audeo, ne forſitan ob aliquam culpam meam merear percuti, & indignus ſim Arcæ præſentiâ. Itaque ex affectu Divinæ Juſtitiæ, motus fuit ad reverentialem DEI timorem. Etenim*

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Eodem ſpectat illud 3. Reg. 17. ubi mulier illa Sareptana, videns poſt ingreſſum Heliæ (qui typus Chriſti fuit) in domum ſuam, filium ſuum morte ſublatum ; eam mortem non tribuit Prophetæ ad ſe divertenti, ſed ſibi, tantum virũ indignè recipienti : l *Quid mihi,* inquit, *& tibi, vir Dei ? ingreſſus es ad me, ut rememorentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum ?* Theodoretus ad hæc ait : m *Sunt admiratione digna verba viduæ: tuo,* inquit, *lumine aperta ſunt mea peccata, quæ occulta erant. Non dixit, fuiſti mihi malum auſpicium, mala conciliavit mihi tuus adventus : ſed potius ſuis peccatis tribuit, quod acciderat.* Quaſi præ humilitate doluerit, indignam ſe, quæ Prophetam in ædes ſuas reciperet.

Hactenus de iis, qui præ humilitate, aut reverentia Deum hoſpitem recipere reformidant, ſed clamant cum Petro : *Exi à me DOMINE, quia homo peccator ſum.*

Ex altera verò parte, non minorem gratiam, meritum, divinóſque favores, & benedictiones impetrâſſe videntur, qui ardenti deſiderio, inflammatis votis, Deum in ædes ſuas invitare, ſuſcipere, & cum gaudio, hoſpitio recipere exoptârunt.

Cùm Socrus Petri teneretur magnis febribus, n Chriſtum quem nôrat omnibus infirmitatibus poſſe mederi, adeò non ab ingreſſu in domum ſuam Petrus arcere voluit, ut omni ſtudio, & humanitate acceperit, inſuper & rogârit hanc benedictionem, ut Socrum priſtinæ ſanitati reſtitueret, quod factum eſt.

Joannis cap. 4. Regulus Chriſtum adit, & *rogabat eum : Domine, deſcende* in ædes meas, *priuſquam moriatur filius meus.*

h Rupert. in Cant. c. 8. i 2. Reg. 6. k Carthuſian. in 2. Reg. 6.

l 3. Reg. 17. v 18. m Theodoret. hic, qu. 52. n Matth. 8. Luc. 4. Marci 1.

Quis ignorat, quantæ felicitati fuerit Zachæo, Chriſtum hoſpitem meruiſſe habere? quantâ promptitudine, lætitiâ, & exultatione eum in ædes ſuas deduxerit, exceperit, tractârit? *Excepit eum gaudens.* Ubi aureè Chryſologus, factum laudans, nos ad talem, tantúmque hoſpitem excipiendum his verbis inflammat: o *Cujus domum non intraverit Chriſtus, ille ad Divinam non perveniet manſionem, & cujus hic ad menſam non ſederit Chriſtus, ille cœleſtem non accumbet ad menſam. Et qui gaudens ſuſcepit: gaudeat, quia ſuſcepit ſuſceptorem ſuum: quia Paſtorem ſuum paſcit: quia reus Judicem ſuffragio humanitatis inclinat.*

Audîſtis Sponſam Dilectum ſuum quaſi à ſe amolitam, & ut longè aufugeret, rogâſſe: *Fuge Dilecte mi.* Sed & eandem audi illum ſuaviſſimis verbis invitantem: p *Revertere, veniat Dilectus meus in hortum ſuum.*

Quin & eum potenter ſtringit, a ſe avelli non patitur; ſed perpetuò commorari ardenter expoſcit: *Tenui eum, nec dimittam.* Fortiùs illum tenet, & à ſe nullatenus avelli patitur, dicens: *Inter ubera mea commorabitur.*

Sic Sunamitis, q cùm ſæpius Eliſæus (qui figuram Chriſti expreſſit) tranſiret, eum *tenuit*, & humaniſſimè hoſpitio excepit. Hugo Cardinalis: r *Moraliter*, inquit, *mulier iſta ſignificat animam fidelem, quæ facta die gratiæ, in ſe invitat Heliſæum, id eſt Chriſtum, cum frequenter tranſiret per eam.*

Ne autem tranſeat, *omnia abundanter hoſpiti neceſſaria miniſtremus*, & de commodo hoſpitio provideamus. Quod qua ratione fieri debeat, Sunamitis 4. Regum c. 4. edocebit. Dixit illa viro ſuo: ſ *Animadverto, quod vir Dei Sanctus* (Heliſæus) *tranſit per nos frequenter.* Hugo Cardinalis hic pulcherrimè ad mores diſcurrit: Et primùm quærit; t quas animas fideles Chriſtus tranſeat? Dominus per quoſdam frequenter tranſit, quibus devotionis affectum frequenter infundit. Per aliquos raro tranſit, quibus ſe raro in oratione oſtendit. Per aliquos numquam, qui nullam aliquando dulcedinem in contemplatione deguſtant. At illi felices, térque, quatérque beati, de quibus ait: *Cum aliquibus ſemper manet, qui ſemper cum Domino epulantur in azymis, de quibus Joannes c. 14. ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Veniemus, dicitur, quia tota Trinitas venit ad nos: Pater corpus peccati fortiter deſtruens; Filius caſtrum virtutum ſapienter conſtruens; Spiritus ſanctus conſtructum benigniter cuſtodiens.* Sed apud quàm paucos veſtrûm manet? per *aliquos raro tranſit*, quia ſemel in anno, ídque circa feſtum Paſchæ, divertit ad eos. Per aliquos in aſſiduis ſordibus volutantes, nunquam tranſit, qui nec ſpatio decem, duodecim annorum illum excipiunt. Per quoſdam frequenter tranſit, ad quos quot ſolemnitatibus anni, feſtis, & Dominicis, etiã ſæpius per hebdomodam tranſit. Heſterna feſtiviſſima luce ad vos omnes (uti confido) divertit; ſed numquid per quoſdam veſtrûm tranſiit, & non remanſit,

o Chryſolog. Serm. 54. p Cant. 6. 16. q Lib. 4. Reg. c. 4. r Hugo Cardin. hic.

ſ 4. Reg. 4, v. 9. t Hugo hic.

ſit,quibus Paſcha verè *Phaſe* fuit, id eſt *tranſitus*. u *Sed quid agendum ſit, ut remaneat nobiſcum verus Heliſæus*, *demonſtratur cum ſubjungitur*: *faciamus ergo ei cœnaculum parvum*, id eſt ſecretum cordis noſtri cubiculum, *& ponamus in eo lectulum*, mundæ & tranquillæ conſcientiæ, & *menſam* promptæ ac liberalis voluntatis, & *cellam* memoriæ, in qua, ſuavi recordatione omnium beneficiorum, reſideat, *& candelabrum* intellectus, qui ardentis fidei lumine reſplendeat. x *Hæc neceſſe eſt, ut habeamus in domo noſtra*, *ſi volumus*, *ut nobiſcum maneat Heliſæus*, id eſt Chriſtus: qui ſi tam larga beneficia per tranſennam contulit, *tranſiit benefaciendo*, *& ſanando omnes*; qualia non conferet, & quàm mira operabitur in eis, apud quos ſedem,& manſionem fixerit? Tranſiens circa mare Galilææ, rudes ac ſtolidos piſcatores, Petrum & Andream, in ſummos Apoſtolos, & Eccleſiæ Principes adlegit. Tranſiens Matthæum uſurarium & Publicanum, Apoſtolum & Evangeliſtam reddidit: y *Præteriens JESUS vidit hominem ſedentem in telonio.* De Judæa z tranſiens in Galilæam, Samaritanam in Apoſtolam convertit, ac oppidanis ingentia contulit beneficia. Inde procedens, filio reguli jam moribundo ſanitatem reſtituit, a *tranſiens à Judæa in Galilæam.* Per Samariam celeriter profectus, decem leproſos ſibi obvios mundavit: b *Cum tranſiret per mediam Samariam*, *& Galilæam*, *occurrerunt ei decem viri leproſi.*

Si hæc omnia, & tam ingentia beneficia, tranſeundo contulit, c quæ non mirabilia, & divina prodigia in iis operabitur, apud quos manſionem fecerit? Quod expendens Auguſtinus, quemque hortatur: d *Recipe hoſpitem illum, & non ſit hoſpes de tranſeuntibus*: ejuſque felicitatem conſiderans, apud quem manſerit,exclamat: e *Quàm felix illa anima, quæ vitam ſuam ita Deo adjuvante ſtuduerit gubernare*, *ut Chriſtum hoſpitem*, *&* HABITATOREM *mereatur excipere*! Quod adumbratum mihi videtur 2. Reg. 6 Arcam Domini, quam nolebat David ad ſe divertere, excepit in domum ſuam Obededom. Quod quàm gratum acciderit Deo Iſraël, ex eo liquet: *Benedixit Dominus Obededom*, *& omnem domum ejus.*

His in utramque partem allatis rationibus, & argumentis, non meo, ſed irrefragabili Doctorum, Sanctorúmque Patrum judicio, non futilis aut inutilis, ſed pia & ſalubris controverſia diſſolvitur: utrum rectiùs ac utiliùs Chriſtianus ritè diſpoſitus agat, ex humilitate & reverentia per plures dies ab Euchariſtia obſtinendo: an eam pro animi ſolatio, & peccatorum ac infirmitatis humanæ remedio, ſæpius frequentando? Quod primùm ſpectat: rectiùs ab ea abſtineri ſuadetur: Primò, quia veteres Eremitæ non ſolùm multos dies, ſed etiam multos annos reverentiæ cauſa ab Euchariſtia abſtinebant; ut de Paulo primo eremi cultore, D. Benedicto, pluribúſque aliis vulgare eſt. Imò D. Franciſcus propter hujus reve-

u Hugo cit. x Idem. y Matth. 4. z Matth. 9. a Ioan. 4. b Luc. 17.

c V. Lanuſa hom. 30. §. 5. d Aug ſerm. 15. de verb. Apoſt. e Aug ſerm. 1. de temp.

rentiam Sacramenti, numquam ad Sacerdotium admittendum induci potuit. Et Divus Marcus Evangeliſta, ne unquam admittere cogeretur, mirabili exemplo, digitum ſibi præſcindi voluit. Qui omnes non arguuntur de puſillanimitate, ſed potius de humilitate laudantur. Et poſſunt ſe tueri exemplo Chriſti Domini, qui in carne mortali, ſemel duntaxat moriturus communicavit. Hinc eſt, quod S. Romualdus, Camaldulenſis Ordinis inſignis Abbas, ſuis religioſis præceperit, ut quo die in oratione tepidiùs ſe gererent, & mente liberiùs vagarentur, eodem à ſacro faciendo, reverentiæ cauſa, abſtinerent. Hujus rei ſingulare edidit documentum Divus Gregorius, cognomento Magnus, qui, ut refert Joannes Diaconus in ejus vita, auguſtiſſimo Sacramento ſe privavit, quaſi in pœnam cujuſdam negligentiæ, quam in pauperem ſe commiſiſſe exiſtimaverat. Non feſtinus, ſed lentus accedas ad has epulas, ſi placet Clementis Alexandrini placitum dicentis: *O admirabile myſterium! Veterem & carnalem nos jubet exuere corruptionem: quemadmodum & vetus nutrimentum. Alit autem novæ Chriſti diætæ effectos participes.* Quaſi velit, eâ nos moderatione divinam hanc ambroſiam participare ſeu guſtare, qua illi, qui diæta curantur, ad cibos majores accedunt; ut ſuavitatem hujus epuli ſentire mereamur.

Ingens myſterium latet in miraculo panum, dum quinque millia ſaturantur, ſuperfuiſſe duodecim cophinos fragmentorum; at non tot reſiduos, quando ſaturantur tantum quatuor millia. Solertem, & elegantem reddit rationem D. Ambroſius: f *Cur quinque millibus hominum plus redundat, quatuor millibus minus? quia quatuor millia iſta triduo cum Chriſto fuerunt, & ideò ampliorem cœleſtis pabuli alimoniam receperunt.* Jure optimo, triduo inediam ſuſtinentes, ſplendidiori epulo ſaturantur, & appetitu majori veſcuntur. Lentus accede ad hoc admirabile, & divinum convivium, ſi expleri deſideras. Sic Sanctus Antonius refert, g D. Bonaventuram multos dies ab Euchariſtia, propter reverentiam, abſtinuiſſe.

Hauſerat hoc, ut credo, ex pio ſenſu Magni Auguſtini, qui non per dies, aut menſes, ſed annos, numquam ſatis dignam præparationem commendat, hęc fortè ſecum ruminando: h *Quomodo invocabo Deum meum, Deum & Dominum meum? quomodo utique in meipſum eum vocabo, cùm invocabo eum. Et quis locus eſt in me, quò venias in me, Deus meus, Deus qui fecit cœlum & terram? Itáne Domine Deus meus, eſt quidquam in me, quod capiat te?* Elenchum Sanctorum & Sanctarum, qui voluerit, hîc attexere poterit, qui hiſce aut ſimilibus verbis, ab acceſſu Sanctiſſimi Sacramenti, timore reverentiali ſe ſubduxêre.

Hæc è ſacris paginis, ſanctíſque patribus deprompta. Alia nunc è ſummis Eccleſiæ Doctoribus, & clariſſimis Univerſitatum Theologis, argumenta petamus.

Primùm ſic contra frequentem communionem ratiocinantur: k Qui abſtinet à ſuſcipienda Eucha-

f Amb. in Luc. c. 9. g Antonin. 3. p. tom. 24. cap. 8. h L. 1. conf. c. 2. k 1. Argum.

cha-

chariſtia aliquoties ob reverentiam Sacramenti, plures actus virtutum exercet, quàm qui quotidie, aut ſæpius recipit (loquitur pro illa vice, qua unus abſtinet, alter verò non) quâ abſtinentiâ actus timoris filialis exercetur, qui timor ab actu alio charitatis oritur: nam, ut ait S. Thomas, Cajetanus, Bannez Aragon. Torres, Suarez, &c. *l* timor filialis creſcit creſcente charitate: ſicut creſcente cauſa, creſcit effectus: quantò enim magis quis diligit aliquem, tantò plus timet eum offendere, & ab eo ſeparari. Ita quò magis veretur quis Deum offendere, & ſeparari ab eo, non dignè, nec debita diſpoſitione, fervore &c. ſed veluti ex conſuetudine, ad ſacram menſam accedendo, eò magis diligit.

Præterea exercet humilitatem, & reverentiam, diſtinctiúſque fidem colit, & excercet formaliter, ſeu in actu ſignato, circa hoc myſterium: quia impoſſibile eſt timere aliquem tantum Dominum intra ſe recipere, & non pariter credere, ſub illis ſpeciebus deliteſcere Chriſtum filium Dei. At qui ſuſcipit ex amore Chriſtum, non neceſſariò fidem hujus Sacramenti exercet actualiter, & formaliter; ſed ſolùm exercet actum amoris, qui, demus, ſit ut quatuor, & timor reverentialis illius, qui abſtinet, ſit etiam ut quatuor, cùm ille (ut probatum eſt) à charitate ut quatuor oriri debeat, ſit quod abſtinens, & non abſtinens ſint pares in charitate.

m At præ hoc, abſtinens inſuper excedit in timore, fide, humilitate, reverentia. Igitur laudabilius eſt, & Deo gratius aliquando abſtinere, quàm quotidie, aut frequentiùs Euchariſtiam ſumere. Urgent ulteriùs: Ponamus, quòd quis experiatur ex frequenti ſumptione, minorem ſe habere erga Euchariſtiam reverentiam, nec etiam amorem augeri; in hoc ſaltem caſu melius erit abſtinere, quàm communicare: ergo abſolutè loquendo, non erit expediens Laicis quotidie, aut frequenter communicare.

Alterum argumentum adducunt; quod nimia frequentatione & communicatione intima cum Deo, minuatur reverentia, & quædam quaſi familiaritas, atque ex ea contemptus oriatur, juxta vulgarem parœmiam: *Familiaritas parit contemptum.* Quod præclarè expendit D. Auguſtinus: *n* *Vulgare*, inquit, *proverbium eſt, quod nimia familiaritas parit contemptum.* Quare rariùs accedendum: *ne fortè nimis aſſiduus contemnatur, & abſens magis deſideretur, deſideratus avidiùs quæratur: diu quæſitus, tandem gratiùs inveniatur.* Cui ſententiæ favere videtur P. Baltaſar Alvarez, periti ſſimus omnis perfectionis Magiſter, & quo tum temporis non erat ſanctior in terris. Hic *o* Abulæ B. Mariam Diatiam, divinum hoc pabulum avidiſſimè eſurientem, mirè exercuit: quandoque aliis pœnitentibus præviè aures præbebat, & illam, quod jam ſerius, inauditam dimittebat.

l S. Thom. 1. 2. q 19. a. 10. ibid. Cajet. Suarez. de fide tr. de ſpe diſp. 1. ſec. 4.

m Ioan. Sanchez ſelectæ, & practicæ diſput. 22. *n* Aug. tom. 9. ſcalæ paradiſi cap. 8. *o* Vita P. Balt. Alvarez cap. 10. §. 1.

Aliàs templum ingreſſam cum crepidis, templo exire, & crepidas exuere juſſit, quibus ante fores templi relictis, reverſæ communionem prohibuit. Quid? quod *p* Thereſiæ Seraphico amore flagranti, ad viginti dies communionem negaverit? Divino conſilio, ac cœleſti Spiritu ductos fuiſſe Confeſſarios, & vitæ ſpiritualis, perfectioníſque magiſtros, qui ſuis communionem indixerunt, ex eo manifeſtum eſt, quod ipſe Chriſtus dilectas ſuas ſponſas, quò purius accederent, quandoque ablactârit.

q B. Margareta de Cortona, Ordinis S. Franciſci, mirabile illud commercium, quo immenſa Majeſtas, noſtram naturam aſſumere dignata eſt, vitæ panem in die ſanctæ nativitatis ardenter deſiderabat, & amanter expetebat; ſed nequaquam præ reverentia audebat accedere; niſi eam prius Paſtor ovium liberaliter invitaret. Sed quia tam ineffabile Sacramentum, non abſque digna diſpoſitione, ac devota præparatione ſumendum, locutus eſt Chriſtus Margaritæ: jucunditatem illam, quam de me quæris, in die Joannis Evangeliſtæ, dilecti mei, tibi reſervo: nam illa die guſtabis ad altare dulcedinem inexpertam. *Nolo autem, ut in die meæ nativitatis communices*; ſed volo, quòd *flendo*, ſaties inter animalia vagientem: & ut devotiùs præpareris, ego do tibi iſtam legem, ut in die Protomartyris mei Stephani, ad aptandum mihi, tuo æterno Creatori hoſpitium, cum ſæcularibus non loquaris: illa etiam die, qua me in anima tua recipies, eandem normam inviolabiliter ſervabis, ut ego, quem unicè cum tanta flamma deſiderii poſtulas, uniar tibi gratia ſpeciali.

Tertiò objiciunt ex S. Thoma: r *Si eſſet laudabile frequenter hoc Sacramentum accipere, quantò frequentiùs ſumeretur, tantò eſſet laudabilius. Sed major eſſet frequentia, ſi homo pluries in die communicaret; quod tamen non habet Eccleſiæ conſuetudo. Non ergo videtur eſſe laudabile, quod aliquis quotidie hoc Sacramentum accipiat*, aut alternis fere diebus. Unde plerique ſuadent communionem ſpiritualem, quæ indies utiliter, & ſæpius à multis uſurpatur, cujus praxim ſubnecto.

Communio ſpiritualis.

Eſt magnum, & ardens S. Euchariſtiam ſumendi deſiderium, informatum actibus fidei, ſpei, charitatis, aliarúmque virtutum. D. Thomas p. 3. q. 80. a. 2. P. Lud. de Ponte de perfectione to. 1. tr. 4. c. 9. P. Alphonſus Rodericus de exercitio perfectionis tr. 8. c. 5. &c.

Praxis Communionis ſpiritualis.

ſ *Adoro te devotè latens Deitas, quæ ſub his figuris verè latitas*, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, quem cum omnibus, quæ revelaſti, per mille gladios, & rogos profitebor. Deſidero te millies, mi Jeſu, quando venies, me lætum quan-

p Ibid. c. 11. §. 1. q Bolland. 22. feb. n. 25.

r S. Thom. 3. part. q. 80. art. 10. ſ S. Thom. in hymno.

do

do facies, me de te quando ſaties? ſed fateor, Domine, non ſum dignus; fretus tamen infinita tua miſericordia, invito te ad mundandum cor meum ab omnibus peccatis, ab omnibus inordinatis affectionibus: ſi enim vis, potes me mundare: cor itaque mundum crea in me Deus. Riga hortum hunc, & adorna floribus pulcherrimarum virtutum, in quibus tibi maximè complaces. Veni igitur, ô bone Jeſu, & noli tardare. Propitius eſto mihi peccatori. Trahe me poſt te. Imperti mihi paternam benedictionem tuam. Uni me tibi per novam gratiam. Induar, ô mitiſſime Salvator, tuis ſanctiſſimis meritis. Intra tua vulnera abſconde me. Fac me tuis ſemper inhærere mandatis, & à te nunquam ſeparari permittas. Ne projicias me à facie tua: ſpero eam in cœlis aliquando viſurum me, quia pretioſum tuum Sanguinem pro me fudiſti. Amo te ſuper omnia, propter temetipſum, atque infinitam tuam dignitatem. Doleo medullitus, ô ſuprema Bonitas, te unquam fuiſſe à me offenſam. Eja igitur dic, ô bone Jeſu, dic animæ meæ: ſalus tua ego ſum: accipe Spiritum ſanctum. Dic: fiat tibi ſicut vis. Dic: vade in pace, & laudabo te ex hoc, uſque in æternum.

Gratiarum actio. In gratiarum actionem, ô bone Jeſu, quòd Sacratiſſimum tuum corpus & ſanguinem ſpiritualiter ſumpſerim, opto, ut omnes te colant, glorificent, atque ex toto corde diligant.

Motiva ad ſæpe communicandum ſpiritualiter.

1. *t* Sancta Joanna de La Croix ait, Chriſtum qualibet vice, qua communicabat ſpiritualiter, ſolitum ſibi dare eaſdem gratias, quas acceptura fuiſſet, ſi communicâſſet ſacramentaliter; addítque, ô præclarum communicandi modum, ubi nulla opus eſt confeſſarii venia.

2. Fieri interdum poteſt, ut quis plus mereatur ſpiritualiter, quàm alius ſacramentaliter communicando: *v* Deus enim revelavit cuidam Abbati, unam ex religioſis, quæ cum cæteris communicare nequiverat, ob impedimenta, in quibus illam & obedientia, & charitas detinuerant, plus promeritam fuiſſe per communionem ſpiritualem, quàm reliquas omnes, quæ re ipſa ſanctiſſimum Chriſti corpus acceperant. Idem contigit, Chriſto teſte, ſanctæ Gertrudi, poſtquam ſpiritualiter communicaverat; non enim potuerat cum cæteris ſacramentaliter communicare, morbo impedita.

Denique quàm grata hæc praxis communionis ſpiritualis cœleſti ſponſo fuerit, innumera teſtantur divinæ benevolentiæ teſtimonia: è quibus unum, in gratiam tenerioris ætatis, ad primam communionem ſe comparantis, hic libet referre. *x* Imelda Lambertina, virguncula

t Barrii ſolitudo de Philagie en la medit. 2. du jour. 10. v Pennequ. de amore Dei. part. 3. c. 32 medit. 14 x Mich. Pius l. 3. de viris illuſt. Ord. S. Dominici.

undecim annos duntaxat nata, monaſticum habitum inter ſanctimoniales B. Mariæ Magdalenæ, Boloniæ induerat; cum ardens illam deſiderium inceſſit, ſacram ſynaxim frequentandi: à qua ob ætatis teneritudinem, cum à ſuperioribus arceretur; illa die quodam cęteris ſanctimonialibus ad divinam menſam accedentibus, in Eccleſiæ angulo, gemitibus, ſuſpiriis, ac inflammatis deſideriis tota vacabat.

Cum ecce de tabernaculo ſacra hoſtia exiliens, medio in aëre, cunctis inſpectantibus pendula hæſit, donec ſacerdos eam manu excipiens, divino inſtinctu, eam Imeldæ porrexit. Profectò, ſi plures tanto amoris æſtu, tam inflammato deſiderio, cum hac virguncula ſpiritualiter communicarent, plures cœleſtis hujus epuli, etiam ſacramentaliter participes fieri mererentur.

Quare ejaculare & tu è cordis pharetra ejuſmodi flammulas, & cum ſancta illa anima exclama:

Is het Trooſt U te aenſchouwen
In het Heyligh Sacrament?
Siet hier van ſoo groeyt mijn rouwen,
Dat ghy my ſoo ſijt ontrent:
En U niet en mach genieten
Noch aenſien naer mijnen wenſch:
Dat doet my dees Traenen gieten
En dees diepe ſuchten ſchieten
O verborgen God en Menſch!

3. Venerabilis Pater y Ludovicus de Ponte, homo ægræ valetudinis, quæcumque demum eſſet anni tempeſtas, indies ad templum ſæpius ibat, adviſendam ſacram Euchariſtiam, ibíque communicabat ſpiritualiter, quod erat illi valde familiare. Monitus à rectore ſuo, Didaco de Soſa, ne ſumeret ſibi tantum laborem, tanta cum difficultate eundi ad templum, cum poſſet ſuo deſiderio ſatisfacere in cubiculo, reſpondit hac memoratu digna ſententia; facio, pater, hos paſſus, plures etiam facturus, ut oſtendam quanti æſtimem gratiam ſiſtendi me coram eo Domino, & agendi cum eo, pro impetranda gratia, qua tantoperę tunc indigebo, quando me videro coram eo, tanquam ſevero judice.

Hoc eſt, quod S. Auguſtinus inculcat: z *Comede panem altaris ſpiritualiter*. Et alibi *crede, & manducaſti*. Nôſti quo fructu? non animæ duntaxat, ſed & corporis. In hoc genere nihil illuſtrius, quam quod Bartholomæo Cajetano, Divo Bonaventura referente, accidit *a* Hic cum ad conſtructionem cujuſdam Eccleſiæ B. Franciſci, non modicum deſudaret, ruente trabe quadam, ejuſque cervicem opprimente, fuit graviter conquaſſatus. Ipſe verò mortem ſibi ſentiens imminentem, uti erat vir fidelis, & pius, à quodam fratre viaticum poſtulavit; quod frater ille tam celeriter afferre non volens, quia mori ſubitò credebatur, B Auguſtini verba protulit, dicens ei: *crede, & manducaſti* (nempe ſpiritualiter) ſequenti verò nocte Beatus Franciſcus illi apparuit, & inter ubera portans agniculum, ad lectum ejus acceſſit, vocavítque eum ex nomine, dicens: Bartholomæe,

y In vita l. 2. cap. 9.

z Auguſtin. tract. 26. in Ioan. & 21.
a S. Bonav. in vita S. Franciſci lib. 3. de miraculis.

noli

noli timere, quia non prævalebit adverſum te inimicus, qui te in meo ſervitio voluit impedire. *Hic eſt agnus, quem tibi dari petebas, quem & propter bonum deſiderium ſuſcepiſti* : cujus etiam virtute conſequeris utriuſque hominis ſoſpitatem. Et ſic per vulnera manum ducens, ad opus quod cœperat, eum redire præcepit.

4. Andreas Creuſen Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Archiepiſcopus Mechlinienſis ad promovendam hanc utilem & laudabilem devotionem, conceſſit 40 dierum indulgentias, qualibet vice, qua quis ſub ſacro, vel viſitando venerabile Sacramentum, communicaverit ſpiritualiter modo ſupra dicto.

Econtrà vero utilius eſſe, frequenter ſacram Euchariſtiam uſurpare realiter, & ſacramentaliter, ſanctorum Patrum evincit auctoritas, qui omnes communi ſenſu frequentem Euchariſtiæ uſum maximè commendant. Divus Ignatius cumprimis: b *Feſtinate*, inquit, *frequenter accedere ad Euchariſtiam, & gloriam Dei: quando enim aſſiduè hoc ipſum agitur, expelluntur poteſtates ſathanæ.* Quibus verbis ſignificat, ex frequenti uſu Euchariſtiæ, & divinam gloriam extolli, & ſatanicam ſuperbiam humiliari. Juſtinus Martyr in Apologia ſua ad Antoninum Pium Imperatorem, laudat veteres Chriſtianos, non ſolum cives, ſed etiam opifices, & agricolas, qui octavo quoque die ad Euchariſtiam recipiendam concurrebant. Quaſi in hac communicandi frequentiâ, magnam religionem, & pietatem conſiſtere fateretur: c *Die*, inquit, *qui ſolis dicitur* (Dominicum intelligit) *omnes qui in oppidis, aut agris morantur, unum in locum conveniunt: concluſiſque precibus, panis, vinúmque, & aqua offeruntur, & ea quæ cum gratiarum actione cōſecrata ſunt, unuſquiſque participat.* Sed divus Chryſoſtomus aſſerit, d eum qui ſibi nullius mali conſcius eſt, oportere ſingulis diebus ad Euchariſtiam accedere. Ubi illo verbo *oportere*, magna hujus frequentiæ neceſſitas exaggeratur. Divus Ambroſius: e *Si quotidianus eſt panis; cur poſt annum illum ſumis? accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit.* Chriſtus carnem ſuam appellavit cibum, & ſanguinem ſuum potum. Joan. 6. Ut ſicut homines cibo & potu frequenter uti debent, ita corpore & ſanguine Chriſti. Enimverò neceſſe eſt ut fame pereat, qui his epulis abſtinuerit, quod Pſaltes Regius inſinuat: f *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquaverunt uſque ad portas mortis.* Ubi divinum epulum pro omni eſca accepit Gregorius Nyſſenus Tract. 1. in Pſalm. cap. 8. Cujus qui fugiunt refectionem, ſibi inedia mortem conciliant: *Si non manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Audîſtis utriuſque partis è ſacris paginis, & ſanctorum Patrum, Doctorúmque ſuffragiis agitatam controverſiam. Nunc priuſquam uſum, & devotionem frequentis ſumptionis Euchariſticæ commendem, & adverſæ

b S. Ignatius epiſt. 14. ad Epheſ.

c S. Iuſtinus Apolog. 2. d Chr. orat. de B. Philogonio Tom. 3. e Ambr. l. 5. de ſacramentis c. 4. f Pſalm. 8.

partis objectionibus reſpondeam, notandum eſt, intentum meum non eſſe, per frequentem communionem, quotidianam intelligere, cui torrens Theologorum meritò obſiſtit. Ut videre eſt apud Vaſquem, Suarem, Ledeſma, Petr. de Soto, alióſque innumeros, quos adfert Joannes Sanchez in Diſputat. Selectis & Practicis, diſp. 22. Qui *g* omnes aſtruunt, non eſſe ſanum conſilium, quotidie Laicos ad ſacramentum accedere: cum fundatores Ordinum Religioſorum, ne quidem hoc ut medium ad perfectionem ſuis præſcripſerint; ſed ſufficere ſemel, iterúmque per hebdomadam. Unde Manuel Rodrig. in ſumma cap. 65. monet Confeſſarios, nullo pacto debere concedere pœnitentibus facultatem, quotidie communicandi, exceptis perſonis ſingularis virtutis, quæ comparentur ſanctæ Catharinæ. Sed commune omnium conſilium, & ſalubre monitum eſt, frequenter communicandum. Sanctus Thomas 3. p. qu. 80. c. 10. art. 5. *Conſulitur in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, omnibus diebus Dominicis communicandum*; pietati verò impenſius vacantibus, etiam feſtis, inſuper ſemel per hebdomadam. Quotidiana ne quidem ſanctimonialibus, aut filiabus Deo virginitate devotis; ut habet Regula noſtra ſacerdotum 26. præſcribens Confeſſariis, ne ſint faciles ad quotidianam communionem pœnitentibus concedendam: quam Regulam fruſtra Marzilla, epiſtolâ ad Patrem Generalem Claudium, abrogari poſtulabat, & ſperabat; ut docet Lugo de Euchar. diſp. 17. ſect. 2. nu. 15. qui in hoc caſu ex variis probat, pœnitentes judicio Confeſſarii ſtare debere. Sunt enim, quæ quotidianam prenſant communionem, & ardentiſſimam hujus eſcæ, & potus divini famem, ac ſitim ſe pati profitentur; cùm interim & amoris proprii, & exiſtimationis, præ cæteris quandoque aura eas impellat. Tales duæ illæ Moniales, ut in vita S. Thereſiæ refertur, *h* quæ tanto amore in cœleſtem ſuum Sponſum ferebantur, ut ſine eo ſe vivere non poſſe dictitarent; unde moleſtæ erant Superiori, ut ſæpius præ aliis communicare ſibi liceret. Imò eò excrevit ardor, ut niſi indies hoc cœleſti pabulo reficerentur, certò ſe morituras affirmarent. At prudens illa omnis perfectionis & ſanctitatis Mater ac magiſtra Thereſia, meram eſſe apprehenſionem, & imaginationem perſuadere conata eſt; talem ſingularitatem non niſi ex phantaſia, ac illuſione dæmonis oriri, non ſine gravi deceptionis periculo: cúmque nullis rationibus acquieſcerent, manifeſtò vaferrimi hoſtis impoſturam cognoſcens, ſtatuit ut non communicarent plus, quàm aliæ: ſe quoque ſimili deſiderio teneri; ſed ne ſingularitatem incurreret, abſtinere: quare, inquit, ſi vobis moriendum ſit hodie, præ tanto deſiderio, moriamini. Primum diem magno doloris ſenſu tranſ-

g Vaſquez Tom. de Euchariſt. diſp. 214. c. 3. n. 27. Suarez Tom. 3. in 3. part. diſp. 60. ſect. 4. Ledeſma 1 part. c. 14. concl. 4. Soto lect. 9. de Euch. & in 4. diſt. 12. art. 10. conc. 3.

h In vita lib. 4. c. 24. P. Perduccius. Acheminenſ. de l'ame. pag. 253.

ege-

egerunt; altero minus ſenſerunt, tandem cum cæteris in ordinem redactæ ſunt.

Concludo cum Doctore Angelico, qui ubi adduxit illud divi Auguſtini : *Accipe quotidie, ut quotidie tibi proſit* : ſubjungit : i *ſic vive, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominibus multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem, vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc ſacramentum accedere.*

Idem ſentit Doctor Seraphicus lib. 2. de profectu Relig. cap. 77. *Vix aliquis ita religioſus eſſe videtur, & ſanctus, quin ſemel in ſeptimana ſufficiat ei communicare, niſi infirmitas, aut alia ratio ſuperveniat.*

Ad primam objectionem reſpondeo cum Sanchez cit. Reverentiam filialem, quidem oriri ex charitate; ſed perfectiorem eſſe actum charitatis, qui foras mittit timorem, illum nempe, qui quò magis creſcit, & arcet à complexu amantis, hoc magis facit charitatem refrigeſcere. Unde ſanctus Thomas 3. part. qu. 80. art. 10. *Non litigaverunt inter ſe Zachæus & Centurio, cùm alter eorum gaudens ſuſcepit Dominum, alter dixit : non ſum dignus ut intres ſub tectum meum. Ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo.* Diverſitatem attendite : *Amor tamen, & ſpes præferuntur timori : Unde cùm & Petrus dixiſſet : exi à me Domine, quia homo peccator ſum, reſpondit* Jesus : *noli timere.* Utque abſtinens varios humilitatis, reverentiæ, fidei, deſiderii, & amoris actus eliciat, hi omnes, & illis excellentiores ſubſiſtere poſſunt, cum frequenti uſu communionis

i S. Thom. 3. part. qu. 80. art. 10.

Aliàs ſequeretur, eos magis in ſpiritu proficere, qui ſemel, aut iterum in anno; idque circa feſtum Paſchæ rectiùs agere, & in virtute, ac gratiâ ſolidari, quod nemo dixerit. Quis enim ſordido, & lutulento diſſuadeat ad fontem recurrere, famelico panem appetere, ægroto Medicum adire? audiendus ē Theologis Gabriel in Canone miſſæ lect. 87. qui ſic ait : *Qui timens celebrare* (de ſacerdotibus fuſiùs poſtea agemus) *ſeu communicare, abſtinet, quia confidens de induſtria ſua ſperat ſe alio in tempore magis aptum futurum : aut quia majorem Dei gratiam ſe præparantem exſpectat : ſi primum, ſtulta eſt præſumptio; ſi ſecundum, fatua eſt exſpectatio à Domino, qui ſemper, ſublato impedimento, præſto eſt : nec novit tarda molimina Spiritus Sancti gratia : ſtat pulſans ante oſtium, petit introitum, ut cœnet tecum, tantum aperi januam cordis, & remove peccati mortalis repagula.* Quod maximè valet, & contra ſcrupuloſos, & alios qui rariſſimè per annum hoc cœleſti epulo paſcuntur.

Hinc pergit idem Auctor : k *Securè ſuſcipe Chriſtum. Immunda es ô anima?* (inquit pius & eruditus Cancellarius Gerſon) *accede ad panem vivificum, eſurientem bonis implentem. Ægrotas; erit hoc efficaciſſimum tuæ invaletudinis medicamentum. Pauper es? particeps eſto hujus ſacramenti, & habebis Chriſtum hoſpitem ditiſſimum.* Atque, ut animos addat, formidines indies occurrentes ſic diſcutit : *Non ergo formidandum; ſed in Domino ſperandum, & ipſe te enutriet. Sentite de Domino in bonitate.*

k Gabriel. lect. 7. & 8. apud Sanchez cit.

nitate. En quos, quales, & quot actus virtutum ex ſumptione Euchariſtica, vano timore ſecluſo exercent, qui meritum & gratiam accipiunt, non ſolū ex opere operantis, ſed ex opere operato.

Ad ſecundam objectionem de familiaritate, & contemptu Dei, ex frequenti communione, facilis reſponſio eſt: apud homines quidem, nimia *familiaritas parit contemptum*, quia ex frequenti converſatione, defectus converſantium deprehenduntur; ſi tamen homines, quibuſcum agimus, multa ſcientia, prudentia, ſanctimonia prædıti ſunt: familiaritas æſtimationem, amorem, timorem reverentialem, quo amicus ab amico ſeparari timet, conciliat. Quantò magis familiaritas intima cum Deo, in quo indies plures, & plures perfectiones agnoſcet. Uti Moyſi, aliiſque Sanctis ex frequenti oratione, & familiari cum Deo colloquio, *ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum*. Quid, quod ſanctus Joſeph, ſanctus Joannes, & Deipara, qui intimam cum Chriſto familiaritatem habuêre, & illa quidem etiam indies communicando *i* (ut fusè notat Vega) in divinam Dei hominis cognitionem, æſtimationem, admirationem rapti, immenſum ſibi virtutum omnium, meritorum, ac gratiarum cumulum compararint. Rem hanc confirmare juvat exemplo Samaritanæ, quæ ubi primum cum Chriſto agere cœpit, illum quaſi unum de plebe compellat, dicens: k *Quomòdo tu, Judæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* utitur vocabulo *tu*, quo homo vulgaris compellari ſolet: ſed pergens ulterius cum illo ſermocinari, *Dominum* vocat: *Domine, da mihi hanc aquam*: & paulatim progrediens, *Prophetam* nuncupat: *Video, quia Propheta es tu*. Tandem penitius illum cognoſcens, illum Chriſtum & Meſſiam profitetur. Denique nulla major familiaritas, quàm illa, quæ inter Deum, & Beatos reperitur; at ipſi coram Deo contremiſcunt, ut patet ex præfatione Eccleſię, dicentis *Tremunt poteſtates*. Abſit ergo, ut ex frequenti cum Deo familiaritate, contemptus oriatur. Sed de hoc vide plura feſto ſancti Joannis Evangeliſtæ.

Ad tertiam objectionem: ſi frequens communio probanda & laudanda, ergo eodem die probandum, ſi ſæpius ſancta Euchariſtia ſumatur. Reſpondet Joannes Sanchez, obſtare decretum Alexandri Papæ, ſub peccato mortali irreligioſitatis, atque ideo, addit ſanctus Thomas, obque alias cauſas, quas ipſe, & alii adducunt, non erit melius pluries uno die communicare. Denique & hæc, & alia quæ adverſarii adferunt, militant pro communione quotidiana, quam non defendimus; ſed frequentem commendamus, & inculcamus. Ex qua qui fructus, ne hîc longior ſim, inter Theologos conſulendus Cardinalis de Lugo. *l*

Quod ſpiritualem communionem ſpectat, hæc optima diſpoſitio eſt ad realem, & ut ſæpius exercita gratiam, ac fructum animæ conferat ex opere operantis; longè tamen uberiorem, ex opere operato, vel unica realis, mul-

i Chriſtoph. de Vega, Theol. Mariana part. 2. palæſtra 21. certam. 5. k Ioan. 4.

l Lugo de Euchar, diſp. 12. ſect. 4.

cóque nobiliores effectus operatur. Ad quam proinde, præ illa, Concilium Tridentinum fideles hortatur Seſſ. 22. cap. 6. *Optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali perceptione communicarent.* Quia, ut inquit Doctor Angelicus, m *plenius inducit ſacramenti effectum, ipſa ſacramenti ſuſceptio, quàm ſolum deſiderium*: qui enim ſimul ſpiritualiter, & realiter ſacramentum ſumit, majorem copiam gratiæ, & virtutem conſequitur.

His itaque objectionibus Adverſariorum diſcuſſis, ſupereſt, ut frequentem communionem, potiſſimum contra puſillanimes, anxios, & ſæpe relabentes probemus, & commendemus.

Sanctus Auguſtinus implicitam hanc quæſtionem ſibi propoſitam, ſic enodavit: n *Dixerit aliquis, non quotidie accipiendam Euchariſtiam. Quæſieris, quare? quoniam, inquit, eligendi ſunt dies, quibus purius homo continentiúſque vivat, quò ad tantum ſacramentum digniùs accedat: qui enim manducaverit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit. Alius contrà: imò, inquit, ſi tanta eſt plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda ſint, auctoritate Antiſtitis debet quiſque ab Altari removeri, ad agendam pœnitentiam, & eadem authoritate reconciliari. Cæterum ſi peccata tanta non ſint, ut excommunicatus quiſpiam homo judicetur, non ſe debet à quotidiana medicina Domini corporis ſeparare.*

Non exiſtimem quemquam veſtrûm eo ſcelere teneri, ut *excommunicatus* ſit: quid eſt, quod ad menſam Domini, tanti Doctoris nixi judicio non accedatis? ſed ad illa ſancta Sanctorum, nemo cum calceamentis veteris hominis, nemo niſi mundus accedat: ego fateor, meos pedes tanto pulvere ſæcularis vanitatis aſperſos, ut eò ingredi non audeam. Quanto minus præſumet accedere, qui conſuetudine inveteratâ, decies, vigeſies, & centies in cœnum relabitur?

Audiant hi, cujus doctrina Pontificum oraculo, & totius Eccleſiæ ſuffragio comprobata, Auguſtinum: omnibus, inquit, o *Dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor.* Et paulò pòſt: *Communicaturus ſatisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domini miſeratione, quia peccata piæ confeſſioni donare conſuevit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus, & ſecurus.* Quam adhuc excuſationem prætexere poſſunt animæ, quæ per plures menſes, & annos, imò totâ vitâ gravioribus peccatis abſtinent; cum & graviſſimis peccatoribus, frequens hujus cœleſtis antidoti uſurpatio, à Doctore graviſſimo, & in tractandis animabus expertiſſimo, præſcribatur? ſed ſi fortè conſultationem Doctorum, morbo veſtro tam periculoſo inſtituendam judicetis; S. Hilarius qui venam plurium exploravit, ſic ſentit: p *Qui peccare quievit, communicare non deſinat.* Centies, & millies peccare quieſcat, & communicare non deſinat. Accedit Doctor Mediolanenſis Ambroſius,

m S. Thom. 3. part. q.69. art. 4. ad 2.
n Aug. Ep. 118. cap. 3. ad Ianuarium.

o Aug. l. de Eccleſi. dogmatibus p S. Hilarius citatus ab Algerio l. de ſacram. Euchariſt. c. 22.

qui

qui ſibi, aliíſque hoc remedium præſcribit: q *Debeo*, inquit, *illum* (nempe panem cœleſtem) *ſemper accipere, ut ſemper mihi peccata dimittantur, qui ſemper pecco, ſemper habere debeo medicinam.*

Ad objectionem Centurionis, cujus humilitas laudatur, dicentis: *Domine, non ſum dignus*, &c. aureo ore, & more ſuo reſpondet Chryſologus: r *Hoc bene dictum eſſet, antequam Deus hoſpitium noſtræ carnis intraret: at nunc, quod ſic Centurio tectum ſuum Chriſtum vetat intrare, quem totum videt intra tectum ſui corporis jam manere?* quod argumentum, poſtquam Deus ſe humiliavit, ut formam ſervi acciperet, omnes ab hac cœna ſe excuſantes, & cum Centurione ſe indignos, ut hoſpitio animæ excipiant, judicantes, convincit. Idem inſtat, & urget ulterius: etſi homo maximè indignus ſit (quod indubitatum eſt) à tali hoſpite dignum reddi, locupletari, omnibus gratiis, ac divitiis cœleſtibus cumulari: ſ *Sub tectum Centurio indignum ducit intrare Chriſtum, hoc eſt, in corpus humanum divinam ſuccedere Majeſtatem: non ſum dignus ut intres* &c. *Sed Deus, qui quod humanum eſt, cum vult, facit eſſe divinum, & quod noſtræ carnis eſt, cùm dignatur, ſuum commutat in ſpiritum: nec habitare carnem, nec tectum noſtri corporis dedignatur intrare.*

Faceſſant igitur improbantes frequentem communionem, Philiſtinis ſimiles, qui ubi videbant familiam Iſaac florere, & creſcere, plures menſæ adhiberi, villicos plures, famulos lautè haberi; puteos terra oppleverunt, è quibus ipſe haurire, bibere, & pecora ejus poſſent. Ita ubi ad menſam Euchariſticam Chriſtus plures convivas habere cœpit, Philiſtini quidam inſurrexêre, qui rationibus terrenis, de contemptu, irreverentiâ, & nimia familiaritate, puteos gratiarum opplere conantur. Hos itaque duos affectus timoris reverentialis, & ſummæ charitatis communicaturus eliciat, ut ardenter, & gaudenter Chriſtum excipiat, & unà ſe indignum reputans, ea præparatione accedat, ut ab hoc hoſpite dignus reddatur, dicátque cum Auguſtino: t *Anguſta eſt domus animæ meæ, quò venias ad me, dilatetur à te. Ruinoſa eſt, refice eam: habet, quæ offendant oculos tuos, fateor, & ſcio; ſed quis mundabit eam? aut cui alteri præter te clamabo: ab occultis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo?*

Eliſabetha Angliæ Regina, hominem conditione vilem, ſed ingenio præcellentem, in Secretarium adlegerat: quem dum quadam die viſeret, anguſtias domus miranti, modeſtè ſubjecit ille: v tua Majeſtas me nimis magnum fecit pro his anguſtis ædibus. Cui illa: ſi te magnum feci, faciam & ædes magnitudini tuæ congruentes, & amplam illi domum exſtrui curavit. Nemo de anguſtiis domus animæ ſuæ queratur, hoſpes, quem excepturus es, *dilatabit ſpatia charitatis.* Fateor, ut amicum, aut virum Principem cum omni ſuo comitatu, vir gregarius excipiat, anguſtiare ſe, & domeſti-

q Ambr. l. 4. de ſacram. c. 6. r Chryſol. hom. 15. ſ Chryſol. hom. 102.

t Auguſtinus lib. 1. conf. cap. 5. v Bacon.

cos

eos debet, qui ad ſolaria aut angulos domus ſe recipiunt, ut hoſpiti locum cedant. At longè aliter hic fit, ſi Auguſtino credimus: x *Non timeat*, inquit, *ſpiritus tuus, ne cùm cœperit in te habitare ſpiritus Dei, anguſtias patiatur in corpore tuo. Non inde excludet ſpiritum tuum, noli timere. Si divitem aliquem hoſpitio ſuſcipias, pateris anguſtias, ubi maneas tu non invenis, ubi illi lectus paretur, ubi conjux, ubi filii, ubi familia. Quid ago, inquis? quò eo? quò migrabo? ſuſcipe divitem ſpiritum Dei, dilataberis, non anguſtiaberis. Dic hoſpiti tuo: dilatâſti greſſus meos ſubter me: quando non hic eras, anguſtias patiebar. Implêſti cellam meam, & non me excluſiſti; ſed anguſtiam meam dilataſti: cùm enim dicit: charitas Dei diffuſa eſt, ipſa diffuſio latitudinem ſignificat.*

Sed quid reſpondebimus iterum Sponſæ in Canticis? quam innumeræ modeſtæ, devotæ, ac religioſæ animæ ſectantur, præ humilitate clamantes: *Fuge dilecte mi*, fuge hoc antrum, hoc ſpelæum animæ meæ, tot paſſionum, perturbationum ſpectris refertum: *Fuge dilecte mi*, haram hanc porcorum, unde mephitis ſuperbiæ, arrogantiæ, propriæ exiſtimationis exhalat: *Fuge dilecte mi*, à diverſorio, quò omnia divertunt, & brutales affectus, & omnes rerum mundanarum occupationes hoſpitantur, ubi omnia patent, quivis ingreditur, & egreditur, ſtrepitus ſummus, quies nulla. Nôrint hæ, non hujuſmodi excuſationem, Sponſam prætexuiſſe, ut à ſe Sponſum arceret, nec fugaſſe illum, aut aufugere voluiſſe; ſed cum illo fugere præoptâſſe, & fugam adornaſſe. Divino ſuo, ut aſſolet, ingenio, expreſſit hoc Mediolanenſis Antiſtes: y *Hortatur, ut fugiat Sponſus, quia jam ſequi poteſt etiam ipſa, terrena fugientem: vult enim & ipſa fugere, & evolare ſupra mundum*. Vides, ut illum non tam à ſe fugere, quàm, quod amantûm eſt, ut liberius illo fruatur, cum amato fugere, & ſub eodem tecto ſola cum ſolo degere deſiderat. Ut vos ad frequentem communionem inflammem, unum hîc, epilogi loco ſubnecto, teſte Lorino; z non deeſſe qui affirment, glorificata corpora eorum, à quibus in vita mortali Chriſtus ſub ſpeciebus Euchariſticis frequenter, & ferventer ſumptus ſit, habitura peculiarem quaſi ornatum, & ſplendorem *in ſimilitudinem aureolæ*. Quod arriſit Andreæ Lucæ Arcones in Iſaiam, Maximiliano Sandæo, Gabrieli Henao a &c. Qua peculiari aureolâ, ut vos omnes frui poſſitis, maximè adhortamur. Alios fructus, videlicet quòd ex frequenti communione augeatur gloria Beatorum, animæ purgatorii ſubleventur &c. Vide apud Sanchez Diſputationes ſelectas & practicas diſputat. 25. Lugo, alióſque.

Atque hæc hactenus de Laicis; Sacerdotes verò indies celebrare debere, eleganti, & potenti paræneſi pertractat Joannes Euſebius Nierenbergius in doctrinis aſceti-

x Auguſtin. Serm. 15. de verbis Apoſtoli.

y Ambr. de bono mortis, c. 5. z Lorinus in acta c. 2. v. 42. a Arcones in Iſaiam c. 1. v. 13. diſcurſu & n. 7. Sandæi Theologia Iuridica. comment. 44. Henao de empyreo cœlo lib. 6. Exercit. 19. ſect. 8. nu. 78.

aſceticis lib.2.doctrina 4. cap.22. 23.24.

Hinc altera quæſtio oritur:

§. IV. b

An animæ magis expediat, Chriſtum ad conſolationem inVitare præſentem, dicendo: Mane nobiscum Domine: *an ad deſolationem, quaſi abſentem rogare:* Exi à me Domine, *& ca ſe indignam reputando dicere cum Sponſa:* Fuge dilecte mi, recede Domine.

PLures Sancti à Chriſto prædilecti, tantis deliciis ſpiritualibus, cœleſti gaudio, ac conſolatione delibuti fuêre, ut ejus dulcedinis abſentiam, ipſa gehenna acerbiorem ducerent, idque diu, noctúque ingeminarent: *Mane nobiſcum Domine.* Hoc in ſe, aliíſque expertus ſanctus Bernardus: c *Quæ*, inquit, *anima in Domino didicit, & accepit intrare ad ſeipſam & in intimis ſuis, Dei præſentiam ſuſpirare, & quærere faciem ejus ſemper, talis, inquam, anima, neſcio, an vel ipſam gehennam ad tempus experiri, horribiliùs, pœnaliúsque ducat?* iis quippe cœleſtium voluptatum illecebris tota perfunditur, ut velut in Paradiſum abrepta, cum beatis ſpiritibus bono infinito nunquam ſeparando, ſibi perfrui videatur. Unde ſubdit: *Ab hoc bono, ſi quis avertere ſanctam illam animam conaretur; puto haud ſecus accepiſſet, quàm ſi de paradiſo, & ab ipſo introitu gloriæ conſpiceret deturbari.* Quid mirum, ſi ejuſmodi anima, ubi internam hanc dulcedinem deguſtavit, exclamet: *Mane nobiſcum Domine.* Sic S. Petrus, in monte Thabor, ſuaviſſimo illo Chriſti contubernio fervens, in illo gloriæ ac voluptatis æſtu, exclamavit: Domine, *bonum eſt nos hîc eſſe*: utinam contingat hîc perpetuò vobiſcum commorari! *faciamus hîc tria tabernacula*, & manſionem ſtabilem figamus. Pauca verba, ſed ſtuporis, & amoris plena, quæ ita ſuſiùs explicat S. Auguſtinus: d *Hanc dulcedinem ut guſtavit Petrus, omnium oblitus; clamavit quaſi ebrius, dicens: bonum eſt nos hîc eſſe, hîc moremur. Unam ſtillam dulcedinis ille guſtavit*: quid ſi torrente voluptatis inebriatus fuiſſet, quomodo avelli potuiſſet? nôſtis, quid magnam Dei Matrem adeò afflixerit, tótque lacrymis filium duodennem perditum plorârit? non verebatur, ne fame periret, aut quid incommodi pateretur; ſed conſolationem nullam admittebat, quia ejus, vel exiguo tempore, præſentiâ fruſtrabatur, in quo omnibus deliciis fruebatur. Melleo ſuo flumine hîc excurrit Bernardus: e *Tantum ſubtractus vel ad modicum, ineffabiles præſentiæ ejus delicias querebatur: tam enim dulcis eſt Dominus* Jesus *guſtantibus eum, tam ſpecioſus ad videndum, tam ſuavis ad amplectendum, ut brevis ejus abſentia, materia doloris maxima ſit.*

b Ad ſanctimoniales. c Bernard. Serm. 35. in Cant.

d Auguſtin. Soliloq. cap. 22. e Bernard. hom. infra octav. Epiphan.

Hoc

Hoc tormenti genus, non inferius Martyrio, experta eſt beata Margarita Cortona, f quæ ex hoc ardenti Chriſti præſentis deſiderio, ipſius oraculo dicta eſt Matyr: ſic enim aliquando cœleſtis Sponſus ad illam: *Quid à me petis Margarita martyr mea?* cui cùm dixiſſet illa: *Quid me martyrem dicis ô Domine?* ſtatim audiit: *Martyrium tuum, timor eſt, ne me perdas.* Hoc plures ſanctæ animæ, amore flagrantes ſubiêre, quia ut rectè Doctor Angelicus: g *Amor eſt paſſio læſiva amantis*, uſque ad languorem non rarò, & interitum.

Ejuſmodi Martyrium ſtupet in Turonenſi Antiſtite Martino divus Bernardus, quem in atriis cœli conſtitutum ut amplexu Dilecti ſui, ac præſentia amabilis JESU fruatur, paratum deprædicat, zelo gregis ſui, ut diutius avellatur, quod tormenti genus an ullus cœleſtium ſpirituum aggredi auderet, dubitat: h *Magna*, inquit, *obedientia veſtra, Angeli ſancti, ſed quod dicere audeam, pace veſtra, neſcio, an inveniatur in vobis quiſquam paratus in tale aliquod miniſterium mitti, in quo neceſſe habeat non videre faciem Patris.* Quid quod in eò aliquid ſupra Principem Apoſtolorum advertit: *Magnum eſt, Petre, quod Dominum ſecuturus, omnia reliquiſti; ſed audivi te in monte dicentem, ubi transfiguratus eſt coram vobis: Domine, bonum eſt nos hîc eſſe, faciamus hîc tria tabernacula. Non eſt hoc, ſi pôpulo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem. Paratum cor tuum, Martine, paratum cor tuum ſive manere in corpore, ſive diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Is zelus exarſit in ſanctiſſimo Patriarcha noſtro Ignatio, qui etiam de ſalute ſua dubius & anxius, ſi ad gloriam Dei cederet, præoptabat in vivis manere, quàm certus, ſine ea promulganda, conditoris ſui conſpectu, & complexu frui.

f Bollan. in vita Tom. 3. Feb. g S. Thom. 2, qu. 28, a. 5. h Bernard. Serm. de S. Mart.

Poſt miraculum quinque panum *compulit* JESUS Diſcipulos aſcendere in naviculam, & præcedere trans fretum, donec dimitteret turbas. Et Lucæ 5. iterum volens transfretare, *rogavit* Petrum à terra reducere puſillum. Quare primò utitur imperio *compulit*, hic precibus *rogavit?* quia in primo caſu, numquam à ſuaviſſimo ipſius contubernio avelli potuiſſent, niſi juſſiſſet: in altero, ipſe comitabatur: *Per quod patet*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *quod nec ad horam libenter ſeparabantur à tam dulci, & potenti Magiſtro.* Nam ut ſuaviſſimè modulatur Abbas Claravallenſis.

i JESU *dulcis memoria,*
Dans vera cordis gaudia;
Sed ſuper mel & omnia,
EJUS DULCIS PRÆSENTIA.

Hac ita rapiebatur Diſcipulus ille, quem diligebat JESUS, ut ne paſſu uno ſe ſineret ab eo ſeparari: nam cùm Chriſtus captivus eſſet, Joannes ſubintrârat, excluſo Petro, & pulſante ut intromitteretur, Joannes rogat ancillam ut aperiret: k *Exivit Diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.* Quare ipſemet non aperit Petro? acutè Chryſoſtomus: *Chriſtum ſpectabat, ideo dixit mulieri, ut eum intromitteret*, ne momento, ne paſſib9 aliquot ab hoc fonte recedere

i Bernard. k Ioan. 6.

volebat,

volebat, unde tam dulcia gratiarum, & cœleſtis dulcedinis fluenta hauſerat.

Nolim hîc vel breviter recenſendo enarrare, quibus eximii ſanctitate viri ac prædilectæ Chriſti Sponſæ deliciis delibutæ fuerint, dum vel in ardenti oratione ſuaviſſimis lacrymis colliqueſcerent: vel per familiaria colloquia, dulci ejus præſentiâ perfruerentur, vel in ſacro epulo, intra cordis ſinum divinum hoſpitem excipientes in ecſtaſes raptæ, iis perfunderentur gaudiis, & cœleſtibus conſolationibus, ut vel ipſam gehennam ad tempus experiri tolerabilius, mitiúsque ducerent, quàm ejus ſuaviſſimo contubernio privari. Unde illæ voces, & ardentiſſima ſuſpiria: *Mane nobiſcum Domine*, ne derelinquas me, ne diſcedas à me. Nunquid & quidam veſtrûm, inquit Bernardus, hoc experti ſunt, qui dulcedinem divinæ conſolationis experti, ea ſublata, amarè queruntur: *Rara hora, & brevis mora.*

In alio extremo alios non minus vitæ ſanctimonia claros verſari video, qui conſolationes omnes, velut lac parvulorum exoſi, Deum ipſum velut pluvia cœleſtium deliciorum in cor illabentem, amabiliter deprecabantur, ut recederet. Talis illa Sponſa prædilecta anima, cœleſtes favores, & omnes illas amantis delicias aſpernata, & quaſi juvencula lacte enutrita, ſolidioris perfectionis cibos appetens, exclamat: *Fuge Dilecte mi.* Ubi Rupertus: l O *vocem dignam auditu Dilecti! hoc enim eſt, quod anima quævis fidelis, & ſapiens dicere conſuevit: Domine non ſum digna, ut tu intres ſub tectum meum. Non ſum digna, ut in me oſtendas frequens aliquod præſentiæ, vel viſitationis tuæ miraculum.* FUGE, *inquit*, DILECTE MI, *& ſaltus hujuſmodi ſimiles ſaltibus capræ, aut hinnuli cervorum effice, non ſuper me, ſed ſuper montes aromatum, ſuper præcelſa merita Sanctorum, atque perfectorum.* Quaſi diceret, divini illius muſti ferventes ſpiritus, intra vaſis anguſtias contineri non poſſe, quin rumpatur. Tales fuere ecſtatici illius viri ad Deum ſuſpiria: m *Recede à me parumper Domine, quoniam vaſis hujus infirmitas ferre non poteſt.* O quoties Xaverius inter Indiarum vepreta, cœleſtis dulcedinis flammas continere non valens, diloricato ſinu exclamare auditus eſt: *Recede Domine, ſatis eſt, ſatis eſt.* Nôrant hi quantò nobilius ſit, propriis expenſis, quàm pro mercenario conſolationis pane, Imperatori ſuo mereri. Vultis alios, quorum una vox fuit: n *Renuit conſolari anima mea?* luculento argumento eſt, quod Doctor Joannes Taulerus propriâ ſuâ experientiâ cognoviſſe ſe ſcribit: novi, inquit, inſignem Dei famulum, revelationibus, & viſionibus cœleſtibus mirandum, cui Deus plurima Scripturæ myſteria aperuerat, hominum interna ſenſa manifeſtare conſueverat; verùm tam parum illi arridebant hi cœleſtes favores, ut & ſuſpectos habuerit, & enixè Deum orârit, ut ſeſe veluti ablactatum, iis omnino privaret. Quinque annos exegit quibus ne minimus radius divinæ illuſtrationis, aut conſolatio-

l Rupertus in Cant. c. 8.

m Hermann. Hugo pia deſideria in fine. n Pſalm. 76. v. 4.

nis

nis affulſit; ſed vitam omnem ariditatibus, infeſtationibus, anxietatibus amariſſimam ducebat. Cùm ecce duo è cœleſti aulâ paranymphi, eum ſolaturi advolârunt; ſed fortiſſimus Athleta ad Deum converſus: *Nullum*, inquit, *ego ſolatium expeto, ſat mihi eſt, ut nihil præter te, ô* Jesu *amor mi, in animam introeat.* Quæ animi fortitudo ſic Deo placuit, ut ſupra multas alias prærogativas, meruerit ex ore æterni Patris audire: *Tu es Filius meus, in quo mihi complacui.* Quàm felicius, ac perfectius, ſic ab *uberibus* conſolationis ablactari, quàm infantium more, quibus lacte adhuc opus eſt, foveri? hi ſapiunt, ut parvuli, nec altioris diſciplinæ capaces ſunt, ut Iſaias olim vaticinatus eſt: p *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus,* qui ſolidiori cibo, & athletico quaſi pane paſci delectantur; quia, ut inquit ſanctus Thomas: q *Perfectorum cibus ſolidus eſt.* Hoc paſci voluit, & velut ab uberibus conſolationis ablactari, de quo Bloſius Abbas Lætienſis: † vir, inquit, ſanctiſſimus, cùm poſt annos quinque, perpeſſus ariditates ſpiritus, mentíſque altas tenebras, veniſſet ad illum Angelus olamen de cœlo deferens, quo effluentes ex oculis ejus indeſinenter lacrymas abſtergeret, noluit quidquam ſolatii, aut cœleſtis dulcedinis admittere; ſed ad Deum converſa precatione, in has voces erupit: Domine Deus: *nuit conſolari anima mea,* nullam te conſolationem, nullum lenimen efflagito; mihi abunde ſatis eſt, ſi tibi ſoli omnibus deliciis ſecluſis, in corde meo hoſpitium ſervavero, ne illuc irrepat, quod tibi diſplicere poſſit. Quo reſponſo plus ille apud Deum acquiſivit gratiæ, plus ſibi peperit honoris, & gloriæ, quàm ſi omni lætitiæ & voluptatis affluentia redundans, magnam apud homines, etiam ſanctimoniæ opinionem, ſibi conciliâſſet.

Chryſoſtomus expendens illud Pauli: *Lac vobis potum dedi, non eſcam,* ſic ait: r *Quamdiu imperfecti ſumus, nobis parcitur, & quamdiu lactamur, paternè fovemur; ubi autem perfectiores facti fuerimus, perfectorum certamina ſubimus.*

Quæ ne mulieres, & puellæ detrectent, tenerrimas ſibi virgunculas in exemplum proponant, & de morbis, afflictionibus, tribulationibus queri deſinent. Ut innumeras omittam, beatam Magdalenam de Pazzis produco, quæ ſic cum Sponſo ſuo cœleſti ſubinde expoſtulare audita eſt: ſ *Heu, mi Domine, ut quid à pactis inter nos conventis diſcedis? pepigi nullum mihi mel, aut dulcedinem dari: niſi fel tuum, & acetum, nullas delicias, niſi tua ſupplicia;* ſi deliciis affluens, in animam meam illaberis, clamare compellar: *Exi è me Domine.*

Eodem animi robore fuit religioſa illa Soror ſub ſanctiſſimæ Thereſiæ diſciplina educata: t quæ aliis ſororibus in choro decantantibus verſum illum Pſal. 118. *Defecerunt oculi mei in eloquium*

p Iſaias cap. 28. q S. Thom. 1. Corinth 3. † Pennequin, Amour divin. art. 1. c. 26.

r Chryſoſt. Serm. de Iob & Abraham. ſ Vincent. Puccinus in vita. Vide Lancic. in indice B. Magd. de Pazzis. t Calamato diſc. 71, num. 8.

tuum dicentes : quando conſolaberis me ? ipſa neſcio quid aliud voce muſſitans totum chorum diſſonum reddebat. Quod advertens Thereſia, illam arguit, & cauſam inſuper perquirit, quare alienum quid muſſitaret, ac conſuetos Pſalmi verſus cæterarum more non decantaret? reposuit ingenuè hæc Dei famula : ſcito ô mater ! me hæc verba ſacri Vatis non pronuntiâſſe, *quia nullam conſolationem opto in hac vita. O mulierem fortem ! ô virilem animam* ! nôrat hæc Deum numquam nobis magis præſentem, quàm dum tribulationibus, & adverſitatibus nos viſitat. Cujuſmodi viſitationes filiis hujus ſæculi, & teneris animulis parum gratæ ſunt, nec optant, DEUM ſic ad ſe divertere, & hoſpitem habere. Cùm tamen inter amicos nihil uſitatius, quàm ut alter alterum frequenter conveniat, & inviſat. Si affinis affinem, cognatus cognatum, amicus amicum per menſes plures, imò per annos, non ſemel inviſat, amicitia omnis non modò refrixiſſe, ſed prorſus interiiſſe, non injuria exiſtimabitur. Sic ſenſit ille in vitis Patrum apud Ruffinum, *cùm ſenex quidam frequenter infirmaretur corpore, & uno anno ulla eũ contingeret invaletudo, propterea flebat, dicẽs: reliquiſti me Domine, & noluiſti me præſenti hoc anno viſitare* ! quàm pauci ſic à Deo per morbos, pauperiem, afflictiones varias viſitari percupiunt ? quàm multi Deum ſic viſitantem à ſe amoliri, & ad alios divertere exoptant ? quis eſt hic, & laudabimus eum, qui cum his Chriſti Sponſis, *nullam conſolationem* optet in terris, & ad oblatas cœleſtis dulcedinis delicias, clamet : *Fuge Dilecte mi* ?

Quod quantò ſolidius, ac ſecurius ſit, ex eo patet, quòd nullis luſionibus (quę ſolatiis ſeſe quandoque immiſcent) & diabolicis præſtigiis expoſitum ſit. Nam cùm ſtygius veterator vult improvidis illudere, & efficere, ut de ſe ingentes, ac magnos ſpiritus ſumant, ambulent in mirabilibus, multa voluptate eos perfundit, & ſenſibilem devotionem, ac uberes lacrymas procurat: tam ſubtiliter, ut v *fictam hanc & ſophiſticam dulcedinem* (ut eam vocat Gerſon, Bernardus verò x *amariorem abſynthio dulcedinem*) præ inexperientia, aut juſto DEI judicio, non internoſcentes, exiſtiment, aliunde, quàm à Deo conſolatore manare non poſſe tam liquidam voluptatem. Unde non raro in hæc ſuſpiria prorupiſſe audit[i] ſunt : ô Domine, *quàm ſuavis eſt ſpiritus tuus* ! *mane nobiſcum Domine*; cum derivetur à ſpiritu maligno. Illuſtre eſt exemplum uniu[s] Begardi, y qui lacrymis ſpiritualibus diffluebat, *ſéque contemplati[-] vum, & guſtantem reputabat*, u[t] ait, qui eum novit, & congreſſu[s] cum illo eſt Alvarus Pelagius lib. 2. de planctu Eccl. art. 52.

Nierenbergius noſter in do[-] ctrinis aſceticis filiam inducit z quæ juſſu Confeſſarii, petiera[t] ab Angelo, ut impetraret ſibi a[-] ctum veræ contritionis, ut olim divæ Catharinæ Senenſi accidi[t]

v Gerſon Tract. de remediis cont[ra] puſillanimit. x Bernard. Epiſt. 81.

y Theophilus Raynaudus heterocli[ta] ſpiritualia, l. 1. p. 1. punct. 5. ſect. 2.

z Nierenberg. doct. aſcet. lib. 4. do[ct.] 10, cap. 66.

At hæc dum minimè cogitat, in uberrimas lacrymas funditur, quas poſtea patuit à dæmone excitatas. Conſimiles lacrymas, non de cœleſti rore deſcendere, ſed ex Tartari ſentina ſcaturire, rectè admonet, & luculento exemplo confirmat Petrus Damiani *a*. Optimè Petrus Bleſenſis, qui ſic ait: *Lacrymæ in multis leviter profluunt, & eadem levitate areſcunt. Sunt fornicatores, & adulteri, ambitioſi, & avari, cæterique vitæ nequioris homines, qui Deo ſuam gratiam offerente, torrentibus exuberant lacrymarum. Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad Deum non appropinquabant. Compunguntur ad tempus, & in tempore tentationis recedunt. Commiſſa plorant, & ploranda continuant.* Unde ſanctus Ignatius optimus diſcernendi ſpiritus Magiſter, cùm ſub initium converſionis uberrimis lacrymis, & cœleſtibus viſionibus abundaret: *b* quid eſt hoc, inquit, rei? cùm oramus, cùm confitemur, & ſuperſubſtantialem panem accipimus, cùm vigilamus, cùm nos verberibus cædimus, cum ſpiritualia omnia, ac divina munera obimus, neque tam frequentes, neque tam magnæ, neque tam vehementes ſe nobis illuſtrationes offerunt; cum puerilia agimus, & de Deo propter Deum non cogitamus: tum ſpecioſæ menti noſtræ imagines, & cœleſtes illuſtrationes occurrunt: *Agnoſco, agnoſco importuniſſimi hoſtis calliditatem, agnoſco veteratoris dolos, & aſtutiam.* Has liquidæ dulcedinis delicias, & illuſtrationes animo exeſſe juſſit, quibus quidam tam avidè paſcuntur, & delectantur, ac ſi Deum pedibus tenerent. In raptu autem & ecſtaſi, non rarò dæmonem pro Deo pede tenent, ac ab eo hoſpite, mille luſionibus, & ludibriis exponuntur, quæ perſequi non eſt propoſiti noſtri.

a Petrus Damian. opuſc. 13. cap. 14.
b Ribadeneira in vita lib. 1. cap. 14. Vide Delrio diſq. Mag. lib. 2. qu. 24. & 25.

Hoc dico, & refero ex Richardo Victorino: c *Dulcis in Deum affectus, quodammodo carnalis eſt, & fallax: & humanitatis interdum potius, quàm gratiæ: cordis, quàm ſpiritus: ſenſualitatis, quàm rationis.* Miſſis etiam diabolicis omnibus, ac fucatis illecebris, de divinis ait in ſanctas animas influentiis, aliquid & multum in aſpectu, & guſtu earum, humanæ infirmitatis & proprii amoris immiſceri, ut patet in ipſis Apoſtolis, qui ſolius ſolatii cauſa, Chriſtum ſemper ſibi præſentem, & numquam abſentem, affectu dulci, & amore ſenſibili exoptabant. Unde ſubdit: *Hoc affectu errabant Diſcipuli, & carnaliter Deum diligebant, cujus præſentiâ carere nolebant; unde etiam non diligere arguebantur, quia quod delectaret magis, quàm quod expediret, amplectebantur*, & clamabant: *Mane nobiſcum Domine.* Tum ſubdit: *Sic affectuoſè interdum carnalis aliquis, & imperfectus ad Deum afficitur, non quòd valde diligat: ſed quia dulcedinem gratiæ deguſtat: quæ quantum datur, tantum juvat: quamdiu durat, durat & dilectio.*

c Richard. Victorin. in Cant. cap. 6. Vide Raynaud, cit. pag. 132.

Unde non perfectionis, aut ſanctitatis eſt, hanc dulcedinis præſentiam exoptare, eaque paſci, & delectari: *Fit enim aliquoties affectus ille dulcis à malo ſpiritu, ut dum nimis ei creditur, eique, dum valde delectat, inhæretur, ad debilitatem cordis homo revocetur: & ut ejus abundantia fretus aliquis ſe perfectum credat, & ab utiliori opere* (à ſolidis, & heroicis virtutibus) *revocetur.*

Quare in vera humilitate, & ſincera charitate radicati, hæc dona non efflagitant, ſed ſuſpecta habent, ſeque iis, non ſine rubore indignos reputantes, illud cœleſtis Sponſæ uſurpant: *Fuge Dilecte mi.* Talis illa; de qua Delrio noſter: *d* Novi, & mecum nôrunt mille adhuc ſuperſtites, virginem Deo devotam, ex iis quas *beatas* illic vocant, quæ Burgis in Caſtella, Anno 1585. ſuperſtes erat, & ſtatim perceptâ Euchariſtiâ, vix eâ in os ſumptâ, in diuturnum raptum elevabatur; adeò ut nec admotas, & adactas in pedes aciculas ſentiret: quæ ut erat humanæ gloriæ, & hujus ſingularis dignationis averſatrix: & ſancta eſſe, quàm dici, aut videri malebat: ardentiſſimè ſolebat Deum precari, ne quid illi hujuſmodi coram aliis accideret: & ad ſe reverſa, erubeſcentiæ plena, atque pudoris, quàm poterat celerrimè ſe domum in conclave recipiebat, ubi amariſſimis lacrymis, has gratias gratis datas, deprecabatur.

Noli ergo, ô religioſa anima, queri te iis cœleſtibus cupediis deſtitui, per ariditates, evagationes, tentationes, afflictiones aſſiduas jugiter viſitari; ſed dic cum Propheta: *e Viſitatio tua* (Domine) *cuſtodivit*, auxit, confirmavit *ſpiritum meum.* Tunc nôris divinum hoſpitem tibi præſentem, qui dixit: *Tecum ſum in tribulatione.* Tunc cum duobus hiſce Diſcipulis ſecurè optare, & exclamare poteris: f *Mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit*, quoniam tenebræ tentationum, ſcrupulorum, puſillanimitatis, diffidentiæ, incredulitatis, blaſphemiæ, animo meo ſuboriuntur. Denique quando nox illa ſuprema & horrida imminebit, quando jam ſenſim ad mortem pergimus, bonis operibus & ardentiſſimis deſideriis hunc hoſpitem apud nos detinere ſtudeamus, *quoniam adveſperaſcit.* Nam ut rectè monet Hugo: *g Certè quantò magis inſtat veſper hujus vitæ, deberemus cogere Dominum orationibus, jejuniis, eleemoſynis, vigiliis, ut maneret nobiſcum, quoniam adveſperaſcit.*

Ægrotabat graviter Jacobus, & dies vitæ inclinata, in veſperam, & occaſum tendebat: ſed ubi morienti ſeni renuntiatur, adeſſe filium Joſeph, qui eum viſeret, h *confortatus ſedit in lectulo.* Unde quæſo, optime Senex jamjam moriture, vires has ad exurgendum, ſedendúmque in lectulo deprompſiſti? miratur planè divus Ambroſius: i *Quis*, inquit, *tam velox in curriculo, quàm iſte in lectulo? quis tam lætus in flore adoleſcentiæ, quàm iſte in mortis confinio?* ſenex annorum, & morborum moleſtiis exulceratus, tanquam adoleſcens virore, & vigore juventutis refloreſcens; gaudio

d Delrio diſq. Mag. lib. 2. q. 25.

e Iob 10. f Luc. 24. v. 29. g Hugo Cardinal. in Luc. cit. h Gen. 48. i Ambroſ. de S. Iacobo, & vita beata, lib. 2. c. 9.

deli-

delibutus exiluit. Unde hæc alacritas? hi ſpiritus? ex ſola præſentia Joſephi, quem ut typum ac figuram Chriſti (juxta Ambroſium) præſentem contemplatus, incredibili gaudio exultabat.

Quid non roboris, animi, ſpiritus, gaudii & exuberantis lætitiæ, in occaſu vitæ, morituro oborietur, ubi non typum, non nudam figuram, ſed ipſum Chriſtum ad ſe viſentem, tectum ſuum, & interius animæ hoſpitium intrantem habuerit? tunc certè *veſper* ille *luceſcet*, & k *nox ſicut dies illuminabitur*, ut aureè divus Chryſologus annotavit in illud Matth. 28. *Veſpera autem Sabbati, quæ luceſcit*, ubi ait: *l* quid hic intelligit ſenſus humanus? *veſper finit, non inchoat diem, nec lucem parturit*, ſed tenebras. Sed fidelibus (qui Chriſtum hoſpitem habent) *luceſcit veſper, dies infidelibus tenebreſcit.* Vobis tandem religioſæ animæ, quibus in aſſiduis jejuniis, vigiliis, corporis afflictationibus, vitæ hujus tempus veſper fuit, anima ex hujus miſeræ carnis hoſpitio emigrante, *luceſcet*, & in cœleſte hoſpitium, & Regnum præparatum læta evobit. Quare in ſacro ſuo receſſu Abbas Claravallenſis, ſic corpus ſuum hoſpitium animæ ſuæ compellat: *m* Noli, *ô corpus, præripere tempora: patere, ut nunc anima pro te laboret; ſi compateris, & conregnabis.* NOBILEM HOSPITEM HABES, *ô caro!* NOBILEM VALDE, *& tota ſalus tua pendet de ejus ſalute. Da honorem* HOSPITI TUO, *tu quidem habitas in regione tua; anima verò peregrina & exul apud te eſt* HOSPITATA. *Vt quid pro temporali delectatione contriſtas* HOSPITEM *talem? potius expone te ad omnia. Si bene illi ſervieris, erit in bonum tuum, loquetur pro te, dum reſtituetur in locum ſuum, quando & Dominus reformabit te, configurans corpori claritatis ſuæ.*

Audite in hanc rem, quo finio, mirabile ſanctæ Chriſtinæ mirabilis colloquium, *n* quod ipſa quandoque, ſeſe acerbiſſimis pœnitentiis macerans, corpus inter & animam inſtituebat. Quodam die in Eccleſiam ingreſſa, quaſi ſaccum aridis oſſibus plenum, ante aram ſe humi abjecit, graviterque ingemiſcens, pugnis pectus, & corpus diverberans, in has voces prorupit: *O miſerabile corpus! quamdiu miſeram cruciabis? quouſque retardabis exulem, & peregrinam à Chriſti conſpectu? quando miſſam me facies, ut anima, quam* NOBILEM HOSPITEM *habes, evolet ad Creatorem?* & ille me cœleſti hoſpitio excipiat, quem toties intra ſecretum cordis mei cubiculum excepi? confidite, audietis gratiſſimam illam hoſpitis veſtri vocem: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum, quia hoſpes eram, & collegiſtis me.*

k Pſal. 138. v. 12. l Chryſolog. Serm. 74. m Bernard. Serm. 6. Advent.

n In vita.

FESTUM TERTIUM
PASCHÆ.

Oportuit Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis. Luc. 24.



Ecquis ad hæc illinc crederet eſſe viam? Ovid. lib. 2. faſt.

ARGUMENTUM.

QUod olim de Athenienſibus S. Lucas: ᴑ *Ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire* ALIQUID NOVI, hoc omni hominum generi naturale,

ᴑ Actor. 17. ver. 21.

& fa-

& familiare eſt, nova aucupari, novis delectari. Sed inter omnia, quæ unquam vel de urbe intercepta, vel de hoſtibus cæſis, aut de victoria reportata laureatus curſor auſpicatiſſima nova attulit, conferenda non ſunt cum iis, quæ vobis hodie nunciaturus ſum. Omnes nempe vos, ſalvos fore, omnes beatos fore, regnum cœlorum veſtrum fore, ſi cum Chriſto hic tribulationes, & perſecutiones, ejus amore, ſuſtinueritis, juxta illud primæ Veritatis oraculum: p *Beati qui perſecutionem patiuntur, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Nec alia eſt ad cœlos via: q *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*; non quod hac illi tranſeundum eſſet, ſed ut nobis viam monſtraret: *Hac itur*; hac omnes Sancti ivere: hæc eſt r *via prima ſalutis*, & unica, & *tVta aD CœLVM VIa.* ut fides docet: ſ *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Quod cùm ſit ſignum prædeſtinationis certiſſimum, quis non adverſam fortunam (ſecus ac mortales ſolent) proſperæ præponat; & præoptet? & meritò non invidendum, ſed deflendum judicet, plurimos hic ducere in bonis dies ſuos, quos Deus, ut medicus deſperabundus, ſinit ex genio ſuo vivere, quod ſignum reprobationis manifeſtum.

§. I. *Problema: Utrum adverſa, præ proſpera fortuna, quærenda, & expetenda ſit?*

§. II. PER MULTAS TRIBULATIONES OPORTET NOS INTRARE IN REGNUM COELORUM. *Actor.* 14. *v.* 21.

§. III. *Non tantum recta ſed breviſſima per multas tribulationes, etiam ſine purgatorio, ad cœlum via.*

§. IV. *Signum reprobationis, manifeſtum eſt iis, qui nullas hic tribulationes patiuntur.*

p Matth. 5. q Luc. 24. r Virgil. 6. Æneid. ſ Actor. 17. v. 21.

FESTUM

FESTUM TERTIUM PASCHÆ.

Oportuit Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis. Luc. 24.

HOmo, ut curioſum animal eſt, mirificè capitur ſcrutandis, narrandis, & audiendis novis; quorum maximè avidos, & ſtudioſos Athenienſes, ſanctus Lucas in actis depingit: t *Athenienſes omnes*, & viri, & fœminæ, à minimo ad maximum, *& advenæ peregrini, ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire* ALIQUID NOVI. Ita & diſertiſſimus Græcorum Demoſthenes de iis cenſuit: v *Scrutantes in foro*, NUMQUID NOVI DICATUR; numquid literæ mercatorum novi; numquid tabellarius nuntii attuliſſet, ut Lorinus noſter x fuſiùs proſequitur. Liranus in acta: y *In hoc eis aſſimilantur Pariſienſes multi.* Hieronymus z eandem curioſitatem in Romanis notavit: atque in omni natione probè obſervare eſt: nam, ut inquit Cornelius: a *Curioſitas*, NOVI *quidpiam videndi, vel audiendi, hominibus innata eſt*: NOVA *enim placent*, NOVA *delectant*, & aures pruriunt, ut divinè Doctor Angelicus obſervavit in illud 1. Timoth. 4. *Coacervantes ſibi magiſtros prurientes auribus, &c.* quæ ſic diſertiſſimè exponit: b *Pruritum dicitur habere in auribus, qui ſemper audire vult* NOVA, *inaudita, curioſa, & quandoque noxia; ſicut Athenienſes ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid* NOVI; hinc ardor in illis ſummus, ut prima nova, & nuntia, utpote gratiſſima, deferrent:

c *Eſt quoque cunctarum* NOVITAS *gratiſſima rerum.*

Ut vel ex eo manifeſtum eſt, quod Suidas memorat: *d* Athenienſes adverſus Medos & Perſas in campis Marathoniis acerrimo prælio decertârant, & victoriam reportârant illuſtriſſimam: ex Athenienſi milite unus aliquis, cui Hæmonius nomen, licet vulnere lethali ſaucius; ſeipſum tamen in pedes erexit, & Athenas cucurrit, reperítque conſidentes etiamnum in curia Senatores; eò irrumpens, quantâ potuit vocis contentione proclamavit: μέγα χαίρετε, νικῶμεν. *multum gaudete, vicimus.* His dictis corruit exanimis. Video & hic non paucos novorum cupidos, & animis ſuſpenſos: quorſum hæc tam longè petita ratio, quid tam prolixè ducta oratio tandem novi parturiet? nova vobis, Auditores, hodierna die non è Gazet-

t Act. 17. v. 21. v Demoſth. in orat. ad Philip. x Lorin. in act. hic. y Liran. in act. cit. z Hieronym. Epiſt. 17. ad Marcellam. a Cornel. hic.

b S. Thom. in 1. Timoth. 4. c Ovid. 3. de Ponto. d Suidas.

tis,

tis,ut vocant,aut Mercurio Gallico; ſed ex ipſis primæ veritatis tabulis,nova novorum, omnino noviſſima,certiſſima, & auſpicatiſſima nunciabo, quæ omnia de hoſte proſtrato,de urbe,de regnis captis nuntia,infinitis paraſangis antecellunt.

Non inamœnum tamen fuerit inaudire prius,qua non Belgii ſolùm,ſed & per Hiſpaniam, omnium urbium gratulatione exceptus ſit victoriæ nuntius,de Antwerpia,orbis annulo, & civitatum gemma, ab Alexandro Parmenſi captâ. Rex certè Philippus II.uti refert Famianus Strada, *e* tantis lætitiis inceſſit,ut veteres aulici, quíque lateri ejus à principio aderant, affirmarent, numquam profectò Regem, ſive ex ſancti Quintini,ſive ex navali ad Echinades, ſive ex tertiarum victoriis, æque gaudio perfuſum, ut in præſentia ad captæ Antwerpiæ nova, geſtientem viderunt; & mihi narratum eſt, inquit,à viro aulæ intimo, Regem qua nocte Alexandri litteras accepit, non tenuiſſe ſe lecto; ſed clam Iſabellæ filiæ unicæ dilectæ adiiſſe cubiculum, pulſatíſque foribus, duo hæc protuliſſe verba: *Antwerpia noſtra eſt*, ac hoc fauſtiſſimo nuncio receſſiſſe: *Sed non ponamus rumores ante ſalutem* f. Majoris, ac multò melioris *nuncii* bajulus ego vobis ſum, non civitas aliqua terreſtris; *ſed cœleſtis urbs Jeruſalem noſtra eſt*; hæc enim Chriſtus Diſcipulis,& nobis omnibus gratiſſima nova nuntiavit: g *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam,quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum*. *h* Alia quælibet beatitudo promittitur *in ſpe,hæc eſt in re*; adeò ut hic cum Chriſto pati, perſecutiones ſuſtinere, tam infallibile beatæ prædeſtinationis teſtimonium ſit, ut nullus niſi qui fidem Deo derogetvrefragari queat.

Optatiſſimum ab hominum memoria,è cœlo nuntium accepit virgo Mechtildis, de qua refert Lætienſis Abbas Bloſius: *i* Cùm feria 4. ſolennitatem Paſchæ proximè inſequenti, ſub miſſæ introitum de more legeretur: *Venite benedicti Patris mei*, Mechtildim animo anxio fluctuâſſe, & exæſtuanti deſiderio, in has voces prorupiſſe; ô ſi certò ſcirem mi JESU, fore me ex iſtis benedictis, qui hanc dulciſſimam vocem tuam audituri ſunt! cui Chriſtus: *Certò ſcias te unam ex illis eſſe, & ut nihil dubites, ecce, do tibi cor meum in pignus amoris*. Quo nuntio audito liquidiſſimâ animi, in omnibus afflictionibus,& tribulationibus dulcedine perfruebatur; donec morte imminente vox cœlitus inſonuit: *Veni benedicta Patris mei,poſſide paratum regnum à conſtitutione mundi*. O nuntium longè jucundiſſimum, quod mille votis quiſque noſtrum exoptaret, nemo non omnibus fortunæ bonis ſibi emeret: etenim ut nuntius, ac nova, conſulatus adepti, litis adjudicatæ, hoſtis cæſi, obſidionis ſolutæ,victoriæ relatæ,gratiſſima ac jucundiſſima accidere ſoleant; longè tamen gratior auribus,animíſque,à regalibus ſedibus nuntius, certam atque indubitatam cœleſtis Regni poſſeſſionem de-

e Strada de bello belg. dec. 2. Anno 1585.20.Decemb. f 2. Reg.18. g Matth.5.

h Hugo hic. i Bloſius in appendice 4.de ſanctis fœminis.

clararet. Qua ſola fiduciâ fretus, meritò quis exclamare poſſet cum eminentiſſimo doctrinâ & ſanctimoniâ viro, Cardinale Bellarmino, de noviſſima ad beatam patriam horâ admonito: k *O fauſta nova! fauſta nova!* ſic ſanctus Felicianus accepta capitali ſententia, ore renidenti adjecit: *O quàm jucundos dies annuncias octoginta jam annis exſpectatos!* verè niveo ſignanda lapillo dies illa, qua Philippus Macedo tria, quæ in mundo univerſo ſperare poterat fauſtiſſima nuntia accepit. Primum, equos illius in pulvere olympico palmam retuliſſe. Alterum, ſuos victoria potitos, atque urbem Poſſideum occupâſſe. Tertium Alexandrum regni hæredem felici partu in lucem prodiiſſe. Quæ ut læta, ut fauſta ſint; quis tamen ponat ejuſmodi *rumores ante ſalutem?* cum inter omnia hæc mundi bona, & candiſſimos fortunæ dies, ac proſperos ſucceſſus, hæc anxia, dies noctesque, cura ſolicitet, ſi inter puſillum gregem prædeſtinatorum cenſendus ſit? an vas in honorem, an in contumeliam? an inter titiones inferni, an inter Seraphinos paradiſi? an inter oves, aut inter hœdos? unde ſolicitudine plenus, hanc ſuis ſub integerrima monaſticæ religionis diſciplina degentibus, horroris plenam quæſtionem movit Doctor Mellifluus: l *Quis ſcit ſi omnium veſtrum, quos hîc video, ſcripta nomina ſunt in cœlis, & in libro prædeſtinationis annotata? Quanto putas gaudio replerentur omnia oſſa mea, ſi id ſcire contingeret?* Eo gaudio delibutus fuit S. Marcus, teſte divo Hieronymo, m dum Alexandriæ ad aram captus, per urbem raptatus, vidit nomen ſuum albo purpuratorum in cœlis conſcriptum.

Compello te, quiſquis es, quanto putas gaudio replerentur oſſa tua, ſi id ſcire, ſi fauſtiſſima hæc nova accipere contingeret, quæ ex ore Crucifixi, etiamnum miraculosè hiantis S. Thomas de villa nova accepit: *te inter prædeſtinatos certò adſcriptum.* Illis te profectò cœleſtium voluptatum deliciis ebrium arbitrarer, quibus olim Seraphicus Franciſcus, qui per revelationem de ſalute ſua certior factus, ita geſtiebat, ut cibi, & omnium rerum humanarum immemor, ſeſe non contineret, id jugiter ingeminando: *Laudetur Dominus.* Ut & tu cum hiſce Sanctis gaudio exultes, ut cum illis, eodem prædeſtinationis fauſto nuntio fruaris, audi quid *S. Gertrudis divinitus intellexit:* n *quod quemadmodum annulus eſt ſignum deſponſationis, ita adverſitas tam corporalis, quàm ſpiritualis, humiliter propter Deum tolerata, eſt veriſſimum ſignum Divinæ electionis, & quaſi deſponſatio animæ cum Deo. In tantum, ut gravatus quiſque confidenter dicere poſſit hæc verba: annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus Ieſus Chriſtus.*

Quæ lætandi & exultandi cauſa, cùm juſtiſſima ſit, & inter prædeſtinatos cenſeri, ſumma votorum ſit, quis non omnes, & in corpore & in animo, à Deo, ab hominibus, ab ipſis inferis immiſſas tentationes, perſecutiones, tribulationes, morbos, pauperiem, miſerias, calamitates quaſque graviſſimas, non liben-

k In vita. l Bernar. ſerm. 2. de Aſcen.

m Hieron. de ſcript. Eccl. n Bloſius in monili ſpirit. cap. 10.

ter & gaudenter ferat; cum hæc certiſſima æternæ prædeſtinationis teſſera ſit.

Mearum teſtis, & arbiter ſententiarum Patriarcha Venetus, cujus hoc veriſſimum effatum eſt: *tribulatio amoris indicium: futuræ beatitudinis præſagium*, nec hoc ſatis: *& prædeſtinationis teſtimonium eſt*. O quantum, & quale hoc in omni tribulatione ſolatium! Irruat in ædes tuas o *pauperies tanquam vir armatus*, expilentur auri, & gemmarum ſcrinia: evacuentur penuaria: incendantur horrea, auferantur omnia. Exardeſcat contra te invidia, impetat calumnia, laceretur fama, opprimatur innocentia: omnes morbi & peſtes, velut agmine facto, in te irruant: auferantur neceſſarii, dilecta uxor, & chari liberi, in his omnibus, ſi quis de Cœlo tibi nuntius hæc nova adferat, infallibile beatæ *prædeſtinationis teſtimonium*, quin te gaudentem, & exultantem cernerem; nunc verò longè certius teſtimonium, quàm per Angelum cœlitus miſſum, ex ore Veritatis vobis denuntio, eorum eſſe Regnum Cœlorum, qui perſecutionem patiuntur, nec aliam eſſe ad Cœlos viam; hanc Chriſtus, & omnes, qui ſalutem adepti, calcârunt.

Quod ut vobis compertum, & omninò certum ſit, è ſacris paginis, & ſanctorum Patrum ſententiis comprobare pluribus aggrediar, ubi prius pronam per propera ad perditionem; planam rorſus per adverſa ad ſalutem viam demonſtrâro.

o Prov. 6. v. 11.

§. I.

Problema, utrum adverſa præ proſperâ fortuna, quærenda, & expetenda ſit?

PLanè ſtolidum videri, ac ſanè ſtultum cenſeri poſſet, in quæſtionem vocare, num homini adverſa magis, quam ſecunda conveniat fortuna? Quid ſpectatâ ratione, corpore, & animo, fluxis, & æternis, terrenis, & Divinis, magis expediat? morbus an ſanitas? Divitiæ, an paupertas? honor, an contemptus? Lætitia, an luctus? malacies, an tempeſtas? pax, an bellum? victoria, an clades? proſpera omnia, an verò adverſa? etenim ex communi ſenſu, veriſſimum reperiemus illud Africani Præſulis: p *Nullus invenitur, qui ſe nolit eſſe felicem: non enim quiſpiam reſiſteret felicitati, niſi fortè (quod fieri non poteſt) quis eſſe velit infelix.* Nihilominus & rationum momenta, & ſcripturarum teſtimonia, & Doctorum argumenta, & hiſtoriarum monumenta conveniunt, adverſam fortunam, longè ſecundæ præſtare: bono publico magis conducere pauperiem, quam luxum: corpori & animæ plus conferre turbidam bellorum tempeſtatem, quam tranquilla pacis halcyonia: longè plures per tribulationum fluctus, quàm proſperitatis favoniis in portum æternæ ſalutis appellere, atque ad eam, qua de S. Auguſtinus agit, felicitatem pertingere.

p Aug. lib. 4. de civit. c. 23.

Olim apud Romanos in ampliſſimo illo orbis Theatro ventilatum eſt q expedirétne Romanæ juventuti, Carthaginem, Romæ æmulam, dirui penitus, & everti? Itum in varias ſententias, & quidem à viris omninò magnis, & ſapientibus Cato deſtruendam cenſuit, ſolóque æquandam; Scipio econtrà conſervandam, ut haberet Romana pubes cotem, qua exerceretur, & exacueretur. Placet audire de eo argumento emphaticè ut ſolet, diſcurrentem D. Auguſtinum: r *Scipio*, inquit, *Pontifex maximus, ille judicio totius ſenatus vir optimus, metuens urbis calamitatem, nolebat æmulam tunc Romani Imperii Carthaginem dirui: & decernenti, ut dirueretur, contradicebat Catoni: timens infirmis animis hoſtem ſecuritatem, & tanquam pupillis civibus, idoneum tutorem, neceſſarium eſſe videns terrorem.* Ecce ut judice Scipione, adverſa fortuna, & ipſe bellicus terror, tutoris partes agit; ſecunda verò prævaricatoris, imò deſtructoris. Quod Romæ, hoc etiam cuique civitati, imò & homini, cui ſeu publica, ſeu privata calamitas, melior eſt proſperitate, & hoſtis amico potior: quia ut ait idem ille Hipponenſis Doctor: ſ *Secundis rebus ea mala oriuntur in moribus, quæ ſævientibus pejora ſunt hoſtibus.* Enimverò pejora, quia hoſtes fortunæ exuvias, & bona corporis eripere duntaxat poſſunt; at nimia ſecuritas, & rerum omnium luxus, meliores animæ divitias, virtutes, aliaque bonarum mentium ornamenta dilapidare: Cœlum, & omne bonum, Deum ipſum ſuffurari poſſunt.

q Florus. l. 2. c. 5. r S. Auguſt. l. 1. de civit. c. 30. ſ Aug. cit.

At erunt, qui plura corpori & animæ à pauperie, urbium expilatione, patriæ vaſtatione, militum licentia, mala obvenire contendant: cùm ut Bernardus ait, t *militia & malitia*, valdè ſibi ut re, ſic nomine affinia ſint, & velut ruptis habenis, omnium furiarum cohors, & ſcelerum colluvies impune graſſetur. Etenim inter arma ſilent leges, jus exulat, iniquitas, perfidia, furta, rapinæ, homicidia, ſtupra, blaſphemiæ, deſperationes paſſim dominantur; atque hinc fieri, ut ſub gravi hac belli mole, & tribulationum pondere multi fatiſcant, & in æternum pereant. Quibus aureo ſuo dicendi flumine occurrit Chryſoſtomus: v *quid*, inquit, *de his dices, qui frequenter à tribulatione ſubverſi ſunt? Quia non tribulationis eſt ſubverſio, ſed illorum imbecillitatis.* Quod ut comprobet, opportuna utitur ſimilitudine: *nec enim ſi quis infirmum habens ſtomachum, amaram non admittat medicinam curare valentem; ſed potius alteretur, medicinam non accuſabimus, ſed membri infirmitatem: ſic & hic mentis facilitatem*; cujus vitio tribuendum omninò, quidquid à calamitate conſecutum eſt. Quod ipſum rectè novit D. Auguſtinus, & pro ea, qua eſt in dicendo ſolertia, explicuit: oſtendit enim, in æſtu tribulationis, quod bonos inter & malos ſit diſcrimen: x *In eadem afflictione*, inquit, *mali Deum deteſtantur, atque blaſphemant; boni autem precantur & laudant. Tanti intereſt, non qualia, ſed qualis quiſque patiatur: nam pari modo exagitatum, exhalat horribiliter cœnum,*

t Bernar. Serm. ad milites templi. v Chryſoſt. hom. 36. x Aug. l. 1. de civ. c. 8.

& ſua-

& ſuaviter fragrat unguentum. Componit S. Doctor injuſtum cum cœno; juſtum autem cum unguento: quia ab hoc bonus emittitur virtutum odor; ab illo infamis vitiorum omnium fœtor; maximè verò, cum quaſi contigerit æquè agitari. Alii malos comparant cum luto, quod à ſole dureſcit; bonos verò cum cera, quæ ab eodem liqueſcit: ſic afflictionis igne, cor pravi hominis obduratur, & contra ſuperos quodammodo obfirmatur; animus autem recti, æquíque tenax, eodem ardore, ceu amico ſole, in lacrymas compunctionis colliqueſcit, & in omnes modulos divinæ voluntatis facile fluit.

Quibus poſitis, veriſſimum illud Senatoris Romani, Severini Boetii, ſuo ſanguine purpurati, pronunciatum omnibus propono: y *Plus hominibus adverſam, quàm proſperam prodeſſe fortunam:* Scipio Naſica, teſte Plutarcho, cùm quidam exiſtimarent res Romanas jam in tuto eſſe, quod nimirum Carthaginienſes extincti, Græci ſubacti eſſent: *Imò*, inquit, *ſummo ſumus in periculo, poſteaquam nulli ſuperſunt, quos vel timeamus, vel vereamur.* Prævidebat porrò tum temporis, ſemina inteſtini belli, ac civilis tumultus; ſcintillas jam luculentas omnium vitiorum conſpexerat, è quibus non reſtinguendum Imperii Romani incendium aliquando erumperet: *Nec eum ſententia fefellit*, inquit magnus Auguſtinus: z *Re enim ipſa probatum eſt, quàm verum diceret: deletâ quippe Carthagine, magno ſcilicet terrore Romanæ Reipublicæ depulſo & extincto, tanta de rebus proſperis orta mala ſubſecuta ſunt, ut corruptâ, diruptaque concordia, prius ſævis, cruentisque ſeditionibus, deinde mox malorum connexione cauſarum, bellis etiam civilibus, tantæ ſtrages ederentur, tantus ſanguis effunderetur, tanta cupiditate proſcriptionum, ac rapinarum ferveret immanitas, ut Romani illi, qui vita integriore mala metuebant ab hoſtibus, perdita integritate vitæ crudeliora paterentur à civibus.* Nullum virtuti, ac bonis moribus gravius, ſive periculoſius bellum, quàm quod ſecuritas, & proſperitas, & longa pax movet; ut appoſitè de Romanis, olim bello, & rebus fortiter geſtis, exinde pace & otio languentibus, ac luxu diffluentibus, ſapienter pronuntiavit Tertullianus: a *Plus toga rempublicam læſere, quam loricæ.* Expoſuit id tempore multò prior Satyricus, qui perditiſſimos urbis mores carpens, è longa illos pace, & florenti fortuna promanaſſe affirmat; ſic etenim ſatyra 6.

b *Unde hæc monſtra tamen, vel quo de fonte requiris?*
Præſtabat caſtas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva ſinebant
Tecta labor, ſomnique breves, & vellere Thuſco
Vexatæ, duræque manus, ac proximus urbi
Hannibal, & ſtantes Collina in turre mariti.

Ubi in vicino hoſtis, omnis miles in vigiliis, in excubiis, velitationibus, & pugnis exercebatur: ubi Hannibal ante portas

y Boet. l. 2. de conſol. proſa 3. z Aug. l. 1. de civ. c. 30.

a Tertull. lib. de pallio c. 5. b Iuvenal. ſat. 6.

tonabat, & fulminabat, omnis civis optimè in officio continebatur. At ubi terror omnis, ut fidus tutor abſceſſit, ubi ſecurè genio indulgere, divitiis abundare, deliciis vacare licuit, Roma luxu perdita eſt. Unde ſubdit:

Nunc patimur longæ pacis mala: ſævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciſcitur orbem.
Nullum crimen abeſt, facinuſque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.
Patimur pacis mala,

qui multis pacis bonis frui videmur, & qui armis orbem vicimus, ab ipſa luxuria & rerum omnium affluentia opprimimur. Quæ utinam hujus ſæculi mortalibus, nobiſque Chriſtianis, novi orbis domitoribus, perſpecta forent. Etenim qui timor tunc Romanos in officio continuit, animos addidit, ad virtutem exſtimulavit, idem & nos, dum bello & adverſis premimur.

c Cleomenes Rex Spartanus Anaxandridæ filius, interrogatus cur archivos victos non delêſſet? ne deſint, inquit, qui juvenes noſtros exerceant; noluerunt enim Spartani à ſuo Rege, urbem licet moleſtiſſimam, exſcindi, ne cos acuendæ in bella juventuti eriperetur. Cum equi jugales & vectarii laſſari incipiunt, & lentiùs progredi, auriga concutit habenas, & inſonat flagello; mox illi celerius incedunt, & tamen auriga eis nihil nocuit, in aëre duntaxat plauſum fecit. Nos identidem, quod fatemur, velut jumenta pigra laſſamur. Rex David de ſeipſo: d *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* Mi Deus, excita me, tu es auriga meus. Ergo adeſt Deus, & facultates, aut valetudinem, aut dignitates, aut homines charos adimit. Hæc valde ſentimus, gravis ſtimulus; ſed quid indignaris, ô jumentum plauſtrarium! hæc animo non nocent, niſi impatienti; hæc ſomnum pellunt, hæc induſtriam acuunt, hæc jubent celerare greſſum. Superioribus annis pluribus, Europa, & in ea Germania, ac Belgium dormitavit præ tædio: cauponæ magis, quàm templa frequentabantur, comprecationes in templis raræ, compotationes in tabernis aſſiduæ, & quæ inde ſcelerum lues ſequi conſuevit, per omnes ubique urbes graſſabatur. Bacchus, & Venus, latiſſimè imperabant; corruptela morum maxima paſſim invaleſcebat. Tandem Deus hunc ævi lethargum diſpulſurus, Anno Chriſtiano 1617. horribilem Cometam, velut virgas, quarum formam referebat, ad feneſtras cœli affixit. Inde bella, horrida bella, exuſta tecta, vaſtati agri, exhauſta æraria: nulla defuit malorum facies, per annos prope 40. Ita Deus militaribus his fragoribus, dormitantes præ tædio excitare conſuevit; quod ſubinde etiam in animo per internas cacodæmonum infeſtationes fieri aſſolet. Profectò vigilare tum incipimus, dum horrendo tormentorum boatu, dum ferrea pilarum grandine, dum tympanorum, ac tubarum ſonitu ſopor excutitur. Hinc publicæ comprecationes quadraginta horarum

c Plutarch. part. 1. in Lacon.

d Pſal. 118. v. 28.

rarum toties repetitæ : hinc largiores aliquorum eleemoſynæ, hinc crebriora jejunia, hinc veſtium & conviviorum luxus, aliquibus volentibus, etiam nolentibus, repreſſus: nam facultatibus valde jam acciſis, negat crumena nummos rebus ſuperfluis, cum deſint etiam neceſſariis. Nimirum jam ſtrictius philoſophari jubemur ; quod dixiſſe ferunt Platonem, cum audiſſet ſua omnia naufragio periiſſe.

Dic mihi, quando lautiora convivia, frequentiora tripudia, licentia, luxus, luxuria major, quam in pace? in rerum omnium abundantia? Quod Scipio Romanis, hoc Seneca Carthaginienſibus eveniſſe docuit, dum dixit: e *Vim Hannibalis hiberna ſolverunt, & indomitum illum nivibus, ac alpibus virũ, enervarunt fomenta Campaniæ, armis vicit, vitiis victus eſt.* Ubi ſemel miles in duro cubare, frigidam potare aſſuetus, in hibernis molli ſtrato incubuit, lautis epulis refectus eſt, in omnem petulantiam, licentiam, & libidinem diſſolvitur. Unde idem Philoſophus Romanus contra vitia, ut hoſtes infeſtiſſimos, in pace decertandum monet: f *Indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus.* Idem argumentum proſequitur Plin. g *Aſia primum devicta, luxuriam miſit in Italiam. Eadem Aſia domita, multò etiam graviùs afflixit mores*; & poſt nonnulla: *pariterque luxuria nata eſt, & Carthago ſublata; ita congruentibus fatis, ut liberet amplecti vitia, liceret peccare.* Perſimile omnino eſt, quod in Lucio Sylla arguit Saluſtius, in conjuratione Catilinæ, his verbis: h *Lucius Sylla exercitum, quem in Aſia ductaverat, quo ſibi fidum faceret, contra morem majorum luxurioſè, nimiſque liberaliter habuerat: loca amœna, voluptuaria, facilè in otio, feroces militum animos molliverant; ubi primum inſuevit exercitus populi Romani amare, potare, ſignare tabulas pictas, vaſa cælata mirari, & privatim ac publicè rapere, delubra ſpoliare, ſacra profanaque polluere.* Maximum infortunium, quod cuipiam mortalium obtingere poteſt, felicitas eſt, quia fœcunda omnium vitiorum mater.

Ea quondã non abs re, controverſia ventilata eſt: i *Vtra aptior ſit ad inſaniam inducendam, felicitas, an infelicitas?* ac primum quidem, quod externa bona facilius poſſint dementare, exemplis, & rationibus fulcitur. Utro quæſo de fonte, vobis placet, ut hauriamus, de ſacróne an profano? hauriamus ſi lubet, de utroque. De profano: Cleopatra, cum ad Ægyptiam opulentiam, majorem quam poſſit oratione perſcribi, ſibi videretur propediem adjectura Romani Imperii gloriam, ampliorem quam poſſit ratione definiri; Quid agit? tantæ impotens felicitatis, furit, inſanit, debacchatur. *Dum capitolio Regina dementes ruinas, funus & Imperio parabat.* Eadem navali prælio ad Actium ſuperata, cum neque Ægyptias opes, quas poſſederat, retineret; neque Romanum decus, quod ſperaverat, compararet, quò ſe contulit? planè ad ſanam mentem. Reſipuit, deferbuit, amiſſam mentis

e Seneca epiſt. 51. f Seneca cit. g Plin. lib. 33. c. 11.

h Saluſtius. i Ex proſperitate ſuperbia.

mentis rediit ad ſanitatem. Bene hoc expreſſit Lyricus, dum de Cleopatra loquitur:

> k *Fortunáque dulci*
> *Ebria; ſed minuit furorem,*
> *Vix una ſoſpes navis ab ignibus.*

Fortuna proſpera, veluti dulce mulſum, inſanam ebrietatem inducit, quam adverſa, veluti frigidâ injectâ, temperat. Quare ſicut vinum mentem aufert, non aqua; ita proſpera, non adverſa.

Videtis, ut opinor, quantum rerum humanarum proſperitas, ad inſanum faſtum, & ſtultam ſuperbiam conferat; ipſam verò fortunam adverſam, ad ſobriam mentem, & ſanam modeſtiam, hominem reducere. Quot fœminas, & puellas reperire eſt, quæ cum Cleopatra, dum ſecundis velis feruntur, inſaniunt; indies viſitationes, procationes, ambulationes, choreæ; at ubi ventus, & fortuna vertitur, bona proſcribuntur, lapides pretioſi in panes vertuntur, & manus operi adhibere, ſe continere, de Deo, & religione cogitationes fovere incipiunt.

Ne de viris taceam. *l* Alexander Macedo, cum inter hoſtium cuneos, inter jaculorum miſſus, inter cadentium militum ſtrages, ſemper illæſum ſe inter tela, non ſine deorum tutelâ præfideret; adeò proſpera fortuna elatus inſanivit, ut ſe humanum jovem, ſive divinum hominem prædicaret, & à ſuis aſſentatoribus proclamaretur. Idem lethali vulnere aliquando ſauciatus dolore incredibili commotus, ubertim erumpente ſanguine perfuſus, mentem ſic recepit, ut exclamaret: *Vos me immortalem dicitis, at iſte ſanguis probat me mortalem. Hic cruor mortali fluit è corpore, non è divino: homo ſum, naturæ legibus pareo, non impero.* Ergo dementia, quæ per felices eventus, Alexandri animum occupavit, eadem per infelices caſus exulavit. Præclarè Seneca: m *Magni pectoris eſt, inter ſecunda moderatio.* Viri parvi pectoris, exigui cerebri, dum laudantur, efferuntur, crepant, non capiunt, non continent ſe. Quot reperire eſt, quibus in privatâ vitâ, in adverſâ fortunâ nil moderatius, nil ſanctius, quique aliis optimæ diſciplinæ exemplar extiterint; poſtea efferentis ſe fortunæ alis evecti, omnem modeſtiam exuti, inani, & inſano faſtu omnes infra ſe deſpexiſſe, ſeque ipſos, qui fuerint, neſciviſſe. De quibus aptè diſſerit Ambroſius: n *Multos ebrios fecêre divitiæ, nobilitas & poteſtas: conturbat enim quælibet iſtarum rerum judicium. Sicut contingere ſolet iis, qui poſiti in aliquo excelſo loco, inferiora cum reſpiciunt, eorum viſus turbatus veluti contremiſcit, ita ut inde facili negotio præcipites ruant, niſi aliquid apprehendant, quo ſuſtententur.* Ejuſmodi complures indies videre eſt, ſecundarum rerum flatu in ſublime elatos, vertigine laborare, Seneca *o* idem monet.

Non præteribo hic luculentum ejuſce rei exemplum, quod Æmilius, & Platina, memoriæ prodiderunt, de Hugolino Girardeſco, cive Piſano, Guelphorum par-

k Horat. lib. 1. carmin. 37. l Plutarch. Curt.

m Seneca ſuaſoria 1. 1. n Amb. l. 2. de Cain & Abel. o Seneca epiſt. 95.

partium principe:*p* qui contraria factione partim pulsâ, partim perculsâ, eò potentiæ domi pervenit, ut nutu omnia adminiſtraret, patriæque dominus & eſſet, & haberetur. Feſtivo ſuo die, natalitia dabat, invitaverátque ad convivium, regio luxu exſtructum, omnes amicos ſuos. Inter epulandum, fortunam ſuam ipſe inſolenter extulit, ſéque hîc quaſi mortalem Deum circumſpectans, quemdam ex intimis ſuis, Marcum, percunctatus eſt: *Quid tandem ſibi abeſſe arbitraretur*! Cui Marcus philoſophica libertate: *Sola*, inquit, *Numinis ira procul, diuque à tam ſecundis rebus abeſſe non poteſt.* Dictum ſeverum, ſed & verum; non enim multò pòſt, Guelphorum viribus conſeneſcentibus, Gibellini arreptis armis, ædes ejus expugnârunt, unum è filiis & nepotibus vim arcere conatos, occiderunt; ipſum cum duobus filiis, & tribus nepotibus comprehenſum, atque in turri concluſum, diriſſima fame mori coegerunt. Hic eſt fortunatorum exitus; ut jure ſibi metuere queant, *Numinis iram procul, diúque abeſſe à tam ſecundis rebus non poſſe*: vertitur enim fortunæ rota, una parte auream, ferream altera habens curvaturam. Quali in rotâ circumvoluti ſunt, dives ille purpuratus epulo, & ulceroſus, ac mendicus Lazarus. Hanc rotam Abraham ſic expreſſit: q *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur; tu verò cruciaris.* Attentâ mente hic expendite, cur Epulo æternis flammis damnatus ſit; non rapinas, non adulteria, non perjuria, ſacræ paginæ in cauſam adducunt; ſed hoc duntaxat, *quod dives eſſet, indueretur purpura, & epularetur quotidie ſplendidè*, ac rerum omnium abundantia diffiueret. Unde Chryſoſtomus hanc auream protulit ſententiam: r *Infelix felicitas* (epulonis) *quæ divitem ad infelicitatem traxit. Felix infelicitas, quæ pauperem Lazarum in æternam felicitatem induxit.*

Hauſiſtis plura de profano fonte, de ſacro quæſo deinceps ſumite. Ultra ducentos annos Hebræi apud Ægyptios habitârunt, ut rectè colligunt Recentiores, Pererius, & Barradius. Toto hoc tempore, nuſquam invenietis eos idololatrâſſe: nam locus ille Joſue 24. *Auferte Deos, quibus ſervierunt patres veſtri in Ægypto.* Et alter Exodi 23. ubi Judæi dicuntur idololatrâſſe *in Ægypto in adoleſcentia ſua*, intelligitur, ut paſſim interpretes, de idololatria prope Ægyptum; ſed iidem mox ut ab Ægypto egrediuntur, paucorum dierum intervallo, vitulum conflant, proni adorant, cernui venerantur. Quid hoc eſt, inter Ægyptia idola abſtinent ab idolis Ægyptiis; remoti, idola venerantur? Rem accipite: in Ægypto miſeri vivebant, & infelices, tunſi plagis, vinculis conſtricti, oneribus fatigati; extra Ægyptum proſperi, felices, de cœlo paſti, ab angelo ducti hoſtibus formidabiles. Et quos infelicitas, & adverſitas in officio, & veri Numinis cultu ſupplices continuit, eoſdem fauſtitas, & proſperitas elatos, tam turpiter apoſtatare fecit. Bene Hieronymus in Pſal. 71. ad illa verba: *In labore ho-*

p Æmilius l.8. Platina in Nicolao III.
q Luc. 16.

r Chryſoſt. hom. 1. de divite epul.

hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: & operti ſunt iniquitate, ideo tenuit eos ſuperbia. ſ *Per arrogantiam*, inquit, *felicitatis, multiplicata iniquitate premuntur.* Saul cum eſſet parvulus in oculis ſuis, caput in tribubus Iſrael factus eſt; cùm magnus ſibi videri cœpit, & de proſperis rerum ſucceſſibus inaniter gloriari, debitam Deo reverentiam, & obedientiam denegavit. ibid. n. 19. Quis non videat proſperitatem, ac ſecundos rerum ſucceſſus, hominem à Deo, à ſalute, & beatorum patria longè avehere, & in omnium vitiorum barathrum abripere? D. Cyprianus Carthaginienſium Præſul, ad alia flagitia enumeranda procedit: t *Traditam*, inquit, *nobis divinitus diſciplinam, pax longa corruperat: & ſtudebant augendo patrimonio ſinguli, & obliti, quid credentes, aut ſub Apoſtolis antè feciſſent, aut ſemper facere deberent, inſatiabili cupiditatis ardore, ampliandis facultatibus incubabant: non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina. Eſurientibus in Eccleſia fratribus non ſubvenire, habere argentum largiter, velle fundos inſidioſis fraudibus rapere, uſuris multiplicandis fœnus augere.* Avaros, dum omnia undique bona affluunt, ipſa copia perdit. Seges ſub initium nimis luxurians, in ſteriles ariſtas excreſcit, aut etiam nimia meſſem ſternit ubertas. Sic plantæ uberius in vere floreſcentes, pereunt: *Bloyen haer doot*, aut fructus exiguos ad maturitatem perducunt: etiam quandoque tanta fœcunditas eſt,

Ut ſua, quod peperit, non ferat arbor onus.

Quæ nervosè Romanus Philoſophus complexus eſt Epiſt. 39. v *Sic ſegetem ſternit nimia ubertas. Sic rami onere franguntur. Sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit.*

Vultis aliam vobis vitiorum voraginem aperiam, in quam præcipites ruerunt ſanctiſſimi, & ſapientiſſimi? x Cum Davidem conculcarent tota die inimici ejus, bellantes adverſus eum, non cogitabat de peccato; ſed cùm in otio, & pace, ſolus in ſolarium domus ſuæ conſcendit, proſperitate, & rerum affluentia vallatus, fœdiſſimè ex alto lapſus eſt.

D. Auguſtinus: y *Quando David ſanctus, Saulem inimicum patiebatur, non concupiſcebat alienam; factus eſt ſecurus, devictis hoſtibus, preſſura caruit; tumor excrevit.* Et alibi eandem, & non aliam cauſam aſſignat: z *In alienam fœminam irruit, temporalium rerum* (non illecebras, non munuſcula, non converſationem allegat) *proſperitatibus abreptus.* Cui concinit Chryſoſtomus: a *David poſtquam quietem, & laxamentum aſſecutus eſt, difficilius bellum paſſus eſt incontinentis cupiditatis.* Difficilius bellum inteſtinum, quod in pace oritur; bellum animæ, quod plures longè, quàm militare bellum proſtravit. Plures longè in adverſa, quàm in proſpera fortuna ſtetere. Innumeri juvenes, puel-

ſ Hieronym. pſal. 71. t Ex proſperitate Avaritia. Cyprian. lib. de lapſis.

v Seneca ep. 39. x Ex proſperis Luxuria. y Aug. in pſal. 50. z Aug. l. 3. de doct. Chriſt. cap. 21. a Chryſoſt. pſal. 9.

læ, viri, fœminæ, in libidinis peccatum, in adulterium, in omnes nequitias, dum proſpera rerum tempora arrident, proruêre: b *David talis, ac tantus vir* (loquor cum Chryſoſt.) *ſpiritus gratiam habens, & cum obtinuiſſet regnum, & gentes ſubjugaſſet, & pax univerſa teneret; tum negligentior, & ſegnior factus*, à libidine victus eſt. Nec mirum, cum ab ipſa rerum ſecundarum affluentiâ, & carnis petulantia, & ſtimulus libidinis ſeſe exerat; ut rectè Divus Cyrillus obſervavit: c *In his, qui tanta rerum temporalium affluentia potiuntur, ſtimulus cupiditatis vehementior eſt*. Vos teſtes mihi eſſe poteſtis, quandonam vos carnis ſtimulis gravius exagitari contingat, quàm dum divitiis, & deliciis affluentes, fomitem carni ſubminiſtratis. Ariſtoteles optimus morum magiſter l. 2. Ethic. c. 3. *Omnium difficillimum eſt, blandienti repugnare felicitati*. Innumeræ virgines ſtetêre in cataſtis, equuleis, rogis; quæ blanditiis, illecebris, illiciis ſuccubuere. Tyranni multò plures promiſſis, & blanditiis demulſerunt, quàm minis aut tormentis terruerunt. Quod ſanctiſſimus parens, hoc ſapientiſſimus filius ſuo malo expertus eſt: d *Sapiens David*, exclamat Bernardus, *ſapiens Salomon fuit; ſed blandientibus nimis ſecundis rebus, alter ex parte, alter ex toto deſipuit*. Et concludit: *Magnus eſt, cui præſens felicitas ſi arriſit, non irriſit*. In hac pace, maximè armati ſtare debemus, & cum felicitate, ac proſperitate, quaſi cum graviſſimo adverſario luctandum, ac pugnandum eſt: e *Magnæ virtutis eſt*, ait S. Auguſt. *cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipſa ſubvertat felicitas. Magnæ felicitatis eſt, à felicitate non vinci; ſed calcare ſæculum*, carnem & ſanguinem. Aurea ſimilitudine rem exponit Chryſoſtomus, dum proſperitatem, immani belluæ comparat, quæ adverſitatis, paupertatis, calamitatis vinculis colligata, minus timenda; at proſpero rerum ſucceſſu ſoluta, maximè formidanda eſt: f *Semper*, inquit, *egemus Dei providentiæ, maximè cum liberamur à malis. Alligatam beſtiam non ita timemus, ut emiſſam; ita vitium non eſt ita timendum in afflictione, ſed poſt remiſſionem: rerum ſucceſſus majora mala faciunt, quàm res adverſæ*. Ita fomes libidinis, ſtimulus carnis, non ita timendus in afflictione, in labore, in pauperie, in macie, in morbo, in cæteris corporis, animíque ærumnis. Ecquando libet viris inſanire, puellis laſcivire, pigmentis, ac ceruſſis, muſcis faciem inficere? Carthaginenſis antiſtes ediſſeret, agens de corruptela morum in pace: g *Corrupta barba in viris, in fœminis forma fucata, adulterati oculi, capilli mendacio colorati*. Quot filiæ corpus, & animam perdunt, in deliciis, quam in pauperie incolumem ſervaſſent?

Antoninus Præſul Florentinus, *h* conſpexit fortè in paupere tugurio matrem viduam, cum tribus filiabus, ſtrenuo operi

b Chryſoſt. in pſal. 50. c Cyrill. Alex. l. 7. contra Iulian. d Bern. l. 2. de conſiderat. ad Eugen.

e Auguſtin. Serm. 13. de verb. Dom. f Chryſoſt. in pſal. 9. g Cyprian. lib. de lapſis. h in vita.

inſiſtentes, ut ibi cum extrema penuria luctantes, victum ſuſtentationi neceſſarium conquirerent; quod dum attentius conſiderat, Angelum tecto inſidentem contuetur; quo velut cœleſti augurio motus, & monitus, liberali manu auream in ſinum earum fortunam effundens, inopiâ ſublevavit. *k* At illæ pulſa jam ædibus pauperie, fuſum ſeponere, luxui vacare, vanitati, ac lenociniis ſe dare. Nec multo poſt, ſanctiſſimus Antiſtes illuc pertranſiens, ut comptas, criſpas, garrulas, & dæmonem tecto inſidentem vidit, crumenam clauſit, & fomitem ſubtraxit. Equus multa, & optima avena fartus inſoleſcit, & in ſeſſorem, ac Dominum ſuum ferocire conſuevit. *l* *Incraſſatus eſt dilectus*, inquit Moyſes, *& recalcitravit*; ac ſi pinguis fortuna, ad quam devenerat, eum in feritatem belluinam convertiſſet, atque adeò, ut non jam armis ut homo, ſed calcibus ut bellua, contra Deum recalcitraret.

Ecquando compotationes, ſympoſia, exquiſitiſſima vina ad ebrietatem, & temulentiam, mortales paſſim inducunt, niſi dum opes, facultates, divitiæ affluunt; Atque inde jam incraſſati, inebriati, ad quàm infames ludos non proruunt? *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Omnes de quibus hactenus egimus, videtis pacato, & tranquillo mari naufragari, & ſecundis zephyris, ac fortunæ favoniis, animæ ac ſalutis ſuæ naufragium facere: tunc undis obruimur, tunc miſeri demergimur, tunc ſinuoſis abripimur vorticibus, ſine ulla prorſus evadendi ſpe, cum circumquaque malacies, & aſpirare videntur ſecundi felicitatis venti; ubi qui adverſis jactantur, beatitudinis portum tenent; ut rectè Chryſoſtomus: *m* *Virtus in periculis ſecura eſt, & in ſecuritate periclitatur.* Hinc moderator rerum omnium Deus, eos quos ſibi, ac cœlo elegit, modò jactari patitur in hac vita, non ſecus atque navigia irato mari; eo certè fine, ut & citius & certius teneant portum beatæ æternitatis.

Res ea exemplo evadet illuſtrior. *n* Armatus Occidens propè univerſus, in Orientem profectus erat, ut Palæſtinam barbaricâ ſervitute liberaret. Ingentes omnino copias eduxerat Conradus Imperator, eduxerat & Francorum Rex Ludovicus. Verùm quæ fortunæ inclementia fuit, vel potius, quæ Dei conniventia, nulla re memorabili geſtâ, poſt biennium domum rediêre; cum exiguis magnorum exercituum reliquiis. Hoc autem eò gravius, triſtiúsque accidit, quod ad eam expeditionem, & cœlum invitâſſet, & cœli favor miris ſanè prodigiis, à D. Bernardo perpetratis, ex quibus ſibi terra certiſſimos ac nobiliſſimos Triumphos poterat polliceri. Sed alia fuerunt ſuperûm conſilia: *o* *Nec* enim (inquit Gofridus) *ex illa profectione orientali terreſtris liberari, ſed cœleſtis meruit impleri Jeruſalem. Quod ſi placuit Deo tali occaſione plurimorum eripere, ſi non Orientalium cor-*

k In proſperis Gula. l Deut. 32. 15.

m Chryſoſt. hom. 26. in matt. imper.
n Lobbet. de fortid. Chriſt. l. 3. c. 1. § . 5.
o Gofridus in vita S. Bernardi.

pora à Paganis, Occidentalium certe animas à peccatis, quis illi audeat dicere, quid feciſti ſic? aut quis rectè ſapiens, illorum ſortem magis non doleat, qui ad priora, vel pejora fortè prioribus ſcelera redierunt, quàm eorum mortem, qui in fructibus pœnitentiæ purgati variis tribulationibus, Chriſto animas reddiderunt? alioqui, quamtumlibet dicant Ægyptij, dicant filii tenebrarum, qui nec veritatem videre valent, nec proferre: callide eduxit eos ut interficeret in deſerto. Patienter tolerat Salvator opprobrium, quod tantarum animarum ſalute compenſat. Ex illius hiſtoriæ ſerie, facilè conficies, Deum Opt. Max. emiſiſſe ab Occidente in Orientem maximos exercitus, eo ferè conſilio, ut dum ii terris occiderent, & huic vitæ mortali, cœlis oriri poſſent, & ævo numquam perituro.

Vis luculentius ea de re teſtimonium? illud accipe à D. Chriſtina, quam admirabilem ſtupuit, & prædicavit orbis univerſus. Viſa illa olim inuſitato perfundi gaudio, quod, quia animo contineri non poterat, oculis & vultu toto ſeſe prodebat. Stupentibus autem, quibuſcum forte agebat, & cauſam ſciſcitantibus, adjecit: patuiſſe immenſa Divorum atria, & in iis objectas ſibi beatas in cœlo mentes, una cum Chriſto, nova quadam incedentes lætitia, vel ob id unum, quod mortalibus ad cœlum facilis, & quod mireris, lata ad ſalutem aperta jam eſſet porta ſalutis, atque beatæ æternitatis; cùmque rurſum ex ea quæſitum eſſet, ecquænam eſſet illa porta, & facilis ad cœlum via? reſpondit: hodie Jeroſolymam expugnarunt Barbari. Quid deinde? an ea vitæ ac ſalutis porta? exinde lætitia, plauſus, ac feſtivæ gratulationes, ac non potius materia luctus, miſeríque ejulatus? Auditur ille quidem in terris; at ſilet in cœlis, apud altiſſimum: cujus alia profecto judicia. Quæ ut evolveret beata illa virgo, addidit: quod ſanctæ civitatis recuperandæ gratiâ, hominum maxima multitudo, ſacram amplexi militiam, à ſolutiore vita, ad arctiorem converteretur, fuſóque plurimo ſanguine Servatoris veſtigiis inſiſtendo, ad regnum cœlorum perveniret. Et hinc illa gaudia, & exultatio in cœleſti Jeroſolyma. Dum interim Turcæ, longè à ſalute, & cœleſti Jeruſalem exultant in terris, juxta illud Poetæ:

Luxuriant animi, rebus plerumque ſecundis.

Nimirum luna nunquam in deliquio eſt, niſi cum plena eſt; quo autem ea plenior, hoc à ſole remotior. Ubi felicitas regnat, virtus exulat. Hinc Seneca p *infeliciſſimos*, dixit, *eſſe felices*.

Nihil mihi videtur infelicius eo,
Cui nihil evenit adverſi.

Ambroſius Mediolanenſium Præſul, uti Paulinus memorat, q ad hominem opulentum è via divertit. Hic ut Ambroſium hoſpitem ſuum, non liberali ſolum menſa, ſed & humanis colloquiis reficeret, prolixiorem ingreſſus

p Seneca de provident. c.3. q Paul. in vita Amb.

eſt narrationem. In ea, de ſeipſo affirmâvit, nihil ſe unquam adverſi paſſum; ante vota, & ſupra vota, omnia adeſſe; hoc eſt priuſquam vellet, & pluſquam vellet, adeóque quid morbus, quid paupertas, quid calamitas ſit, ſe neſcire. Exhorruit ad has voces Ambroſius, & mox velut ad ſubitum negotium avocatus, patrifamilias, & beatiſſimæ illi domui valedixit. Repentini abitûs cauſam ſuis hanc aſſignavit: vereri ſe, ne in domo tam beata, & rebus tam ſecundis, numinis ira diu abeſſe non poſſit. Ambroſio vix hæc effato, nec procul inde digreſſo, domus repente corruit, & inſperata ruina inquilinos ſuos omnes ſepelivit. Quàm ergo melius longè cum iis agitur, qui jam procellis variis jactantur, ut quietem, ac felicitatem ibi quærant, ubi ruinæ non ſunt metuendæ: r *Vnde fit,* inquit Magnus Gregorius, *ut omnes ſancti in hoc mundo magis proſpera, quàm adverſa formident*: ita etenim ab æterna Numinis providentia conſtitutum eſſe nôrunt, ut qui hic in deliciis fuit, tormentis reſervetur æternis; qui vero tribulationibus, ac perſecutionibus exagitati, cœleſtibus gaudiis prædeſtinentur. Vadem habeo Auguſtinum, Doctorem maximum. Ille hominem æternæ natum beatitati, comparare ſolebat cum uva, & oliva, quæ gemit, & premitur in torculari; reprobum autem, & à ſuperis averſum, cum ea, quæ etiamnum pendet à frutice, floret, ſucco turget, ſuóque tenacius

r Greg. hom. 40. in Evang.

adhæret ſtipiti: ſ *Vva*, inquit *& oliva, quamdiu pendent in frutetis ſuis, libero aëre perfruuntur. a nec uva vinum eſt, nec oliva oleu ante preſſuram. Sic ſunt homines quos prædeſtinavit Deus, antequa accedant ad ſervitutem Dti: fruuntur in hoc ſæculo tanquam delicioſ libertate: velut uvæ aut olivæ pendentes. Sed accedens quiſque ad ſervitutum Dei, ad torcularia ſe veniſ cogitat; conturbabitur, conteretur comprimetur, non ut in hoc ſæcu pereat; ſed ut in apothecas defluat* & in cœlorum cellaria reconda tur. Ecce Auguſtino teſte, atqu interprete Divinæ mentis, præ deſtinatus es, ſi moduò ſus uv ſis oliva; ſed in preſſura, & tor culari: ſi enim adhuc pendes frutetis tuis, ſi flores ſæculi deli ciis, ſi turges divitiis, & honori bus, ſi mundo adhæres, atque ad niteris: ſi liberum ejus haur aërem, ſpiritumque vanitatis: delicioſa fruetis libertate, nec u va, nec oliva es, quæ cœlo, bea tiſque ſapiat. At ubi ad torculari veniſti, ubi contribularis, conte reris, comprimeris; tunc demu incipis defluere, & elabi in cœle ſtes apothecas. Quod beneficiu quantum ſit, is ſolus æſtimat, qu animo & cogitatione metitur, a penſat præmia æternæ beatitati illudque Divinæ fidei infallibil pronunciatum alta mente repo ſuit: *Per multas tribulationes, oportet intrare in Regnum Cœlorum* Quod ut altius infigatur, manif ſtò declarabo.

ſ Auguſt. in pſal. 60.

§. I

§. II.

Per multas tribulationes, oportet nos intrare in Regnum Cœlorum, Actorum 14. v. 21.

QUæſtio implexa eſt, ut referunt ſacri Regum annales: cum *majores natu Iſrael*, importune urſiſſent, & dixiſſent Samueli: t *Conſtitue nobis Regem*; quo Divino conſilio à Propheta cum DEO habito, factum ſit, ut Saul in Regem, mox reprobandum, ac ſolio deturbandum, unctus ſit? Quod ſolerti, ut ſolet, ingenio D. Auguſtinus expoſuit, dum in Davide, per Saulis perſecutiones ad regnum evecto, Redemptorem noſtrum per multas tribulationes, in Regna Cœlorum penetrantem, adumbrari cenſuit: v *Cum*, inquit, *Davidem Deus prælegiſſet, & prædeſtinâſſet ad regnum, noluit ipſum antè tenere regnum, quàm à perſequentibus liberaret. Ut etiam in hoc ipſo figuraret nos id eſt, corpus ejus: cujus corporis caput, Chriſtus. Porrò enim ſi ipſum caput noſtrum, ſine primò peracto labore in terra, in cœlo regnare noluit, niſi per tribulationis viam; quid audent membra ſperare, capite ſuo magis ſe eſſe felicia? non ergo ſperemus molliorem viam; qua præceſſit, eamus, quà duxit, ſequamur.* Non alia via David ad ſolium Iſrael, & ad regnum cœleſte conſcendit: Coronatorum primus, omnium miſerrimus, & feliciſſimus fuit. Jugulatores paterni gregis leones, infans jugulat, ipſo infelix Triumpho: nam citra infantiæ ludicra, dura exorditur à teneris; in prætexta, chlamyde candidatur; hoc ipſo præmaturè invidendus. Carneum Philiſtinorum propugnaculum Goliathem ſternens, unico lapide Rempublicam fundat; ſed victoriam potitus, non præmium: plus odii lucratur, quàm gloriæ: & optimo inter aulicos argumento diſplicuit. Entheatum Saulem mulcet; utroque arcu felix, ſeu fila impellat, ſeu tela; ſed Erinnes irritat, dum temperat: nam lyra ludens, haſta propè confoſſus eſt, ineluctabiles gemitus à cantu exorditur. Inter Getheos aulicos recipitur profugus; ſed Regi carus, non ſatrapis: ut inſanos fugiat, cogitur inſanire. Jam regali conjugio ſuperbit opilio: ſed Philiſtinorum præputiis empto, pronubam habuit libitinam. Omnium hoſtium vidit funera; ſed plura ſuorum, triduana peſte, trienni fame, perenni bello. Reges omnes finitimos aut ferro vinxit, aut fœdere; ſed externis liber, inteſtinis obnoxius; nam multiplici conjugio lætus, non filiis: quorum alter ſororis ſtupro, alter patri perduellis infami trunco pependit. Per tot diſcrimina rerum, per hanc *tribulationis* viam purpuratus vates, verus, ac vivus Chriſti typus, non ſibi duntaxat terrena, ſed & æterna cœlorum regna acquiſivit, & nobis patêre, Chriſto duce, præſignavit.

Hoc divinum oraculum eſt: x *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Unde rectè infert Hieronymus, iis

t L. 1. Reg. 8. 5. v Auguſtin. in pſal. 51.

x Act. 14.

qui

qui tribulationes non patiuntur, occludi aditum ad regnum Dei: y *Si*, inquit, *per multas tribulationes aperitur aditus ad regnum Dei: illis utique clauditur, qui nolunt ſuſtinere vel paucas.* Ita nimirum habent cœli leges; non venit in partem gloriæ, niſi qui in palæſtra exercitatus tolerantiæ. Huic aſſertioni fidem facit ipſe Dei filius, de quo ita magnificè Tertullianus: z *Non ante Rex gloriæ à cœleſtibus eſt ſalutatus, quàm Rex Judæorum proſcriptus in cruce.* Hæc certiſſima, rectiſſima, & breviſſima in cœlum via eſt, quam omnes omnino ſancti calcârunt, & nobis inculcarunt; hoc toto orbe decantat Eccleſia: a *In ligno pendens, noſtræ ſalutis ſemitam, verbum Patris invenit.* Qui aliam ingreditur, extra viam currit, & toto cœlo aberrat.

Myſticas ac morales, ſacri interpretes, complures rationes adferunt, cur benigniſſimus Redemptor, à reſurrectione ſua, in corpore glorioſo ſacratiſſima vulnera diſcipulis ſuis exhibuerit, dicens: b *Videte manus meas, & pedes meos.* Ad propoſitum hæc facit, quam Doctor ſeraphicus allegat, Chriſtum hoc amabili ſpectaculo monuiſſe, ut ſi participes & ipſi beatitudinis, ac gloriæ eſſe vellent, per plagas, & vulnera, per illam, quam ipſe triverat crucis viam, ſubſequi niterentur: c *Quaſi diceret: ſi ad vitam, in qua ego ſum, venire vultis, exemplum dedi quanta pati debeatis.* Luculenter verò in heſterno, & hodierno Evangelio: d *Nónne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Ibidem v. 46. *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis.* Sententia hæc, quod pauci obſervant plena eſt myſterii: nam ut ſcit[e] S. Thomas, e non opus Chriſt[o] paſſione, aut minimo cruciatu *ut intraret in gloriam ſuam*; qui[a] ſecundum illud Pſal. 112. *Super cœlos gloria ejus* 2 meruit ſibi gloriam à primo inſtanti conceptionis ſuæ. 3. Gloria corporis reſultat ex gloria animæ ejus, qua primo inſtanti conceptionis fui[t] beata. Ut quid ergo ait veridicu[s] Chriſti ſcriba, per paſſionem intrâſſe in gloriam ſuam? Hug[o] Cardinalis, ut aliis ſuperſedeam in rem noſtram ſic ait: f *Propte[r] exemplum, ut oſtenderet, quali[s] eſt via ad patriam, ſive gloriam ſcilicet paſſio, & ignominia, & miſeria.*

Non eſt quod conqueraris cùm tibi quamtumvis juſto Chriſtus velit conferre gloriam eodem pretio, quo ipſam acquiſivit. Si à mercatore amico vi[s] emere bonum pannum, aut auream telam, & ille eodem pretio telam tibi vendat, quo ipſ[e] emerat, nónne tibi maximum præſtaret beneficium, cùm lucrum, quod ex aliis emptoribu[s] reportare ſolet, tibi remittat ſic Chriſtus Regnum cœlorum & veſtem gloriæ juſtis exhibet non majori pretio, quam ſib[i] conſtitit. Emit ille gloriam ſuam flagellis, ſpinis, opprobriis, tribulationibus, morte: g oportuit pati Chriſtum, & *ita intrar[e]*

y Hier ep. ad Ocean. z Tertull. l. de corona milit. c. 14. a In offic. invent. S. crucis. b Luc. 24. v. 39. c Bonavent. Serm. 2. in tranſlat. S. Franciſci.

d Luc. 24. v. 26. e S. Thom. 3 part. q. 49. art. 6. f Hugo in Luc. c. 24. g Luc. 24.

n gloriam ſuam. Quid habes con-
queri, ſi eodem pretio tibi cœ-
um offerat, quo & ipſe, &
omnes amici ejus ſibi compara-
unt?

h Vidit Joannes turbam ma-
gnam in cœlo, quam dinumera-
e non poterat, ex omnibus gen-
ibus, & tribubus, & populis,
& linguis, ſtantes ante thronum
Dei, & in conſpectu Agni, ami-
ctos ſtolis albis, & palmæ in
manibus eorum; quærenti au-
em, unde iſti venerint? re-
pondit unus ex illis: *Hi ſunt, qui
venerunt de tribulatione magna.*
Non de deliciis, & voluptatibus
hujus mundi, ſed de tribulatio-
nibus, tanquam termino *à quo*,
pervenerunt ad terminum *ad
quem*, beatæ æternitatis. Cùm
Rebecca in votis haberet, ut fili-
us ſuus Jacob ſeniori imperaret,
ablegavit eum in Meſopotami-
am, ubi paſcendis Labani gregi-
bus non ſine *ignominia*, *& miſe-
ria*, inter diurnos æſtus, & no-
cturnos algores deſerviret: i *Fu-
ge*, inquit, *ad Laban fratrem me-
um in Haran.* Nec immerito;
ſciebat enim ad honorem Impe-
rii, nullo aptius ex gradu, quàm
laboris, miſeriæ, & ignomini-
oſæ ſervitutis aſcendendum.
Quod Philo Hebræus de vita
Moyſis, ingenioſè expreſſit, di-
cens: k *Qui fugit laborem, fugit
felicitatem. E diverſo, qui fortiter,
patienterque difficultates tolerat, ad
beatitudinem properat.*

l Carolus IX. Franciæ Rex,
cum juvenis (annum namque
decimum ætatis vix exceſſerat)
in Regem ungeretur, ac timeret
mater, ne laboribus tolerandis non ſufficeret: *Feram*, inquiebat ille, *nec recuſabo laborem, quoties ſe Regna obtulerint.* Quanto itaque æquius eſt, pro æterno Regno, ac cœleſtis gloriæ hæreditate, labores exantlare, periculis ſe exponere, ardua quæque tolerare, amara omnia exhaurire?

Hanc connexionem, & conſequentiam, cum rudes etiamnum filii Zebedæi minimè caperent, rectà ſibi ad gloriam viam quærebant; quibus optimus Magiſter: m *Calicem meum bibetis*; apertè eos edocens, quod neſcirent quid peterent: ſic etenim, inquit Bernardus: n *Ad gradum ſunt reducti, per quem fuerat aſcendendum.* Ad faſtigium aſpirabant, & gradus ignorabant, ac declinabant. Tales ſexcentos hodie numerare eſt, qui optent cum filiis Zebedæi ſedere à dextris, aut ſiniſtris in regno Dei; ſed gradus humiliationis, perſecutionis, tribulationis, paſſionis, ad quos Apoſtoli reducti, & per quos ad gloriam *aſcendendum*, ignorant, aut declinant. Quos utinam Chriſtus ut Apoſtolos, ad rectam ſemitam revocet, ex mente magni Gregorii: o *Ad viam*, inquit, *illos veritas revocat, per quam ad celſitudinem venirent. Ac ſi dicatur: jam vos locus delectat celſitudinis; ſed prius via exerceat laboris: per calicem enim pertingitur ad majeſtatem. Si mens veſtra prius appetit, quod demulcet, prius bibite quod dolet, ſic ſic per amarum poculum confeſſionis,*

h Apoc. 7. i Gen. 24. v. 43. k Phi-
de vita Moyſis, lib. 3. l Beyerlinck
oph. & feſto 2. Paſchæ.

m Matth. 20. v. 23. n Bernard. Serm. 33. in Cant. o Gregor. hom. 27. in Evang.

perve-

perventitur ad gradum ſalutis. Accedit venerabilis Beda: *Cœleſtis,* inquit, *Magiſter quid primo quærendum eſſet inſinuans, revocat ad viam laboris, qua ad bravium pertingere poſſint retributionis.*

Hinc à recta gloriæ acquirendæ ſemita aberrat, qui viam paſſionis, & tribulationis non inſiſtit. Egregiè verò notat Euthymius, dixiſſe Chriſtum Dominum: *Non eſt meum dare vobis*; non quidem propter impotentiam, ſed propter juſtitiam: *Quia,* inquit, *gratis ſibi dari primatum petebant.* Quod colligit ex gratuito verbo *dare*: ut enim Deus profusè, & prolixè nobis media ſuppeditet; vult tamen iis utamur, & mereamur ingredi in Regnum cœlorum; contrà ac heterodoxi ſentiunt, qui tradunt Deum abundè ſatisfeciſſe; atque adeo omnia opera pœnitentiæ ſuperflua, ac ſupervacanea eſſe, merè gratis gloriam conferendam; quæ quam rectæ fidei, ac divinæ ordinationi repugnent, innumeræ Scripturæ teſtantur. Appoſitè Hugo Cardinalis in illud Actorum 14. v. 21. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Ubi ait: p *Qui putant ſine paſſione intrare in gloriam, ſunt ſimiles filiis Zebedæi; quibus dicitur: neſcitis quid petatis. Ubi gloſſa: Neſcitis, quia ſedem gloriæ quæritis, quam nondum meruiſtis? delectat culmen honoris, quos non exercuit via laboris.* Per quot labores, & lucubrationes gradum ſibi quis ſtruit ad doctoratus culmen, & honores? eúmque accepturus, prius fanda & infanda in veſperiis illi ingeruntur: & his exceptus, adhuc manus dat, lauto excipit convivio, quia ſcit per illa ſibi tranſeundum, ad nominis gloriam, & honorem.

Mirabilem ſimul & amabilem cœleſtis Sponſus dilectæ ſuæ Sponſæ, q virgini Senenſi optionem fecit, geminam manu coronam prætendens, hanc auro & gemmis fulgentem; illam ſpinis & aculeis rigentem. Catharina non neſcia, qua Rex gloriæ ſibi conſpicuus, olim Rex Judæorum redimitus fuiſſet, prudenter coronam ſpineam petiit, ut per illam ad auream perveniret. Conſimilem ſi ego vobis, ſi Deus arbiter optionem faciat: hinc ſertum ſpineum, id eſt, pauperiem contemptum, morbos, perſecutiones; inde aureum, nempe divitias, honores, firmam corporis valetudinem, delicias, voluptates, proponat. Quotus quiſque eſt, qui has præ illis non eligat? qui non pro ſpinis, violas & roſas amplectatur? audituri idem, quod filii Zebedæi: *Neſcitis quid petatis.*

Aliud nobis ſpeculum, & exemplar proponit Tertullianus, r *ſcriptorum nobiliſſimus*, libro de corona militis, cap. 14. ſ *Chriſtus* JESUS *quale, oro te, ſertum pro utroque ſexu* (non pro monachis, & ſanctimonialibus tantum) *ſubiit? ex ſpinis & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis.* Sic tandem eleganti ironia proſequitur: *Uti tu nunc laureâ, & myrto, & oleâ, & quod magis uſui eſt, roſis ex horto Midæ, & liliis & violis coroneris; etiam gemmis forſitan, & auro, ut illam Chriſti coronam æmuleris, quæ poſtea ei obvenit;*

p Hug. Card. in act. c. 14. & in Luc. 24

q Surius in vita Catharin. Senenſ.
r Ruffinus Euſeb hiſt. Eccl. lib. 11. c. 24.
ſ Tertull. lib. de corona militis, c. 14.

dit: *quia & favos poſt fella guſtavit, nec ante Rex gloriæ à cœleſtibus ſalutatus eſt, quàm Rex Judæorum proſcriptus eſt in crucem.* Seriò tandem, ac graviter ſubdit: *Si ob hæc caput ei tuum debes, tale ſi potes, ei tuum repende, quale ſuum pro te obtulit*, non roſis, ſed ſpinis: non gemmis; ſed cruoris guttis, velut pyropis adornatum. Ita eveniet, ut è ſentibus aliquando roſas colligas; quod amabili prodigio præſagire mihi videntur ſpinæ, quibus Chriſtus redimitus eſt: *t* ex his quippe una aliqua Tuderti aſſervatur, quæ perpetuo miraculo vere ſibi ſacro, eâ ſcilicet die, quæ anniverſaria ejus coronationis recurrit, amœnos ſe in floſculos induit. Quo, quid aliud innuit, quàm ex dolorum, morborum, & adverſitatum ſpinis, flores nobis germinare, quibus corollam gloriæ contexamus. Hoc S. Lyduina æmulata, quæ per graviſſimos morborum aculeos, coronam gloriæ ſibi à cœlitibus contexi ſpectavit. Sic S. Calliopius eximiâ conſtantiâ juvenis, tyranno acerbiſſimos cruciatus minitanti, dixiſſe meminit Surius: v *Quantò me gravioribus exercueris tormentis, tantò auguſtiorem mihi coronam contexes.* Nôrant hi veriſſimum illud, quod Doctor gentium Spiritus Sancti tuba inſonat: x *Videmus* Jesum *propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum.* Errat ſi quis coronari deſiderat, & legitimè certare, ardua quæque tolerare, & adverſa exantlare detrectat. Hinc S. Ambroſius: y *Si quando tentaris, cognoſce quia paratur corona: tolle martyrum certamina, tuliſti coronas: tolle cruciatus, tuliſti beatitudines.* Ideo conſpectæ ſunt à Joanne in manibus Electorum palmæ: z *Et palmæ in manibus eorum*: quia palma ſignum eſt victoriæ, eo quod, inquit Hugo Cardinalis a *habet folia ſimilia gladio*, quo victoriam conſequimur.

Lucæ 22. Benigniſſimus Magiſter ſic Diſcipulos ſuos compellat: b *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.* Tum ſubdit: *Et ego diſpono vobis Regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum meum.* Ubi illud *ſicut* expendendum occurrit; ut hæc Chriſti mens fuerit, ſicut Pater hac mihi conditione Regnum diſpoſuit, ut ad illud per labores, ſudorem, & mortem crucis pervenirem: ita & ego meum Regnum eadem lege, & conditione, vobis decerno, atque promitto; ac proinde mei calicis ac paſſionis non potero non vos ſocios facere. Quod rectè Rupertus adnotavit, dicens: c *Hoc jus legale eſt apud cœleſtem Regem, ut ſicut ipſi Pater, ita nobis ipſe diſponat in Regno præmium, permanentibus cum illo in tentationibus ejus, ut ſi ſuſtineamus, conregnemus: ſi compatiamur, conglorificemur: ſi amarum calicem bibamus, conſideamus in Regno.* Quo ſenſu venerabilis Beda, in illud Pauli: *Propter quod & Deus exaltavit illum*, ſic diſſerit: *Sicut ergo Pater diſpoſuit filio Regnum, quem factum obedientem uſque ad mortem crucis exaltavit; ſic & filius permanentes ſecum in tentationibus æternum ducit ad Regnum.* Diſpoſitio Regni conditionata eſt.

t Ioan. Rho de paſſione Dom. pag. 314. Petra ſancta Thaumaſiæ. v Surius in vita 7. April. x Ad Hebræos 2. v. 9. y Ambroſ. lib. 4. in Luc. c. 4.

z Apoc. 7. a Hugo in Pſ. 91 b Luc. 22. v. 28. c Rupert. in c. 5. Apoc.

eſt, quæ numquam tranſit in abſolutam, niſi conditione poſita: d *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus.*

Homines ſæculares arbitrantur, illud Chriſti monitum: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemet ipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me,* ad ſolos Religioſos, & ſanctimoniales ſpectare; ſe etiam per delicias, & voluptates hujus mundi, per ſemitam roſis ſtratam, cum citharis, & tympanis pervenire poſſe ad Regnum cœlorum. Hi graviſſimum Doctorem, qui teſte S. Thoma, e *profunda fluminum ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem produxit,* Auguſtinum audiant ſuper hoc diſſerentem: f Sive vir, inquit, ſive mulier, ſive is qui præeſt, ſive is qui alteri paret, & ſervari vult, hanc ingrediatur viam: non enim admonitionem hanc *virgines audire debent, & maritatæ non debent: aut viduæ debent, & nuptæ non debent; aut monachi debent, & conjugati non debent; aut Clerici debent, & Laici non debent; ſed univerſa Eccleſia, univerſum corpus, univerſa membra, per officia propria diſtincta, & diſtributa, audire debent: ſi quis vult venire poſt me, &c.* Meritò quidem: nam ſi velint ad Regnum pervenire, ſequantur crucem bajulantem, qui volunt comitari regnantem; cùm ipſe ad Regnum non niſi per crucem pervenerit.

Hinc rogo vos potentes ſæculi, qui hic divitiis & deliciis affluitis, ſi has inter jactura aliqua bonorum, immatura charæ conjugis, aut unici hæredis mors affligat: ſi invidorum linguæ lacerent, ſi aliæ adverſitates excrucient, ſolatio illud ſit, rectam vos ad ſalutem viam inſiſtere; ſcitote Chriſti ſic veſtigia ſectantes, ad gloriam vos tendere.

Quàm multi de temporum injuriâ, de bonorum jacturâ, de ſua cum numeroſa prole penuria conqueruntur, non attendentes, divinâ providentiâ & ſe ſuóſque ſuaviter per pauperiem ad æternos theſauros poſſidendos deſtinari. Ita teſtatur venerabilis Cardinalis de Vitriaco, g de quodam Dei ſervo, eodémque inſigni B. Mariæ Oegniacenſis cultore, qui cùm pauper eſſet, occaſionem habuit magnas facultates temporales, quas ei locuples offerebat, acquirendi; & quamquam eas deſiderabat, noluit tamen inconſultâ hac Sanctâ acceptare. Hæc ergo poſt orationem factam, divinitus edocta reſpondit ei, ne illas ullo modo acciperet; ſed in ſua ſe paupertate contineret; ſic etenim convenire ipſi ad ſalutem; divitias verò æternæ damnationis illi cauſam fore. Affine eſt, quod refert Cantipratanus. Vir nobilis & opulentus petiit à S. virgine Lutgarde, ut Deū pro ſalute animæ ſuæ rogaret. Fecit Sancta, & Deus ut homini æternam animæ ſalutem daret, temporalibus ipſum bonis exuit, & ad inopiam redegit. Qua ille rerum terrenarum jacturâ patienter toleratâ, animum mundanis omnibus ſubduxit, & prodigium ſanctitatis exſtitit. h

Scitote vos conjugati, & conjugatæ, dum tribulationes & multas & magnas in matrimonio experimini, per illas vos du-

d 2. Tim. 2. v. 12. e S. Thom. Ser. de S. Auguſt. f Aug. hom. 47. de diverſis

g Cardin. de Vitriaco in vita Mariæ Oegniac. h Cantipratan. in vita S. Lutgardis.

ci in

ci in Regnum cœlorum. Scitote dum in hoc turbulento ſæculi oceano adverſis tribulationũ ventis, & ingruentibus tentationum procellis jactamini, rectà vos, & ſecurè in portum ſalutis ferri. Quod ne peregrinum & paradoxum videatur, attendite. Cœleſtis illa Aquila Joannes, quadam die bipatentibus valvis in Regia cœli, *i* auream gemmis, ac pyropis fulgentem ſedem conſpexit, quã munificus ac magnificus Deus electis ſuis diſpoſuit. Verùm hanc inter, & nos, ingens mare interjacebat: *Et in conſpectu ſedis tanquã mare*; interim invitat nos, ut tam beatæ ſedis, ac Regni poſſeſſionẽ capiamus: k *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Hæreditas mea ſuper mel, & favum.*

At dicent aliqui, portum quidem à longe proſpicimus, ſed quomodo, interjecto oceano, citra præſens periculum eò enavigare poterimus? Hugo Cardinalis celocem, ſeu navigium in promptu eſſe indicat, quo tuti, & ſecuri trajiciamus; quo deſtituti, numquam perveniamus. Navigium hoc omnibus mortalibus præſtò eſt; l *Nam ut tranſire poſſint, ipſemet* (Chriſtus) *navim adduxit, qua ſecuri tranſirent, id eſt crucem*; qui hac velificatur, inter omnes adverſitatis procellas, & tempeſtates, favonio ſancti Spiritus aſpirante, ſecurus navigat, & in portum properat. Confirmat id ipſum ſanctus Pontifex Maximus, qui mundum hunc, verè m *mare magnum & ſpatioſum*, atque in eo tot fluitantes & naufragantes conſiderans, cymba pleroſq; in altum conſcendere affirmat, quæ crucis malo deſtituta ſit; at qui Myoparonem in quo antenna malo tranſverſa, crucis ſignum portat, conſcendunt, tuti & ſecuri portum tenent. n *Cum à nautis*, inquit, *ſcinditur mare, prius ab ipſis arbor erigitur, velum diſtenditur, ut cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur; & hoc dominico ſecuri ſigno, portum ſalutis petunt, periculum mortis* (æternæ) *evadunt.* Innuens in hoc mari magno & ſpatioſo, ubi ſunt procellę aſſiduæ, & tempeſtates, ubi ſunt Scyllæ & charybdes, ubi cete grandia, eos dũtaxat bene velificari, *qui dominico ſecuri ſigno, portum ſalutis petunt.*

Quod ſi quis feliciter hoc ligno, aſpirante Spiritus S. gratia navigando, fortè per immane flagitium naufragium paſſus eſt, non eſt adhuc, quod deſperet, natando portũ inveniet, ſuffragante Hieronymo, qui ait: *Homo natans per aquas, forma crucis vehitur.* Si manus ſuas in crucem extenderit, ſi ad Dominum in diluvio aquarũ multarum clamarit; ſi ſecundam poſt naufragium tabulam arripuerit; ſalvus in portum enatabit: omnis in cruce ſpes, omnis ſalus, omnis in cruce benedictio. Gen. c. 48. cum Jacob benediceret filiis Joſephi, Ephraim & Manaſſe, *commutans manus* benedixit pueris iſtis; ubi doctiſſimus Lyranus: o *Cancellatis*, inquit, *manibus, crucis myſterium præfigurans*, benectionem contulit, in typum omnem nobis ab hoc crucis Myſterio benedictionem, non temporalem, ſed æternam ſperandam; adeò ut, Tertulliano teſte:

i Ioan. Apoc. 4. v. 6. k Eccl. 24. v. 26. l Hug. card. in cap. 2. cant. m Pſalm. 103. v. 25.

n S. Maximus hom. 2. de cruce. o Lyran, in gen. c. 48.

p *Si decuſſatæ, in modum crucis, Dei ſuper nos manus fuerint, benedictionem ſortiamur.* Graviſſimas pœnas imprecatur David iis, qui dixerunt: q *Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* Hoc eſt non pugnando, non ſudando, non laborando; ſed ſedendo, quieſcendo, ſolo jure hæreditatis, Regnum Cœlorum acquiramus: uti aliquando opulenta hæreditas aliquot millium aureorum, filio, nepoti, aut nepti ſegni & inerti obtingit. Quod quam indignum, & iniquum reputet, ex iis quæ ſubjungit, manifeſtum eſt: r *Deus meus, pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti*; neque enim minoribus ſuppliciis digni ſunt, qui æternam gloriam, per labores, & ſudores, per cruces, & tribulationes acquirendam, otioſi, imbelles, & inertes, hæreditate adire volunt; cum ſ *Regnum Cœlorum vim patiatur, & violenti rapiant illud.* Hoc eſt, interprete Maldonato: *Non hæreditati ſed virtuti conceditur.* Hæretici qui truncam & mutilam, imperitæ plebeculæ ſcripturam proponunt, ſe hæredes regni cœleſtis certò aſſerunt, ex illo Pauli ad Rom. 8. t *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*; at conditionem, quam Apoſtolus apponit, & legem qua ad hæreditatem illam perveniatur, omittunt: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*; in quem locum Chryſoſtomus: v *Non enim reliquit nobis hæreditatem purè; ſed ſub quadam conditione; quanam autem hac? qui non tollit crucem ſuam*; & quænam hæc? *ſi compatimur.*

p Tertull. l. de bapt. c. 8. q Pſal. 82. v. 13. r V. 14. ſ Matth. 11. v. 12. t ad Rom. 8. v. 17. v Chr. in ep. ad Rom. cit.

Magno vati Iſaiæ Deus ſe olim bis ſpectandum dedit; ſed ſpecie prorſus diſſimili; prima quidem ad omnem amœnitatem, ſimul & majeſtatem: x *Vidi*, inquit, *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum:* altera ad omnem deſpectum, & contemptum, miſerabili laniena: y *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus.* Doctor Mellifluus floridè & ſolidè, has duas viſiones inter ſe conferendo, rectè monet, prius nobis Deum humilem, & deſpectum, virum dolorum contemplandum & imitandum; quàm ad Deum Majeſtate ſublimem, & gloria inſignem videndum, & poſſidendum accedere valeamus: z *Similis*, inquit, *eris illi, cum videris eum, ſicuti eſt, eſto & nunc ſimilis ei, videns eum, ſicut pro te factus eſt: Si enim ne in humilitate quidem ſimilitudinem ejus abnuis, certa tibi ſublimitatis quoq; ſimilitudo debetur; numquam ille ſocium tribulationis, communione gloriæ patietur arceri.* Confirmat idipſum exemplo latronis, quem Chriſtus Dominus eodem die, quo habuit crucis ſocium, habere voluit beatitudinis conſortem. Si hic imaginem Chriſti patientis in te expreſſeris, illic configurari poteris imagini claritatis ejus. Hanc duplicem effigiem patientis, & dominantis: ſervientis & regnantis, voluit Deus per vivum ectypon, in Joſepho nobis adumbrari: quem per arduam, & aſperam adverſæ fortunæ ſemitam, Divina Numinis providentia duxit ad principatum. Joſeph à fratribus nudatus, in ciſter-

x Iſa. 6. v. 1. y Iſa. c. 53. v. 2. z S. Bern. Serm. 1. de verbis Iſaiæ.

ſternam veterem demiſſus, Iſmaelitis venditus, in Ægyptum relegatus, in carcerem conjectus, & ferrea compede conſtrictus, nihil non miſeriæ, ac calamitatis perpeſſus eſt; *donec tandem* a *afferret illi ſceptrum regni, & potentiam adverſus eos, qui eum deprimebant.* Per hos laborum gradus, certiſſimus ad honores aditus aperitur, quod D. Chryſoſtomus ſcitè expendens, ait: b *Joſeph accepturus totius provinciæ Dominatum, venundatur in ſervum, in famulum addicitur: ſuſcipit ſervitutis notam, quem Dominus præparabat ad gloriam.* Deus enim Joſephum, per fratrum livorem, & carceris ſqualorem, ad regni ſplendorem, quaſi manu duxit; imò in ſingulis calamitatibus, ſingulos ad gloriam gradus fabricavit. Unde Pharao Joſephum ornaturus: c *Tulit annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus: veſtivitque eum ſtola byſſina, collo torquem auream circumpoſuit: fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum.* At cur tam multa in unum præmia cumulantur? Myſterium notaſſe videtur Rupertus, Abbas Tuitienſis, ut ſingula ſingulis laboribus, quos ſubierat, reſponderent: d *Pro compedibus,* inquit, *in quibus humiliaverunt pedes ejus, torquem auream ſuſcepit: pro pallio quo in manu adulteræ relicto, nudus effugit, ſtola byſſina Deo judice indutus eſt: pro ſervili nomine, regium geſtat annulum: & pro carceris humilitate, ſuper altum ſedet Imperii currum.* Adde, ut omnibus omnia reſpondeant, pro illo probro, quo à fratribus in contemptum *ſomniator* dictus eſt, factum à Deo, ut in immenſum laudis cumulum, à Pharaone e *Salvator mundi* diceretur. Tam feliciter labores, & contumeliæ præludunt honoribus, viam ac gradus ſternunt ad gloriam. Eventus varii veriſſimum illud Eccleſiaſtæ comprobarunt: f *Quod de carcere, cateniſq; interdum quis egrediatur ad regnū.*

g Michaelem Balbum Leo Imperator indecorè, & magno deſpectui habebat, utpote carcere opaco clauſum, & vinculis ferreis conſtrictum; ipſe verò Leo, rerum apicem nactus, impiè vitam agens, impune regnabat, ſingulis quibuſque probis injurius, imò & Deo, de fide Chriſtiana perversè ſentiens. Tandem ſuperis, & hominibus exoſus, à ſicariis trucidatur, & æmulus ejus Michael Balbus, eductus è carcere, & catenis adhuc pedes conſtrictus (ſiquidem claves earum Leo aſſervabat) ſolio imponitur, & etiamnum ferro vinctus, Imperator ſalutatur. Res profectò inſolens, videre coronam, ſceptrum, & vincula concordare: caput corona redimitum, cum adhuc vincula manus, & pedes conſtringerent. Sed Deo hic agendi modus perfamiliaris, ut è carcere, è pedore, è vinculis vocet ad coronam.

Ludum hunc inſolentem fortuna quoque luſit in Agrippa, h qui à Tiberio Romæ in vincula conjectus, è veſtigio mortuo Tiberio, à Cajo vinculis exutus, Judææ, & Samariæ Rex coronatur, inſuper pretioſiſſimo munere ab Imperatore donatur: catena nempe au-

a Sap. 10 v. 14. b Chryſ. Serm. de Ioſepho tom. 1. c Gen. 41. v. 42. d Rupert. l. 8. in gen. c. 40.

e Gen 41. v. 45. f Eccl. 4. g Bar. anno Chriſti 820. h Ioſephus antiq. Iudai l. 18, c. 8. l. 19 c. 5.

aurea, quæ pondere æquabat ferream, qua pridem vinctus fuerat.

Divinæ providentiæ ludus hic frequentiſſimus, non niſi i *vinctos in mendicitate*, vinctos k *funibus paupertatis:* vinctos *vinculo improperii:* vinctos funibus morborum, tribulationum, ad regnum vocare. Quod utinam quiſque veſtrûm in quavis adverſitate ſibi perſuaderet: illudque Pſaltis Regii oraculum, altè in animum dimitteret: l *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Celeberrimum eſt cubile, quod myſticus Salomon Chriſtus nobis ædificavit, quod ſponſus *ferculum* appellavit: m *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon*, ſive quietis lectum aureum; gradus autem, ſive ſcalas ad eum purpureas: *Reclinatorium fecit aureum*, ASCENSUM PURPUREUM. At cur gradus, per quos ad æternam requiem conſcenditur, purpurei ſunt? *aſcenſus ejus purpureus?* non aliam Hugo à S. Victore hic rationem aſſignat, quàm per labores, tribulationes, perſecutiones; velut per gradus, quos tot ſacri heroes, & invicti pugiles ſuo ſanguine purpurarunt, aſcendendum eſſe: n *Reclinatorium*, inquit, *aureum, æternæ felicitatis fulgor eſt, in quo reclinatur, & ab omni labore quieſcitur. Aſcenſus purpureus eſt, quia ad claritatem illius quietis, non niſi per tribulationem venitur.* Congruere huic propoſito videtur, quod ſacræ Machabæorum hiſtoriæ referunt: Alexandrum Regem, ut novam cum Jonatha, Hebræorum Principe iniret gratiam, & amicitiam firmaret, eidem pro regali munere, obtuliſſe o *purpuram, & coronam auream.* An non egregium, & regium ſatis donum fuiſſet, ſi coronam auream dumtaxat ei donaſſet? cur *purpuram* addere placuit? Princeps Dominicanæ familiæ Cardinalis, purpuram hic tribulationum, & quarumcumque afflictionum, ad ſanguinem uſque, intelligit, per quam, coronam gloriæ auream nobis comparemus: p *Talia*, inquit, *mittit Chriſtus, & dat amicis ſuis* (munera) PURPURAM TRIBULATIONIS, *cum ſpe futuræ retributionis, quæ ſignificatur per* CORONAM: *Corona enim non eſt ſine purpura: ſi compatimur, & conregnabimus.* Per hanc purpuram tribulationis, & paſſionis tot ſuo ſanguine purpurati Martyres: tot virgines non ſine ſanguine, tot ſancti Anachoretæ, & confeſſores, aſſiduis jejuniis, vigiliis, ciliciis, flagellis, coronam adepti ſunt.

Sed quid hæc ad vos, qui nec Martyres, nec virgines, nec Anachoretæ, nec confeſſores? *Mittit Chriſtus*, & vobis *amicis ſuis purpuram tribulationis*, mittit tibi, *purpuram tribulationis*, dum evicta, contra jus & fas, lite, cum omnibus expenſis, cogeris cum rubore, & famulos, & pediſſequas dimittere, equos & Rhedam vendere, pedes incedere. Hæc purpura ducit ad coronam. Mittit alteri *purpuram tribulationis* in filio diſcolo, perduelli, prodigo, qui in caput parentis inſurgit, omnem ſubſtantiam conſumit cum meretricibus: domum, cum rubore omnium, in uxorem, ſcortum ducit. *Mittit purpuram tribula-*

i Pſal. 106. k Iob. c. 36. l Pſ. 90. v. 15. m Cant. 3. v. 9. n Hugo de S. victore. Miſcell. l. 1. tit. 1. c. 21.

o L. 1. Machab. c. 10. p Hugo Card. in c. 3. Ioan.

bula-

bulationis tot caſtis, & candidis mentibus, quæ per Angelum Satanæ, tentationibus carnis, quaſi colaphizatæ, toto animo & vultu, virginali purpura erubuerunt, ut coronam virginitatis auream non amitterent.

Denique, non aliter niſi tolerando, laborando, certando, pugnando ad coronam pervenitur. Id aliquando demonſtravit, re, & nomine ſapiens dictus *Carolus V.* Galliarum Rex, *q* qui ut indolem filii ſui Caroli exploraret, in una menſa collocari juſſit coronam auream, & ſceptrum: in altera, gladium & galeam: filio alterutrum in electionem proponens Hic juvenis Princeps, ſingulari, & ſupra pueriles annos ſapientia, ad gladium accurrit, galeámque prenſavit; cauſam rogatus, non minus ſapienter reſpondit: *Per hæc, ad illa perveniri.* Ita plane ſentiendum eſt, per pugnas, & certamina, quibus vita noſtra referta eſt, ad coronam gloriæ perveniri. Sic ſancti vicerunt regna, adepti ſunt repromiſſionem. Sic Paulus per gladium: S. Chriſtophorus per igne candentem galeam vertici impoſitam: ſic Stephanus, per ſaxorum crepitantium grandinem pervenit ad coronam; quem S. Proclus hiſce verbis, à Chriſto animatum ſcribit: r *O Stephane ne timeas eos, qui te lapidibus appetunt, inſcii & neſcii ſcalas tibi ad cœlū applicant Ne timeas eos, qui te lapidibus obruunt, gradus tibi ad cœlū faciunt lapides;* Suggeſtum, & gradum in cœlum, tibi lapides ſternunt; crux, quam pateris, ſcala eſt. At dicet aliquis, ſ *crux Chriſti, per ſcalam Iacob ſignatur*, quæ à terra in cœlum protenſa fuit. Quis eam emetiri poterit? ſi ut periti tradunt Mathematici, *t* à condito orbe, per ſcalam à nona ſphæra fingamus aliquem recta linea cœpiſſe deſcendere verſus terram; & viginti milliaria quotidie confecerit, hodie nondum pervenire potuerit, nec etiam poſt multa annorum millia. Itaque ut crux atque omnis tribulatio, ſcala ſit, & recta ad cœlum ſemita, timendum, ne diutius in via hæreamus, & à gloria retardemur. Reſponſioni ſerviet, quod ſubjungo.

q Corrozetus de dictis, & factis memorabil. r S. Proclus. orat. 19.

§. III.

Non tantum recta, ſed breviſſima per multas tribulationes, etiam ſine purgatorio, ad cœlum via.

Difficilem in paradiſum ingreſſum reddit Cherubim, *v* quem collocavit Dominus ante hortum voluptatis, flammeo gladio, atque ignea rhomphæa inſtructum; ſed hic cuſtos, nulli ſe difficilem, aut terribilem exhibet, qui crucis teſſera inſignitus accedit; ut in ſancto Latrone, Chriſti in cruce ſocio advertit Cardinalis Damiani: x *Cherubim ille,* inquit, *qui rhomphæam excluſionis acceperat, ſignaculum in eo crucis aſpexit, cui ſe nequaquam contradictor oppoſuit.* Latro è cruce, nullo objecto obice, nulla interpoſita mora,

ſ S. Bernard. Tom. 2 Serm. 56. art. 2. c. 2. t Majolus in meteor. coll. 1. v Gen. 3. v. 24. x Pet. Damian. Sermon. de exalt. S. crucis.

mora, cœlum ingreditur, *Hodie, inquit Chriſtus, mecum eris in Paradiſo*, qui mecum fuiſti in cruce: y *Hæc eſt enim*, ut loquitur Bernardus, *via vitæ, tribulatio præſens, via gloriæ, via Regni*; quod non intra annum, intra menſes, vel aliquot hebdomadas, intra paucos dies fruendum promittitur; ſed ſtatim, eo ipſo momento, quo Chriſtus. z *Si vis nôſſe*, exclamat Doctor mellifluus, *quàm compendioſa via* (crucis) *eodem die meruit eſſe cum Domino in Paradiſo*. Diſmas ille, de quo agimus latro, non vulgaribus, ſed immanibus obſtrictus flagitiis depingitur: a ſanctus Eulogius fratricidii reum accuſat. Sunt qui ad annos circiter quadraginta latrocinationes ejus extendunt: Chryſoſtomus *illum* b *mille malorum, mille ſcelerum* inſignem nequam appellat. Et hic poſt tot atrocia flagitia, poſt vitam omnem per immania homicidia, triumphabundus, ſine ullis flammis piacularibus, Chriſto Duce, paradiſum ingreditur. Antiochenum Præſulem attendite: c *Latronem in paradiſum introduxit, neque precibus* (aut eleemoſynis, aut ſuffragiis) *indiguit; tametſi poſt Adamum omnes Dominus ab illius ingreſſu arceret: poſuit enim flammeum gladium, ad cuſtodiendum Paradiſum; at Chriſtus auctoritate ſuâ Paradiſum aperuit, & latronem introduxit*. Quod non tam ipſe admirans; ſed ut ſanctum ſtuporem ſuis Auditoribus incutiat, ſic interrogat: *Latronem Domine, in Paradiſum introducis? Pater tuus ob unum peccatum, Adamum ejecit è Paradiſo, & tu latronem introducis? eum qui mille malorum, mille ſcelerum reus erat?* cauſam nôſtis? quia, quamtumvis flagitioſus, cum Chriſto fuit in cruce, cum eo *compendioſâ* viâ ingreditur Paradiſum, non ob orationem hanc fuſam: Domine, *memento mei*: ſed ob crucem toleraram: d *Fortior in cruce, quàm in fauce*: promiſſionem etenim Chriſti, latroni factam expendens Ambroſius, ait: e *Vita eſt eſſe cum Chriſto: quia ubi Chriſtus, ibi regnum*. Quod & diſertè ac dilucidè ſanctus Auguſtinus exponit: f *Chriſtus* inquit, *cum latrone confitente, & ibi latro quid meruit? niſi quia illam viam tenuit?* viam nempe crucis, ſuos cruciatus, tormenta & mortem, quam ob flagitia ſua meruerat, patientet tolerando: & ex tormentis, ac cruciatibus Chriſti, qui nihil mali fecerat, ardenter participando. Atque his, quid conſecutus eſt? g *Vide celeritatem: à cruce in cœlum, à ſupplicio in ſalutem.*

Ingens hic peccatoribus, ſtimulus; magnum peccatricibus, quæ omnem vitam in cœno vitiorum, & atrocibus flagitiis duxerunt, calcar; ſpem certam, non modo, ut antè oſtendi, per cruces, & tribulationes *ad ſalutem* eſſe; ſed & eos, quibus à benigna & paterna Dei manu, adverſa immittuntur, patienter illa amore Jesu crucifixi ferendo; aut ſpontaneè carnis afflictationes aſſumendo, celeritate ſumma, citra ullas piaculares flammas, *à cruce* per-

y Bernard. Serm. 2. in ramis Palmar. z Ibid. Raynaud. metam. lat. p. 18. a S. Eulogius in apologetico. b Chryſoſt. Serm. in quatrid. Lazarum. c Chryſoſt. ibid.

d Auguſtin. in Pſalm. 86. e Ambroſ. lib. 6. in Luc. c. 94. f Auguſtin. Serm. 8. de verbis Domini. g Chryſoſt. Serm. 7. in addit. in Geneſ.

perſecutionis, tentationis, oppreſſionis, *in cœlum* : à ſupplicio morborum, dolorum, capitis, dentium, calculi, podagræ, chiragræ, *in ſalutem*, in paradiſum cum latrone tranſire poſſe. Ita ſentit purpuratus Pater Damianus, expendens illud Matthæi: h *Agite pœnitentiam : appropinquavit enim Regnum cœlorum.* Ubi perappoſitè ait: k *Inter pœnitentiam ſiquidem, Regnúmque cœlorum, nihil eſt medium* ; ideoque ſi crucem Domini impoſitam feramus, aut ultro aſſumamus, iter noſtrum, cœlum verſus, nil remorari poteſt. Chaos quidem inter nos, & cœlites, magnum firmatum eſt, innumeros hinc illinc ſcala gradus complecteretur ; ſed docet Hieronymus, reperiri, qui ex imo ad ſummum, velociter conſcenderint: l *Martyres*, inquit, *de noviſſimo gradu, ad primum gradum aſcendere meruerunt.*

At, quî nos hunc ſaltum æmulari poterimus? terribilis eſt locus iſte Pauli ; m *Uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit* ; *ipſe autem ſalvus erit* ; *ſic tamen quaſi per ignem.* Quibus verbis ſanctus Auguſtinus omnibus ſalubrem timorem incutit, & hic aliquid patiendi veſanum torporem excutit: n *Quia dicitur, ſalvus erit, hinc ille ignis contemnitur* ; *ſed gravior erit ille ignis, quam quidquid homo pati poteſt in hac vita*; imò in comparatione hujus ignis, noſter ignis, ut idem Doctor loquitur, *pictus eſt*, & per illum hic tranſire, ne alterum experiatur, quis detrectet? leves hîc, & breves cruciatus ſubeundi ; vel illic vivaciſſimi & atrociſſimi per plures annos tolerandi: o *Quod hic negleximus, illic centupliciter reddemus.* More ſuo, & ore melleo Præſul Mediolanenſis ſanctus Ambroſius: p *Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad Paradiſum redire deſiderant : non enim otioſè ſcriptum eſt, quod ejectis Adam & Eva de Paradiſi ſede, poſuit Deus in exitu Paradiſi gladium igneum verſatilem ; omnes oportet tranſire per flammas : ſive Joannes Evangeliſta ſit, quem ita dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Petrum, ſi eum volo manere, quid ad te? de morte ejus aliqui dubitaverunt, de tranſitu per ignem, dubitare non poſſumus ; quia in Paradiſo eſt, nec ſeparatur à Chriſto : ſive ille ſit Petrus, qui claves accepit Regni cœlorum, qui ſupra mare ambulavit ; oportet dicat :* q *Tranſivimus per ignem, & aquam, & induxiſti nos in refrigerium.* Quia hic in igne, ibi in refrigerio ; cùm nullus prope tantâ ſanctimoniæ puritate niteat, ut non aliquem venialis noxæ nævum habeat: nec ullus carbo tam ignitus, qui ſuum cinerem non adferat ; ut in hac leviter & breviter ; aut in altera vita acriter & graviter expiamur, neceſſe eſt : ut rectè ſanctus Thomas in illud 1. Cor. 3. r *Salvus erit ; ſic tamen quaſi per ignem ; quem ſcilicet prius ſuſtinuimus vel in hac vita* (per afflictiones, & mortificationes) *vel in fine hujus vitæ. Unde dicitur : tranſivimus per ignem.* Et Iſaiȩ 43. *Cùm tranſieris per ignem* (nempe in hac vita) *non combureris, & flamma* (purgatorii) *non comburet te*: non enim punit Deus

h Matth. 3. k Damian. Serm. 2. de S. Matth. l Hieron. in Pſal. 119. m 1. Corinth. 3. v. 15. n Auguſt. in Pſal. 37.

o Bernard. de obitu Humbertii. p S. Ambroſ. Serm. 20. in Pſal. 118. q Pſal. 65. v. 12. r S. Thom. in 1. Cor. 3. v. 15.

bis in idipſum: f *ſed hic puniuntur electi, ut ibi non puniantur.*

Quanta igitur illa mortalium inſania, aut inconſiderantia eſt, horrendas illas cataſtas per plures annos perpeti, igneum illud flammarum ergaſtulum ſubire malle, quam hic medicinalem in pœnitentiæ tribunali impoſitam pœnam; aut voluntariè ſuſceptam, aut à Deo immiſſam corporis afflictionem tolerare! ô ſi hæc optio piis defunctorum manibus obtingeret, ut ad nos redire, & ſatisfacere poſſent, omnem latronum carnificinam, omnia Martyrum ſupplicia ardenter expeterent, ut loco illo tormentorum eximi poſſent: *Ubi*, ut ſincerus Doctor Thomas Campenſis, t *erit una hora gravior in pœna, quàm hic centum anni in amariſſima pœnitentia*, illic leviores noxæ, & gravioris ſceleris reatus acerrimo ſenſu exuri: hic facili negotio ablui poſſunt, vel ſolis pœnitentiæ lacrymis. Quo ſpectat illa aurea Chryſoſtomi parænesis: v *Pœnitentiæ tempus nunc eſt: præoccupet pœnitentia pœnam: præoccupemus faciem ejus in confeſſione. Rogum peccatorum extinguimus, non jam aquis multis: ſed paucis lacrymis:* tormenta enim ignis purgantis, & fornacem illam ardentem, vel paucæ lacrymæ reſtinguere valent; & *omnia* quæ illic manes patiuntur, *hic ab anima per eleemoſynas, & lacrymas, compendioſa tranſactione eluere potuiſſent.*

Quid, quod ipſa quæ vitare non poſſumus mala, ſi à Dei manu gratanter accipimus & patienter toleramus, ſatisfactioni ſerviant, & aditum nobis ad cœlum, omni ſublato obice, facilem ſternant: ſic etenim ſacra Tridentina Synodus ſancit: x *Tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolum pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut ſacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis; ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per* JESUM *Chriſtum ſatisfacere valeamus.* Verè maximum divini in nos amoris argumentum, ea ipſa quæ evitare non poſſumus, ut eſt paupertas, infirmitas, captivitas, imò etiam ipſa reis ob crimina à Judice intentata ſupplicia, ſervire poſſe, ut quàm citiſſimè, citra flammas illas purgantes, rectà in cœlum evolemus. Teſtis eſt Cæſarius, y virum Religioſum Ciſtercienſis Ordinis, nocte inſequenti, quâ extremum diem obierat, Prælato ſuo, ſe miro lumine circumfuſum declarâſſe; à quo rogatus, quid accidiſſet, ut citra ullam in purgatorii pœnis moram, rectà cœlum conſcendiſſet? hanc cauſam ſubjecit: peracerbi *dolores, immanes cruciatus, gravéſque terrores, quibus in morte vehementer admodum ſum afflictatus, expiantis mihi flammæ in purgatorio vicem ſubière.* Quare ſi quando virum probum, religioſum, multis magníſque doloribus excruciari, gravem in morte luctam pati videris, ne hominem à Deo deſertum, inferis devotum caput ſuſpiceris; quin potius miſericordem hîc Dei ma-

f Hugo Cardin. in 1. Cor. 3. t Thom. à Kemp. de imitation. Chriſti, l. 1. c. 24. v Chryſoſt. hom. 5. de pœnit.

x Tridentin. Seſſ. 14. c. 9. y Cæſarius lib. 12. cap. 151.

num

num agnoſce, ne vindex manus Domini in altera vita ſeveriſſimè tangat; quo exiguo hic quaſi naulo ſatisfaciat, ut citius in cœlum evolet.

Sic alia quævis nobis mala obvenientia, quæ pati cogimur, levis purgatorii loco eſſe queunt. Eſtque Durandi gravis Theologi ſententia, reum patibulo adjudicatum, rectà, ſine purgatorio, per ſcalas cœlum conſcendere, ſi hanc violentæ mortis ignominiam, in ſatisfactionem ſcelerum ſuorum, æquo & bono animo ferat.

Verùm his longè efficaciora ſunt opera ſatisfactoria, voluntariè ſuſcepta. Quo in genere, admirationi ſimul & imitationi ſerviet, quod apud Benedictum Fernandium, ſacrarum litterarum divinum interpretem lego: z hic è Societate noſtra unum inducit, qui morbo jam ingraveſcente, dixit in aurem familiari ſocio: tu, mi frater, ora obſecro, Dominum: grandis enim mihi imminet tempeſtas. Et ecce ſubitò ingruit multiplex dolorum, cruciatuum procella: æſtuare pectus, ardere, premi, frangíque ſcapulæ: humeri, terga, totúmque corpus tremere, contundi, pungi lancinari. Quid plura? omnibus oſſibus, nervis, viſceribus, medullíſque intimis corporis, deſævire malorum nec audita, nec viſa colluvies: ſtupere interim omnes, condolere luctanti, ac decertanti: precibus ad Deum recurrere, piíſque vocibus ſolari. Ipſe patienter agere, Dei clementiam, Virginis opem implorare. Perduravit hoc malum integras quatuor & viginti horas; quo tempore exacto, diſſerenavit undique tempeſtas. Æger ad ſe reverſus, omnibus admiratione & exſpectatione circumfuſis, luctæ ſuæ cauſam expoſuit: petiiſſe nimirum obnixè ſe à Deo; ut purgatorii pœnas ſibi ante mortem infligeret, quibus tandem perfunctus, ſine ulla remora liberè in cælum evolaret: poſtulatíſque Deum annuiſſe. Atque his tandem doloribus expiatus, placidè, ſanctéque obdormivit in Collegio noſtro Eborenſi. Idem ſentiendum eſt de aliis corporis afflictationibus, quas in ſatisfactionem delictorum quis gratuitò ſuſcipit.

Ex quibus rectè concluditur, pati cum Chriſto, eſſe ſignum prædeſtinationis certiſſimum, & per tribulationem non ſolum promitti Regnum cœlorum, ſed citra ullam remoram, aut piacularium flammarum detentionem, quemvis rectiſſimè, ac citiſſimè ad illud evolare. Econtra verò,

z Benedict. Fernand. in Gen. c. 35. ſect. 10. pag. 452.

§ IV.

Si per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei a, SIGNUM REPROBATIONIS *manifeſtum eſt iis, qui nullas hic tribulationes patiuntur.*

PRimo Regum 20. capite. Jaculabatur arcana ſignificatione, ſagittas in gratiam David, intimus ei amicus Jonathas, & hic qui-

a Actor, 14.

quidem ſagittarum ſcopus, ſenſúſque erat: b *Si dixero puero: ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas; tu veni ad me: pax tibi eſt, & nihil eſt mali, vivit Dominus. Si autem ſic locutus fuero puero: ecce ſagittæ ultra te ſunt, dimiſit te Dominus.* Aptiſſimè ad rem noſtram: etenim ſi Dei ſagittæ ultra peccatorem ſunt, actum eſt de illo, & dimiſit eum Dominus ſecundum deſideria cordis ejus; at ſi ſagittæ intra illum ſunt, ſi percuſſus adverſitatis jaculis, ſi tentationum, perſecutionum, morborum jaculis confixus fuerit, *pax illi eſt*, & nihil mali eveniet, *vivit Dominus*: & ipſe vivet in æternum. Ita ſentit Hugo Cardinalis: c *Intra illum*, inquit, *dicuntur eſſe ſagittæ Domini, quæ vulnerant ad pœnitentiam. Ultra illum ſunt, quæ non movent, & talem dimittit Dominus, profugum, & exulem*, profugum ut Cain à facie ſua, & exulem cum prodigo à domo paterna, & domo Dei. Sagittas indies à provida Dei manu emiſſas, ſupra caput tuum volitantes conſpicaris, & *intra illum* ſunt, cui mercator foro cedens, decem millium aureorum damnum attulit; *ultra te ſunt*, qui nullam unquam fortunarum jacturam paſſus es; non attendis quia *dimiſit te Dominus*? *ſagittæ intra illum ſunt*, quem diuturnior morbus, calculus, podagra, nephritidis dolores, per plures annos exagitârunt, *ultra te ſunt*, cui ne dens doluit; non attendis, quia *dimiſit te Dominus*? *intra illum ſunt*, qui à domeſticis, ab exteris oppreſſus, innocenter proſcriptus, ad incitas redactus eſt; *ultra te ſunt*, cui aureus imber per tegulas in ſinum depluit, cui fortuna in omnibus arridet; & non attendis *quia dimiſit te Dominus*? non attendis, nec oculis mentis intendis in illud, quod vel gentilis Philoſophus vidit, dum dixit: d *Nihil eo infelicius, cui nihil evenit adverſi: argumentum enim eſſe, à Deo contemni.* Non attendis quod graviſſimus D. Auguſtinus monet; dum ait: e *Ipſa quæ in rebus humanis felicitas appellatur, plus timenda eſt, quam miſeria.* In rebus humanis felicitas appellatur, inter togatos ſedere, clavum Reipublicæ tenere. Felicitas appellatur, ex uno dignitatis gradu, ſibi ac ſuis ad ſummum honoris apicem gradum ſtruere. *Felicitas appellatur, plus timenda, quàm miſeria*, calamitoſa impunitas impiorum, qui rebus utuntur ſecundis in hac vita, ut in futura acerbiùs puniantur. Quod dilucidè Salomon pronuntiavit: f *Proſperitas ſtultorum perdet illos.* Exemplum ingens ipſe fuit: Et primas Regis Aſſueri, Aman, quem torrente ſecundæ fortunæ ebrium, regio epulo cum Regina, ubi Rex dignatus eſt, in malam crucem abripitur. En ſpeculum calamitoſæ felicitatis, eorum qui bonorum affluentia lætantes, vivunt inimici Deo, epulantur, ut pereant.

David pœnitentia ductus exclamat: g *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Ut quid hic non miſericordiam duntaxat, ſed magnam poſtulat? eſt ſiquidem & miſeri-

b 1. Reg. 20. c Hugo Cardin. in 1. Reg. c. 20.

d Seneca lib. de provid. e Auguſt. in pſal. 68. f Prov. c. 1. v. 32. V. Salazar hoc loco. g Pſal, 50.

cordia magna, & miſericordia parva, ſi Sancto Bernardo credimus ſermone de triplici miſericordia, ſic decernenti: h *Hanc ego miſericordiam Domini, quæ tardat ferire, parvam nominavi; quia hæc, ſi quidem ſola fuerit, nullatenus ſufficit ad ſalutem; imo verò judicium damnationis accelerat.*

Cavete impii, ne diſſimulatione, ac dilatione vindictæ, ad liberius, licentiuſque peccandum abutamini. Viget corporis robur, & in omnem ruis licentiam: quamdiu podagræ, & arthritidis dolores non lancinant, in omnem ruis temulentiam; & quamdiu affluunt divitiæ, nullum flagitii genus prætermittis. Floret ingenium, & mille modos, fraudes, & dolos ad inveniendum excuſationem in peccatis, excogitas. An non vides bonis hiſce temporalibus, à Deo largitore conceſſis, tua crimina graviora fieri, ac fœdiora? heu quàm metuendum ſupplicium eſt, cùm auctis hujus vitæ bonis, fit homo deterior! quia quæ excitamenta debuerant eſſe virtutis, fiunt Divinæ irritamenta vindictæ; adeò ut innumeri, ſi adverſis conflictati, ſi divitiis exuti, ſi de gradu dejecti, ſi morbis, aliiſque calamitatibus probati, ſalvi fuiſſent, qui ſecundis rebus abuſi, in æternum perierunt. Audi Auguſtinum ſic loquentem: i *Vis nôſſe, nulla pœna, quanta ſit pœna? Davidem interroga, qui ait Pſal.* 9. IRRITAVIT DOMINUM PECCATOR; *Quare? quid vidiſti? vidi peccatorem impunè luxuriantem, bonis, abundantem, & exclamavi: irritavit Dominum peccator. Quare hoc dixiſti?* vide quid ſequitur: *Præ magnitudine iræ ſuæ non exquirit. Ideo non exquirit, quia multum iraſcitur; parcendo ſævit, ſed juſtè ſævit.* Qui volet, conſulat Origenem in illud Ezech. 16. v. 42. *Auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius;* k ubi demonſtrat Deum maximè iraſci, dum diſſimulat, & connivet cum iis, quibus maximè deberet iraſci, ob ſcelera, quibus ſeſe continuò obſtringunt.

Conſimilem locum, in quem incidi, & qui paucis incidit, præterire non poſſum. Eſt is ex gentili ſimilitudine allatus à Seneca: l *Ut periculoſa eſt, ſecundum Hippocratem, ſummè bona corporis valetudo; ita rebus maximè proſperis, ac jucundis, metuenda adverſa fortuna eſt.* Satis ſapienter Ethnicus Philoſophus: nos cœleſtem edocti ſapientiam, dicamus: quemadmodum *ſummè bona corporis valetudo*, periculoſa eſt, & morbum proximè conſecuturum prænunciat; ita ſummè bona in omnibus humanis fortuna, non rarò futuræ vitæ exitium præſignat æternum. Quando autem ab humano corpore petita ſimilitudo eſt, quis non advertit medicum, cum ægroto ita agere, ut quamdiu ſpes supereſt vitæ, tamdiu durum ſe exhibeat, & inexorabilem? quot amaris potionibus, quanta inedia, quam diris venarum, & totius corporis ſectionibus corpus decumbentis vexatur? at verò ſi ſpe cadat valetudinis, tunc enimverò blandus, facilis, perhumanus fit medicus, promptus ad concedendum, quod paulò ante negabat acerrimè. Sic ſe res habet: Quamdiu ſpes

h Bern. Serm. de triplici miſericord.
i Aug. Serm. 37. de verb. Dom.

k Origenes in exod. hom. 8. l Seneca epiſt. 36.

ſupereſt reſipiſcentiæ, Deus tanquam ſapiens medicus, mille modis peccatorum vexat, ut ſanet, & ſaluti reſtituat; at fortè laborantibus nobis mille morborum generibus, (quia m *febris noſtra libido eſt: febris noſtra luxuria eſt: febris noſtra ambitio eſt: febris noſtra iracundia eſt.*) ſi Deus per adverſa mederi ceſſat, quàm vereor, ne ſit deſperata vita gratiæ: quam vereor, ne jacta ſit alea ſalutis: quam vereor ne ſit miſericordia, indulgentis Dei, crudelis. Iſaias vates: n *Miſereamur impio, & non diſcet juſtitiam*; quod cum expendo, non poſſum, quin cum Divo Bernardo exclamem: p *Super omnem iram, miſeratio iſta: procul fiat miſeratio tam crudelis.* Sic Sanctus Hieronymus epiſt. ad Caſtrutium: q *Magna ira eſt, quando peccantibus non iraſcitur DEUS. Unde & in Ezechiele ad Hieruſalem: jam, inquit, non iraſcar tibi, zelus meus receſſit à te. Medicus ſi ceſſaverit curare, deſperat.* Idem argumentum proſequitur Cardinalis Damiani. r *Laudanda,* inquit, *Divina diſpenſatio, quæ ad hoc ſuos temporaliter verberat, ut perpetuis eos flagellis abſcondat: ad hoc premit, ut elevet: ad hoc ſecat, ut ſanet: ad hoc dejicit, ut exaltet. Medici autem corporum, quos deſperant, paſſim quæ petierint, alimenta relaxant*; ſi partem bubali, laridi, halecis appetant: ſi oſtrea, ſi melopepones: ſi frigidam, aut hauſtum vini generoſioris flagitent, omnia deſperatis ſuppeditantur; *At quos erigendos eſſe conjiciunt, cuncta eis noxiæ delectationis edulia, minaciter interdicunt. Antidota inſuper, & amara propinant, ut per amaritudinis hauſtum, ad incolumitatis dulcedinem convaleſcant. Quid ergo mirum, ſi medicus animarum, omnipotens Deus, quos perpetuæ morti cernit obnoxios, vivere delectabiliter ſinat; & quos ad vitam eligit, ſub ſtricta ſeveritatis ſuæ lege conſtringat.*

m Amb. l. 4. in Luc. c. 4. n Iſa. c. 26. v. 10. p Bernar. Serm. 42. in Cant. q Hieronym. epiſt. ad Caſtrutium. Ezech. 16. v. 42. r Pet. Damianus, l. 8. ep. 6.

Quod alia non minus apta ad captum ſimilitudine confirmat, dum homines hic divitiis, & deliciis luxuriantes, ſylveſtribus plantis; eos verò, qui corpus exquiſitis epulis, & potu farciunt, bene ſaginatæ victimæ conferre non dubitat: ſ *Nam animalia,* inquit, *quæ in proximo mactanda diſponimus, indulgentius victitare permittimus, & largiora illis alimenta præbemus. Vites quoque, & quæ fœcundæ arbores, putationibus ſubjacent, ſteriles autem, & quæ ignibus ſunt tradendæ, ramis evagantibus quò liberius, eò diffuſius patent.*

Nemo igitur ſortem ſuam fleat, ſi morbis, pauperie, jactura liberorum, fortunarum, exerceatur: ſi ut viti, luxuriantes divitiarum palmites amputentur: corpus miſeriis extenuetur; ſed potius iis condoleat, qui hic ſylveſtres pampinos extendunt, qui abdomini ſerviunt, & victimas ſe non miſerantis orci, crapula ſaginant; de quibus Minutius Felix: t *Ut victimæ ſaginantur: ut hoſtiæ ad pœnam coronantur.* Unde ſic monet idem Purpuratus Pater: v *Noli itaque hujus vitæ felicitatem pravis hominibus invidêre; ſed condole; imò quia ipſi non dolent, potius ingemiſce: qui nimi-*

ſ Damian. ibid. t Minutius Felix in Octavio v Damian. cit.

rum

rum velut bruta animalia ad macellum, edendo properant: ad gladium laſciviendo feſtinant. De tuis autem preſſuris, atque moleſtiis gaude, & totis in Domino viſceribus gratulare; quia in paucis vexatus, in multis bene diſponeris: & ſi ſocius paſſionis fueris, eris & conſolationis: ſi compateris, & conregnabis: v *Magna electis Dei eſt conſolatio, ipſa Divina percuſſio: quia per momentanea flagella, quæ perferunt, ad nanciſcendam ſupernæ beatitudinis gloriam, ſpei greſſibus convaleſcunt.*

v Pet. Damian l. 8. ep. 6.

Lætemur itaque, & exultemus in omni tribulatione, quia nomina noſtra ſcripta ſunt in cœlis: quia noſtrum eſt Regnum Cœlorum. Hac ipſa ratione, & oratione quemq; acuit Damianus: x *Inter preſſuras, & ærumnas, ad illum ſemper oculos erige, qui te paratus eſt poſt flagella, dulcedinis ſuæ gremio confovere: qui te poſt turbines, & procellas, in ſupernæ quietis amœnitate conſtituet: & ab oculis tuis lacrymas linteo conſolationis abſterget.*

x Ibid.

FESTUM

FESTUM S. FRANCISCI de PAULA MAXIMI MINIMORUM PATRIARCHÆ.

Quod uni ex MINIMIS *meis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth. 25.



Alimenta ſuis maxima præbet amor. Tibull. lib. 3.

ARGUMENTUM.

FUit olim *Benjamin*, fratrum *minimus* parenti ſuo Jacob

Jacob in amoribus maximè; ſed novus *BENIAMINUS FRANCISCUS* de Paula, *MINIMORUM* Pater Maximus, y *amantiſſimus Domini*; ſummo omnium parenti Deo, quantis in amoribus, & deliciis fuerit, ac præ veteri *Benjamino*, divinis benedictionibus cumulatus, argumento eſt, quod BenIaMInVs Iſte Inter aLIos patrIarChas Deo gratVs, in omnia elementa, & animantes imperium exercuerit: ac longè amplioribus gratiis, ac beneficiis, quam *Tribus Benjamin*, ſanctiſſima ejus familia præventa fuerit; quia ex dilecta Rachele, id eſt, *CHARITATE*, virtutum omnium Reginâ, progenita: quam ſibi in Ordinis ſui teſſeram, ab eo qui *CHARITAS* eſt, non immeritò adlegit. Hac ipſe, & filii ejus inflammati, dum per orbem univerſum latè incendia ſpargunt, *Immenſa Bonitas*, hunc glorioſum Patriarcham, ejuſque filios *Benjaminos*, tanto amore, & favore complexa eſt, ut velut gallina ſub alis fovere, protegere, & quæ vel *uni è MINIMIS*, charitatis obſequia fuerint exhibita, ſibi facta cenſeatur.

§. I. FRANCISCUS DE PAULA *Chriſti* BENJAMIN, FRATER VESTER MINIMUS. *Gen.* 42.

§. II. MINIMUS ERIT IN MILLE, ET PARVULUS IN GENTEM ROBUSTISSIMAM. *Iſaia* 60.

§. III. QUAMDIU FECISTIS UNI EX HIS FRATRIBUS *meis* MINIMIS, *mihi feciſtis*. Matth. 25.

§. IV. *Deus etiam injurias, uni ex* MINIMIS *ſuis illatas, gravius quàm ſibi, ulciſcitur.*

y Deuter. cap. 33.

FESTUM

FESTUM SANCTI FRANCISCI DE PAULA MAXIMI MINIMORUM PATRIARCHÆ.

Non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum MINIMUM *adduxeritis.* Gen. 43. v. 3.

ARdentiſſima *S. Franciſci de Paula charitas*, lucis ſuæ fulgorem & ardorem, per Orbem univerſum, undique diffundit: ſi longè, & quaſi per nebulam aſpicias, perobſcurè intuearis; ſin propius, ut oculorum, ſic mentis aciem intendas; nimio fulgore perſtringaris, neceſſe eſt. In hac nimirum inortalitatis caligine, imbecillitatéque naturæ, & in hiſce tam denſis humanæ vitæ nebulis, debiliora mortalium lumina exiſtimo, quàm quæ circumfuſum flagrantiſſimi amoris, cæterarúmq; virtutum fulgorem, quo *Franciſcus* ſolis inſtar irradiat, fixo obtutu, & irretortâ mentis acie queant intueri. Quare imbecillitatis meæ memor, ſolem non in ſe, ſed veluti refractum, in humilitatis radiis adumbrabo: ne ſi altius orationis temeritas aſcendat, eaſdem, quas pictor Venetus, pœnas incurram. *a* Erat hic politiſſima pingendi arte percelebris, ſive aſperſis ſcitè pigmentis, quæ vellet in mortua tabula vivaciſſimè lineamenta effingeret: ſive ducto tractius penicillo in prototypi formam vultus formaret. Huic non tam proſapia, quàm *in D. Franciſcum* pietate matrona nobilis, mercedem non exiguam condixerat, ſi expreſſis ad vivum coloribus ſanctiſſimum virum, pro ea, qua valebat arte, expreſſiſſet. Addicit operam pictor, acceptóque in manus penicillo, prototypon à matrona allatum, ad reddendam ſimilitudinem curioſiùs

a Valderama Theatre des Religions.

ſiùs intuitus, pro induſtria quidem, non pro viri majeſtate appoſitè, leviores in tabula colores denotat. Jámque & caput, & ſumma pectoris politiſſimâ arte perfecerat, cùm flagrantium oculorum vim, ac vigorem expreſſurus, linqui animo, & ſubmitti genu cœpit; exſpirantem matrona manu excipit excitíſque clamore domeſticis, catarrho extinctum in lectum deferri jubet. Nempe dum curioſiùs, quam par erat, charitatis ſolem intuetur, tantum lumen ferre non ſuſtinens, vitæ lumen amittit, & nimiæ ſupra humanas vires temeritatis pœnas luit. At Matrona, de pictura potius, quàm pictore ſolicita, ad preces, obſecrationéſque converſa, fuſis lacrymis, extenſiſque ad ſanctum manibus, de imperfecta tabula, & forma tam amabilis tutelaris ſui relictâ informi, piè queritur. Cùm ecce aperiri cœlum, fulgentiſſimæque nubi inſidentem *Franciſcum* cernit deſcendere: perdidiſſet & illa, ſi non vitæ, certè oculorum lumen, niſi Sanctus in nube refulgens, coruſcantes undique radios attemperâſſet. Tum ſublato quod è pictoris manu exciderat, penicillo, inchoatam ſui effigiem, ipſe pictor & pictura, aſperſione divina perniciter, & feliciter *Franciſcus* perfecit. Quod cœleſte prodigium, quid aliud innuere videtur, quàm ſummæ temeritatis illum arguendũ, ac graviter perſtringendum, qui hujus tam ſtupendi viri vitam, virtutúmque excellentiſſimarum lineamenta, ad vivum depingere attentârit. Quare, quod Matrona hæc egit, Divum rogarem, ut ipſe, quo nemo melius, ſeipſum nobis expingeret; ſed cum virtute, ſanctitate, ac cœleſtibus prodigiis maximus, ſe *minimum*, & *Minorum minimum* ducat, diffido, atque unum illud contendo, ut me tanquam inepto, & inerti peniculo, ad imaginem ſui in tabulis cordis veſtri, qualem qualem exprimendam, uti dignetur.

§. I.

Franciſcus de Paula Chriſti BENJAMIN, FRATER VESTER MINIMUS. *Gen. 42. verſ. 15.*

QUàm *dilectus Deo & hominibus Benjamin*, inter omnes filios Jacob, natu *minimus*: quantis naturæ dotibus, quot gratiæ donis cumulatus, quot benedictionibus temporalibus, & ſpiritualibus repletus fuerit, ſacra ſcripturarum luculenter teſtantur eloquia. Gen 35. ver. 18. *Benjamin*, id eſt filius dexteræ. Deuteronomii c. 33. v. 12. b *Benjamin amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo toto die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Hoc eſt, c confidenter in Deo, & Dei auxilio habitabit dilectus ejus Benjamin, quaſi in thalamo quietus, tota die in protectione Dei morabitur, & inter humeros ejus potentiſſimos requieſcet: fertur enim velut Dei humeris, & numinis alis, juxta illud: d *Quaſi aquila provocans ad volan-*

b Deuteron. 33.
c Barrad. itinerarium lib. 10. cap. 4.
d Deuteron. 32.

volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portavit in humeris ſuis. Ille quem Deus ſuo proſequitur auxilio, e habitare dicitur in auxilio Dei, & morari, & humeris ejus portari; ſicut parvulus à matre, potiſſimum ubi viæ difficiles ſunt. Unde perappoſitè interpretes exponunt: f *Benjamin* dilectus à Domino habitabit confidenter, *& DEUS proteget eum, & obumbrat ſuper eo omnibus diebus*: & inter humeros ejus requieſcet. Id eſt vel humeris Dei portabitur, vel requieſcet in pectore Domini, quia pectus eſt inter humeros.

Quid, quod ſingulari protectione, ac peculiari benedictione, plurimiſque amoris, ac honoris prærogativis Deus totam tribum Benjamin proſecutus ſit. Chryſoſtomus enim & Theophylactus, ideo cæteris tribubus hanc præſtantiorem fuiſſe aſſerunt, g quia *quæ Sacerdotum erant, in ſorte erant hujus tribus Benjamin.* Theodoretus verò & Anſelmus, *h* quod ex pulcherrima Rachaele, pro qua Jacob ſpecioſam ſervivit ſervitutem, ortum duceret: *Neque verò ſum ex ſemiſervis* (ut exponit Theodoretus) *ſed de libertate procreatus: ſum ex dilecta Rachel, pro qua Patriarcha ſervivit.*

Addit alteram rationem Anſelmus peritioribus probatam, tribum Benjamin & Juda, à primo veri Numinis cultu, & templo, numquam defeciſſe, cum aliæ decem, ut impio Jeroboam morem gererent, veram religionem cum ſacrilego idolorum cultu commutârint. Verum enimverò priuſquam in altum ulterius provehar, ſanctiſſimum Patriarcham *Franciſcum de Paula*, hodierna die non incongruè *Benjamino*, fratrum *minimo* omparâro, qui inter omnes omnium ordinum Fundatores (qui inter ſe fratres ſunt) ſe omnium *minimum*, ſuos fratres, maximo virtutis encomio, *minimos* eſſe, & nuncupari voluit.

Hic porrò *Benjamin* i *amantiſſimus Domini*, quam pro Benjamino longè chariſſimus, longéque amplioribus gratiis, ac benedictionibus præventus ſit, ejuſque tota tribus, ac familia, potentiori Dei auxilio, ac protectione firmiſſimâ munita ſit, quis oratorum valeat enarrare? *k* eſt hæc maxima *Minimorum* tribus *Benjamin* longè præſtantiſſima, quia *Sacerdotum*, non ut olim, ſed Divina Numinis facultate pollentium: eſt glorioſiſſima, quia *ex dilecta Rachel*, id eſt ex dilectione, ſeu *charitate*, virtutum omnium ſpecioſiſſima progenita. Eſt florentiſſima, quia in primo ſuo vigore ac virore perſiſtens; tantúmque abeſt ut conceptum erga Divinam Majeſtatem cultum, religionemque intermittat, ut etiam in omnium gentium, ac Nationum animis, per orbem univerſum inſtaurare, & inflammare ferventiſſimo zelo exardeſcat.

Atque ut cœptum proſequamur, ipſius tribus *Benjamin* mirifica hæc commendatio eſt, *l*

e Pſalm, 90. f Interpret. 70. Pagninus Paraph. Chald. g Chryſoſt. hic. Theophyl. h Theodoret. Anſelm.

i Deut. 33. k Ex vita. l Volaſquez in Philipp. cap. 3. v. 3.

[quam

quam Cornelius adnotavit, fortiſſimam generoſiſſimamque inter alias extitiſſe, ut patet ex bello quod Benjamitæ contra cæteras omnes tribus geſſerunt. Judic. 20. Plurimum denique ad propoſitum noſtrum facit, quod ſcitè obſervavit Hieronymus, *m* in excidio nimirum tribus Benjamin, trecentos viros, ob unum Paulum, qui ſe vocat n *minimum Apoſtolorum*, ex illa tribu oriturum, ineffabili conſilio, à Deo fuiſſe ſervatos. Quàm mira, quàm ſingularis hæc Dei providentia, & gubernatio? Quàm præcipua ipſa de uno Paulo cura! cum tota tribus in extremum diſcrimen adducitur; ſed quia Paulus ex ea futurus objicitur, trecenti viri incolumes ſervati ſunt Sed nonne unum, alterúmve ad id reſervare ſatis fuerit: cum ad totum genus humanum, olim diluvii aquis obrutum, denuo reſtaurandum, unum Noe cum familiaribus, ad octo ſolum animas, DEUS duntaxat reſervârit? Plúſne in uno Paulo, in orbem producendo, quàm in univerſo hominum genere procreando Dominus laborabat? dicat id forte non nemo, inquit polito ingenio interpres *o*, cum ipſe non modò *communis totius Orbis Pater*, ut eum compellat Chryſoſtomus *p*; & *ſol mundi*, auctore Dionyſio Areopagita (p); ſed *Angelorum etiam Magiſter*, ut inquit Sanctus Thomas *q*, *& arca in qua virtutes omnium Sanctorum cumulatiſſimè ſunt conditæ*; eſſet futurus. Hujus ergo viri vitæ & ſaluti, (ex qua tot millium mortalium pendebat) non una tantum ratione, ſed trecentis, ut ita dixerim, modis, ac mediis, Divina Providentia cautum eſſe voluit. *r* At poſtquam Paulo jam in lucem edicto, trecentæ illæ familiæ Benjamin, funditus perierunt, & oblivioni mandatæ ſunt, potiori jure poſſit Chriſtiana veritas gloriari, quàm Quinto Fabio Maximo ſ, ambitioſo mendacio, Romana adulatio blandita eſt:

> ſ *Qui naſci ut poſſes, quamvis cecidêre* trecenti;
> *Non omnes Fabios abſtulit una dies.*

Quare licet omnis Fabiorum familia, quæ urbis Romanæ columen, & culmen erat, uno fuerit die perempta, tamen cum te ô *Maxime*, ex illa ſuperſtitem Roman. Popul. conſpexit, nullum ſibi ex ſuis Fabiis demptum putavit, cum tu unus pro illis omnibus ſis. Quo quidem in laudem Fabii nihil fingi potuit illuſtrius; ita veriſſime de Paulo pronunciâro, in eo totam Benjamin tribum vivere, atque ſuperſtitem eſſe, cùm & in ejus gratiam, illa maximè orta fuerit, ut quidquid in eâ unquam ſplendidum, atque glorioſum extiterit, in uno Paulo cumulatius & ſplendidius eluxerit.

m Hieronym. in epitaph. Paulæ.
n 1. Corinth. cap. 15. ver. 9.
o Volaſqueſ. in Philipp.
p Chryſoſt. in commen. Sancti Pauli.
(p) Dionyſ. Areop. lib. de divin. nomin. cap. 7.
q Thom. opus. 1. cap. 26.
r S. Chryſ. hom. S. de laudib. Pauli.
ſ Ovid. lib. de Ponte.

Qua

Quæ hactenus glorioſè in laudem Apoſtoli Pauli, ex tribu Benjamin redundârunt, ea non difficile erit diſerto Oratori in laudem Franciſci de Paula, ejuſque ſacram tribum accommodare, quæ fortiſſimam ſeſe, generoſiſſimamque, contra infenſiſſimos Eccleſiæ hoſtes, ac tartareas phalanges oſtendit. Proſtraverint t *Filij Benjamin viginti duo millia virorum*, rurſumque decem & octo millia virorum *educentium gladium*, ut Judicum 20. refertur. At unus *Benjamin* noſter, quem primæ veritatis oraculum *Leo X.* inter cæteros Chriſti Athletas, v *virum fortem* nuncupavit, eodem conteſtante, *adverſus mundum, carnem, & dæmonem*, ejuſque adminiſtros *fortiter dimicavit*.

x Legiones dæmonum, à dæmoniarcha quaquaverſum ad varias operationes iniquitatis deſtinatas, in ſylva, non alio aggere, quàm præſentię ſuæ objectu prohibuit progredi, tantò ſupra Publium Monachum, qui unicum dæmonem ſtitit, glorioſior, quantò eſt plus confertiſſima dæmonum agmina, quam unicum frænare. Energumenos ſolvendi à colligatione, & panurgos ſpiritus in tartarum, ſimplici juſſu retrudendi poteſtatem ſummam, ſi quis, nactus eſt. Satanam manuario operi ſervilem in modum addixit; ut hic unus trecentis illis viris de tribu Benjamin, totidemque Fabiis, Franciſcus de Paula, longè illuſtrior, glorioſiórque exſtiterit.

Sed ne his diutius immoremur, ad illuſtriora, quibus *Benjamin* Fratrum *minimus*, cumulatus eſt, beneficia enarranda, plenis velis & remis, divino aſpirante favonio, curſum proſequamur. Joſeph qui vivum Salvatoris typum geſſit, quantis benevolentiæ ſignis fratrem ſuum *minimum* proſecutus ſit, præclara tenerrimi amoris ejus argumenta, vel ipſo tacente, ſatis loquuntur: ut, ſi quem nobis præ cæteris chariſſimum in deliciis, in oculis, in amoribus habemus, eum *Benjamini* nomine, *Benjaminum* noſtrum compellare ſoleamus. Ac primùm quidem, omnium Fratrum preces, & lacrymæ, in caſſum cadebant, quia inter illos non videbat *Benjamin ſuum*; quin pro gratia, & beneficio, quod expetebant, vincula & carceres minitabatur, niſi illum ſibi ſiſterent, dicens: y *Non egrediemini hinc, donec veniat frater veſter* MINIMUS. Hic ubi in conſpectum venit, z *attollens Joſeph oculos ſuos vidit* BENJAMIN *fratrem ſuum* Primum, & in ſolum hunc fratrem minimum (in quo omne deliciæ erant) oculos conjecit: *Feſtinavitque, quia commota fuerant viſcera ejus ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacrymæ, & introien cubiculum* (ut liberius, ac libera lius amori, & dolori indulgeret) *flevit*; ubi autem ſe manifeſtavi & fræna laxavit, ſingulos complexus eſt: a *At cum cecidiſſet i collum* BENJAMIN FRATRIS SU (denuo ubertim) *flevit*: amo enim nimius, & lacrymæ ex ſol hac ſcaturigine profluentes, verba præcluſerant.

Sed quia magno teſte Grego

t Iudic. 20. v. 21. 25. v In Bulla canonizat. apud Surium 2. April. x Raynaud. trias Patriarch.

y Gen. 42. v. 15. z Gen. 43. v. 2 a Gen. 45.

rio: b *Probatio dilectionis, exhibitio eſt operis*, quid fratri ſuo *minimo* præ cæteris contulerit, attendite: Gen. 43. v. 33. & 34. *Sederunt coram eo primogenitus juxta primo genita ſua, & MINIMUS juxta ætatem ſuam, & mirabantur nimis ſumptis partibus quas ab eo acceperant, majorque pars venit* BENJAMIN, *ita ut quinque partibus excederet.* Varias ſuper his quæſtiones moveri docet Pererius: c Cur, inquit, aut quid mirabantur fratres Joſeph? Lyranus, & Toſtatus ajunt, illud miratos fuiſſe, quod Joſeph, quem ipſi credebant extraneum & Ægyptium, & ſuorum morum, atque inſtitutorum planè ignarum, ita eos ſedere feciſſet, ut ſedere ipſi in domo patris ſui ſolerent, & quod ſine errore eos ſecundum ordinem ætatis in ſedendo diſpoſuiſſet; at genuinam videtur rationem aſſecutus Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus, qui arbitratur idcirco miratos eſſe fratres Joſeph, quod in accipiendis ab eo partibus, tantò ſuperior ipſis fuiſſet *Benjamin*, licet tanquam *natu minimus*, ultimus in ſedendo fuiſſet: *d* Admiratio illa fratrum Joſeph, inquit, non quadrat ſeſſioni eorum ordinatæ ſecundum ætatem cujuſque: non enim hæc res digna fuit admiratione; ſed quadrat diſtributioni ſubjunctæ partium, in qua Benjamin prælatus apparuit omnibus, hoc videtur congruere cum verbis ſcripturæ? *Et mirabantur nimis, ſumptis partibus quas ab eo acceperant: majórque pars venit* BENJAMIN, *ita ut quinque partibus excederet.* Quod ſic interpretantur nonnulli, ut cuilibet aliorum fratrum, unum duntaxat ferculum apponeretur; Benjamin verò ſex fercula. Quod minus ſimile vero: nimis enim illiberaliter tractaſſet fratres ſuos Joſeph in tam magnifico convivio, quo volebat & ſuam erga illos benignitatem, ſuámque magnificentiam declarare. Unde alii probabilius cenſent, paria quidem numero fuiſſe omnibus data fercula; verùm quodlibet ferculum datum Benjamin, fuiſſe quintuplò majus: ſunt qui volunt, cuilibet fratrum plura fercula appoſita V. G. tria; at verò Benjamin tanto plura eſſe data, ut quinque ferculis alios excederet, nempe data ei fuiſſe octo fercula. Denique *e* Joſephus, & Abulenſis, tradunt cuilibet fratrum data eſſe à Joſepho quinque fercula, ſed hoc diſcrimine, ut quodlibet ferculum Benjamin, duplo quodque aliorum excederet. Utut ſit, quamcúmque horum ſententiam ſpectes, conſtat quintuplo plus Joſephum fratri ſuo *minimo* contuliſſe, quàm cæteris. Cujus rei non aliam cauſam addit Pererius; *f* quam quod Benjamin ſibi conjunctior eſſet, & carior cæteris fratribus, cum eſſet frater ſuus uterinus, & unicus eodem patre, matréque progenitus, *g* & quod in ſui locum ſucceſſiſſet apud patrem, quantum ad ſingularem amorem, & curam ejus, quod & iterato comprobavit Gen. 45. v. 22. *Singulis quoque proferri juſſit duas ſtolas* (ſeu tunicas.) BENJAMIN *verò dedit trecentos argenteos* (ſeu florenos) *& quinque ſtolas optimas.*

b Greg. hom. 30. in Evan. c Pererius in Gen. c. 43. diſp. 1. n. 18. 19. 20. d Cajetan. hic.

e Ioſephus lib. 1. antiq. Abulenſis hic. f Pererius cit. g Corn. hic.

Jam

Jam ſatis diu in typica umbra verſati ſumus, tempus eſt, ut ſe Divinus noſter Joſeph, Chriſtus *Beniamino ſuo*, id eſt maximo *minimorum* Patriarchæ manifeſtet, quæque ei quintuplo ampliora cœleſtium donorum munera, quam Joſeph ſuo Benjamino, cæteriſque fratribus dederit, oſtendamus. Dederit Joſeph ille minimo fratrum ſuorum quidquid auri igne purgatur, quidquid volatilium in aëre volitat, quidquid in aquis piſcium natat; quidquid in terra deliciarum, & infra terras theſaurorum eſt. Comperiemus plura *Benjamino noſtro*, à ſupremo cœli, terræque Principe collata, atque omnium theſaurorum quaſi claves concreditas, dum in omnia creata poteſtatem dedit; quod tam multa, tamque illuſtria, dum adhuc ſupereſſet, teſtantur miracula, ut ſuperent omnem loquendi, ſcribendique facultatem, viderique citra temeritatem poſſit, vix habuiſſe in Dei Eccleſia ſuperiorem, quoad multitudinem, & ſublimitatem mirabilium.

Audacius aliquid addam, ſed tamen verum adeò inſignia fuêre *Sancti Franciſci* miracula, ut videri poſſint de præſtantia contendere cum Chriſti miraculis, qui dixit: *Majora horum facietis*, *h* quod Sanctus Chryſoſtomus citra injuriam, etiam de Sancto Paulo aſſerit; ne autem narrandi copiâ vos obruere videar, quintupla portione contentus, eam quam in ignem, aërem, aquam, terram, inque homines vivos, atque defunctos poteſtatem exercuerit novus hic Thaumathurgus, paucis exponam.

k In igne hic perſpicuè comprobavit illam Divini oraculi veritatem: *Si tranſieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te*; ignem quippe manu illæſa attrectare, perfamiliare ſancto viro fuit. Manus in ollam ferventem frequenter immiſit, & nullatenus violatas extraxit. Etiam in fervens oleum dextram injecit, nec perſenſit vim fervoris, qua nulla eſt acrior. Turonibus ſartaginem ab igne candentem, nuda manu impunè attrectavit. Sed ſuperat omnem in hoc genere admirabilitatem, quod proditum eſt de fornace calcaria Paulæ ſtructa, quam merito Divini operis in ea editi recordatio, religioſam poſteris fecit, ac Sacello commutavit. Hiabat undecumque malè materiata fornax, & præſenti cum diſcrimine vicini ædificii, flammæ undique proſiliebant; accurrit *Franciſcus*, & pectus, ac frontem crucis ſigno muniens, ſubiit fornacem, nec ſecus ac ſi in cubiculo, vel aula diverſaretur, rimas omnes per otium occluſit, & omnibus operariis ad prodigium ſtupentibus illæſus, ac integer exivit.

l Ad ea, quæ in aëre patravit prodigia, pertinet ventorum frenatio. Unum de multis adducamus: Chriſtiani vectores non pauci, ad Paulam oppidum, in *S. Franciſci* proſpectu, cum gravi tempeſtate colluctabantur: immanes venti horrendum in modum tumultuabantur, nec aliud expectabatur, quàm certa navis illiſio, & vectorum exitium. Oppidani aliquot miſerati pereuntes, ad virum DEI accurrunt

h Chryſoſt. hom. 32. in epiſt. ad Rom.

k 1. In igne. *l* 2. In aere.

pr

precum ejus ſuppetias ad miſerorum ſubſidium expetituri. Mirum dictu ubi cellulæ ſuæ feneſtellam, qua proſpectus in mare patebat, reſeravit, triſti ſpectaculo commotus vir ſanctus, ſemel iterúmque dulce Jesu nomen, modis flebilibus pronuncians, & ſignum crucis, obverſa eam in partem dexterâ pingens, ventos confeſtim repreſſit, & m *facta eſt tranquillitas magna*, ita ut omnes mirarentur, dicentes: *Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei!*

Spectat quoque ad aërem peſtilentia, quo in genere varia enarrari poſſent; ſed unum inquit Raynaudus, *n* quod vitæ Scriptores fugiſſe videtur, operæpretium eſt non præterire. Oppidulum eſt in extrema fere Phocenſi Provinciâ, cui nomen Bormes; appulſus ad eas oras *S. Franciſcus*, reperit adeò tetrâ lue contactum oppidulum, ut aves quoque prætervolantes conciderent, præ virulentia aëris mortuæ. Rogatus ab Oppidanorum primariis, ut bene precaretur incolis, & ſanitatem exoraret, ſcuto orationis arrepto, & benedictione ſua locum quaquaverſum muniens, malum ſtitit, & morbus illico evanuit; ita ut qui in agrum ſeceſſerant, ut à lue contracta expeditius purgarentur, eo ipſo momento plenam conſequerentur ſanitatem, ignari priuſquam regrederentur in oppidum, unde illis tam cita, támque plena curatio obtigiſſet. Conſtat inſuper ab eo tempore luem, alia in vicinia loca depaſtam, aditu loci, cui vir ſanctus benedixerat, fuiſſe prohibitam. Et quamvis non defuerit, qui malignè luem illuc inferre tentaverit, nihil effeciſſe; ſed quamtumvis familiariter adhibitum, eadémque menſa, & lecto uſum, inficere nequiviſſe, quos contrectabat, ipſe lue teterrima contactus, unde illi certa mors, ſtatim atque finibus oppidi à S. viro benedicti exceſſit: hodiéque perſtat loco immunitas à peſte.

Tantam in ignem virtutem, nónne mirum videbitur, ſi minimè mirandam dixero? quid enim in eo mirabile, quod ignis ignem accendat? niſi hoc ſtupendum prorſus miraculum cenſendum ſit, quod cœleſtis terreſtrem; & divinæ *charitatis* flamma, qua totus exarſit, elementarem ſopierit, penitúſque reſtinxerit. Cum virtutibus omnibus abundaret *Franciſcus*; ardebat tamen *charitate* maximè, quæ ad illum cœlo defluxit, globo igneo inſcripta ejus teſſera, futura & ordinis inſigne. Ea flamma cum totum hominem corripuiſſet, quid mirum eſt, ardentes titiones impunè tractâſſe, ſubiiſſe caminos, cibos abſque foco, ſolo attactu coxiſſe? nam ut cum Lactantio Firmiano loquar: o *Quos plena juſtitia, & maturitas virtutis excoxerit, ignem illum* (*ſublunarem*) *non ſentiunt: habent enim in ſe aliquid Dei, quod vim flammæ expellat, atque ejiciat*, ut de eo magnificè prædicari poſſit, quod divus Leo de ſancto Laurentio: p *Superari* CHARITAS *Chriſti, flammâ non potuit.* Inter precandum has frequenter divini illius vivicomburiiſcintillas evibrabat: *O Deus charitas!*

m Matth. 8. v. 26. n Raynaud. Trias Patriarch. de S. Franciſco Paulano.

o Lactant lib. 7. c. 21. de divin. ſimil. p S. Leo Sermon. de S. Laurent.

Illud prodigii ſimile videri poteſt; ſed tamen innumeris experimentis firmatum, q neminem ad eum aliquando adiiſſe, qui non melior, cum Deo conjunctior, & in divino amore ardentior rediret: quippe qui ad ignem accedit propiùs, non poteſt non calefieri; ut jure illud ab Origene adductum, ſuum facere queat: r *Qui juxta me eſt, juxta ignem eſt.* Hoc *charitatis* lemma, hanc amoris teſſeram, omnium ſuorum cordibus, ita altè impreſſit, ut nihil meditari, nihil pſallere, nil loqui, nil cogitare, nil eructare, niſi *charitatem* videretur. Unus inſtar omnium mihi teſtis erit, hujus maximæ familiæ *minimus* alumnus, *Ambroſius à* JESU, notæ vir ſanctitatis: ſ huic inter dicendum de *charitate*, ſolenne erat poſt crebros ſingultus, ac ſuſpiria, expalleſcere, languere, deficere: imò & votum, in eo amoris æſtu vitam ponere. Et ſanè poſuit annuente votis cœlo: cùm enim in hæc verba exîſſet; *Age bone* JESU, *dulcis amor cordis, educ vinctum amore tuo animum, debitum tuæ* CHARITATIS *triumphum*; deprompto crucifixi ſigno, quod habebat in manica, dum ſeſe totum ardori permittit, deficit, atque exſpiravit, inſolens & maximè excellens *charitatis* victima. Quas ſi plures numerarent Cathedræ, ſæpius de Eccleſiaſte, & auditoribus divinus amor triumpharet.

Tertium ſignum quis fortè in t profundo maris, aut in aquis vehementibus quæſierit; hoc tam illuſtre edidit, ut vix quemquam lateat, tranatum ab eo fretum Siculum, adhibito pallio tanquam lintre, quod Gratianopolitani religioſè aſſervant. Decumanos fluctus ad ejus imperium decidiſſe, aquam ad oſtia Tiberina, quæ navigationi ſufficeret, accreviſſe; fontes fuſa prece excitâſſe, & ſiccâſſe: inter denſam pluviam ſiccum perſtitiſſe, teſtatiſſimum eſt. Ut in illum rectè cadat hoc Laurentii Juſtiniani Patriarchæ Veneti: v *Nequaquam patietur naufragium*, PALLIO CHARITATIS *coopertus, cùm ſcriptum ſit: aquæ multæ non potuerunt extinguere* CHARITATEM. Navigia velut impedimenta repulit; nempe odit turgida vela, qui intumuit nunquam; non opus illi fuit ad remigium palmulis, ſatis protendere ad cœlum palmas. Hic alienis ſiccus undis, madidus fuit ſemper ſuis. Oceano dare potuit jura, non oculis.

Et quoniam in aquis verſamur, religio ſit, præteriiſſe quod circa piſces aſſos, à Rege Neapolitano, dono miſſos, perfecit: repudiato enim hujuſmodi edulio, quod gratius ſaperent legumina, ſignum crucis ſuper piſces aſſos efformans, vitæ reſtituit, & ad Regem remiſit, poſcens ut quos alios in naſſa captivos haberet, liberos dimitteret, quod Rex fecit, omnéſque piſces exſolvit. Sic & alios piſciculos frixos ſibi oblatos, vitâ donavit, & cunctis inſpectantibus, in mare projecit, ut creſcerent. Hujuſmodi à Christo perpetrata non legimus, qui ut docet S. Thomas, x omnia fere miracula in hominibus patravit, quia ita ferebat finis humanæ ſa-

q Chronic. Minimor. r Origen hom. 5. in Ierem. ſ P. Ioan. Rho variæ virt. hiſtor. c. 1. t 3. In mari

v Laurent. Iuſtin. de agonia, cap. 27.
x S. Thom. 3. p. qu. 44. art. 3.

lutis, in quem Chriſtus & omnia ejus opera collimabant.

Nunc ex aquis, in terram exſcendamus, y ubi cumprimis rupes ingentes, in fide, qua Chriſtus promiſerat montes transferendos, loco movit, ne fabricæ officerent; factum excellentius, quam in Gregorio Neocæſarenſi adeo extollit Nyſſenus: ſ *Quis*, inquit, *lapidi auditus? quis jubentis poteſtatis ſenſus? quæ verò vis in eo tranſeundi? quæ membrorum, & artuum fabricatio? ſed omnia hæc, & hujuſmodi, lapidi præſtat jubentis virtus, atque poteſtas.*

Nec minus revera prodigii fuit, immanis ſaxi, fabricæ imminentis, prohibitio, ne rueret cum certo plurimorum exitio; hodiéque ad miraculi celebritatem, ſaxum ad decem millia pondo grave, reveritum juſſa hominis Dei, hæret eo ipſo loco, perinde ac ſi vocem prolapſionem inhibentis, etiam nunc exaudiret. Conſtat aliò moles prægrandes, parietes lapſabundos ſtitiſſe, ne ruerent, & ſubjectos contererent.

Verum enimverò majoris prodigii fuit, ſaxea corda, animos adamantinos, rupe duriores, ne ad inferos ruerent, ſtitiſſe, inſtar ceræ colliquâſſe, & in ſtatuas Sanctorum efformâſſe, ut inter plurimos, docet mirabilis illa Patris Joannis à *Rocca* converſio. *Rocca* porrò, ſive *rupes*, quo loco Joannes oriundus, oppidum, & portus eſt *Salentinorum*, in ora Boreali Calabriæ, inter *Brunduſium & Hidruntum*. z Hic in comitatu nobilis fœminæ, quam inſano amore (erat enim ſacris addictus) deperibat, propter *Spetianum* faciebat iter, explendæ libidinis, ſi qua daretur, occaſionem captans; quod ſanctus Pater divinitatis inſtinctu præſentiens, duos è ſuis in occurſum miſit, qui blandis verbis in proximum Monaſterium allicerent, & mox ingreſſum inferiori cella ad clauſtrum includerent. Dictum, factum, fruſtra veſano homine in fanaticas & indignas voces erumpente; ut autem per tempus quieverat, & quaſi obdormiſcens caput in manus reclinaverat, ad eum vir *beatus Franciſcus* ingreditur, & heus tu bone, ait, quin excutis, quod auri, cui incumbis, dolet? neſcit ille, ſi vigilans dormiat; excuſſa tamen manu, villis obſitus, & aſpectu horrendus vermis decidit, móxque ex aure altera, perſimilis: atque una cum illis, omnis ſenſus, & titillatio carnis abacta eſt: itaque mirabundus, ac ſibi reſtitutus, ad genua beati viri procidit, & poſt multa tandem exorat, ut facto alterius longè propoſiti, & mutati in ſolidum animi periculo, ſuorum aliquando Societati *Minimorum* adjungere velit. Inſtitit, obtinuit, & magno ſanctitatis nomine clarus evaſit. En *rupem* in ima ruentem, in divi ſtatuam effectam, & inter lapides vivos, opera *Franciſci*, cœlis inſertam.

Prætereo beſtias terræ, moloſſos, qui miſeri opilionis exitio imminebant, ſolo aſpectu D. *Franciſci* cicuratos: capreolum ſibi familiarem à cæmentariis occiſum & comeſtum, oſſibus ne quid ſupereſſet in fornacem calcariam abjectis, ad vocem viri Dei, è fornace vividum, integrúmque prodiiſſe, non abſque ſtupore laniorum. Nec illud huic

y 4. In terra z Chronicon Minimorum An. 1460.

huic facto de admirabilitate concedit, quod agnum demortuum abſens vitæ reſtituit, ut hominis pervicacis calumniam compeſceret, affirmantis ſolius Dei eſſe miracula patrare; ſimúlque agnoſceret, quæ Deo principaliter ſunt propria, effici ſanctis viris participatione communia.

Denique cui tantum circa brutas animantes conceſſum eſt, quid circa *a* hominem,

Sanctius his animal, mentíſque capacius altæ,

præſtiterit, perſtringi compendio vix poteſt. Sanavit morbos omnis generis, cœcos, ſurdos, mutos, claudos, ſtrumoſos, epilepticos, hydropicos, paralyticos, elephantiacos, lue contactos, à rabidis canibus, ſerpentibúſque demorſos, de mentis pòteſtate dejectos. Præ his, quid in modo plus admirabilitatis habet, quàm quod albuginem ex oculo depulerit, immiſſa calce viva, quam aqua benedicta perfuderat, ſicut Chriſtus luto in oculis immiſſo cœcum natum oculavit; unde potius viſui creandum erat exitium? viſus eſt illudere vel naturæ, vel arti, quia in præclaro humani corporis ædificio tunc oculorum feneſtræ acceperunt lumen, cùm eas ipſe obſtruxit calce.

Senem octogenarium defunctum, vitæ reſtituit. Sed illud prorſus ſingulare; Adoleſcentem qui animum religioni *Minimorum* adjecerat, maternis pellaciis à propoſito abductum, mors inopina oppreſſit. Mater ſerò ſapiens, filii cadaver ad virum ſanctum deportari voluit, exoratura illo in cœnobio tumularetur, & illic mortuus degeret, unde vivum abſtraxerat. Juſtis perſolutis, cum cadaver exanime condendum de more eſſet, vetuit *S. Franciſcus* tumulo inferri. Jámque triduanum mortuum, per noctem clam omnibus, oratione præmiſſa ad vitam revocavit, & religioſo Ordinis ſui habitu amictum, matri ac cognatis ſtitit, mirantibus præ gaudio, víxque ſuiſmet oculis credentibus, ut quem paulò antè mortuum extulerant, redivivus, & ſacræ militiæ religioſus tiro adſcriptus adeſſet.

b Ludovico XI Galliarum Rege è vivis ſublato, juſta parabantur, dum Franciſcus in cellam ſe proripit, & in orationem effuſus, pro ſalute Principis apud Deum agit, multíſque votis ac lacrymis, ut ejus miſereri dignetur, contendit; inter hæc converſus ad *Joannem à Rocca*, (de quo ſupra) accede ait, & hunc pileolum meum ad Regem defer, capiti impone, & confide, ſtatim ad vitam revocabitur. Ad verbum beati viri exhorruit, nec ut faceret, potuit induci. Quare ad eum vir ſanctus, ſcito, inquit, quia per tuam diffidentiam ſtetit, quo minus vita Regi condonata ſit, id quando Galliæ invidiſti, age in Italiam revertere.

Ex quibus patet, mortis, vitæque arbitrium, penes illum fuiſſe. Sed longè excellentior in eo exſtitit criminum, quàm morborum curatio. Altioris virtutis, & ſublimioris poteſtatis, animarum, quàm corporum à morte reſuſcitatio: quia, ut rectè Chryſoſtomus: c *Præſtantius eſt animæ mederi peccatis mortuæ, quàm iterum revocare ad vitam mortua corpora.*

a 5. In homines.

b Chronic. Minimor. An. 1483.

c Chryſoſt. in cap. 14. Ioan.

In

In valentes, ac ſanos non minus beneficus: conſtat panis cophino, & vini lagunculâ, tria millia hominum ab eo paſta: nullo panis diſpendio, nulla vini imminutione. Æquè integri perſtitêre duo panes & vini laguncula, quibus militum quinquagenam ad ſatietatem paverat. Homines circiter trecenti ab eodem, uno pane refecti, mirabilem Deum in ſancto ſuo prædicaverunt. Alios trecentos ficu unica in cibum appoſita exſatiavit. Dicendi finis non erit, ſi ſingula recenſere voluero.

Ad hæc omnia tam rara, tam illuſtria in univerſam naturam miracula, præclarum illud Nicodemi, quod de Chriſto tulit, teſtimonium non abs re erit adferre: d *Rabbi ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* In cujus verba & fidem, utinam heterodoxi noſtri jurarent, qui cum pertinacia tuentes errorem, miracula, ut aniles fabulas explodunt, & neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent, ipſis dæmonibus pervicaciores, ac pertinaciores. Sic etenim Ambroſius in illos ſui temporis Novatores: e *In tantum amentiæ prodeunt, ut negent Martyrum* (aliorúmq; Sanctorum) *merita, quorum opera etiam dæmones confitentur.*

Sed hoc non mirum; ſiquidem tanta eſt incredulorum perfidia, ut tolerabilior ſit diaboli plerumque confeſſio: dicebat enim diabolus, Jesu *fili Dei vivi, quid veniſti ante tempus torquere nos? & cùm hæc audirent Judæi, ipſi tamen Dei filium denegabant. Et nunc audiſtis clamantes dæmones, & confitentes Martyribus, quod pœnas ferre non poſſint: & Ariani dicunt* (& Lutherani, & Calviniſtæ, & Anabaptiſtæ; & Furiani dicunt) *non ſunt iſti Martyres* (*non ſunt iſti Confeſſores*) *nec torquere diabolum poſſunt, nec aliquem liberare, cum tormenta dæmonum ipſorum voce probentur, & beneficia* (Sanctorum) *remediis cæcorum, & abſolutorum indiciis declarentur.* Quod evincit perfidia Judæorum: *Negant cæcum illuminatum; ſed ille non negat ſe ſanatum. Ille dicit, video, qui non videbam. Ille dicit: cæcus eſſe deſivi, & probat facto. Iſti beneficium negant, qui factum negare non poſſunt.* Ac tandem contra Arrianos, quod in ævi noſtri heterodoxos quadrat, concludit: *Deteſtabilior iſtorum, quam Judæorum pertinacia.* Idem argumentum proſequitur Auguſtinus; gentiles perſtringens, negantes noſtrorum miraculorum hiſtorias: f *An dicet aliquis iſta falſa miracula, nec fuiſſe facta, ſed mendaciter ſcripta? Quiſquis hoc dicit, negat omnino ullis litteris eſſe credendum.* Quid quod ipſe hac miraculorum auctoritate ſe niti, & Eccleſiæ adhærere aſſeveret? g *Multa,* inquit, *me juſtiſſimè tenent in Eccleſiæ Catholicæ gremio: tenet conſenſio populorum & gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata.* Contrà verò Hæretici, Satanici miniſtri eò furoris & amentiæ deveniunt, ut cum miranda Sanctorum prodigia ante oculos ſuos geri videant, adeò illis non commoveantur; ut etiam quæ in digito Dei fiunt, in Beelzebub fieri dicitent, diabolicis præſtigiis adſcribant, & in ipſos Chriſtos Domini, ac mirabilium pa-

d Ioan. 3. e Ambroſ. Serm. 10. c. 1. SS. Gervaſii & Protaſii.

f Aug. lib. 10. de civit. c. 18. g Auguſt. in Epiſt. fundamenti c. 4.

patratores,rabiem ſuam effundere, atque Sacrilegas manus inferre non vereantur.

Quo in genere nihil execrabilius, quàm quod in ſacras exuvias *S. Franciſci Paulani* auſi ſunt. Paucis rem ex tabula, quæ in Eccleſia conventus Pleſſiacenſis proſtat, deſcribam. *h* Siſte viator paulisper gradum, inauditumque retrò ſæculis audi, & luge nefas: Imò univerſus terrarum orbis exaudiat,& lugeat immane ſcelus ab Hæreticis patratum,in venerandum corpus *Sancti Franciſci de Paula.* Quieſcebat illud more mortalium, proprio clauſum ſepulchro, per undecim luſtra incorruptum, nullo putore fœtidum, aſpectu decorum, miraculis conſpicuum, frequentique populorum concurſu famoſum. Et ecce (malum) tetra quædam noſtris temporibus innata peſtis (*Hugonotos* vocant) effractis tumuli repagulis, oſſibus inſiliens religionis habitu decenter coopertis, immiſſóque ad collum fune, innocentes lacerat artus, trahit, diſtrahit, ad cameram fratrum ſub obedientia peregrinantium: ibiq;latrones immanitatem ut expleant, ſciſſis fiſſiſque minutatim crucis lignis, ſuppoſitóque igni, dilectumDeo,& hominibus cremandum,Scytharum more, crudeliter objiciunt. Hæc nempe dextera eſt, quæ nuper ſtillans adhucCatholicorum ſanguine,ferrum convertit in viſcera tanti viri,cujus decus communis Imperii finibus terminatur. Quid inquam ferrum? abſit,nam ſanguine ſatiatur ferrum, ſed flamma vorat exangue corpus, ut animæ, quæ nunc faſtidiens humanos, inter æthereos ſpiritus Divinis expletur honoribus, crudelis vapor, Martyrii palmam adjungat. Optârat quippe vivus ita mori; ſed quod negârat Deus viventi,conceſſit mortuo,utdum oſſa in exteriores abeunt favillas, exſufflans miniſter in inferiores abeat Hæreticus.Id contigit circa diem XIII.Menſis Aprilis Anno ab Incarnatione Domini M D LXII.

Tu verò Lector agnoſce interea vocem totius Galliæ, quæ quaſi orbata, nihil fert acerbius, quam ſi impiè ſibi, parique nefanda manu ſublatos videat*Franciſcum, & Martinum* (nam & hujus ſacrum corpus à Theomachis exuſtum) duo florentis Turoniæ columina, & quibus nihil fuerit ſalutarius hoc tempore datum. Argumento eſſe poteſt vel exiguum quid è ſacris exuviis, quod *Patres minimi* Neapolitani nacti ſunt,& religioſe aſſervant.*i* Neapoli, res eſt inauditi prodigii, in æde *S. Franciſci de Paula*, dens ejuſdem cryſtalloincluſus,ſummâ populi totius veneratione colitur. Hic dens die ejuſdem ſancti viri feſto, omnibus ſpectandus, exoſculanduſque proponitur; ad quem oſculandum mulier meretrix cum acceſſiſſet, vix cryſtallo illi labra admovit, cum dens tenuem quendam ſonum edidit, ac ſtatim inventus eſt diſruptus, ac duas in partes ex æquo diviſus. Quod fuit indicio, ut inquit Auctor, quantum vir ille ſanctiſſimus, & caſtitatis cultor eximius impudicæ illius oſculum, vel potius acceſſum formidaret, atque refugeret.

h Chronic.minim.a.1552.

i Iani Nicæi Erithræi Exempla c. 69.

Hoc

Hoc erat nempè quod impuri illi ex Calvini hara Sileni, & excucullati ganeones reformidabant, ne vel mortuus in ſe dentes figeret.

At nos Chriſtiani hujus maximi Thaumaturgi ſignis, & mirabilibus, ut audivimus, ſacro horrore perculſi, ejus patrocinium in quavis neceſſitate imploremus, & confidenter accedamus; nec irrita fore vota, in uno minimæ Societatis J E S u alumno Patre Bernardo Colnago, huic ſancto intimè addicto, comprobabo. *k* Puerum ſex non amplius annos natum, ſtrumæ toto collo enatæ non parum deformaverant. Hunc ut vidit Pater, ducto in crucis formam ſputo ſupra collum: abi, inquit, ad *S. Franciſcum de Paula*, téque à me miſſum eſſe dicito. Ille, ne dubita, ſanitatem tibi impertiet. Ivit, & abſterſis illico ſtrumis ſanus rediit.

Genuæ matrona, nobiliſſimo nata loco, Bernardum obſecraverat, ſobolem ut ſibi à Deo exoraret. Spopondit ille ſuam operam, literáſque ad *Sanctum Franciſcum de Paula* dare juſſit, ſe bajulum futurum, & internuncium. Acceptas poſtea, ut erant ſignatæ, ſacrum facturus, linteo, quod à Chriſti corpore incubante corporale dicimus, ſuppoſuit, deinde ſuo tempore protraxit: & *S. Franciſce*, inquit, hæc ad te venit Epiſtola: non te fugit, quid illa roget, quidve tibi faciendum incumbat. A Sacrificio dein regreſſus, matronæ, maſculæ prolis futuram matrē, aſſeveravit: id quod res ipſa, tempúſque vaticinium Bernardi, *Franciſci* beneficium fuiſſe docuit.

k Ioan. Paulinus in vita P. Bernardi Colnag. l. l. 2. c. 8.

Annus fluebat ſupra mille quingentos octavus & nonageſimus, Catanæ ominoſus. Quod enim nullæ cœlo venirent aquæ, Aprili menſe jam ſolis ardore exuſtæ ſegetes jacerent, hiarent campi, aër velut flammis de cœlo cadentibus ſummè ferveret, annonæ caritas, morborumque agmina haud dubiè ſecutura credebantur. Itaque urbs futuri anxia recurrit ad Antiſtitem, & publicas expoſcit preces. Hic ſupplicantium agmen delato Sacerdotum humeris S. Agathæ pretioſo corpore ad *Divi Franciſci Paulani* ædem indicit, ſimulque Bernardum, quem huic Divo non neſciebat addictiſſimum, ut pro concione dicat, invitari jubet. Qui perfuſus ipſe lacrymis, in ſerto in collum fune, & nudis pedibus Divæ tumbam ſequutus, ſuggeſtum conſcendit, & primò ardentiſſimis verbis totam concionem in abundantes fletus concitavit; dein ubi ferrum calere vidit, fortius tundendum ratus, in vitia tantorum cauſam malorum graviſſimè detonuit: quo factum, ut ejulatus & ſuſpiria paſſim inſonarent; & hi pectus, hi genas percuterent, univerſi ad placandam Numinis iram mœſto ſingultu, & interciſis fletu vocibus miſericordiam inclamarent. At ſtabat adhuc ſua cœlo durities, & ſpectante finem dictione pertinax, & inviſa oculos etiamnum perſtringebat ſerenitas. Ergo ad crucifixum Servatorem converſus vehemens, & pius orator: quid hoc? ait, ô ſummum bonum meum! Ergone lacrymæ gemituſque totius populi, & populi tandem non mei, ſed tui, penetrare poſſint hujus ſacræ ædis

prædura marmora ? tuum verò pectus paternâ pietate cereum non pervadant, ut tu mare immenſum gratiæ,ſcaturigo bonorum omnium, ſiticuloſos agros felici imbre irriges, & fœcundes? ah Deus meus,unica ſpes mea ! ſi noſtræ culpæ prohibent, merita te moveant *Sancti mei Franciſci de Paula*;viri,quem audias, digniſſimi. Tu verò *Sancte mi amantiſſime, dulcis Pater, & benefactor munificentiſſime*, ſi decretum eſt nos plectere,intercede quæſo, & Majeſtatem nobis divinam placa,ut pluviam largiatur, quam terra noſtra tot faucibus, quot habet patulos hiatus, orat,obſecrat,aquam, aquam exclamabat, aquam peto. Promiſiſti mihi pluviam; ſta ergo promiſſis. Ubi peroratum fuit, concioni bene precatus tertium, dimiſit omnes; ſed quia ipſe in ſuggeſto perſeverabat, nemo diſceſſit, quod magnum aliquid nemo non expectaret. Itaque tandem animi ſui ſenſum aperuit,& ego, inquit, è Divi templo niſi ejuſdem precibus obtenta pluvia pedem non movebo. Ita de ſuggeſtu deſcendit,librum poſtulat,divinum perſolvere officium aggreditur. At primum adeò pſalmum ad finem non deduxerat, cum contractis repentè nubibus cœlum omne in pluvias ſolutum eſt,ut nemo jam domũ ire,ſi vellet,poſſet. Tota ergo cōcio in repentinam lætitiam, & gratiarum actionem effuſa miraculum agnovit,ac deploratam antè meſſem, his tamen imbribus contra naturæ leges divinitus reſtitutam ſibi gratulata eſt.

Audiſtis prodigia in cœlo ſurſum, & ſigna in terra deorſum, quæ precibus Bernardi clientis ſui patravit, quacunque vos penuria preſſi, tempeſtate jactati, ad hanc ſacram anchoram recurrite, & fiet tranquillitas magna.

l Caſus fortè tulit,ut à Provinciæ Moderatore Bernardus noſter Meſſana Panormũ evocatus haud longè Mileto,quod vulgò Milazzo dicunt,iter haberet, loco ſcilicet olim clariſſimo antiquitate: nunc multò clariore veſtigiis *à Divo Paulano* duro ſaxo impreſſis; quandoquidem calcatis ſicco pede undis ingens maris ſpatium emenſus, ibi terram attigit. Itaque ſolo *Franciſcum ſuum* devenerandi ſtudio accenſus, Navarchum magnis fatigavit precibus, ut ad illud beatum littus navim appelleret, quo oſcula felici ſolo figere, & ad Divi ædem inviſere poſſet: ille contrà obnixus, & ventos in reditu adverſos,cœlum nubibus obductum, tempeſtatémque infeſtam initio cauſatus; tandem verò Bernardo proſpera omnia, *Sanctique Franciſci* præſentem pollicente opem, gubernacula ad optatum portum non parum gravatè flexit. Vix tamen anchoras jecit, cum oborta tempeſtate mare intumuit,& immanibus jactata fluctibus navis tantum non fuit aquis hauſta. Hîc enimvero indignari vectores, ſtolidam Patris pietatem incuſare, & maledictis proſcindere : at ille inter contumelias ſibi conſtans raptim ad Divi templum provolare, prolixas ad DEUM preces fundere, *Sanctumque ſuum Paulanum* non ceſſabat obteſtari,ſervaret ſibi devotam navem. Denique inter æquoris homi- num-

l Tempeſtatem ſedat.

numque procellas ſerenâ fronte à religioſis ejus loci viris panniculum,aut paucula magis fila ex capitio *Sancti Franciſci* impetravit,eaq; ſacra Lipſana,puerorum comitatus turmâ (qui identidem velut intercalare carmen *Sancte Franciſce* ſerva navigium, occinebant) cantans & ipſe Divi laudes ad littus extemporali pompa ſupplicantium ritu detulit; omnibus verò in genua provolutis, veneranda illa pignora iterum iterumque exoſculatus in mare demerſit,tumidóſque aquarum montes impreſſa fronte,& oſculo pacavit. Mox enim à littore tranquillitas ad uſque Bernardi navem ſe porrexit,ut cæteris adhuc contra ventorum, fluctuumque injurias periculosè luctantibus, ſola quieſceret. Ea tamen ad reliquas etiam in littore ſtantes, totóque pelago ſe diffudit malacia,ubi vectorum precibus impulſus,vota cœlo, ſanctóque ſuo Bernardus fecit.

Ut verò tam prodigioſis divi ſui benefactis nonnullam referret vicem,illum à puero ſibi tenerè amandum, colendum, imitandumque delegit, & ſe quoque *Minimum*, ejus ſtimulatus exemplo Epiſtolis ſubſcripſit, mortaléſque omnes ampliſſimo charitatis ſinu complexus eſt. Quia verò perparum videbatur, quicquid ipſe unus Sancto pro meritis honorando factitare poſſet, alios ad paria facienda,quotquot poterat, verbis litteriſque accendere laboravit.

Roma certè ſub Annum 1600. 17. Aprilis Catanam, ut multa ejuſcemodi prætereara, ad amicum in hæc verba ſcripſit. Cordi tibi ſit *S.Franciſcus Paulanus*, vicinus tuus,& meo nomine illum ex tuis ædibus,vel proxima templo feneſtra ſalutare memento. Dic,oro,quandoque: Tuus Pater Bernardus, ô beate, tibi mittit mille, iterumque mille ſalutes: Tuam ſcilicet ſalutem, gloriam, felicitatem,qua in cœlo & in terra polles,æternumque præſtabis, mirificè lætus tibi gratulatur. Ita nempè in calamum dictavit amor.

Quis ad hæc non totus ſtupore defixus hæreat? Quis non eum ſemper, & ubique propitium ſperet,ſi pari eum cultu,quo Bernardus,veneratus ſit?

§. II.

MINIMUS *erit in mille, & Parvulus in gentem robuſtiſſimam. Ego Dominus in tempore ejus ſubitò faciam iſtud.* Iſaiæ 60.

PAgninus vertit: *Parvula familia erit in mille*: parvulus (ſeu *Minimus*) *ſoboleſcet.* In mille. Minimam nomine, & re maximam indicans familiam; quæ ſub *minimorum* auctore, ac Fundatore *Franciſco*, in tot millia filiorum, per tot centenos conventus, ceu ſacras familias per orbem univerſum excreſceret. Aptè hic quadrat expoſitio Hugonis Cardinalis: m *Qui prius habebat paucos ſubditos* (12 ſocios primùm Franciſcus nume-

m Hugo Card. in Iſa. c. 60.

ravit *n*) *habebit multos*, *& gentem. Et ne credatur*, *quod hoc fiet opere humano*, *ſubdit* : *Ego Dominus in tempore ejus*, *ſubitò*, *id eſt inſperatò faciam illud*, *ſcilicet* MINIMUM *fore in mille*: 70 interpretes habent, *In millia*. Leo Caſtrius: *o In millia millium*, *ut totum Orbem occupet.* quorum capita, ſi recenſere voluero infinitus ſim. Hieronymus: *Qui parvulus fuerit*, *erit in mille* : *audiens à Domino*, *eſto habens poteſtatem ſuper quinque*, *vel decem civitates*; ſed parum hoc, amplius dixiſſe me exiſtimo, ſi per *p* triginta florentiſſimas Provincias ſanctiſſimum huncordinem ſuos palmites extendiſſe pronuntiaro; quorum I. Calabriæ inferioris. II. Turoniæ. III. Meſſanæ. IV. Franciæ. V. Genuæ. VI. Aquitaniæ. VII. Granatæ. VIII. Germaniæ. IX. Neapolis. X. Apuliæ. XI. Caſtellæ. XII. Calabriæ. XIII. Lugduni. XIV. Valentiæ. XV. Etruriæ. XVI. Cataloniæ. XVII. Provinciæ. XVIII. Campaniæ. XIX. Panormi. XX. Hiſpalis. XXI. Lombardiæ. XXII. Majoricæ. XXIII. Laureti. XXIV. Arragoniæ. XXV. Belgii. XXVI. Lotharingiæ. XXVII. Venetiarum. XXVIII. Mediolani. XXIX. Comitatus Burgundiæ. XXX. Ducatus Burgundiæ. Quos præter, Romana eſt juriſdictio totius generalis moderationi relicta, tum Vicariatus Pedemontii, & forteau Luſitaniæ, & Indiarum : hic enim alteri per Hiſpaniam Generali Vicario ſubditus videtur.

Quæ dum manu recenſeo, & mente recolo, non poſſum quin tibi ô Maxima *Minimorum familia*, iis quibus olim verbis, fratres *Rebeccæ*, omnium religioſorum ordinum nomine gratuler : q *Soror noſtra es* : *creſcas in mille millia.* r Creſcant in mille millia filii tanti Patris.

Altera non minus congrua Hugonis expoſitio eſt. MINIMUS *erit in mille*, *quando veniens ad judicium*, *pro omnibus illis*, *quos convertit*, *remunerabitur*, *& quadam dignitate eos præterit in præmio*, *quibus profuit verbo inſtruens eos hic*, *& vita & exemplo.* Creſcant in mille millia filii Dei, quos Magnus hic Pater per ſe, & ſuos, Chriſto peperit, & cœlo adſcripſit. Ad quod opus æterna Patris ſapientia, quæ infirma eligit, ut fortia quæque confundat, *Franciſcum* humili loco natum, ad excelſa prorſus aſſumpſit, ut de eo, inſigni elogio Eminentiſſimus eruditione & Sanctitate, Cardinalis Bellarminus : ſ *hoc noſtro ſeculo*, *illo fere tempore*, *quo Martinus Lutherus ſua zizania ſeminare cœpit*, *floruit in Italia alius quidam* FRANCISCUS *t* (nimirum de S. Franciſco Aſſiſinate jam locutus fuerat) *auctor & parens hominum illorum religioſorum*, *qui in Gallia boni homines*, *in Italia* MINIMI *dicuntur*, *qui tam multis & eximiis ſignis enituit*, *ut nullus ſit ex veteribus*, *cum quo meritò comparari non poſſit*, *& nonnullos adhuc hodie ſupereſſe credibile eſt*, *qui ea ſigna vel ipſi viderunt*, *vel ab ipſis audierunt*, *qui viderunt.*

Itaque eodem fere tempore (*perpendite quæſo rem iſtam*) *homines*

n Chronicon. minim. a. 1435. o Corn. in Iſa. c. 60. p Chronicon, minim, appendix tertia. p. 601.

q Gen. 24. v. 60. r Hugo cit. ſ Bellarmin. concionum 12. t Chron. minimorum in apparatu.

duo contrarii inter ſe exſtiterunt, Lutherus in Germania, FRANCISCUS *in Italia. Lutherus cucullam, quam habebat, abjecit;* FRANCISCUS *induit, quam non habebat. Lutherus docuit nihil valere jejunium, & ciborum delectum eſſe ſuperſtitioſum;* FRANCISCUS *ordinem inſtituit, in quo qui vivere volunt, frequenter jejunare, & perpetuo à carnibus & lacticiniis ſe abſtinere debent. Lutherus cœlibatum, obedientiam, & voluntariam paupertatem, tanquam res inanes, & hominum commenta deteſtatus eſt?* FRANCISCUS *res easdem tanquam utiliſſima Chriſti conſilia, incredibili devotione complexus eſt. Lutherus quotquot potuit ex monaſteriis ad ſæculum vocavit;* FRANCISCUS *quotquot potuit à ſæculo pertraxit ad monaſteria. Lutherus Leonem X. Antichriſtum videri, & haberi voluit;* FRANCISCUS *eidem Leoni, cum nondum eſſet Pontifex, Pontificatum prædixit, eique ut vero Chriſti Vicario ordinem ſuum debita humilitate, ac devotione ſubjecit.*

Denique contra omnes Lutheri, ejuſque ſectatorum inſultus, ac omnia erebi monſtra hunc cœleſtem Herculem, hunc Divinum Achillem MINIMORUM MINIMUM (ut videbimus) objecit. Hoc etenim arcanum, Divinæ providentiæ conſilium ſemper fuit, ad maxima *minimos* eligere. Et ipſe Dei Filius, de quo Bernardus: v *Magis placuit* MINIMUM *reputari, qui ſe ſummum non ignorabat, & cum eſſet maximus, factus eſt* MINIMUS: x In oculis ſuis, & hominum, minimos ſemper aſſumpſit, & adoptavit, ut gratia, favoribus, dignitate, ſanctitate maximos redderet. Ita *Benjaminum* inter Patriarchas *minimum* elegit, per quem omnis benedictio, & ſalus in fratres redundabat: y *Non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum* MINIMUM *adduxeritis.* Id eſt, inquit Carthuſianus: z non habebitis me vobis *gratioſum*, ac *favorabilem*, nec permittam vos coram me proſperè & gratioſè comparere. *Per fratrem autem* MINIMUM, interprete Lyrano a *humilitas deſignatur*; illum favore & honore præ cæteris fratribus Joſeph cumulavit. Illius tribum mille benedictionibus Deus locupletavit, ut ſupra vidimus. 1. Regum c. 17. v. 14. *David autem erat* MINIMUS, & vel ex eo, quod ſe *minimum* diceret, & verè duceret in tribu ſua, *caput in tribubus Iſrael factus eſt.* Tulit illum de ovibus Patris ſui Dominus, & unxit eum unctione miſericordiæ ſuæ: De caula vocavit ad aulam; id conſiderans Chryſoſtomus: Quam b *ſuave eſt*, inquit, *quam dulce in auditione veræ confeſſionis, ut diceret ſe* MINIMUM *in tribu ſua: Non erubuit quod erat, ut eſſet, quod non erat.*

Libro Judicum cap. 6. ver. 15. Gedeon invictus ille heros, non meo, ſed cœlitum præconio c *fortiſſimus* virorum, *aſſiſtentia* Dei futurus, dum exiguum excuteret triticum, electus eſt Imperator. Omen fuit colligendæ gloriæ meſſis. Mittitur ut pugnet contra Madian: *Scito*, inquit Dominus, *quod miſerim te.* At quid ille? *Reſpondens ait: Obſecro Domine,*

v Bern. Serm. 42. in Cant. x Guarricus Serm. 1. de nat. Dom.

y Gen. 43. v. 3. z Dionyſ. Carth. in Gen. 43. artic. 94. a Lyran hic. b Chryſoſt. hom. 2. de David. c Judic. 6. Lyran. hic.

in quo liberabo Iſrael? ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego MINIMUS *in domo Patris mei.* Qua animi demiſſione, ad excelſa evectus, Deo adjuvante victoriam nobiliſſimam de hoſtibus conſecutus eſt: ſic etenim Hugo Cardinalis: d *humilitatem prætendit, propter quod ſublimari meretur*, & audire meruit: *Ego ero tecum, & percuties Madian, quaſi unum virum.*

Qui in nova lege Paulus de ſeipſo ſcribit: e *Ego ſum* MINIMUS *Apoſtolorum*, audit à Chriſto: *vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum.* f Hæc gratia, inquit, *mihi omnium Sanctorum* MINIMO *data eſt, hæc fecit in gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti*; huc illum infima animi modeſtia, & profunda humilitas evexit: *Paulus* teſte Anſelmo, MINIMUS *tempore, non dignitate*: MINIMUS *humilitate, non operatione*, qui apud Deum maximi ſunt. g *Scire vis*, quærit Chryſoſtomus, *quis vere ſit humilis? Paulum aſpice, qui verè humilis erat; proinde dicebat*: *ego ſum* MINIMUS *Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus: hoc enim verè humilitas eſt, in omnibus ſeipſum abjicere, ac* MINIMUM *appellare.*

Haud aliter luſit Deus poſtremis temporibus; evolve vitam præceptoris Caroli Magni, hoc eſt B. Alcuini, ſive Albini Flacci, quæ operibus ejuſdem præfixa circumfertur. Carolus Magnus ut S. Martini oſſa religioſè coleret, & ſimul etiam Albinum alloqueretur: ſepulchrum S. Turonenſis petiit, unà cum Carolo, Pipino, ac Ludovico liberis ſuis: ibique familiari colloquio Albini manum ſtringens, eundem interrogavit his verbis: *Domine Magiſter, quem de his filiis meis, videtur tibi in iſto honore, quem indigno tanquam dedit mihi Deus, habere me ſucceſſorem?* at ille oculis deſignans ait: *Ludovicum natu quidem* MINIMUM; ſed humilitate præcipuum, *ſucceſſorem eximium habebis.* Quod altè condidit pectore memori Carolus: & poſt aliquod tempus, cum idem B. Alcuinus communionem Corporis Chriſti, & Sanguinis propria manu miſceret: unus inter omnes Ludovicus, humili, demiſſoque vultu, ſancti Sacerdotis manum oſculatus eſt. Tunc vir Dei, qui proximè aderat, Singulſo dixit: *Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur. Certè iſtum poſt patrem, Francia gaudebit habere Imperatorem.* Oraculum comprobavit eventus. Ex quo recognoſcas *natu minimum*, virtute ſua, majoribus natu fratribus præferri, non hic in terris duntaxat, ſed & in cœlis; ad quod regnum, & imperium, qui hic in oculis ſuis minimus, aſſumetur, & maximus erit in Regno Cœlorum.

Cum ergo Deus ex minimis, primo Patriarchas, & Apoſtolos, maximos procreârit, ſupererat ut inter Patriarchas, & viros Apoſtolicos, *minimum* eligeret, qui *minimum* haberet vanitatis, *minimum* arrogantiæ, & faſtus *minimum*: qui *minimus* eſſet humilitate, paupertate, contemptu honoris, divitiarum, rerum omnium terrenarum: *Minimus* in oculis ſuis, *minimus* glorioſo illo *minimorum* titulo, quo ſanctiſſimam familiam ſuam inſignivit.

d Hugo hic. e 1. Cor. 15. v 9. f Epheſ. 3. g Chryſoſt. hom. de pœnit. & modeſt. Achab.

Liceat hîc mihi verba D. Bonaventuræ, *Franciſco minimo* accommodare: h *In quatuor fecit ſe* MINIMUM, *contra quatuor, in quibus ſe magnificant homines: nam quidam extollunt ſe in potentia: quidam in rerum opulentia: quidam in ſcientia: quidam verò in vita. Iſta quatuor ſunt cauſa ſuperbiæ, multum poſſe, multum habere, multum ſcire, & multum credere ſe valere.* Sanctus Patriarcha hic *reputavit ſe minimum* 1 *per infimam de ſe opinionem, & humillimam de ſe confeſſionem, qua ſacris ordinibus ſe indignum dictitabat, & in Laicorum gradu conſiſtere volebat, ut non eſſet unde efferretur, in loco noviſſimo conſtitutus.* 2. i *Fecit ſe* MINIMUM *per ſimplicitatem vitæ: audiverat enim Dominum dicentem: eſtote ſimplices ſicut Columbæ, & cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Unde poterat cum Apoſtolo dicere: nihil fateor me ſcire, niſi Chriſtum Jeſum, & hunc crucifixum; unde poſſet de eo ſpiritualiter exponi, quod de* BENJAMIN *dicitur:* k MINIMUS *fratrum cum patre noſtro eſt.* 3. *Se fecit* MINIMUM *per contemptum mundi, & pecuniæ, & omnis temporalis ſubſtantiæ. Nudus enim nudum Dominum eſt ſecutus: non enim poterat ſequi veſtitus: Ipſe enim fuit de numero illorum* MINIMORUM, *de quibus dicit Dominus: quod uni de* MINIMIS *meis feciſtis, mihi feciſtis.* MINIMOS *dicit ipſos pauperes indigentes.* Hæc quam SS. Fundatori *minimorum* congruant, qui volet deducere poterit ex l Raynaudo, Lobbetio, & iis, quæ ſubjiciam. 4. *Se fecit* MINIMUM *per abnegationem propriæ perſonæ, & in hoc eſt ſumma perfectio: Gregorius,* m *non magnum quippe eſt homini abnegare quod habet; ſed multum valde eſt, abnegare quod eſt. Et forte valde laborioſum non eſt homini abnegare quod habet; ſed multum valde eſt, abnegare quod eſt. Et forte valde laborioſum non eſt homini relinquere ſua; ſed valde laborioſum eſt, relinquere ſeipſum. Ergo dum ſeipſum ob Chriſti amorem reliquit, viam perfectionis arripuit: ſciebat Dominum dixiſſe: qui major eſt veſtrum, fiat ſicut* MINIMUS. *n* Dicebat ſe hominem nihili, & viliſſimum peccatorem, ac ne dignum quidem qui vitam inter homines exigeret. Suos cum dixiſſet *minimos*, inſcribebat *ſe minimorum minimum.* Neque revera aliter ſe habebat erga ſuos in Chriſto filios, quam ſi eſſet inter eos omnium *minimus*; miniſtrabat omnibus, de via feſſis pedes abluebat.

Quam de ſe demiſsè ſentiret, ex eo manifeſtum eſt; quod impetrari ab eo nunquam potuit, tametſi annitente ſummo Pontifice Sixto IV. ut Sacerdotio inaugurari ſe ſineret. Miracula quibus à Deo illuſtrabatur, aliò referebat, & quantum fas eſt, obtegebat.

Ecquis porrò non demiretur ſanctum ejus artificium, quo herbas, & pulveres admovebat ægris ad ſanitatem, quam miraculo conferebat, eo palliolo obvelandam, ut dum curatio in hujuſmodi naturales cauſas referretur, peritus potius naturalium pharmacorum, quàm alicujus apud Deum meriti haberetur. Nota hæc eſt certiſſima perfectæ humilitatis, ut Bernardus teſtatur:

h Bonav. Serm de S. Marco. i Ibid. k Gen. 42. l Raynaud. Trias Patri. Lobbet. gloria Patriarch.

m Greg. hom. 32. n Raynaud. Trias Patriarch. in vita puncto. 10.

o Ma-

o *Magna*, inquit, *& rara virtus profectò eſt, ut magna licet operantem, magnum te neſcias, & manifeſtam omnibus, tuam te ſolum latere ſanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare; hoc ego ipſis virtutibus mirabilius judico. Fidelis revera famulus es, ſi de multa gloria Domini tui, etſi non exeunte ex te, tamen tranſeunte per te, nihil tuis manibus adhærere contingat. Tunc juxta mandatum Domini, lux tua lucet hominibus, ad glorificandum non te, ſed Patrem, qui in cœlis eſt. Sed & imitator Pauli, fideliumque Prædicatorum, non prædicantium ſemetipſos; æque nec tu, quæ tua ſunt, quæris, ſed quæ Jeſu Chriſti.* Ejuſmodi planè fuit *S. Franciſcus*, qui inter tot Divina opera, atque miracula, ſolum Dei honorem ſpectabat, nihil ſibi inde decerpens. Nôrat quippe inſanum eſſe, p *ut quis credat parieti, ſi ſe dicat parturire radium, quem ſuſcipit per feneſtram; aut ſi glorietur nubes, quod imbres genuerit.*

Cum interim filii hujus ſæculi, & quandoque etiam Deo deſponſi, ſi quid cœleſtium, aut naturalium donorum: ſi quid ſupernæ dulcedinis, & liquidæ voluptatis in oratione: ſi quid in adverſis conſolationis, ſi quid in rebus Divinis perſpicaciæ, ſi quid gratiæ, virtutis; inſuper temporalium bonorum, nobilitatis, opulentiæ, venuſtatis, felicitatis, ſolertiæ, benignus Dominus eis elargitus fuerit, evaneſcunt in cogitationibus ſuis, & hęc quaſi ſibi propria ducunt, & gloriantur, quaſi non acceperint, teſtante ac obteſtante Apoſtolo: q *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quæ verba Patriarcha Venetus perappoſitè tractavit, dicens: r *Inaniter laborat, qui laudem captat humanam: quoniam de alieno, non de ſuo laudari concupiſcit. Quid enim habes, ait Paulus, quod non accepiſti? ſupervacue ſiquidem, damnabilitérque te extollis, cum temporalibus, ſive naturalibus, ſeu ſpiritualibus gloriaris bonis. Agnoſce cum cunctis, univerſorum Conditoris gratiam, eique da gloriam, quatenus potiora merearis accipere.*

Sed qui in vita univerſa cæteris cultu, ac exercitatione humilitatis omnium minimus; in extremo vitæ actu Sanctiſſimus *minimorum* parens, ſeipſum prorſus exinanivit. Nam ut adventantem è corpore migrationem præſagivit, trimeſtri in aſſidua ſeceſſione inſumpto, ad inhærendum Deo ſoli; jamque appetentem videns ſignatum divinitus diem, prodiit in publicum, & ſocios ad omnem ſanctimoniam animatos, cygnæis affatus vocibus, quamquam nihil apertè de imminente obitu enuncians, vehementi ſuſpicione perculit haud ita procul è mortali vita diſceſſus; brevi tamen quod ſuberat, patefecit: nam proximâ Dominicâ Palmarum, febre correptus, & cum ea colluctans per dies aliquot, tandem quinta magnæ hebdomadæ feria, in templum ſe contulit, ibíque divinum epulum cum ſociis omnibus participavit; ſed ſpecie ipſe ſingulari, ac prorſus miſerandâ, nudipes ſiquidem, & uberibus lacrymis ora perfuſus, ſolutus in queſtus, & validè pectus diverberans, zonâ, qua præcingebatur, ſolutâ, & ſpecie

o Bernard. Serm. 13. in Cant. p Bern. cit. q 1. Cor. 4.

r B. Laur. Iuſtini in nativit. & virg.

la.

laquei collo inſertâ; ſtitit ſe ad ſacram menſam, eóque habitu rei latronis, panem vitæ, & intellectus percepit. Num graſſator quiſpiam multo fuſo humano ſanguine cruentus: num carnalis homo in cœno libidinum per annos plures fœdè volutatus: num alienorum appetitor, & oppreſſor pauperum, extimeſcens divina judicia, & pro æterno exitio devitando, inſtante morte ſolicitus, aliter placationem Deo offerret pro anima ſua? mirum non fuit, perculſos ſacro horrore ſocios diriguiſſe ad ſpectaculum, quale vix anterior ætas viderat, vix futura videbit.

Scio S. Carolum, Præſulum gemmam, & vivum ſanctimoniæ ſimulacrum, fortè æmulatum *S. Franciſci* factum, ea ipſa ſpecie conſpici aliquando voluiſſe; verùm bonus Paſtor, populi ſui concrediti perſonam aſſumpſit, & ejus nomine luctuoſum illum apparatum prætulit, ut pro innumeris, atq; graviſſimis populoſiſſimæ civitatis criminibus, irato Deo ſatisfaceret, duráque pectora ſuo exemplo ad doloris ſocietatem, & conſentaneum de ſceleribus ſenſum emolliret. Hîc alia omnia ſunt cogitanda; nam hic in cœlis maximus, ut omnium eſſet in terris minimus, non alieno, ſed ſuomet nomine ſtitit ſe Deo, immanis peccatoris habitu, perinde ac ſi truculenti latronis vitam egiſſet, cujus tetras maculas elui tali lixivio oporteret.

Spectâſtis hactenus *Benjaminum* humilitate *minimum*; nunc quemadmodum à Joſepho, ab ipſo Chriſto divinis honoribus, potentia, aliiſque favoribus apud Deum, & homines magnificatus ſit, attendite. Honores porrò, dum hic in terris ſupereſſet, quocumque appelleret, viro ſancto religioſe delati, omnem dicendi vim, & facultatem ſuperant: etenim non modò in conſpectu plebeculæ inſigniter honeſtatus eſt; ſed etiam vehementer magnificatus eſt in Principum, Regum, Pontificúmque conſpectu, ut in eo comprobatum ſit, quod à Sapiente per allegoriam ex quatuor *minimis terræ* dictum ſit: f *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.*

Ducto à majeſtate Pontificia initio, incredibile eſt quanta apud Sixtum IV. móxque apud Julium XI. fuerit maximi hujus Sancti, & abſentis fama, & præſentis gloria. Eum Sixtus Pontifex, homo cæteroqui gradus ſui, & majeſtatis admodum retinens, advenientem non ut vilem homunculum, quod maſtruca præferebat, ſed ut Angelum Dei excepit: nec cum ſtante, aut de geniculis agente collocutus eſt, ſed aſſidere juſſit perhonorificè, datâ perbenignè, ſemel, iterum, tertiò audientiâ, & quidem ſingulis vicibus per horas non minus ternas. Aderat Julianus de Runere Sixti ex fratre nepos, patrui benevolentiam cumulans: qui præmium honoris, quo virum ſanctum proſequebatur, ſibi optatiſſimum tulit prænunciationem Pontificiæ dignitatis, quam poſtea inivit, dictus Julius II.

Nec populus Romanus, horum ſuorum capitum judiciis malè reſpondit; ſed pro inſigni famâ, quæ præcurrerat, adventantē omni veneratione eſt proſecutus, coluítque propenſiſſime.

f Proverb. 30. v. 24.

Jam

Jam quanta gloria,& ſplendor nominis ejus apud ſummos Reges fuerit, videamus. Evocatus è ſuo ſeceſſu, jubente Sixto Pontifice, adita in tranſitu Neapoli, exceptus à Rege eſt, non ut homuncio(cujuſmodi videri geſtiebat) ſed perinde ac ſi Legatum Pontificium egiſſet, ac etiam honorificentius.Rex ipſeFerdinandus Senior cum liberis obviam proceſſit, nec paſſus eſt alio excipi hoſpitio, quàm Regio Palatio: t *Non fuit munus videre Principem* (quod ajebat Theodahadus apud Caſſiodorum *t*) ipſe Princeps pro magno munere habuit, virum pannoſum videre,& affari familiariter. Refertam auro crumenam ut admitteret, impensè urgebat;at ille præterquam paupertatis tenaciſſimus, inſuper addebat adduci ſe non poſſe,ut manus ſuas pauperum ſanguine pollueret, & aureorum uno in fruſta diſſecto, copioſus ſanguis effluxit, tantum non clamans,iniquis exactionibus, pauperum ſanguinem exſugi.

Si hoc cruentum ſæculum noſtrum *Paulanos* haberet,quantum ſanguinis è nummis exprimerent, quem immanes belli duces, iniqui Judices, & Legiſperiti, è venis miſerorum opilionum, viduarum, & pupillorum extorquent. Ut enim recte Stobæus obſervat: *Argentum hominibus ſanguis, & anima eſt*.Et ipſe Hipponenſis Præſul: v *Tantum amas pecuniam tuam,ut eam appelles ſanguinem tuum.* Diſerte Sacræ paginæ: x *Panis egentium, vita pauperum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt*, ſeu ut vertit Tigurina: *Vir ſanguinarius, & homicida eſt*:licet enim gladio non juguler; ſubtrahit tamen illi hoc,quo ſublato, vel fame enecatur, vel vitam agit morte deteriorem, qualem plures viduæ cum liberis ſuis ducere coguntur; dum cauſa earum juſta, dolo & fraude,ac corruptela munerum, per ſummam injuſtitiam ſupprimitur, aut abjudicatur,aut ita lites protrahuntur, ut præ miſeria, & inopia,vita prius excedant. Hinc lugubris illa Jeremiæ vatis querela: y *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum, pauperum, & innocentium.*In alis tuis, id eſt, Auctore Hieronymo, Theodoreto, Lyrano, (y) *in oris veſtimentorum*; *eſt metaphora ab avibus rapacibus, uti ſunt accipitres, quorum alis adhæret ſanguis avium raptarum; quod enim alæ & plumæ avibus, hoc veſtes homini.* Hugo: *In alis tuis*, id eſt, z in principibus, in judicibus, per quos debebat populus ſublevari quaſi alis, & protegi,inventa eſt ſubſtantia pauperum,quam in ſudore & ſanguine animæ acquiſierant: quia bona eorum rapiebant: ſeu ut vertunt 70 *In alis*, id eſt, *in manibus* tuis. Juxta illud Iſaiæ: a *Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine*; qui utinam juſtam ſibi ab Deo Judice vindictam imminere proſpicerent: b *Viri ſanguinum & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos*; c ſed immatura morte præripientur.

Major jam apud Regem Galliarum Ludovicum XI. *Minimorum Fundatoris* fama increbruerat, quem Regiâ munificentiâ

t Caſſiodor.l.20.Epiſt 13. v Aug. Serm.5 ex 40. x Eccl. 34. v. 25.Pinna hic.Bonaert,hic.

y Ier.2.v.34. (y) Hier.Theod.Lyran. hic Corn. z Hugo hic. a Iſa.1. b Pſ. 54.v.25. c Genebrod.

ſibi

ſibi devincire ſtuduit: *d* miſit enim ad eum Rex abacum argentarium inauratum, cum univerſo inſtructu vaſario; nec ita multò pòſt, addidit Deiparæ imaginem, quæ circiter duodeviginti millibus nummûm aureorum æſtimabatur. Reſpuit univerſa magnanimus contemptor, nec adduci ullis precibus, aut phaleris verborum potuit, ut admitteret, negans pauperum *minimo*, ſive argentarium abacum, ſive tam dives pietatis pignus congruere. Dicebat non minus ex eo igne ſuccendi concupiſcentiam, quàm ex ſpecioſorum corporum contactu. Exprimebat in ſe, ſuíſq; illud S. Nili, ad magnam Diaconiſſam Ancyranam: e *æquè pulchritudo* (inquit) *formæ, & opes appetuntur: & utriuſque harum illecebris non irretiri, fortis animi eſt; ſed qui propoſitum nihil poſſidendi ſuſceperunt, majore adhuc admiratione digni ſunt.* Non deſtitit tamen Ludovicus virum ſanctum urgere ne gravaretur ad ſe in Galliam iter ſuſcipere, omnia pollicitus, quibus ineſcari homines etiam pii ſolent; gratiam, cœnobiorũ ſtructuram, proventus; ſed quod maxime *Franciſcum* permovere poterat, & à Legato Baudicortio, Galliæ Mareſchallo (quem ad illum deſtinârat) naviter urgebatur, aptatio erat Ludovici Regis ad piam mortem: nam ætate erat valde devexâ, & cum variis morbis conflictabatur, erátq; multò gravior animi ægritudo, qua præ mortis metu, ad cujus vel ſolam memoriam horreſcebat: qua præ ſcrupulis, & animi anguſtiis, nulla quiete interpoſita, diſcruciabatur. Renitentem Dei hominem, & ab aulæ ſtrepitu abhorrentem, interpellata Sixti IV. Pontificis auctoritas fregit. Ubi in Gallicum littus appulit, eo loco, cui nomen *caput Columbi*, triremi exſcendens, rupem impreſſis pedum veſtigiis, hodiéque conſpicuis, ſignavit. A Rege, per omne, quò iter habuit, præmiſſis ſacris, ac ſi Cardinalis cum legationis honore illuc tenderet, exceptus fuit. Non iſta tamen honoris, venerationis, benevolentiæ, amoris blandimenta virum Dei in oculis ſuis minimũ palparunt, quò minus Regi, corpore & animo ægrotanti, amarã, ſed ſalubrem medicinam adhiberet: intrepide namq; & aperte citra ambages, phaleráſque verborum, ex Dei nomine Regi denunciavit, diſponeret domui ſuę, ac conſcientiæ, quòd vitam productiorem ſucciſo ex divino decreto ejus ſtamine eſſet fruſtra quæſiturus. Quis credat, qui omnibus ſolitus leges ſtatuere, à nemine accipere, ad nuntium hunc fatalem mortis, cujus vel umbram graviſſime exhorruerat, ad poculum amarum nullo melle circumlitum, non modò non infremuiſſe, aut adverſus importunum monitorem commotum eſſe, ſed plane mutatum in virum alterum, ſepe ſolutũ in lacrymas, quin & nudato ſibi tergo, admoto flagello ultroneas pœnas dediſſe, ad ſanguinis uſq; effuſionẽ.

Nec in Carolum VIII. Ludovici filium, ſe blandiorem præbuit, qui non raro ab ejus alloquiis, percutiens pectus, & rorantibus oculis regredi eſt deprehenſus. Quo factum, ut ceſsârit, quam ſæpius Ludov. Rex jactârat, querimonia: f *In aula omnibus abundo,*

d Rayn. cit. e S. Nilus, l. de nihil poſſidendo.

f Drexel. phaeton. cap. 9. §. 7.

una excepta veritate. Hæc cauſa eſt, impunè graſſari ſcelera, committi ſcandala, pauca in cœlis numerari magna, & coronata capita: g *Monſtrabo tibi*; inquit Seneca, *cujus rei inopiâ laborent magna faſtigia; quid omnia poſſidentibus deſit: ſcilicet qui verum dicat*. Scilicet qui hunc ſanctiſſimum *Minimorum Patriarcham* æmuletur, qui verum, & ſeverum ſe animarum medicum præbeat.

Illi ſaltem, quibus ex officio incumbit, ut ſunt Confeſſarii, Paſtores, ſuperiores, parentes, nôrint medicinalem correptionem ſub gravi obligatione adhibendam, ut apud Doctores in confeſſo eſt. Horum Principes audiamus: Doctor Angelicus: h *Prætermittitur*, inquit, *fraterna correptio cum peccato mortali*, fundatque ſe in Levitico cap. 19. & Matthæi 18. Doctor Hipponenſis: i *Vides fratrem tuum perire, & negligis, pejor es tacendo, quàm ille convitiando*. & libro 3. contra Julianum, majorem in quibuſdam obligationem adſtruit, dicens: k *Si in eos, in quos nobis poteſtas eſt, ante oculos noſtros perpetrare ſcelera permittimus, rei cum ipſis erimus*. Quare ſapienter monet Sapiens: † *Pro anima tua, non confundaris dicere verum*. Dic liberè: Perilluſtris Domine, ſcis palam eſſe, tali te puellæ conſueſcere? nobiliſſime Domine, non vereris, ne tandem cum nominis jactura, aliquando innoteſcat, te iſtic, & illic, non unum nothum, aut ſpurium alere? ampliſſime Domine, nôſti quo nomine paſſim labores? quod Judex corruptus, quòd oppreſſor pauperum, & pupillorum audias? conſultiſſime Domine, quid audio? talem viduam fraude circumveniſti, in tali cauſa pejerare non timuiſti: l *Ferveat in nobis zelus iſte*, clamat Bernardus, *ferveat amor juſtitiæ, odium iniquitatis. Nemo, fratres, vitia palpet*. Obſervârat ut opinor, quoſdam in eo chirurgos imitari, quod prius volſella, quàm pungant, venam vulneri deſtinatam palpent, & velut popiſmate leniant. Liberè omni aſſentatione miſſa, mellifluus Doctor vitia argui, peccatores pungi vult, ut ſentiant, & compungantur: ſcabioſus enim blanda confricatione delectatur, & vulnera leniter curata putreſcunt.

Nemo confeſſarius vitia palpet, concubinam dimittendam liberè edicat. Reſtitutionem famæ, aut pecuniæ faciendam præſcribat: occaſionem peccandi, præſens periculum declinandum præcipiat. Nemo Medicorum vitia palpet, non uxoris lacrymas, non ægri, ex nuntio mortis, conſternationem ſpectet; ſed imminens diſcrimen denuntiet, ut animæ medico adhibito, diſponat domui ſuæ.

Hoc enimverò maximè luctuoſum viris principibus accidere, olim queſtus eſt Æneas Silvius, poſtea Pius II. Pontifex: *Hæc miſeria Principum*, inquit, *ut ne quidem in morte verum audiant*. De quo magnus ille animarum medicus *Franciſcus de Paula* Regem Ludovicum, queri non paſſus eſt.

Tanta valuit ſanctiſſimus hic vir apud Reges, & Dynaſtas au-

g Seneca l. 6. de benef. c. 50. h S. Thom. 22. qu. 33. art. 2. ad 3. i Auguſtin. Serm. 16. de verbis Dom. k Lib. 3. contra Iulian. cap. 3. † Eccl. 4.

l Bernard. Serm. in nativit. S. Ioan. Baptiſt.

ctoritate, tanta fuit omni populo in veneratione, ut veſtes à circumfuſa turba undequaque acciſæ, quæ poſt multam truncationem, priſtinam tenuêre quantitatem. Nec in Italia dumtaxat, in Gallia, in Hiſpania; ſed per Europam, imò Orbem univerſum inclaruit, ut, quod Chryſoſtomus de altero conſimili, affirmare poſſim: m *Iſto in civitates introeunte* (*rarò autem hoc fiebat*) *ita catervatim colligebatur populus, ut nihil tale factum ſit, vel Rhetoribus, vel Sophiſtis, aut aliis quibuſcumque ingredientibus. Quid dico? an non & nunc quidem nomen ejus cunctis Regibus illuſtrius, ac venerandum magis habetur? ſi verò ita in hoc mundo fiunt, in eo ſcilicet mundo, in quo nobis nihil boni promiſit Dominus, in quo peregrinos nos eſſe dixit, cogitemus quanta bona nobis repoſita ſint in cœlis; ſi ubi advenæ erant, tantum adepti ſunt honoris, quanta potientur ibi gloria, ubi cives ſunt? ſi tantum reverentiæ invenerunt, ubi tribulationem prædixit Chriſtus, quanta erit illic requies, ubi veros promittit honores?* nunc ad alia quæ mores, & vos propius concernunt veniamus.

§. III.

Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis MINIMIS, *mihi feciſtis.* Matth. cap. 25.

GEntilis morum magiſter Seneca, nimis ſublimiter de Deo ſenſit, cùm inter excelſa Dei attributa enumerat, quod omnibus profusè largiatur, & à nemine quidquam accipiat: n *Qui*, inquit, *omnibus daturus eſt, & numquam accepturus.* Non hauſerat iſte, in tam alta gentilitatis caligine vel per rimam, radium lucis æternæ dictantis: o *quod uni ex* MINIMIS *meis feciſtis, mihi feciſtis.* Quod in Turonenſi Præſule Martino videre fuit, p qui dimidiæ chlamydis fruſto, totum Chriſtum induit, ut nocte ſequenti, per manifeſtam viſionem, declaravit, dicens: *Martinus adhuc Catechumenus, hac me veſte contexit.* Quid igitur glorioſius à primo veritatis oraculo dici potuit illo: q *Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Etenim ſi cuivis amico, aut propinquo dare, beatum; ipſi Deo dare, quid beatius? ſi Deo eſt beatum dare nobis, quæ major beatitudo noſtra, quàm Deo dare? & quidem in hoc Deo ſuperiores quodammodo ſumus, quia nobiliori damus: Deus enim nobis, nos Deo damus, quæ uni ex *minimis* ejus fratribus damus.

Sic porrò graviſſimus interpres illum locum exponit: r *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, his* ait denotari viros religioſos, & Apoſtolicos, qui Chriſto judici aſſidebunt, *& in hoc mundo habiti ſunt* MINIMI. Purpuratus martyr Cyprianus: ſ *Quid potuit nobis magis Chriſtus edicere? quomodo potuit magis juſtitiæ, ac miſericordiæ noſtræ operam provocare, quàm quod præſtari dixit ſibi, quidquid egenti præſtatur, & pauperi? & qui reſpectu fratris in Eccleſia non movetur, vel Chriſti contemplatione*

m Chryſoſt. hom. 21. in Epiſt. ad Epheſ. de S. Iuliano Eremita.

n Seneca lib. de benef. o Matth. 25. p Vide faſtos Mart. q r Cornel. in Matth. 25. 40. ſ Cyprian. Tract. de eleemoſyn.

mo-

moveatur, & qui non cogitat in labore & egeſtate conſervum, vel Dominum cogitet in illo ipſo, quem deſpicit, conſtitutum. Hoc alte imbiberat, & fide viva expreſſerat Chriſtianiſſimus, ac ſanctiſſimus Galliarum Rex Ludovicus, t qui feſtis, ac vigiliis, ſua manu cibum porrigebat ducentis pauperibus, eiſque die Sabbathi & pedes abluebat; cúmque nonnulli objicerent, hoc dedecere Majeſtatem Regiam, reſpondebat: *Ego in pauperibus revereor Chriſtum, qui dixit:* v *quod uni ex* MINIMIS MEIS *feciſtis, mihi feciſtis.*

At hoc dolendum eſt, hanc fidem in pleriſque, imo prope in omnibus mortuam, ac plane exſtinctam: nemo quippe Chriſtianus eſt, qui ſi ipſum Chriſtum nudum, algentem, eſurientem, ſitientem, ad ſe peregrinum divertentem cerneret, quin ſe felicem, quin ſe beatum diceret, ſi illum cooperire, paſcere, potare, hoſpitio excipere contingeret? atqui fides docet, & prima Veritas profitetur, hæc ſibi fieri, quæ ſuis: ut bene S. Thomas advertit in Luc. cap. 10. x *Mulier quædam Martha nomine, excepit eum in domum ſuam: ne quis autem veſtrum dicat, ô beati, qui Chriſtum ſuſcipere in domum propriam meruerunt, ut Publicanus, ut Zachæus, ut Martha, noli dolere, noli murmurare, quia temporibus natus es, quando jam Dominum non vides in carne, non tibi abſtulit illam dignationem, cum uni, inquit, ex* MINIMIS MEIS *feciſtis, mihi feciſtis.*

Dominum domus tuæ ſaltem aliquo angulo in paupere, in minimo ſervo, dignare, ut S. Leo, S. Auguſtinus, S. Elizabetha, aliiq; qui in minimo ſervo, Regem Angelorum excepêre, ut feſto 2. Paſchæ prolixe demonſtravimus. Cant. 4. ait cœleſtis Sponſus: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea Sponſa in uno crine colli tui.* Perinde ac ſi diceret, nullus in tuis filiis eſt quamtumvis videatur deſpicabilis, & minimus, ut crinis colli qui nec pili æſtimatur, quem ego peculiari amore non proſequar, & medullitus, ut meipſum amem. Ita hæc verba exponit Paraphraſtes Chaldæus: *Infixus enim in tabula cordis mei amor tuus, ſoror mea Sponſa. Infixa eſt in tabula cordis mei dilectio* MINIMORUM FILIORUM TUORUM. S. Hilarius y *Ita in univerſorum fidelium corporibus, mentibúſque transfunditur, ut hæc humilitatis officia, aut gratiam ſuam impenſa mereantur, aut offenſam negata commoveant,* ſimilitudinem ab anima ſumpſiſſe videtur, quæ in corpore eſurit, & paſcitur, quam luculentius proſequitur Paſchaſius l. 11. in Matt. z *Mira Domini* JESU *Chriſti unitas prædicatur cum ſuo corpore, ut intelligas caput ſuis compati, & congratulari membris; ſicut anima in corpore humano compatitur ei, quamvis non eſuriat, quantum ad ſuam ſpectat naturam; eſurit tamen corporis cibum, in eo quod copulata eſt corpori ſuo, & paſcitur. Sic Chriſtus eſurit, & paſcitur in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia: paſcitur quoque, & reficitur, cùm ſit ipſe impaſſibilis, nulli egeat alimentis; ſed in unoquoq; Sanctorum alitur. Alitur cibis, & reficitur potu, veſtitur nudus, & colligitur hoſpes, in carcere conſolatur, & viſitatur infirmus.* Quidquid charitatis uni è minimis exhibueris Chriſtus ſibi acceptum refert.

t Surius 25. Auguſti. v Matth. 25. x S. Thom. & Aug. Serm. 26. de verbis Domini.

y S. Hilar. Canon. 28. in Matt. z Paſchaſius l. 11. in Matth.

Ho

Hoc probe nôrat inſignis ille ſanctimonia ArchipræſulS. Thomas de Villa nova, *a* cui dum thorax novus induendus, ubi à ſartore intellexit, quatuor aureis valere: apage, inquit, hoc argento, in paupere, *totum Chriſtum induiſſe*, juxta illud, *quod uni ex* MINIMIS MEIS *feciſtis, mihi feciſtis.*

Ubi occurrit cujuſdam lepida emendicandi ratio: *b* homo ruſticus, ingenio ſatis liberali, animum ſtudiis applicuit, & ſacris litteris impenſe deditus, aulicis conſuêrat, quibus hanc aliquando coram Principe quæſtionem movit, quot ulnæ panni inſumendæ eſſent, ut Deo quis veſtem conficeret? cunctis ridentibus, & ut rem impoſſibilem explodentibus, cùm apud Prophetam dicat: c *Cœlum & terram ego impleo*, mentem ipſe ſuam expoſuit, dicens, quatuor aut quinque ulnas ſufficere, ipſo primæ veritatis teſtimonio: *Quod uni ex* MINIMIS, &c. Ego, inquit, ex his minimis ſum, paucæ hæ ulnæ ad me induendum conferte, & Chriſtum induiſtis. Quod non ex Martino duntaxat, ſed & in Martiniano, aliiſque innumeris divino prodigio comprobatum fuit.

d S. Jordanus in pauperes profuſus, forte ad ædem ſacram perrecturus, crumenam oblitus, in miſerum mendicabulum incidit, cui cùm non ſuppeteret, quod erogaret, cingulum argenteum affabre elaboratum dedit; inde ut templum ingreſſus eſt, Chriſtum eo cingulo accinctum conſpexit. Quare ſuos in hac parte nimium incredulos graviſſimus Præſul D. Salvianus ſic compellat: e *Ubi ergo ſunt illi, qui dicunt Dominum* JESUM *Chriſtum officio noſtrorum munerum non egere? ecce eſurire ſe, pariter & ſitire, & algere commemorat. Reſpondeat quilibet horum, ſi non eget, qui eſurire ſe queritur? ſi non eget, qui ſe ſitire teſtatur?* f *ego plus addo aliquid, Chriſtum non ſolum egere cum cæteris, ſed plus multò egere quàm cæteros: non in omni enim pauperum numero, non eſt univerſorum omnium una paupertas, ſunt enim quidam, quibus etſi veſtimenta deſunt, alimenta non deſunt. Multi ſunt hoſpitio egentes, veſtibus non egentes; multi domo carentes, ſed non ſubſtantia; ſunt denique quibus etſi deſunt multa, non deſunt omnia; Chriſtus tantummodo ſolus eſt, cui nihil eſt, quod in omni humano genere non deſit. Nullus ſervorum ſuorum exulat, nullus frigore, ac nuditate torquetur; cum quo ille non algeat; ſolus cum eſurientibus eſurit: ſolus cum ſitientibus ſitit. Et ideo quantum ad pietatem illius pertinet, pluſquam cæteri eget: omnis enim egeſtuoſus pro ſe tantum, & in ſe eget; ſolus tantummodo Chriſtus eſt, qui omnium pauperum univerſitate mendicet.* Hinc amabili charitatis ſymbolo, ſe Gallinæ, pullos ſuos foventi, comparavit, in quibus illa eſurit, ſitit, anguſtiatur, maceratur, quáſque vel minimo eorum, micas, aut pabula porrexeris, quaſi ſibi præſtita lætatur.

Auguſtinus in Pſalm. 58. g *Redemptor noſter tanquam gallina infirmatur cum parvulis: non enim in aliqua ave hoc aliquando conſpeximus, earum etiam quæ nidificant ante oculos noſtros, ſicut paſſeres, hirundines, tanquam annuæ noſtræ hoſpites: ſicut ciconiæ,*

a In vita. Rho. variæ virtutum hiſt. l. .c.13.n.14. Matt.25. b Gaſpar Enſ. E- idor.l.4. c Ier.13.

d Barry practique des vertus, pract. 7. e Salvianus l. 4. ad Eccl. f Velaſquet Tom. 1. p. 45. g Aug in Pſalm. 58.

ſicut aliæ aves, quæ ante oculos noſtros nidificant, ovis inſident, pullos alunt; ex his verò aliquando avem infirmari cum parvulis (cum minimis ſuis) *non cognovimus, non aſpeximus, non vidimus; Gallina quomodo hoc habet? certè notam rem dico, quæ in conſpectu noſtro quotidie verſatur: quomodo rauceſcit vox, quomodo fit hiſpidum totum corpus, demittuntur alæ, laxantur plumæ. Et ea eſt materna charitas, quæ invenitur infirmitas*

Quam affectus teneritudinem, & amoris ſolicitudinem gallina parvulis, hanc, citra comparationem, Chriſtus qui eſt charitas, impendit vobis, religioſiſſimi Patres, *minimis ſuis*, adeò ut ſi quis veſtrûm eſuriat, ſitiat, infirmetur, ipſe ſe eſurire, ſitire, infirmari fateatur. Si quis verò in tanta vitæ veſtræ auſteritate, ac perpetuo à carnibus, & omnibus lacticiniis jejunio, ad ſuſtentationem neceſſaria ſubmiſerit, ſibi ea præſtita glorietur.

Fortiſſimum Achillem, Auditores, ut viſcera miſericordiæ exhibeatis, Orator aureus, his verbis admonet: h *Deus pro nobis animam poſuit, & pretioſum ſanguinem propter nos effudit, qui non eramus amici: nos autem neque pecunias propter eum effundimus, ſed eum deſpicimus nudum, & peregrinum, pro nobis mortuum Et quis nos à futura pœna liberabit, cùm eum, qui pro nobis animam poſuit, deſpicimus eſurientem? & quid dico pecunias? nónne ſi innumeras haberemus animas, omnes oportuerat pro eo ponere?* tum ad confuſionem noſtram, ſic ſanctè iraſcitur, & excandeſcit: *Omnibus ingratiores ſumus; cervis quidem, & mulis, & equis torques aureos circumponentes; Dominum verò nudum circumeuntem, & fores ex foribus mutantem; & ſemper in exitibus viarum morantem, & manus porrigentem deſpicimus, & torvo oculo reſpicimus.* Quod non tam de omnibus pauperibus, ſed fratribus minimis, quæ ſeculo ſpreto, paupertate *minimi* ſunt, propriiſſimè intelligendum,

S. Auguſtinus annotavit, ad illa verba, *quod uni ex* MINIMIS MEIS. Ubi ſic ait: i *Hi illi ſunt, qui omnia ſua dimiſerunt, ut Deo ſine ſæculari compede, expediti ſervirent, & ab oneribus mundi liberati, & velut pennati ſurſum humeros tollerent. Hi ſunt* MINIMI. *Quare* MINIMI: *quia humiles, quia non elati, non ſuperbi.* Appende *minimos iſtos*, & grave pondus virtutum, meritorum, Apoſtolicarum actionum pondus invenies. Appende illos *minimos*, & Chriſto æquiponderantes invenies.

Denique honorem, venerationem, cultum quem ſanctiſſimo MINIMORUM *Patriarchæ*, ejuſque filiis minimis exhibueritis, Deus ſibi, qui in ſervis ſuis ſanctis honoratur, delatum reputat, & remunerabitur. Sanctus Hieronymus Epiſt. 53. ad Ripar. k *Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet in Dominum, qui ait: qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit.* Splendidus amictus, tæniis ſericis, auróque diſtinctus, quo Ephebi, cæteríque pediſſequi induuntur, redundat in honorem Domini. Quo ſpectat illud Pſaltis Regii: l *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Si amici Dei, ergo quod ipſis, hoc Deo tribuitur. Sicut qui

h Chryſoſt. hom. 32. ad popul.

i Auguſtin. Serm. 35. de verbis Domini.
k S. Hieron. Epiſt. 53. ad Ripar. l Pſ. 138

qui amicum tuum, filium, aut nepotem tibi chariſſimum, ſingulari favore, amore, honore proſequitur, tibi factum agnoſcis. Ita ſi hunc eximium Dei amicum ejuſque ſtatuam, aram, templum, domum, luminaribus, pretioſis veſtibus, argenteis, ac aureis anathematis condecorâris, ſe iis honoratum, ac condecoratum, in die judicii, in vaſto illo orbis theatro gloriab tur: m *Tunc illam Domini ſententiam audire merebimur: amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex* MINIMIS ISTIS, *mihi feciſtis. O benigniſſimum Dominum! ad edomandam hominum avaritiam: ſibi dari dicit, quod* MINIMO PAUPERI *donatum fuerit.* Ut avaros illos Euclioncs permoveat, ſibi dari, & mercedem æternam, ac centuplum remunerari aſſerit. Quin & illam favorabilem ſententiam audituri ſunt: *Eſurivi enim,*&c. *quod uni ex* MINIMIS.

Expendit D. Auguſtinus, ex quo ſumpſit S. Bernardus, *n* quod non ſit dicturus Chriſtus divo Stephano: *Veni benedicte,*&c. quia ob mei gratiam lapidatus es: D. Laurentio: quia pro mea fide in craticula aſſatus es: nec D. Antonio, quia amore mei, terrena omnia reliquiſti. Non profert majora Sanctorum facinora, à quibus quiſque veſtrum abhorreret, & ſibi per illa intrandum *in Regnum Cœlorum*, deſperaret; ſed petit parva, levia, & obvia, quæ citra incommodum, & carnis pugnam præſtari poſſunt: non enim à te exigit, ut corpus tuum flagellis indies cruentes, ſicut S. Dominicus, nec noctibus jungas dies, ut S. Franciſcus, nec te ſpelæo concludas cum Paulo Anachoreta; nec pectus ſaxo contundas cum Hieronymo; ſed illud quod nullo labore & exiguo tui impendio præſtare vales, buccellam eſurienti minimo, hauſtum ſitienti, laciniam panni nudo operiendo elargiri. Chryſologus Serm. 14. o *Quod Abel paſſus ſit: quod ſervavit mundum Noe: quod Abraham fidem ſuſcepit, quod Moyſes legem tulit quod crucem Petrus reſupinus aſcendit, Deus tacet & hoc totum clamat, quod comedit pauper.* p Voluit illo Deus ſignificare, inquit Chryſoſtomus, vobis nullam ſpem intrandi in Regnum cælorum, niſi ipſi in ſuis viſcera miſericordiæ oſtenderitis. Quod ſcitè expendit idem Præſul Ravennas ad illa verba: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem in die mala,*&c. *Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare.* q Tibi ô Domine? an non ille erat *peregrinus pauper? pupillus fame confectus?* an non illa erat vidua, quæ me acceſſit deſolata? *non dixit, eſurivit pauper, & dediſtis illi manducare, ſed eſurivi ego, & dediſtis mihi manducare. Sibi datum clamat, quod pauper acceperit, ſe manducare dicit, quod comederit pauper*; ut cum videris pauperem oculis corporis, oculos attollas mentis, & in illo Chriſtum conſideres, & intuearis.

m Auguſt. Serm. 64. de temp.
n Auguſt. Serm. 15. de temp. & lib. 50. hom. 9. Bernard. Serm. 8. qui habitat.

o Chryſol. Serm. 14.
p Chryſoſt. hom. 22. in Ioan. Tom. 3.
q Chryſolog. cit.

§. IV. *Deus*

§. IV.

Deus etiam injurias uni ex MINIMIS SUIS *illatas, gravius quam ſibi, ulciſcitur.*

VEriſſimum illud Ariſtotelis effatum; *Anima plus eſt ubi amat, quàm ubi animat* Hinc maritus compellat uxorem, cor ſuum: unicum prædilectum filiolum, corculum ſuum: procus totus eſt in Sponſa, & quidquid illis adverſi obtingit, aut injuriæ infertur, vivacius perſentiſcunt, quam ſi ipſis accidiſſet: imò optat maritus morbum, aut quodvis malum uxoris, mater filii, procus Sponſæ, quo miſere confli̇ctatur, in ſe derivari. Sic amator ille hominum Deus, qui longè ardentiori amore, quemque noſtrum complectitur, quàm ullus mortalium alterum, injurias omnes, uni è *minimis ſuis* irrogatas, gravius quam ſibi illatas, ulciſcitur, juxta illud: r *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Ubi divinâ ſuâ Suadâ excurrit Salvianus: ſ *Ad exprimendam, inquit, teneritudinem pietatis ſuæ, Deus tenerrimam* (& minimam) *partem humani corporis nominavit; ut apertiſſimè intelligeremus, eum tam parva Sanctorum ſuorum contumelia lædi, quam parvi verberis tactu, humani viſus acies læderetur.* Nihil charius, nil rarius, nihil tenerius, quàm pupilla oculi, quæ ut minima ſit, maximè ſibi cordi, ac curæ eſſe manifeſtat.

Sub primum orbis naſcentis exordium, Cain viliſſima quæque, ſupremo omnium Domino deferendo, non levem contemptum, & injuriam intulerat; nullam tamen Dominus de eo vindictam ſumpſit; at ubi in fratrem parricidales manus armavit, è veſtigio vindex Deus graviſſimè ſcelus ultus eſt, quod Chryſoſtomus expendens, ait: t *Vides quomodo Deus, quando in ipſum peccavit Cain, peccatúmque non vulgare, dimiſit; quando autem in fratrem armavit dexteram, maledictum intulit, & increpavit,* & plaga grandi eum percuſſit. Phariſæus gravem calumniam, ſuper menſam, Chriſto impegerat, dicens: v *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* At Chriſtus non ſuam, ſed Magdalenę cauſam ſuſcepit, inq; ejus laudes excurrens, temerarium illum cenſorem, ac maledicum calumniatorem, condignâ cenſurâ perſtrinxit.

Idem argumentum Matthæus proſequitur exemplo cœleſtis Regis, x qui ſervo debitori, ingentem ſummam decem millium talentorum gratis remiſit; hic verò, ubi barbarâ crudelitate, conſervi ſui jugulum petens, longè minus debitum, centum duntaxat denarios violentè extorſit, iratus Dominus, omnem gratiam factam revocavit, tradítque eum tortoribus, donec redderet univerſum debitum; quod pro rei indignitate, aureo ſuo ſermone, ſic exaggerat Antiochenus Præſul: y *Magna quidem, & ineffabilis miſericordia: cùm in ſe peccatum eſt, ad nudas tantum*

r Zach. 2. v. 8. ſ Salvian. lib. 6. de gubernat. Dei.

t Chryſoſt. hom. 26. in Gen. v Luc. 7. v. 39. x Matth. 18. v. 24. y Chryſoſt. hom. 27. in Gen.

preces

preces totum remiſit: cùm autem in conſervum crudelis, & inhumanus eſſet, ſuam revocat liberalitatem; monſtrans illi reipſa, quod non tam illum, quàm ſeipſum offendiſſet. Quis veſtrum vindicem Dei manum in ſe extentam extimeſcit, dum proximi, id eſt fratris ſui (omnes enim ejuſdem patris filii ſumus) ut pinguiorem adeat hæreditatem, vitæ inſidiatur? aut, ſi Caino multò truculentior, pravâ ſuâ conſuetudine, perverſo conſilio, enormi ſcandalo, non unius innocentis, ſed plurium animas trucidârit, parricidam ſe agnoſcit? quod quàm manifeſtum ſit, Abbas Claravallenſis edocebit: z *Si proprium ſanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem ab eo ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione avertit ab eo animas, quas redemit, quàm à Juda, qui ſanguinem illum fudit? agnoſcite dilectiſſimi, & expaveſcite conſortia eorum, qui ſalutem impediunt animarum. Horrendum penitus ſacrilegium, quod ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino ſacrilegas manus intulerunt.* Quis veſtrum hæc recogitat, Deo graviorem, quàm ejus membris injuriam inferri? Quis ob damna, quæ corpori, aut animæ proximi ſui intulit, ſe ab irato Numine maledictum ſuper terram, omnia in domo peſſum ire, uxorem, liberos, morbis, miſeriis, plagis variis conflictari, ſéque à conſpectu DEI in æternum profugum futurum confitetur?

Alter procaci lingua integerrimæ filiæ, honeſtæ viduæ famam laceſſit, temerario judicio, & phariſaico ſupercilio, ut meretricem, ac peccatricem ſugillans, & ſummum illum in cœleſti curiâ Advocatum Chriſtum, ſuæ cauſæ contrarium fore non reformidat. Tu verò qui miſero piſtori, ſutori, lanioni, mercatori, pro pretioſa qua tu, & tui induuntur byſſo, & telâ aureâ, per plures annos millia debes, pupillis, orphanis, viduis, vicinis, litem intent; ſanguinem, omnémque ſubſtantiam fraude ac injuria emungis, rationem à te Regi immortali brevi reddendam non recogitas? tu denique, qui Domino debes pluſquàm decem millia talentorum, quot flagitia in eum admiſiſti, qua fronte hoc debitum tibi remitti poſtulas, qui verbo aſpero, epiſtolâ minus officioſâ, exiguo damno, levi injuriâ à conſervo tuo perſtrictus, ſervas iram, nec offenſam remittis. Quid indignius? a *homo homini reſervat iram*, clamat Eccleſiaſticus, *& à Deo quærit medelam*, qui injuriam proximo illatam, ducit ſuam. Chryſologus: b *Improbus petitor eſt, qui quod aliis* (conſervis) *negat, ſibi poſtulat.* Impudens, qui à Deo mille poſtulat remitti, & decem alteri conſervo negat. DEUS pari menſura, injurias ſuis illatas vindicat.

Divinus vates Iſaias acerbiſſimos Chriſti cruciatus & tormenta, in ſpiritu depingens, inter omnia ait ſine querela, c *quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcit & non aperuit os ſuum.* In truculenta

z S. Bernard. Serm. de converſione S. Pauli.

a Eccl. 28. b Chryſolog. Serm. 19. c Iſai. 55. v. 7.

culenta illa ſui flagellatione & carnificina, in dira coronatione, & acerbiſſima crucifixione, ſtupenda taciturnitate *tanquam ovis coram tondente ſe obmutuit*; ſed alapa percuſſus, non ſine myſterio, ſilere non potuit, dixitque: *Cur me cædis?* Chriſtus hic ſtans ante judicem, volvebat animo, quam dirè fideles, ac membra ſua tractanda eſſent, ut notat Philo Carpathius in Cant. cap. 5. d *Genæ Chriſti, ſunt Martyres Eccleſiæ*; non ſuas, ſed illas velli, acerbius ferebat, & graviori ſenſu ducebatur, quam ſi inflictæ ſibi fuiſſent.

In horto Oliveti Chriſtus factus in agonia, ſudorem ſanguineum late decurrentem in terras effudit. Unde hic tam prodigioſus ſudor? non propria, ſed ſuorum anguſtia hunc expreſſit. Rupertus: e *Audiebat voces, & quos recepturus eras, ô beate Beatorum ſignifer Stephane, numeravit lapides, tuúmque meditabatur eadem in nocte ſanguinem, dum factus in agonia prolixius oraret, eſſétque ſudor ejus, ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.* Jeſus ob oculos habens crudeliſſimam ſui lanienam & mortem, non apprehendit ſuos cruciatus; ſed vivaciſſime ſentit mortem ſuorum: *Tuos numeravit lapides, tuumque meditabatur, ô Stephane, ſanguinem.* Adſtipulatur huic piæ Ruperti commentationi Cardinalis Damiani, ad illa verba: *Video cœlos apertos, & JESUM ſtantem*, dum ait: f *triumphatoris certamini non ſine dolore cordis aſtitit.* Lapides qui Stephanum lædebant, cor Chriſti tangebant.

Sic ſuos fecit, & ſenſit Chriſtus Xaverii labores, ſudores, anguſtias: erat Navarræ in avitis Xaverii ædibus pervetus Chriſti in cruce defixi effigies, erga quam eximia familiæ religio; hæc quoties Xaverio gravius aliquod adverſitatis, aut calamitatis pondus incumbebat, conſpecta eſt largo ſudore manare. Ut oſtenderet, ſuas eſſe anguſtiati anguſtias, ſuorúmque miſerias, vivacius quam ſuas perſentiſcere. Aureè, ut ſolet, Chryſologus: g *Dixiſſe ſuffecerat, dediſti mihi manducare; ſed præmittit, eſurivi & ſitivi; quia parvus fuiſſet amor pauperis, quod pauperem ſuſcepiſſet, niſi & paſſiones pauperis ſuſcepiſſet. Verus amor eſt, feciſſe ſuas, anguſtiati anguſtias.* Sentit ille in membris ſuis famem, ſitim, pauperiem, labores, dolores, cruciatus, injurias, eáſque longe gravius, quàm ſibi irrogatas.

Sæpe ſæpius vindicavit. Naſcentem, ac florentem Paulanam familiam benignus Deus, *ut pupillam oculi* diligebat, h jámque cives *Caſtri Almurini Stabienſis* de Parochiali Eccleſia *Sanctæ Mariæ du Puzano*, quæ ad mare amœniſſimo loco conſtituta, frequenti populorum devotione celebratur, ſanctiſſimo homini *Franciſco de Paula* donanda, communi conſilio deliberabant, jámque illuc è ſuis aliquos deſtinaverat, cùm res ad Ferdinandum Regem Neapolitanum per adulatores delata, mendaci-

d Philo Carpat. in c. 5. Cant. v. 13.
e Rupert. de operibus Spirit. S. l. 6. c. 8.
f Petr. Damia. Serm. de S. Stephano.

g Chryſol. Serm. 14. h Franc. Lanovius Chronico Minimorum, An. 1430. p. 16.

dacibus verbis in crimen adducta eſt, quaſi vir innocentiſſimus multa intra Regni fines Monaſteria, non impetrata Regis facultate conſtituiſſet, jam tum propius ad regiam urbem non vereretur accedere (Stabiæ enim octodecim milliaribus à Neapoli poſitæ ſunt) contemptæ majeſtatis Regiæ, & perturbatæ Reipublicæ reus teneretur. Itaque Rex edicto cavet, ne majores in Regno progreſſus facere audeat, aut ſuorum colonias quemcumque in locum deducere, *Stabienſem* quamprimum reduceret, quod niſi primo quoque tempore præſtaret, toto Regno cogeretur abſcedere. Quibus auditis, vir ſanctus nihil animo commotus eſt, quòd ſciret ſolam in cauſa calumniam eſſe, & conflatam ſibi per malas artes invidiam, ut hæc imperata fierent. Sed illam animi conſtantiam, Regis contemptum adulatores interpretati, & injuriam majeſtati Regiæ illatam cauſati, non Regem modò, ſed filios etiam, quibus poſſunt verbis, & artibus, ad ultionem exſtimulant. Incitatior minor natu *Joannes Cardinalis de Aragonia Caſtrum Almurinum* pergit, & viros religioſos vi deturbat, & expellit: loci autem amœnitate captus, ſibi magnificas ædes, in ipſo colle, quem ſancti Patris filii incolebant, cœpit exſtruere; ſed veriſſimum brevi expertus eſt: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Etenim vixdum quinquennio elapſo, uti ſanctus vir prædixerat, Joannes Cardinalis è medio ſublatus eſt; Ferdinandus vero Rex, hunc fortè exitum perhorreſcens, Franciſco Neapolim à Principe Tarentino, Ludovici XI. Galliarum Regis legato deducto, obviam proceſſit, tanta magnificentia, tanta omnium ordinum acclamatione, ac plauſu exceptus, ut jam unus de numero cœlitum haberi non obſcurè videretur. Poſt omnia, Ferdinandus Rex locum exſtruendo monaſterio, facta eligendi electione, obtulit, quo ex viri ſancti vaticinio in civitate nullus frequentior, aut celebrior exſtitit. Adeo divinum ſibi Numen iratum ſentiet, qui unum ex *minimis ſuis* tetigerit; placatum vero, qui ſuſceperit unum ex his *fratribus minimis*, eiſque ut ipſi Deo, auxilio, & ſubſidio fuerit.

Quiſque in ſe veriſſimum illud experitur: k *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*, oculus manui, caput pedi, & minimo ejus digito condolet, ínque eo patitur, & compatitur. Quam ſimilitudinem apte expreſſit Auguſtinus: l *Attendite in populo quando ſtatur, & eſt aliqua coarctatio; ſi alter alterum calcet, lingua dicit, calcas me. Si ille reſpondeat, libera es, ô lingua, in ore tuo vocem habes: ego ſi calcavi, pedem calcavi; ſed charitas dicit calcas me: calcas me, compaſſio unitatis, & vinculum ſocietatis dicit.* Omnes nos ſub uno Chriſti capite membra ſumus, quæ *compaſſio unitatis, & vinculum ſocietatis* arctiſſimè illi colligavit; adeò, ut dum quis vicinum ſuum, concivem ſuum, proximum ſuum conculcat, unum è minimis, pupillum injuſte opprimit, virum ſimplicem, ac rectum po-

k 1. Cor. 12. 26. l Aug. Tom. 10. lib. 50. hom. 15.

tentior de fortunis dejicit, calce impetit; clamat caput noſtrum: *Calcas me*, opprimis me, invadis me.

Audi clamantem, audi vociferantem, dum Saulus ſpirans minarum, ejus membra conculcare, & dilaniare contendit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* caput clamabat è cœlo, membra peſſumdari in terra: m *Non expaveſcis vocem capitis de cœlo clamantem pro membris ſuis: Saule, Saule, quid me perſequeris? perſecutorem ſuum, vocavit perſecutorem membrorum ſuorum.* & Serm. 14. *Membris adhuc poſitis in terra, caput clamabat in cœlo, & non dicebat quid perſequeris fideles meos, ſed quid perſequeris me?* Quæ vox ut & te, qui CHRISTUM in membris ejus perſequeris, percellat, juvat altiùs in aures, & animum intonare, ſicque Chriſtum in Saulo te compellantem audire: *Saule, Saule*, n *quid me perſequeris* ad necem, qui te perſequor ad vitam: ego Rex manſuetus, mitis & ſuavis, nulla in re te læſi, ne verbulo unquam offendi, quid me quaſi hoſtem *perſequeris*? ego tui amantiſſimus, in manibus, & corde meo deſcripſi te, *quid me perſequeris?* ego propter te in terram deſcendi factus homo: jam rurſum propter te ſolum, è cœlo ad te deſcendo: ego pro te lacrymas, eáſque ſanguineas in horto effudi, pro te ſudavi & alſi, pro te ſanguinem, & vitam dedi, millies adhuc daturus, ſi opus eſſet: *Quid me perſequeris?* in crucis patibulo, inter acerbiſſimos cruciatus, & graviſſima opprobria non vocem, non gemitum emiſi, de te queror, & juſtè queror: *Quid me*, id eſt meos, qui vita mihi chariores ſunt, *perſequeris?* quid eos à me avellere, & perdere ſatagis? me perſequeris, qui ſum JESUS, id eſt Salvator tuus, ſalus tua, cur in me, teipſum, tuámque ſalutem exitialiter impugnas? ut ego peream, vis teipſum perimere? hæc, & longè plura, interius in mente Pauli loquebatur, & quaſi fulgurabat Chriſtus.

m Auguſtin. Tract. 10. in Epiſt. Joannis. n Cornel. hic.

Bernardus Serm. de converſione Pauli, p *Quid me perſequeris, inquit? an non perſequebatur Chriſtum, qui Chriſti membra trucidabat in terris? an verò perſecuti ſunt Chriſtum, qui ſacratiſſimum illud corpus, crucis affixere patibulo, & non perſequebatur eum, qui adverſus corpus ejus, quod eſt Eccleſia, odio furebat iniquo?*

Utinam & in mente tua, téque compellantem audias: Petre, Petre, Adriane, Adriane, Carole, Carole, Theodore, Theodore, *quid me perſequeris?* hoc ſenſu inſcius verum dixit, & ignoranter in ſcopum veritatis collimavit Herodes, dum Marci cap 6. verſ. 16. de Chriſto, ſigna & prodigia patrante, dixit: *Ipſe eſt Joannes, quem ego decollavi, hic à mortuis reſurrexit*; quæ ſic perappoſitè Chryſologus: *Verum dicit: nam ſicut in Chriſto ſui reſurgunt, ita in ſuis ipſe patitur Chriſtus, & ſicut honor capitis ad membrum pertendit,*

p Bernard. Serm. de converſione Pauli.

dit, ita membrorum pœna, ad dolorem capitis, ad capitis redundat injuriam.

Veſter igitur *Franciſcus*, meritò vos adhortari poteſt brevi illo protreptico, quo alter Aſſiſias ſuos: *Ite, ait, chariſſimi filii, pro eleemoſyna, quoniam hac noviſſima hora fratres minores commodati ſunt mundo, ut electi in eis impleant, unde à ſupremo Judice commendentur, illud audientes ſuaviſſimum verbum: Quamdiu feciſtis ex his fratribus meis* MINIMIS, *mihi feciſtis.* Si & vos auditores, hanc jucundiſſimam vocem audire, ſi inter benedictos Patris numerari, ampliſſimum illud cœlorum Regnum poſſidere velitis, ſemper illud alta mente repoſitum ſit:

Quamdiu feciſtis uni ex fratribus meis MINIMIS, *mihi feciſtis.*

FESTUM SANCTI MARCI EUANGELISTÆ.

Animal primum ſimile LEONI. Apoc. 4.



Meritis venit in ASTRA *ſuis.* Ovid. 4. Faſtor.

ARGUMENTUM.

QUod olim apud Gentiles in more poſitum, Heroas, & magnos animos præclaris facinoribus illuſtres, in *ſidera* referre, id potiori jure de iis ſentiendum,

dum & aſſerendum, qui pro Deo, pro religione, vitam & ſanguinem profudêre, ac pretioſa morte defuncti, q *fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates*; quos inter Divus MARCUS, quem Sacer Vates, & Scriba Apocalypticus ſub ſpecie Leonis contemplatus eſt, non immeritò eluceſcit. Quandoquidem magnanimitate Leonis, ad omnia ardua, ad quævis pericula, & terriculamenta, nullius expaverit occurſum; ut & nos eâdem magnanimitate inſtructi, r *ſine qua omnes prope reliquarum virtutum conatus irriti cadunt*, ardua quævis fortiter aggredi, & adverſa incurrentia ſuperare valeamus. Sic tamen, ut mirabili naturæ prodigio, huic animi ſui generoſitati, Leo manſuetudinem habeat conjunctam, & ſubjectis, ac imbecillis parcere conſuêrit. Quod nemini mirum videbitur, cum LEO *de tribu Juda*, ſimul *Agnus* conſpectus ſit; qua gemina virtute, *fortIs Vt Leo MarCVs honoranDVs*, qui & Leo rugiit, & velut Agnus ad occiſionem, toto corpore lacero, raptus fuit. Hoc autem generoſo ac nobili animo minimè repugnare, ſanctorum Patrum teſtimoniis, ac ipſorum Leonum exemplis comprobabo; ut cum homo homini lupus ſit, à fortiſſimo beſtiarum, humanitatem, imò & gratitudinem diſcere non erubeſcat.

§. I. LEO *fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pavebit occurſum*. Prov. 30.

§. II. *S. Marcus exemplo Chriſti, fortitudine Leo, manſuetudine Agnus.*

§. III. *Homo homini lupus, diſcat à Leone humanitatem.*

§. IV. *Leo hoſpes hominis, hominem gratitudinem docet.* ſ

q Dan. 12. r Gregor. Naz. orat. 26. ſ A. Gellius lib. 5.

FESTUM
SANCTI MARCI EUANGELISTÆ.

Animal primum ſimile LEONI. Apoc. 4.

OVidius *ille* t *Poëtarum ingenioſiſſimus*, in argumento omni exornando, cũ ultimo metamorphoſeωn libro, ſummam fatorum Julii Cæſaris complectitur, funeſtiſſimæ cataſtrophæ, lætiſſimum exitum affingit, dum Julii animam à nefariis parricidis non uno vulnere à corpore expulſam, in cœlum mox evectam, in ſplendidiſſimum ſidus converſam canit; vix enim conjurationis participes tela expedierant,

v *mediâ cum ſede Senatus*
Conſtitit alma Venus, nulli cernenda, ſuique
Cæſaris eripuit membris, nec in aëra ſolvi
Paſſa recentem animam, COELESTIBUS INTULIT ASTRIS:
Dumque tulit, lumen capere, atque igneſcere ſenſit;
Emiſitque ſimul, ſimul altius evolat illa,
Flammiferumque trahens ſpatioſo limite crinem,
STELLA MICAT.

t Seneca l. 3. nat. quæſt. c. 2, 7.
v Ovid. metam. 15.

Ita ille, ſeu Heroem magnum laudandi ſtudio; ſeu Auguſto filio, adulandi animo. Nos optimo jure de Heroibus illis, qui vitam, & ſanguinem, Divinis obſequiis litârunt, id pronuntiemus, ſanctiſſimas eorum animas, ſimul è corpore evolare, ſimul alta cœli petere, ubi x *fulgebunt, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Atque inprimis præclarum illum Heroem, Euangelii præconem, propagatorem fidei, cultus Divini aſſertorem, *Marcum*, inquam, cœlo adſcriptum, & ſplendidiſſimos radios, inſtar lucidiſſimi ſideris diffundentem intueamur. Eſt ſiquidem de ſanctiſſimi & eruditiſſimi Cardinalis Petri Damiani ſententia, y *velut* SIDUS *aureum toto orbe præclarum, ac celebri totius Eccleſiæ veneratione conſpicuum.* Deinde ad illud contemplandum exhortatur: z *Hoc itaque* SIDUS *dilectiſſimi, præ oculis jugiter habeamus, hujus imitemur exemplum.* Quod exemplum? virtutum ſcilicet, quibus eum in cœlis locum, & ſplendorem conſecutus eſt, & quas eo ipſo ſym-

x Dan. 12. y Pet. Dam. Serm. 15.
z Ibid.

bolo

bolo, quo ipſum expreſſimus, ſignificatas habemus. Eum enim in conſpicuo Leonis aſtro ſpectandum proponimus, qui excelſo & Leonino animo per viam mandatorum Dei, laborum, moleſtiarum, virtutum omnium, ad eum locum perrexit, in quo refulget *velut ſidus aureum*.

Cum verò Euangeliſtas, quatuor animalium ſimilitudine deſignet Ezechiel, facie Hominis, Leonis, Bovis, & Aquilæ, facies Leonis *Marco* datur, fortitudinis ipſius, generoſique animi argumentum. Ita docet Pauſanias, à veterum memoria, virorum fortium inſignia fuiſſe Leones, & tanquam fortitudinis ſymbolum ſolitos inſculpi ſepulchris. Uti factum narrat ipſe in tumulo Thebanorum, qui in acie adverſus Philippum ceciderant: a *Proximo urbi loco commune eſt ſepulcrum Thebanorum, qui in pugna contra Philippum defuncti ſunt. Inſcriptio nulla quidem inſcripta eſt, inſigne verò tumuli*; LEO. Inſcriptione ſcilicet opus non erat, ubi *Leo* defunctorum fortitudinem abundè declarabat. Unde fortes, & magnanimos viros, *Leones* dicere aſſuevimus.

Nonne & profundiſſimus myſteriorum ſcrutator Joannes, Chriſtum Leonem vocat Apocal. c. 5. *Vicit* LEO *de tribu Juda*. At cur *Leo* Chriſtus nuncupatur? Audiamus Auguſtinum reſpondentem: b *Dicitur* LEO *Chriſtus propter ingentem fortitudinem*; & iterum: *Chriſtus* LEO *dictus eſt, qui agnus occiſus eſt*, LEO *propter fortitudinem*: LEO *quia invictus*. Quia nimirum vicit diabolum, mortem, peccatum, infernum, & c *exſpolians*, ut ait Apoſtol. *principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo*.

At quâ ratione, hic Leo de tribu Juda, ad imaginem ſuam Sanctum Marcum, Leunculum efformârit, & leonis veſtigiis inſiſtere fecerit Abbas Rupertus eleganter expoſuit, dicens: d *Oculi Domini ſuper juſtos, & videndo illos, conformes facit ſibi. Vidit* MARCUM, *& in illo figuravit faciem ſuam*, FACIEM LEONIS. Myſterium eſt, & inſolens miraculum: alios Apoſtolos Redemptor noſter voce ſibi diſcipulos adlegit, *Marcum* velut catulum Leonis informem, ſpirando in faciem, & fixo Divinorum oculorum intuitu, ſibi ſimilem Leonem efformavit: nam ut ex naturaliſtis Divinus interpres Cornelius: e Catulus Leonis naſcitur mortuus, & cæcus, ac tandem à patre Leone in illum ſpirante (ſeu ut alii, rugitu, & fixo intuitu:) vitam, & viſum recipit, atque ita *in illo figurat faciem ſuam*, FACIEM LEONIS, & leunculus fit Leo, ſequiturque animos, & veſtigia patris. Hac ſpecie inter quatuor myſtica animalia, ſe illum vidiſſe declarat Ezechiel: f *Similitudo vultus eorum, facies hominis, &* FACIES LEONIS; ubi purpuratus Pater Damianus: g *Inter quæ animalia* BEATUS MARCUS *ſecundo loco poſitus invenitur*; in Apocalypſi h autem primo; quia LEONIS FACIEM *habere deſcribitur*; *nam qui à clamore vocis in deſerto ſuum incipit Euangelium, rectè* LEONIS *ſortitus eſt ſpeciē*.

a Pauſan. in Boeticis. b Aug. Tom. 8. Pſ. 49. Tom. 10. ſerm. 174. de temp.

c Coloſſ. 2. 15. d Rupert in Matth. c. 1. e Cornel. in Apocalyp. cap. 5. v. 5. f Ezech. c. 1. g Pet. Dam. Serm. 1. de S. Marco. h Apoc. 4.

Hic porrò Leo noſter Marcus, fortiter depugnando adverſus diabolum & omnes Divini Numinis hoſtes,debellando peccata, ſuperando quidquid obicem ponebat Divino cultui, LEONEM *de tribu Juda* generosè imitatus,

i *Meritis venit in aſtra ſuis.*

Unde illum è pleno ſtellarum,& illuſtri loco adhortantem, iis verbis audiamus, quibus olim ſuos Apoſtolus. k *Imitatores mei eſtote,ſicut & ego Chriſti*,id eſt LEONIS *de tribu Juda*. In ejus rogo exempla intueamur, *leunculi* ſimus,&illius inſiſtamus veſtigiis.

Porrò cum à fortitudine antonomaſticè celebretur; ab illa enim Pagninus leoni in reliquas beſtias imperium tribuit,dicens: l *Leo habet fortitudinem; propter quam belluarum Rex appellatur*; & Martialis, lib. 1. Epig. 51. *Nemorum Dominum, Regemque nuncupat*, quærendum nobis erit,in quo fortitudo illa conſiſtat, ut eam æmulemur, & quiſque noſtrum verè ſit *Rex Leo*.

Ac primùm quidem fortitudinem,non tam in toroſis lacertis, non in robuſtis nervis, non in acutis dentibus, & unguibus; at longè magis in alto quodam ſpiritu,quo fortes adverſarios aggreditur, periculis cedere neſcit; in regia magnanimitate, qua iram temperat,& deſpectat infirma, & imbecilla animalia; qua in benefactores ſuos gratus, & beneficus eſt; quidquid molle eſt, quidquid exiguum averſatur,maximè oſtendit. Primam porrò fortitudinis laudem inſpiciam, quomodo illa inLeone hodierno,Marco inquam, eluxerit, & nobis ad imitationem ſit propoſita.

i Ovidius Faſt. 4. k 1. Cor. 4. v. 16. l Pagn. lib. 9. c. 19.

§. I.

LEO *fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum.* Prov. 30. v. 30.

SApientiſſimus mortalium Salomon,qui naturas & proprietates omnium animalium perſpectas habebat, veriſſimè pronuntiavit: LEO *fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum*; certiſſimamq; deLeonis fortitudine, teſtimonio ſuo,fidem fecit.

Plinius ſuccedit, & quam ſapientiſſimus Salomon ſcientia divinitus accepta aſſerit fortitudinem,hic notitia, induſtria,& labore acquiſita confirmat diligentiſſimus naturæ indagator, ubi hæc Leoni, fortitudinis & magnanimitatis dat elogia: m *Generoſitas ejus in periculis maximè deprehenditur, non in illo tantummodo,quod ſpernens tela diu ſe terrore ſolo tuetur; ſed illa nobilior animi ſignificatio; quamlibet magna canum & venantum vi urgente, contemptim, reſtitansque cedit in campis,& ubi ſpectari poteſt.*

Addit & calculum ſuum Philoſophorum princeps Ariſtoteles,cum lib. nono hiſtor. Animalium cap. 44. ait: n LEO, *dum cernitur, nunquam fugit*; velut nimirum turpem fugam reputans, & generoſo animo indignam. Non aliter Leoninam animi ſui generoſitatem comprobavit in ſe myſticus Leo noſter. Jam aliquot annorum ſpatio,diligentiſſimam ope-

m Plin. lib. 8. cap. 16. n Ariſt. lib. 9. hiſt. animal. c. 44.

operam dederat magiſtro ſuo dilectiſſimo, Apoſtolorum Principi, officio functus interpretis; cum ecce ſanctiſſimo illius imperio, in Ægyptum deſtinatur, Euangelii, quod ex ore Magiſtri exceperat, tabulíſque mandârat, præco apud barbaras gentes futurus. Verum enimverò quanta, quàm gravia, quàm difficilia toleratu, Leoni noſtro in barbaris terris occurrent? occurrant quælibet: conſtabit ſuus Leoni noſtro animus, *ad nullius pavebit occurſum.* Irruat, adverſus debellantem falſa Ægypti Numina, effera gens, & ſuperſtitionibus ſuis ad inſaniam addicta: *ad nullius pavebit occurſum.* Invadant cœli ſacra annuntiantem, rabie perciti ſacrificuli, deorum ſuorum contemptu, & infamiâ, templorum ſuorum ruinâ efferati, minas intentent, ſupplicium & mortem denuntient: *ad nullius pavebit occurſum.* Ipſæ poteſtates tenebrarum, & mundi hujus, dum ſe pelli ſedibus indignantur, univerſæ gentes, in novæ legis præconem odia concitent; conatibus ſanctis viam omnem nitantur obſtruere; populi principibus artes nocendi ſuggerant, & excitatum in animis furorem accendant de ſuo: *ad nullius pavebit occurſum.* Occurrant atrociſſima ſupplicia, diriſſimi cruciatus, moriendi mille figuræ, mors denique, qua crudeliorem hoſtes nequeant inferre: *ad nullius pavebit occurſum.* Intueamini illum inter feras gentes intrepidum, conantem ardua & perficientem, in periculis ſecurum, ad auſa grandia generoſum. Profanis ſacris manum injicit; Bubaſtin, Epaphum, Anubin, & Oſirin, & Inachin, Io, cæterámque Deorum turbam, ſolo affligit, evertit aras, delubra dejicit, ſecurus minarum, & ſuppliciorum.

Alexandriæ, urbe principe, Deo vero Baſilicam erigit, magiſtri ſui amantiſſimi nomine conſecratam. Ad Chriſtiana ſacra ingentem multitudinem adducit; exardeſcunt interea Idolorum inſani cultores, hoſtes veri Numinis, nefariè de Euangelii præcone cogitant, ultima eáque graviſſima meditantur. Moveri poterat imbecillus animus; fortis & Leoninus moveri neſcit, ſed quemadmodum canit Poëtarum Princeps:

Ut pelagi rupes, magno veniente fragore, [a]
Quæ ſeſe, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet: ſcopuli nequidquam, ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.

Non aliter fortiſſimus novæ legis aſſertor, conſtans in ſententia, & officio manet. Fruſtra circum latrantibus ſacrificulis, ira & odio ardentibus: nequidquam frementibus impiis inanium Idolorum cultoribus fidei lumen in omnium animis diligentiſſimè accendit, cultum Divinum mirificè propagat, nec modò Chriſtianæ, ſed perfectæ vitæ amore, & ſtudio inflammat.
Dum tandem implacabiles, ipſo quo Serapi Deorum ſuorum facilè Principi, anniverſaria ſacra faciebant die, ſumptu multo & ſplendore, veræ legis propagatorem, aris de ritu Chriſtiano ope-

[a] Æneid.

operantem occupant: collo ſanctiſſimo gravem catenam injiciunt, obtorquent, & aſtringunt, pérque medias urbis plateas inaudito furore raptant; generoſo ſanguine vincula & ſaxa cruentantem. Interea Leo noſter, magnitudinem animi ſui, vultu demonſtrat intrepido, & explicato, & ſi placet, ad graviora ſupplicia provocante. Intimo verò præcordiorum affectu, Deo gratias agit, cujus fidem & his, & majoribus cruciatibus, confirmandi cupiditate incenſus, ad graviora ſe tormenta promptum, paratúmque offert. Porrò in carcerem denique raptatur, ut nocte illa reſponſuro crudelitati ſuæ mortis generi ſtudeant.

Non potuit non benigniſſimus Deus, cum Leonem ſuum tam generosè ſpectârat decertantem, accedere propius, plaudere cervicem, ut ſic loquar, & jubam mulcere, id eſt, præſentiæ ſuæ ſolatio reficere, & dulcedine cœleſti recreare, merito certaminis tanti præmio. Mediâ itaque nocte amantiſſimus diſcipuli ſui Servator, ſpectandum eâ ſeſe, qua in terris converſatus erat, formâ exhibuit, & *pax*, inquit, *Marce Evangeliſta meus*. Hic viciſſim: pax tecum Domine, familiariſſima vice ſermonum. Qua ille ſalutatione, acceſſione procul dubio ad priorem animi magnitudinem facta, ad ſecuturos cruciatus ſe comparat. Cum ecce primò aperiuntur fores carceris, refectis ad nova ſupplicia viribus adſunt lictores: vias heſternas remeare fortiſſimum Athletam jubent: raptatur denuo furioſiſſimè, dum toto corpore contuſo, & diſtracto, generoſa & leonina anima victrix in cœlos evolavit, ſempiterna tam illuſtris certaminis lauro donanda. Hoc demum eſt, fortes, generoſos, leoninos animos in fragili corpore circumferre, quemadmodum Chriſtianos omnes decet.

Quod ſi ad tam ardua certamina Dominus nos vocârit, minoribus certè ne deſimus, virtutum, inquam, ſtatui noſtro debitarum exercitiis. Doctor Angelicus ex Tullio lib. 1. de officiis ita diſſerit: p *Viros fortes, magnanimos eoſdem eſſe volumus*: tum ſubdit: *Magnanimitas convenit cum fortitudine, in quantum confirmat animum circa aliquid arduum*, quod in omni virtute reperitur. Unde S. Gregor. Nazianz. orat. 26. *Sine magnanimitate omnes prope reliquarum virtutum conatus irriti cadant, neceſſe eſt*. Cum enim certum ſit, virtutes omnes obſeptas eſſe difficultatibus, ſanè ni mens adverſus eas per magnanimitatem erigatur, vel nulla unquam concipietur voluntas ex virtute operandi, vel concepta, ad maturitatem non perveniet; ſed facto miſero abortu, interpoſitis partus difficultatibus, in ipſo fruendæ lucis niſu emorietur.

Hinc definitur magnanimitas, quod ſit virtus ad opera magna, & heroica, in omni genere virtutis inclinans. Ad quod Leonino opus eſt animo; quò ſpectat illud Cajetani Cardinalis: q *Per hoc, magnitudo animi eſt ſpecialis virtus, diſtincta ab aliis, quia tendit ad rationem magni, in cujuſlibet virtutis opere V. G. fortitudo intendit fortiter agere; magnanimitas intendit magna operari in fortiter agendo*:

p S. Th. 22. q. 129. a. 5. q Cajet. in c. 3. l. 3. Ethicorum.

gendo: intendit ardua, & heroica patrare facinora: humilia & levia dedignatur; cum magnis optat virtutem ſuam componi. Qualis animoſus venator, & intrepidus, cupiduſq; virtutem exerendi, & fortitudinem, inſtar regii illius pueri Aſcanii apud Maronem:

r *Mediis in vallibus, acri*
Gaudet equo, jamque hos curſu, jam præterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte LEONEM.

Non ille imbecilli leporis, aut fugacis damæ præda gaudet; ſed ferocis apri, aut fortiſſimi leonis exuviis lætus incedit, virtute in arduo ritè comprobata. Acquemadmodum iners habendus eſſet ille, qui exigui lepuſculi venatu gauderet, timidus nobiliorem feram ſequi: Ita deſes & ignavus eſt, qui infima virtutum ſectatur, aut laboribus ac difficultatibus territus, à cœpto deſiſtit, & pedem refert. ſ *Dicit piger,* LEO *eſt in via, & leæna in itineribus, in medio platearum occidendus ſum.* Apage à generoſo pectore tam ignava oratio. Dicit magnanimus; *Leo eſt in via, & leæna in itineribus in medio platearum*, in medio campo exerenda virtus, corona comparanda eſt. Itáne piger & ignave, puſillanimis, excors, præteris pericula, & difficultates, quæ aut nullæ, aut exiguæ ſunt, & inanis metus à via mandatorum Dei decurrenda, & excelſis virtutum conſectandis deterret? ſi quid Chriſtianæ fortitudinis in pectore circumferres, ſi quid leonini animi, leoni iſti in via & leænæ in itineribus, id eſt difficultatibus in virtutum via, alacris obviam procederes, lætus oblata inſigni fortitudinem comprobandi facultate.

Et verò quàm multò iis graviores & tuliſti quondam, & indies non reformidas, ut mundo, ut carni, & libidinibus, animo tuo obſequaris? & in negotio ſalutis curando, ubi de rerum ſumma agitur, omnia ut ardua nimis, & aſpera refugis? Quæ, malum, hæc eſt, aut ignavia, aut mentis in rebus inanibus animoſæ, in graviſſimis pigræ, & tardæ perverſitas? ſi Deus ſanctiorem mentem de ſtatu perfectionis injicit, domos religioſorum ac monialium, ut carceres reformidas: ipſa loci facies, & primus aſpectus quiddam triſte, emortuum, ac ferale ſenſibus repræſentat. Concluſas illic teneras ac nobiles filias, pallidas, inediâ exhauſtas, dæmon oculis tuis ut monſtra objicit: Ipſas virtutes, humilitatem, obedientiam, abnegationes ſui, ut furias phantaſiæ tuæ depingit, ac fingit; ut ſæculo ſpreto, & carnis illecebris valere juſſis, perpetuo caſtimoniæ voto te adſtringas, tentationes cacodæmonis imminentes metuis, de tuis viribus, de fortitudine deſperas: non modò ut carcerem, domum religioſam, ſed ut Danielis antrum imaginaris, plenum leonibus, & dicis, LEO *eſt in via.* Quod ſi ita foret, an continuò abjiciendus animus, deſperanda victoria, certamen non tentandum? verùm deberes fortiter aggredi, cum Chriſtianus ſis, cum diſcipulus *Leonis de tribu Juda*, qui exemplum nobis dedit, ut ſequamur veſtigia ejus; & po-

r Virg l. 4 Æneid. ſ Prov. cap. 22. v. 13. & cap. 26. v. 13.

& potes, cùm in ſæculi ſtudio, & negotio, majores multò labores exhaurias. Quin objectum iſtud humile & inane, cum nobiliori & æterno commutas? neque tamen ita plena profectò, ut falſo exiſtimas, terrore ſunt omnia; ſed mera ignavia, aut vana planè & falſo credita eſt timoris cauſa. *t* Ven. Beda perappoſitè in hanc ſententiam: *Multi cum verbum exhortationis audiunt, cauſantur de diabolo, dicentes, velle ſe quidem viam juſtitiæ aggredi; ſed impediri à Sathana; ne hanc perficere poſſint; ſicque ejuſmodi excuſationis ſermonibus, ſemper in lecto ſui corporis, ſicut oſtium in cardine, vertuntur.*
Hunc vanum timorem, & panicum terrorem, facilè animis excuſſerit Bernardus, qui ſerm. 13 in pſal. 90. de leone infernali agens: *Mugire*, inquit, *poteſt, ſævire non poteſt. Rugiat quantum velit, tantum ne fugiat ovis Chriſti: non ſimus beſtiæ, ut nos proſternat vacuus ille rugitus. Vera beſtia, veræ rationis expers, qui tam puſillanimis eſt, ut ſolo terrore cadat: qui ſola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum, non ictu, ſed tubâ proſternitur.* Hic Leo terrere poteſt, nocere non poteſt.

Nero primates Imperii, familiares ſuos, ſic quandoque terruit: Leones cicures alebat, quibus excuſſi dentes, & ungues reſecti. Hos inopinato cavea emiſſos, in aulicos ſuos concitabat. Illico ibi clamor, trepidatio, & *plurima mortis imago*, ſuperos ac inferos implorabant. Donec tandem ſe metu exanimatos, à feris illæſos, & integros videntes, reſumpto animo cum leonibus luſerunt, tanquam cum agnis. Tales omnes exiſtimate leones, quoſcumque in religioſa domo reformidatis, qui nunc terrori, poſt brevem moram, luſui erunt, & recreationi ſervient.

Alios timor invaſit, ne voluntas religioſæ, aut ſanctioris vitæ, quæ initio fervere videbatur, lapſu temporis intepeſcat, ipſi autem reſpiciant retro, & occaſionibus ſuccumbant; quos hiſce verbis D. Gregorius egregiè convincit: *Multos ſæpè videmus, vitam quidem ſanctæ converſationis appetere; ſed ne hanc aſſequi valeant, modò irruentes caſus, modò futura adverſa, dum quaſi cauti perſpiciunt, in peccatorum ſuorum vinculis incauti detinentur; multa enim ante oculos ponunt, quæ ſi eis in converſatione eveniant, ſubſiſtere ſe non poſſe formidant; de quibus bene Salomon ait: Dicit piger,* LEO *eſt in via, in medio platearum occidendus ſum.* Meritò S. Pater illam quaſi prudentiam erroris maximi damnat, quæ imprudentes tantis malis implicat.

Religionem S. Bernardus paradiſum, & inhabitantes, Angelos vocat; & tamen quoties accidit, ut velut cuſtodes ſepulchri, dum hos Angelos, & angulos vident, nimio auſteritatis horrore concepto terreantur, *v* & *facti ſint, velut mortui*; vident punctiones, ſed non unctiones. Magdalenam ſequantur, aliaſque mulieres, quæ nullis difficultatibus, nec mole lapidis terrentur, quem in progreſſu, nullo negotio revolutum videbunt. Ita & multæ teneræ, ac nobiles filiæ, Chriſtum Sponſum quærentes, nullas difficultates reformidant: nec pigrorum more,

t Salazar in Prov. 22. v. 13. & cap. 26. v. 13.

v Matth. 28. v. 4.

ulla earum dicit, *Leo eſt in via, in medio platearum occidenda ſum*, verum, quamvis leo in via, itinere meo pergam nihilominus, & leo fugiet, & in amplexus noſtros occurret Sponſus, & leonis vanum timorem, pectore excutiet. Vanum certe timorem illum nemo inficiari poteſt, ut ſolerter Seneca: x *Non quia difficilia ſunt, non audemus; ſed quia non audemus, difficilia ſunt.* Quod de ſe & Auguſtinus fatetur: y *Punctum temporis, quo aliud futurus eram, quantò propius admovebatur, tantò ampliorem incutiebat horrorem: retinebant me nugæ nugarum*; hunc autem vanum fuiſſe timorem, ex eo collige, quod expertus dicat: *Quam ſuave mihi ſubitò factum eſt, à ſuavitatibus nugarum abſtinere, & quas amittere metus fuerat, nunc dimittere gaudium erat.*

Alii, ut Chriſtum ſequantur, verentur parentum indignationem incurrere, & hîc *Leo eſt in via*: ſunt qui non audent palàm, ubi occaſio ſe offert, fidem, probitatem, virtutem profiteri; ad temulentiam, luxuriam, aliáque flagitia invitantibus reſiſtere: quidam zelum ſuum in ſalutem animarum exercere non audent, quia labendi pericula vane extimeſcunt, qui omnes dicunt, *Leo eſt in via*: z quod Beda iteratis verbis exaggerat: *Dicit ſæpe in animo ſuo is, qui ad agenda opera piger eſt, & ad confitendam fidem, quam corde tenet, timidus: Non audeo fidem, quam novi, foras profiteri, ne me perſecutor impius perimat: timeo ad exercendas virtutum actiones in publicum progredi, ne fortè me vel antiqui hoſtis adverſitas gravior tentet, vel etiam homo quilibet perverſus derideat, conviciis confundat; aut, ſicut multos juſtorum, qui ab ejus vita diſcordant, morte conſumat.* LEO *inquit eſt foris, in medio platearum occidendus ſum. Quod eſt apertè dicere: & verba, & opera virtutum, ubi oſtendi foris cœperunt, ſtatim perſecutio vel hominum, vel ſpirituum immundorum inſurgit, nec valeo tentationibus obſiſtere, ſed in ipſis boni propoſiti vincor inceptis.* ubi pigri, & ignavi hominis ingenium deſcribit, qui nihil boni ſua ſponte aggredi audet, quidvis adverſi tolerare reformidat.

Non talem ſe præbuit, de quo agimus, Divus Marcus, qui ut leo fortiſſimus belluarum, ad nullius pavebat occurſum. Quàm vero hæc virtus magnanimitatis, non in viris duntaxat Apoſtolicis eluxerit, ſed omni homini congruat, & conſentiat, præclare expreſſit Romanus Philoſophus: a *Magnanimos nos natura produxit, & ut quibuſdam animantibus ferum dedit, quibuſdam ſubdolum, quibuſdam pavidum, ita nobis glorioſum, & excelſum ſpiritum, quærentem, ubi honeſtiſſimè, non ubi tutiſſimè vivat. Itaque nulli ſe rei ſubmittit, nihil illi videtur grave, nihil quod virum incurvet.* Sed ut Scribanius, vir magnanimus docet, etiam proſtratus, de genu pugnare conſuevit; b *Leonis inſtar cedere neſcit, ſed eſt magnorum aggreſſor periculorum*, & pro magnis ſe rebus in diſcrimen objiciens, ſcilicet pro communi ſalute, pro juſtitia, pro cultu Divino.

Hæc D. Thomæ doctrina eſt: c *Magnanimitas, quæ & fortitudo dicitur, ſi ſit in animo tuo, cum fidu-*

x Sen. Ep. 104. y Aug. l. 8. conf. c. 11. z Salazar in Prov. 22. v. 13. & c. 26. v. 13.

a Sen. Ep. 104. b Ballut. in Eth. Ariſt. p. 757. c S. Thom. 22. q. 129. a. 5.

cia

cia magna vives. Inter modos virtutis eſt firmitas animi ; præcipuè tamen hoc laudatur in virtutibus, quæ in aliquod arduum tendunt, in quibus difficillimum eſt firmitatem ſervare. Tales ſe præbent viri Apoſtolici, Spiritu Dei ferventes, zelo Divino incenſi, qui commodis corporis, populari fama, reſpectu omni humano ſpreto, per obvios quoſvis labores, difficultates, obloquia, opprobria, per mille pericula, ſalutem proximi, & Dei gloriam ſectantur: d *Cupiuntque ſuum reperire periclum*, & mortem. Quod ſi hæc vobis fortitudo, & Leoninus animus pro aliena ſalute non ſit; at ſaltem, ne pigeat pro ſalute propria in mandatis Dei ſervandis, ardua quæpiam ſuperare.

Religioſus & ingenioſus interpres in illud ſapientis, e LEO *fortiſſimus beſtiarum*, ex ſacris Patrum Apophthegmatis hoc adducit: f *Oportet te* AD INSTAR LEONIS *ſtrenuum, ac bellicoſum, fortem & magnanimum eſſe ad mandandum executioni Dei Patris tui voluntatem.* Salax juvenis, ô filia, pudicitiæ tuæ inſidiatur, præcepit Dominus: g *Ut abſtineatis vos à fornicatione*: quid agendum? *Oportet te* AD INSTAR LEONIS, *aut leænæ, fortem & magnanimam eſſe ad mandandum executioni Dei Patris tui voluntatem.* Infamis mœchus te conjugali fide adſtrictam, ad adulterium ſolicitat: Præcepit Deus: h *Non concupiſces uxorem proximi tui*; hîc inſtar leænæ, te fortem, & magnanimam eſſe oportet. Tibi, ô cauſidice, ô judex, quis aureum arietem admovet, ad juſtitiam expugnandam; edixit Deus: k *Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam ſanguinis innocentis*, ne hanc maledictionem incurras, *oportet te* AD INSTAR LEONIS *fortem & magnanimum eſſe, ad mandandum executioni Dei Patris tui voluntatem.* Vides viduas & pupillos injuſtè opprimi: l *Pro anima tua, non confundaris dicere verum.* Audis in curribus, in navibus, in convivio, in foro, in circulis, proximo ſuo detrahentem, effutientem impurâ linguâ, quæ caſtas aures offendant: ſcandala palàm audis, & vides: hîc *inſtar Leonis*, fortem te eſſe oportet arguendo, & increpando Chriſtiana magnanimitate.

Denique eodem cap. præfatus interpres in ipſa ſapientis verba: *Leo fortiſſimus beſtiarum*; m ſub hoc Phyſico ſchemate, inquit, ethicè, & moraliter repræſentat Salomon, qualis debeat eſſe Rex in regno, Epiſcopus in diœceſi, Abbas in Monaſterio, Rector in Collegio, pater familias in domo: ut rugiat contra hæreticos, ſacrilegos, juſtitiæ corruptores, pudicitiæ violatores; in hos dentes, & ungues exerat. Deprehendit in domo ſervum familariorem cum ancilla, juvenem petulantiùs cum filia agentem, rugiat neceſſe eſt. Sacri Præſules, Divini verbi præcones, nôrunt jura Divina, & humana violari, innocentes opprimi, magnos piſces, parvos devorare, rugiant neceſſe eſt; ſic Chryſoſtomus immani rugitu perſtrinxit Auguſtam, invadentem agrum pauperculæ Callitro-

d Ovid. 8. metam. e Prov. 30. f Cornel. in c. 30. Prov. v. 30. g 1. Theſſ. 4. v. 3. h Deut. 5. v. 21.

k Deut. 27. v. 25. l Eccli. 4. v. 24. m Cornel. in Prov. cap. 30. v. 30.

pæ,

pæ, etſi Conſtantinopolin exilio, confeſtim mutare coactus. Ita D. Ambroſius, inuſitato hac tempeſtate rugitu, Theodoſium Imperatorem ab ara depulit ob ſeveriorem vindictam ſumptam de Antiochenis, poſt dejectas ſtatuas. Sic Staniſlaus, ob fœdam libidinem irrugiit in Boleſlaum: ſic Joannes Baptiſta, aliiq; innumeri, in vitia, & flagitia, veluti leones, ad nullius tormenti paventes occurſum, feras immanes, Reges & Principes, rugitu ſuo terruerunt.

Sic, ut ad tempora noſtra veniamus, Sacer Eccleſiaſtes, ingenio potens & eloquio, Eccleſiæ Principes rugitu ſuo excitavit, ut in eos, qui ſuos emungunt, & deglubunt, dum interim ipſi majora peccent, invigilent. Ipſum audite: *n* Nollem Majeſtatem hujus atrii profanare unius Apologi expoſitione: verùm cùm à Plutarcho is referatur; cum eum Imperator Trajanus legerit, & ſapientes Græci eum probaverint, facultatem dabitis, ejus enarrandi. *o* Lupus fame urgente, è ſylva progreſſus, ad ovile venit, & quam cautè potuit, agnum negligenter ſervatum corripuit. Jam feſtinabat ſe proripiens fugâ, præda famem expleturus; quando cuſtodes, animadverſo infortunio, ad arma conclamant: ſtatimque omnes feram conſequuntur, fuſtibus, ſaxis, & baliſtis armati, ac canum latratibus, dentibuſque belluam impetituri. Lupus tam ingenti ſtrepitu, & armatis undique concurrentibus perculſus, agnum dimittit, celerique curſu ſe in ſylvam proripit. Is primis tenebris odorem è culina percepit naribus; quem ſecutus lento & latente veſtigio, deductus eſt ad tugurium, in quo ſeduli illi Paſtores clanculum ſplendidè epulabantur, & vorabant (non tantum agnum ſed) pinguiſſimum armenti vitulum, quem Patronus ad nuptias filiæ deſtinaverat. Tum is per feneſtellam mapalis ſubiens, amarum ridens, dixit canibus, qui oſſa arrodebant, tum paſtoribus, qui ſe carnibus implebant: avete, præclari viri; ita vos cuſtoditis armenta? *Quantus tumultus! ſi hoc ego feciſſem?* Si plura ſciviſſet, quæ indies fiunt, ferociens plura addidiſſet in hæc verba: ſimulatores probitatis, & æquitatis nequiſſimi, qui tanto zelo excandeſcitis, quod agnum rapui; cùm vos interim, in contemptum, & detrimentum Domini, & agnum & vitulum, omnis metus ſecuri, devoretis. Hęc à celeberrimo Divini verbi præcone, coram SS. Domino Alexandro VII. & Collegio Cardinalium dicta, & benignè accepta aſſero, ut qui ad inferiores Præſules, Præſides, Prætores dicturi ſunt, eadem parrheſia, ſeu dicendi libertate, cum religioſa hujus viri modeſtia, in vitia rugire non reformident.

Leonina virtute opus eſt, ſi quis injuriam tibi intulit; liberis, famæ, fortunis vi, fraude vel dolo damnum attulit; præcepit Dominus: *p* *Dimittite & dimittemini*: vince animum, Deo parendi ſtudio, & cum hanc voluntatem Domini eſſe noveris, oportet te AD INSTAR LEONIS *ſtrenuum, ac bellicoſum, fortem*

n Ioan. Paulus Oliva. tom. I. conc. 36. n. 504. *o* Plutarch. in convivio ſept. ſap.

p Luc. 6. v. 37.

& magnanimum eſſe, ad mandandum executioni, Dei Patris tui voluntatem. Oportet te *Marcum* eſſe, id eſt, ex nominis interpretatione, *excelſum mandato.* Marcus, *per viam mandatorum cœleſtium ſublimiter incedebat* q: & per viam mandatorum cœleſtium ſublimiter incedere cupiebat omnes. Ita de illo veriſſimè Damianus. r *Cum itaque B. Marcus, velut electa cœleſtis militiæ tuba, vehementiſſimis clangoribus intonat, & mandata Dei tanta prædicationis arte diſpenſat, ut auditores ſuos protinus ad ſumma perfectionis alta ſuſtollat, quid aliud, quàm in Etymologia ſui nominis perſeverat? Marcus enim excelſus mandato interpretatur.*

Denique non in mandatis tantummodò executioni mandandis, fortes nos eſſe oportet; verùm & in malis quibuſcumque generosè tolerandis, impendentia non reformidare, non ſuccumbere præſentibus; ſed omnem malorum molem fortiter exantlando ſuperare. Et hic demum fortitudini Chriſtianæ, nobiliſſimæque victoriæ locus eſt, teſte Chryſoſtomo, qui Epiſt. 4. *Nihil eſt,* inquit, *Olympias, quod ad laudem & gloriam adipiſcendam cum patientia in doloribus perferendis comparari poſſit. Nam ea præſertim virtutum Regina, & coronarum apex eſt.* Idque ibidem fusè confirmat exemplo fortiſſimi, & patientiſſimi Jobi; qui cùm incredibili Leonini animi ſui fortitudine, & conſtantiâ, placidiſſimè tuliſſet pecorum, armentorum, liberorum chariſſimorum jacturam, ad ultimum denique certamen, quod in corporis doloribus ſuperandis conſiſtit, *ſummus ille patientiæ pugil vocatus eſt. Atque hoc,* inquit S. Præſul, *ne perverſus quidem Dæmon ignorabat. Ac proinde cum omnibus illis rebus tentatis pugilem, tranquillum, & à perturbatione immunem manere perſpiceret, ad hoc certamen, tanquam omnium maximum ſe contulit: cætera videlicet omnia tolerabilia eſſe ducens, etiamſi liberos, etiamſi fortunas, etiamſi quicquam aliud amittat (id enim his verbis deſignatur: pellem pro pelle) at eam demum mortiferam plagam eſſe, cum quiſpiam in corpore dolores excipit. Quocirca poſt hoc certamen ſuperatus, ne hiſcere quidem auſus eſt, cum alioqui prius impudentiſſimè obniteretur, ac contrapugnaret. Hîc inquàm, jam ne impudens quidem aliquid reperire potuit, quod fingeret; verum pudore ſuffuſus pedem retulit.* Veluti ergo cum ferociſſimo adverſario, commiſit generoſiſſimum hunc pugilem Deus, & fortitùdine leonina, ac quadam invicta animi conſtantia luculenter probata, de ſervo ſuo gloriatus eſt. Ita & te ejuſdem amantiſſimi tui Numinis providentia, cum morbis, & doloribus corporis committit, tanquam cum fortiſſimo adverſario, ut reportata per te illuſtri victoria, etiam de fortitudine & magnanimitate hujus ſervi ſui gloriari poſſit.

In hac univerſi orbis palæſtra, mortales ſpectaculum facti ſumus, Deo, Angelis & hominibus: gaudeamus offerri facultatem probandæ fortitudinis. Accipite præclarum generoſi animi ſimulacrum ex Diogene apud Dionem. Orat. 8. *Vir generoſus labores* (par ratio de morbis) *putat eſſe maximos ſuos Antagoniſtas: ſemperque amat cum his pugnare, tam noctu quam*

q B. Pet. Dam. Sermon. 15. De S. Marco. r Ibid.

quam interdiu. Non pro apio, quemadmodum mulieres, neque pro Oleaſtro, aut Pinu; ſed pro felicitate, & virtute. Si hæc Ethnicis ſententia, pro ipſa tantum virtutis umbrâ adipiſcendâ; quos nobis animos deceat eſſe Chriſtianis, pro vera virtute, pro adimplenda Dei, qui certaminis hujus auctor, & ſpectator eſt, voluntate? pro ſempiternâ gloriâ, quæ certaminis hujus merces erit magna nimis, comparandâ? non igitur morbi formidandi: non fugiendi dolores corporis, non malum ullum extimeſcendum; non carcer, non ſervitus, non exilium, non ſupplicia, ſed generoſo animo occurrendum omnibus.

Quo loco breviter caſtiganda eſt illorum ignavia, qui inertiæ ſuæ, fortitudinis ſpeciem prætendere nituntur. Quales illi, qui in dubio deprehenſi rerum ſuarum articulo, cum ſibi ipſis manus inferunt, fortitudini ſuę id dandum exiſtimant: Errat profectò Horatius, dum ſ *Catonis nobile lethum* dicit, qui ſuis manibus periit. Pari in errore verſatur Tullius, dum de eodem verba faciens epiſtola 18. ad Papirium ſic ait: *Cæteri quidem, Pompejus, Lentulus tuus, & Scipio fœdè perierunt; at Cato præclarè.* Hallucinatur & hic, cætera ſapiens, Seneca Epiſt. 24. poſtquam orationem retulit exhortantis ſe ad ſui cædem Catonis, ait: t *Impreſſit deinde mortiferum corpori vulnus, quo obligato à Medicis, cum minus ſanguinis haberet, minus virium, animi idem; jam non tantum Cæſari, ſed ſibi iratus, nudas in vulnus manus injecit, & generoſum illum, contemptoremque omnis potentiæ ſpiritum non emiſit, ſed ejecit.* Falsò appellat *generoſum illum, contemptoremque omnis potentiæ ſpiritum.* Non generoſus, at ignavus fuit ſpiritus ille; non contemptor omnis potentiæ, ſed ex infirmitate animi impatiens, non ferre valens Cæſaris fortunam, imò ex ſtulta vulgi pendens opinione, cui Cæſare victore, poterat ſervus videri Cato. Rectius Hipponenſis Antiſtes: v *Si rationem diligentius conſulas, nec ipſa quidem animi magnitudo rectè nominatur, ubi quiſque non valendo tolerare vel quæque aſpera, vel aliena peccata, ſeipſum interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non poteſt vel duram corporis ſui ſervitutem, vel ſtultam vulgi opinionem: majórque animus meritò dicendus eſt, qui vitam ærumnoſam magis poteſt ferre, quam fugere: humanumque judicium maximè vulgare, quod plerumque caligine erroris involvitur, præ conſcientiæ luce, ac puritate, contemnere;* ſuam verò de ipſo Catone ſententiam, lib. 7. cap. 25. ſic explicat. *De Catonis facto quid potiſſimum dicam? niſi quod amici etiam docti, imbecilli potius, quam fortis animi id eſſe cenſuerunt; quo demonſtraretur, non honeſtas, turpia præcavens, ſed infirmitas adverſa ſuſtinens.* Pulchrè itaque Joſephus de bello Judaico lib. 3. c. 14. x *Non viri fortis eſt, ſemet occidere; imò verò ignaviſſimi; nam & Gubernatorem timidiſſimum puto, qui tempeſtatem metuens, ante vim turbinis, navem ſponte ſubmergit.*

De exemplo verò, quod nobis aſſerunt ſacrę paginę 1. Reg. c. 28. *Arripuit itaque Saul gladium, & cecidit ſuper eum,* ita pronuntiat

ſ Horat. lib. 1. Ode 13. t Seneca Ep. 24.

v S. Auguſt. l. 1. de civ. Dei. c. 22.
x Ioſephus de bello Iudaico lib. 3. c. 14.

Cajetanus : *Hinc apparet mollities animi Saulis , non valentis ſufferre illuſiones à Philiſtinis ; nam ad eas evitandas, ſeipſum peremit.* Cui ſententiæ aptè concinit Epigrammatarius :

y *Rebus in adverſis facile eſt contemnere vitam,*
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Apud Senecam Tragœdum in Thebaide Act. 1. Antigone bellè patrem alloquitur :

z *Peto, aut ut iras tempore, aut ipſa mora*
Fractas, remiſſo pectore, ac placidè feras.
Et hoc decebat roboris tanti virum,
Non eſſe ſub dolore, nec victum malis
Dare terga. Non eſt, ut putas, virtus, pater,
Timere vitam; ſed malis ingentibus
Obſtare, nec ſe vertere, ac retro dare.

Ovidius ſuffragatur, cujus illud breve ac verum :

a *Sed timidi eſt optare necem.*

Hanc verò nobis efformare licet pro hac ſententia rationem : qui fugit ardua, & difficilia , timidus & mollis eſt ; ſed qui ſemet interficiunt, id præſtant, ut fugiant vel infamiam, vel dolores majores, ac diuturniores ipſa morte ; ergo timidi , & imbecilles ſunt exiſtimandi. Confirmari autem ſic poteſt : timidus & imbecillis cenſetur, qui mortem potius eligit, quàm mutilationem brachii, in qua acutiorem ſentiret dolorem ; Ergo timidus & imbecillis cenſendus ille, qui mortem potius eligit, quam contumelias, ſervitutem, aliáque mala quævis, in quibus ſentit moleſtiæ plus, & doloris. Quapropter merito exiſtimant Philoſophi, non ſolum timidos, & puſillos, verum etiam tanquam inſanos habendos, ſui interemptores. Id benè concludit Martialis, dum in quemdam, qui ut mortem fugeret, ſe peremit, ſic jocatur:

Hoſtem cum fugeret, ſe Phannius ipſe peremit.
Dic rogo, non furor eſt, ne moriare, mori?

y Martialis lib. 11. z Seneca in Thebaide. a Ovid. metam. lib. 4.

§. II.

Sanctus Marcus, *exemplo Chriſti, fortitudine Leo, manſuetudine Agnus extitit.*

PRonuntiavit olim Poeta :

b *Non benè conveniunt, & in una ſede morantur,*
Majeſtas, & amor.

Ita & non nemo judicare poſſit, non facilè convenire, & in una ſede morari, fortitudinem, & manſuetudinem ; quippe quarum altera ardui & generoſi, altera teneri & mollis animi videatur. Quàm tamen amico inter ſe vinculo, ambæ connexæ ſint, leo fortiſſimus, idem & manſuetiſſimus, liquidò oſtendit. Quid enim mitius, quid manſuetius, quàm leonem & vitulum, & ovem ſimul commorari, ſimulque veſci, & convivari ? Hoc Iſaias expreſſit, dicens : c *Accubabit vitulus, &* LEO, *& ovis ſimul morabuntur.* Quæ eminentiſſimus,

b Ovid. metam. lib. 3. c Iſa. 11.

S. R. E. Cardinalis Damianus, ſic ad mores exponit: d *Per ſancta charitatis viſcera, vitulus, & leo, & ovis, ſimul morabuntur: quia is qui ad quotidianum ſe Deo ſacrificium præparat, & alius qui tanquam* LEO *ex crudelitate ſæviebat, & alius qui velut ovis in innocentiæ ſuæ ſimplicitate perdurat, in caulis ſanctæ Eccleſiæ convenerunt.* Quæ divina prodigia contigêre, ubi fortitudo & furor leonis, cum agni manſuetudine & clementia, in una quaſi ſede commorantur, & Leo de tribu Juda, ſtupenda metamorphoſi, agnum induit, ut aquilinis oculis, e *in arcana, ac myſtica viſione dilectus diſcipulus* obſervavit, dicens: f *Vicit* LEO *de tribu Juda*; & mox eundem Redemptorem noſtrum inuſitata penna depingens, ſubdit: *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum,* AGNUM *ſtantem.* Ubi Richardus apud Liranum: g *Chriſtus ipſe eſt* LEO MAGNUS *per Divinitatem*, majeſtate ſua Deus terribilis; AGNUS *per manſuetudinem*, totus benignus, & longanimis, ut ſcitè Auguſtinus: h *Ipſe* LEO *dictus eſt, ipſe* AGNUS *occiſus eſt:* LEO *propter fortitudinem, quia invictus*; AGNUS *quia manſuetus. Ipſe* AGNUS *occiſus, morte ſua vicit* LEONEM, *qui circuit quærens, quem devoret. Contra* LEONEM LEO; *contra lupum* AGNUS. Quo ſenſu Cornelius noſter ait: *i* qui ob fortitudinem paulò antè vocatus eſt *Leo*; hic ob manſuetudinem vocatur *Agnus.*

Hunc genium, hoc ingenium Leonis, extollit S. Epiphanius: k *Regium hoc animal, inter omnia animalia violentiſſimum, ac fortiſſimum, & per omnia gratioſiſſimum eſt.* Quibus verbis exprimit pectus leoninum generoſitate, ſimul & benignitate ac clementia refertiſſimum. Manſuetudinis autem illius argumenta, naturalium rerum indagatores planè agnoſcunt. Solinus præſertim: l *Clementiæ*, inquit, *ſunt multa indicia in* LEONIBUS; *proſtratis parcunt, robuſtos potius in viros, quàm imbelles ſæviunt in fœminas; infantes verò non niſi magna oppreſſi perimunt fame.* Regii omninò & generoſi pectoris manſuetudo eſt; unde præclara illa Claudiani ad ſuum Principem admonitio:

m *Obvia proſternas, proſtratáque more* LEONUM
Deſpicias.

Magnis quoque viris propriam prædicat manſuetudinem Sulmonenſis Vates, his ad clementiam verbis invitans Auguſtum:

n *Quò quiſque eſt major, magis eſt placabilis ira,*
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtráſſe LEONI,
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcumque minor nobilitate fera eſt:

Extollit & Vates Bilbilitanus leonis clementiam, quam & in Cæſare commendat; quod inno-

d Pet. Dam. opuſc. 51. c. 2. e S. Dionyſ Eccl. Hierarch. cap 3. p. 3. f Apoc. 5. g Liran hic. h Auguſtin. ſerm. 174. de temp. 90. de diverſis. i Cornel. in Apoc. c. 5.

k S. Epiph. lib. 3. contra hæret. hæreſi 78. l Solinus lib. 4. c. 8. m Claudian. n Ovid, lib. 3. triſt, eleg. 5.

cuus

cuus inter ora magnanimi leonis imbecillis lepus degeret.

o *Intres ampla licet torvi, lepus, ora* LEONIS;
Eſſe tamen vacuo ſe LEO *dente putat.*
Quid fruſtra NEMORUM DOMINUM, REGEMQUE FATIGAS?
Non niſi delecta paſcitur ille fera.

Sic Poëtarum Principes cenſuêre, ſic cecinêre. Altiori ſtylo Romanus Philoſophus, Lucilium ſuum, & nos omnes inſtituens, ait: p *Illud ante omnia cogita, fœdam eſſe, & execrabilem vim nocendi, & alieniſſimam homini, cujus beneficio etiam ſæva manſueſcunt. Aſpice elephantorum jugo colla ſubmiſſa: taurorum, pueris pariter ac fœminis perſultantibus, terga impune calcata, & intra domum urſorum,* LEONUMQUE *ora placida tractantibus, adulanteſque Domino feras. Pudebit cum animalibus mutâſſe mores*; mutâſſe fœdum, & execrabilem vindicandi animum, in manſuetum, benignum, hoc eſt in nobilem, & generoſum, cohibendo impetum ruentis in vindictam excandeſcentiæ: turbidoſque iracundiæ motus compeſcendo? hîc magnanimitas ſe manſuetudinem habere ſociam evidenter declarat: q *Magni animi eſt, injurias deſpicere; ultionis contumelioſiſſimum genus eſt, non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur ultio. Ille magnus, &* NOBILIS *eſt, qui* MORE MAGNÆ FERÆ, LATRATUS MINUTORUM CANUM SECURUS EXAUDIT. Quare perverſum illud multorum hoc noſtro ſæculo judicium eſt, qui honori, generoſitati, nobilitati ſuæ adverſari exiſtimant, ſi injurias illatas non ulciſcantur; cum id potius imbellis ſit, & inertis:

ſ *Quippe minuti*
Semper, & infirmi eſt animi, exiguique voluptas
ULTIO.

Exempla vobis non ex plebe, ſed ex viris nobiliſſimis, & diademate redimitis adducam, qui calumniantium ſannas, *more magnæ feræ, ut latratus minutorum canum, ſecuri exaudiêre.* Milites duo manipulares regio Antigoni tabernaculo incumbentes, t *faciebant,* inquit Seneca, *quod homines & periculoſiſſimè, & lubentiſſimè ſolent*: Regem ſuum maledictis onerabant, & ferum in modum allatrabant. Audierat omnia Rex Antigonus: utpotè, cum maledicentes inter, & Regem audientem, ſola tabernaculi palla intereſſet, quam Antigonus leviter, ac leniter commovens: *Longius,* inquit, *diſcedite, ne vos Rex audiat.* Idem, quadam nocte, cum quoſdam ex militibus ſuis exaudiſſet omnia mala imprecantes Regi, qui ipſos in illud iter, & inextricabile lutum deduxiſſet; acceſſit ad eos, qui maximè laborabant, & cum ignorantibus, à quo adjuvarentur, explicuiſſet: *Nunc,* inquit, *maledicite Antigono, cujus vitio in has miſerias incidiſtis; ei autem bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit.* Quis veſtrum, Chriſtiani, domo clauſus, ſi vicinum ſibi obtrectantem audiat; aut cubili abditus, ſi famulos, ſi ancillas ſibi audiat conviciantes, non excandeſcat, exſurgat in iras, & ea

o Martialis lib. 1. epig. 51. ex correctis apud Raderum. p Seneca lib. 2. de ira. c. 31. q Seneca lib. 2. de ira. cap. 32.

ſ Iuven. ſat. 13. t Sen. l. 3. de ira c. 22.

evomat, quæ jubet bilis: quàm pauci Chriſtiani, Ethnici, Antigoni, inquam, inſiſtunt veſtigiis, animóque moderantur? Peraſſine eſt illud, quod de Magno Alexandro optimæ fidei ſcriptores prodidêre. Cum enim juxta Alexandri tentorium, duo aliquando milites, gregarii illi quidem, & humilis conditionis homines, quales maledici, & canini eſſe ſolent, indigna permulta de Alexandro maledicta effutirent: mox ſemotis, ut exiſtimabant arbitris, non illiberaliter modò, ſed petulanter, ac procaciter illotis verbis multa auderent; omnia Alexander, quem abſentem arbitrabantur, in ſe indigniſſimè jactata, *more magnæ feræ, ut latratus minutorum canum ſecurus exaudiebat*. Non indignari, non iraſci, non ſtomachari, aut vindictam meditari; ſed ut magno, & regio animo: *ſubmiſſiori*, inquit, *voce de Alexandro maledicite, ne vos audiat Alexander.*

Hæc gentiles, qui nulla luce, nulla lege, qua nos tenemur, injurias non vindicare, ſolo naturæ & rationis ductu fecêre. Quam animi celſitudinem, & mentis robur, cum Regno ſimul, quaſi hæreditarium, Alexander à Philippo Patre accepit; nam cum Democrates lingua procaciſſimus, inter alios Athenienſium Legatos ad eundem Philippum veniſſet, Rex, ut mitiſſimo erat ingenio: v *Dicite mihi*, inquit, *facere quid poſſim, quod ſit Athenienſibus gratum?* Excepit Democrates: *Percunctaris Rex, quid Athenienſibus gratum facere poſſis? nihil æquè, ac teipſum ſuſpendere.* Indignantibus circumſtantibus, gravem adeò Regi illatam contumeliam petulantiſſimi hominis, vix animo delendam, omnibus Rex Philippus mandat, conticeſcant, ac Democratem, quem ut latrantem catellum ſecurus audierat, incolumem dimittit. *At vos cæteri Legati*, inquit, *nuntiate Athenienſibus, quas Philippus contumelias audiat impunè, & more magnæ feræ, immoto animo tranſeat.* x *Dicat itaque quiſque ſibi, quoties laceſſitur: nunquid potentior ſum Philippo? illi tamen impunè maledictum eſt*; nec quidquam Regio nomini, gloriæ, magnitudini detractum; ſed immortale incrementum acceſſit: quis enim dubitet, quin plus è tolerata placidè injuria, quam ultione iracundè ſumpta, gloriæ & laudis obvenerit Philippo? ob fortitudinem ſcilicet, qua in re ardua animum vicit, & parere docuit rationi. Hos te Chriſtianum imitari par eſt, & ſive in curia, ſive in foro, ſive in convivio, ſive quocumque loco laceſſitus, more magnæ feræ, ut latratus minutorum canum, ſecurus audi, & prætergredere.

Robuſti fuerint lacerti, & ingens animus Davidi, neceſſe eſt, qui etiamnum juvenis, urſum & leonem dilaceravit; ſed eum generoſiorem, & fortiorem oſtendit, dum Semei, more canis allatrantem, & convitiantem, ſecurus & immotus pertranſit: hæc nobilitas, hæc magnanimitas generoſi pectoris eſt, in leone fortiſſimo beſtiarum maxime elucens, utpote, qui infra ſe ducit, catellorum latratibus commoveri.

Vidi, inquit diſertiſſimus Ec-

v Seneca cit. cap. 23.

x Idem cap. 24.

cle-

ſiaſtes Lanuza, annis præteritis, cicurem, & manſuetum leonem per plateas duci, quem quantumvis canes undique inconditè allatrarent; ne oculos contorſit. Servus, ancilla contumaciter reſpondet; homo de trivio, vilis muliercula, effrons ganeo calumniatur; hos ut catellos allatrantes, leonino more deſpice, & magnanimo contemptu prætergredere. Abjectio & y *humilitas animi eſt*, ait ſapientiſſimus Seneca, *contrahentis ſe ad dictum, factumque inhonorificum. Ille me hodie non admiſit, cum alios admitteret: ſermonem meum, aut ſuperbè averſatus eſt, aut palàm riſit; & non in medio me loco, ſed imo collocavit, & alia hujus notæ. Quæ quid vocem, niſi querelas nauſeantis animi? Hæc ingenia, natura infirma, & muliebria, his commoventur.* Quæ ſapiens Ethnicus hic meritò irridet, & eludit, indies apud Chriſtianos videre eſt; ſi in comœdia, ſi in convivio alter alteri præferatur, poſthabitus excandeſcit: ſi quis narranti quidpiam, comes non attendat, aliò convertat oculos, protinus ſe contemni autumat: ſi tranſeuntem quis non prius ſalutârit, in iras conſurgit, tanquam contemptui habitus: ſi cujuſpiam actiones, ineptas quamvis & ſtolidas, quis derideat, continuo toto animo commovetur; in iras & diras prorumpit. z *Crede mihi*, ait Chriſtianè Ethnicus, *levia ſunt, propter quæ non leviter excandeſcimus, qualia quæ pueros in rixam, & jurgium concitant*: Videte & ridete animi imbecillitarem. (z) *Chryſippus ait, quendam indignatum, quod illum aliquis vervecem maximum dixerat. In ſenatu flentem vidimus Fidum Cornelium, Naſonis generum, cum illum Corbulo ſtruthiocamelum depilatum dixiſſet. Adverſus alia maledicta, mores & vitam convulnerantia, frontis illi firmitas conſtitit; adverſus hoc tam abſurdum, lacrymæ prociderunt*, TANTA ANIMORUM IMBECILLITAS EST, UBI RATIO DECESSIT. *Quid quod offendimur, ſi quis ſermonem noſtrum imitatur, ſi quis inceſſum; ſi quis vitium aliquod corporis, aut linguæ exprimat? quaſi notiora illa fiant alio imitante, quàm nobis facientibus. Senectutem quidam inviti audiunt, & canos, & alia, ad quæ voto pervenitur.*

Hæc, ſi lubet, obviis & quotidianis occaſionibus, quæ vos conturbant, conferte, & deprehendetis, quanta *animorum infirmitas* vobis ſit, quam parum roboris leonini, & caloris ſtomacho ad duriorem bolum concoquendum. Princeps Philoſophorum hac ſimilitudine in moralibus ſuis uſus eſt: a *Sicut debilis eſt ſtomachi, non poſſe duriorem cibum concoquere, ita hominis puſillanimis eſt, verbum duriuſculum non poſſe ſuſtinere.* Aliter magnus ille Cato, qui non modo verba, ſed & verbera immoto animo pertulit, & ſine ſtomacho digeſſit: per contumeliam à quodam percuſſus, poſtulanti deinde veniam percuſſori, negavit ſe injuriam accepiſſe: b *Injuriam*, inquit Seneca, *majori animo non agnovit, quam ignoviſſet.* Quo reſponſo, nihil de authoritate, de fama, de æſtimatione, de magnanimitate Catoni deceſſit, ſed acceſſit quamplurimum. Unde

y Seneca de conſtantia cap. 10. z Seneca lib. 3. de ira. cap. 36. (z) Seneca de conſtantia cap. 17.

a Ariſtot. lib. 4 Ethic. c. 3. b Seneca lib. 2. de ira, c. 14.

de perappoſitè Seneca alibi ſubdit: c *Proprium eſt magnitudinis veræ, non ſe ſentire percuſſum ſic immanis fera ad latratum canum, lentè reſpexit. Sic irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat.*

Sed ne profanis duntaxat inhæreamus; magnanima Chriſti Sponſa, & amica, non injuria & columba nuncupatur, quia fabas, piſa, lapillos, & duriſſima quæque concoquere, ac digerere ſolet. Is ardor & animus fuit Stephano, qui duriſſimos lapides, magnanimitate digeſſit. Unde Greg. Nazian. d *Stephanus cum lapidaretur, pro lapidantibus orabat, majus aliquod morte offerens pro Chriſto, offerens nempè longanimitatem.*

Talis exſtitit magna illa Marci anima, leonina fortitudine, & agnina manſuetudine prædita. Excoluerat ille Alexandrinum agrum, & in eam ſpeciem redegerat, ut cœleſtem Paradiſum referre videretur, cum ea fuerit facies Eccleſiæ ſub S. Marco, ut quot domos, tot Eccleſias, & Religioſas familias cernere eſſet, quemadmodum teſtatur B Petrus Damianus, Serm 2. de S. Marco: e *Cui Deus tantam prædicationis efficaciam prærogavit, ut omnes qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per continentiam, ac totius ſanctæ converſationis inſtantiam, tamquam ad* MONASTICÆ PERFECTIONIS FASTIGIUM *pervolarent. Vnde & Philo diſertiſſimus Judæorum, dum de primatu* B. MARCI *apud Alexandrinam Eccleſiam ſcriptitat, in Chriſtianorum laude verſatus, eorum habitacula, monaſteria nuncupat.* Ac tandem concludit: *Talis ergo* SUB MARCO *Alexandrina fuit Eccleſia, qualis & Hieroſolymæ fuiſſe ſub Apoſtolica legitur diſciplina, ut neminem paupertatis indigentia premeret, nullus eorum divitiis abundaret; ſed unicuique prout opus erat, neceſſitas adminiſtrata ſuppeteret: omneſque ſub* MARCO *conſtitutos, ſobrietati ſimul ac pudicitiæ deditos, orationibus & jejuniis vehementer intentos aſſeverat.*

Poſt hæc tam illuſtria naſcentis illic fidei rudimenta, ſupererat, ut hunc agrum ſuo ſanguine rigaret; invidiâ itaque ſtimulante, inimicus homo, nefarios, ac ſacrilegos Ægyptios in Marcum concitavit, & laqueo cervicibus injecto, immaniter magnanimum leonem, ut agnum mitiſſimum per urbis compita raptârunt; ut toto corpore laniatus, multo cruore manaret: f *Beata es, ô Alexandria, triumphali Apoſtolici martyris ſanguine purpurata.* Quid ad hanc tam barbaram lanienam Marcus? num ſaucius in crudeliſſimos carnifices

g *Movet arma* LEO;

num ungues, & dentes in eos exerere, calumniis inſectari, diris devovere? nihil horum; *ſed* h *pro* TANTO BENEFICIO, *ſingulares Deo gratias agebat*; qua invicti animi lenitate, meruit certaminis ſui, ut alter Stephanus, Chriſtum è cœlo ſpectatorem cernere:

Hujus fortitudinem æmulatus eſt Magnus Conſtantinus, de quo illud proditum eſt: cùm ei auctores plurimi eſſent, ut in

c l. 3. de ira c. 25. d S. Gregor. Nazianz orat. 19. e Petr. Damian, ſermon. 2. de S. Marco.

f Petr. Damian. ſermon. 1. de S. Marco. g Virgil. l. 12. h Ribadin. in vita.

Imperatoriæ ſtatuæ deformatores, quam lapidibus impetierant, ferro & igne ſæviret, reſpondiſſe: i *Ego nullum vulnus ſentio*; nôrat proprium eſſe magnitudinis veræ *non ſentire ſe percuſſum*, nec læſum in fama, aut regia authoritate.

Recentioris hoc memoriæ eſt, & ut cum Tacito loquar: k *Non adeò virtutum, rerúmque præclarè geſtarum ſterile eſt hoc ſæculum, ut non & bona nobis, & poſteris exempla prodiderit.* l Franciſcus de Villa nova, Societatis noſtræ, quod filiam à flagitio revocâſſet, alapâ à nefario proco percuſſus, alteram maxillam, ingenti animi fortitudine, illi exhibuit. Hæc fortitudinis Chriſtianæ, hæc leoninæ magnanimitatis argumenta ſunt, in injuria illata non commoveri, ſed adamantinum ſervare animum, ad quem adverſarius vel invitus frangitur. Præclarè Seneca: m *Ingens animus, & verus æſtimator ſui, non vindicat injuriam, quia non ſenſit: ut tela à duro reſiliunt, & cum dolore cædentis ſolida feriuntur; ita nulla magnum animum injuria ad ſenſum ſui ducit. fragilior eo, quod petit; nam invulnerabile eſt, non quod non feritur, ſed quod non læditur.* Hoc enimverò fortis, & magnanimi indiciũ eſt; at illud ignaviæ, puſillanimitatis, & animi vilis, ac exigui, ſtatim commoveri, ſentire ſe læſum verbo, ſigno; famuli, ancillæ, dicacis fœminæ, aut inſulſi hominis dicterio, de auctoritate, de nobilitate, de ſplendore actum exiſtimare; quod in eos paſſim cadit, qui è vili fortuna emersêre, & parum habent, quod perdant. Salsè hos perſtringit idem Seneca: n *Puſilli hominis, & miſeri eſt, repetere mordentem, ut mures, ac formicæ, ad quas ſi manum admoveris, ora convertunt: imbecillæ ſe lædi putant, ſi tanguntur*; ſic iracundiora infirmiora ſunt, ut mulierculæ, infantes, ſenes, ægri.

Sed his miſſis, majori apud vos utar teſtimonio AntiſtitisSeleucienſis, o *qui os Eccleſiæ, & aurea doctrinæ Luſcinia*, ut eum appellat Nyſſenus; hic in parcendo potentiam, non in puniendo ſitam eſſe vult, ſic etenim ait: p *Ut quiſquis maximâ potentia eſt præditus, ita tardum ad puniendum eſſe oportet.* Scipiones Gubernatorum, Principum, Regum, hoc breviores ſunt, quò poteſtas & dignitas major. Capitaneus oblongum geſtat ſcipionem, quo ſuos compeſcit, Chiliarcha minorem, Gubernator exercitus adhuc breviorem, Princeps & Rex minimum, quem ſceptrum vocant: quo, quid aliud innuitur, quàm quò poteſtas major eſt, hoc minus eam, ſuos opprimendo, ſæviendo, exercere debere; ſed potius ſubditos, pupillos, orphanos fovendo, ac protegendo; qui animus leoni fortiſſimo, ac potentiſſimo belluarum eſt, ut in exemplo videre eſt. Valentiæ, florentiſſimâ Hiſpaniæ urbe, magnus Antiſtes, & Ordinis Prædicatorum ſummus Orator, dum illic in celeberrimo Ordinis ſui conventu moraretur, hanc ſanè omnibus ſæculis memorandam hiſto-

i Scriban. polit. Chriſt. lib. 2. cap. 2. k Tacitus lib. 4. hiſt. l Rho exemp. virt. lib. 1. cap. 5. noſtra. m Seneca lib. de conſtant. c. 3.

n Seneca lib. 3. de ira. c. 34. o Gregor. Nyſſen. in encomio S. Ephremi. p S. Baſilius hom. 8. in hexam.

hiſtoriam contigiſſe narrat:q Civitas hæc ad ſuæ nobilitatis jactantiam in more habet, ut ſemper in regali Palatio (quod peramplum viſitur) leones alantur, in quorum alimentum, opes & cenſus annui deſtinati ſunt. Eo tempore, leo nutriebatur famoſus cum leæna, quæ ibidem quinque catulos parturivit. Res auditu, visúque miranda. Accidit ut die quodam, illis catellum objicerent devorandum, quem ut vidit, attentius intuetur, & ut more loquar humano, apud illum gratiam inveniſſe videbatur. Hunc nec leæna, nec catuli attingebant, leone protectore, qui tantâ cum catello familiaritate verſabatur, ut illi colluderet proſtratus, & os ſuavi linguæ ductu adlamberet, quaſi cùm ſibi ſimili jocaretur. Certa, inquit, visáque refero, quódque præ cæteris admirabatur, *inquit*, hoc erat, quod cum ſua quotidie leoni portio objiceretur, ab illa paululum ſecederet, locum catello cedens, quo ille prior veſceretur; cúmque ſibi neceſſaria ſumpſiſſet, leo cum ſuis reliqua abſumebat. Per annum hoc integrum, quantum, inquit, recordor, omnibus ſpectantibus, reíque novitatem admirantibus perduravit. Semel, cum leo ſe in angulum recepiſſet, leæna infixo catello ungue ſuo, eum interemit. Advolat leo, qui ut tenelli, ac innocui mortem vindicaret, leænam diſcerpit; tantúsque eum mœror, ac commiſeratio invaſit, ut omni deinceps cibo abſtinens contabuerit, & mortem, cum illuſtri clementiæ, manſuetudinis, & benignitatis argumento, oppetierit. Videte, ut bene conveniant, & in una ſede morentur, fortitudo & manſuetudo.

q Lauza Quadrageſ. hom. 23. n. 60.

Ite ad leonem, gubernatores populorum, Reges, Principes, patresfamilias, & diſcite quomodo fortitudine utendum, ad tutelam nempe infirmorum, ad imbecilliorum injurias coërcendas, innocentiam vindicandam, aſſerendam juſtitiam. Ite ad leonem, & diſcite, qua manſuetudine imbecilles, & miſeros pupillos, deſertos à cæteris, imò traditos arbitrio, & improbitati adverſariorum, à quibus nonniſi certa miſeros maneat laniena, tueamini. Leo fortiſſimus, & manſuetiſſimus beſtiarum, catellum innocuum, deſtitutum omnibus ad ſe tuendum viribus, objectum alienæ crudelitati, tuetur ipſe novus, & mirabilis protector: arcet leænam, interitum catello meditantem, coërcet leunculos tam paratæ prædæ inhiantes. Ite ad leonem, vitrici, novercæ, & erubeſcite mitius eſſe leoni, quàm vobis ingenium. Alieno ille fœtui, partem ſubtractam ſibi, ſuíſque ad alimentum indigentis largitur; vos verò quoties non incuſant privignorum, miſerorum pupillorum lamentationes, querentium ſe paternis, ſeu maternis bonis fruſtrari, libidiníque veſtræ, tanquam immaniſſimæ lanienæ objectos? ite, quotquot eſtis mortalium, ad leonem, & diſcite quàm benigno, quàm clementi, quàm humano denique vos deceat erga homines, ejuſdem naturæ participes, eſſe ingenio, dum tam facili, tam benigno, tam humano feras, & in diſpar quidem genus, ingenio eſſe conſpicitis.

 §. III.

§. III.

Homo homini lupus, diſcat à leone humanitatem.

VErumenimverò quàm exigua hominum erga homines eſt humanitas! quam frequens odium, & inimicitia! quàm crebræ offenſiones, & injuriæ! ingemuit cum iſta ſpectaret, optimus morum magiſter gentilis Seneca, & diſſerit in hanc ſententiam: r *Rari ſunt caſus, etiamſi graves, naufragium facere, vehiculo everti; ab homine homini quotidianum periculum. Adverſus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere; nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempeſtas minatur, antequam ſurgat; crepant ædificia, antequam corruant; prænuntiat fumus incendium; ſubita eſt ex homine pernicies, & eò diligentius tegitur, quò propius accedit. Erras, ſi iſtorum, tibi qui occurrunt, vultibus credis; hominum effigies habent, animos ferarum.* Atque utinam haberent, ſapientiſſime Seneca, animos ferarum, animos leonum, quales ipſi mortalibus exhibent, quàm fortes, tam manſuetos! quàm generoſos, tam clementes, æqualibus inferioribúſque mites, & benignos! habent tamen, ut ait, ferarum animos; at ignobilium, turpium, immanium; tigridum, inquam, & urſorum, imò, quemadmodum rectè addit, feris pejores: s *Numquam enim illas ad nocendum niſi neceſſitas miſit; aut fame, aut timore coguntur ad pugnam: homini perdere hominem libet.* Leonum feritas inter ſe non dimicat: homo in hominem etiam non laceſſitus ſævit, & quocumque valet modo, naturæ ſuæ conſorti nocere, graviſſima inferre damna, perdere ac dilacerare nititur. Quod enim, amabo vos, bonorum genus eſt, quod homini homo ſummâ improbitate juxta ac ſævitia non eripiat? maximè ſi occultum facinus fore ſperet. Hic fortè locum ex vero obtinet, quod ait Plinius ſecundus: t *Multi famam, conſcientiam pauci verentur.* Alienorum raptores audire nolunt, eſſe non reformidant; non famæ nec honori parcunt, dum variis eum criminationibus, calumniíſque impetunt.

Quid de bonis dicam fortunæ, in quas ſanè valet illud Sapientis: v *Venatio* LEONIS, *onager in eremo; ſic & paſcua divitum ſunt pauperes.* Quid de vita ipſa dicam, quam modò alteri eripere, à pluribus pro nihilo ducitur? de quibus rectè Eccleſiaſticus: x *Quaſi nihil eſt ante illos ſanguis*; dum nimirum pro re nihili, pro cane à vicino percuſſo, pro oculo in ſcortum alterius conjecto, pro verbulo uno, humanum ſanguinem fundere, vitam eripere non reformidant. Unde magnus Plinius non minus verè, quàm ſevere de homine pronuntiavit: y *Nulli rabies acrior; cætera animantia in ſuo genere probè degunt; congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia.* LEONUM *feritas inter ſe non dimicat; at homini plurima ex homine ſunt mala*; ut jure longè meritiſſimo cum Venuſino vate exclamare mihi liceat:

r Sen. Epiſt. 103. ſ Ibidem.

t Lib. 3. Epiſt. 20. v Eccl. 13. v. 23. x Eccl. cap. 8. v. 19. y Plinius lib. 7.

z Quò

z *Quò quò ſceleſti ruitis, aut cur dexteris*
Aptantur enſes conditi?
Parúmne campis atque neptuno ſuper
Fuſum eſt Latini ſanguinis?
Neque hic lupis mos, nec fuit LEONIBUS
Unquam, niſi in diſpar genus.

Conſimile & illud Juvenalis Sat. 15.

Sed jam ſerpentum major concordia; parcit
Cognatis maculis ſimilis fera: quando LEONI
Fortior eripuit prædam LEO? *quo nemore unquam*
Exſpiravit aper majoris dentibus apri?

Pudorem injiciat generi humano hominum inhumanitas, cum ferociſſimæ belluæ non in ſui generis feras, fame etiam ſtimulante ſæviant; inter homines non inopiæ tempore modò, ſed & abundantiæ alter alterum aut re, aut voto devorat. Quid enim avaro bonis omnibus affluenti, cui & villa, & prædia, & pecora, & horti, & prata, & pecunia, & ſupellex ampla, & domus magnifica: quid, inquam, illi deeſſe poſſit, ut tenuiorum viduarum, ut pupillorum bonis inhiet, in ea involet, intoleranda devoret ingluvie, atque alienis, ut ita loquar, ſaturetur carnibus? adeò ut in ejuſmodi homines exclamare afflictis illis liceat cum Huſſæo vate: a *Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini?* quæ divus Gregorius ſic exponit: b *Quorum mens proximorum pœnas eſurit; ſaturari procul dubio alienis carnibus quærit.* At quot non reperias, quibus præ invidia, odio, & malevolentia, aliorum afflictiones, cibi quodammodo ſint, & deliciæ? ſed pergit ſanctiſſimus Pontifex alterum modum indicare, quo hominis carnibus paſcitur homo: *Sciendum etiam eſt, quia hi, qui alienæ vitæ detractione paſcuntur, alienis procul dubio carnibus ſaturantur. Unde bene per Salomonem dicitur:* c *noli eſſe in conviviis potatorum, neque comedas cum eis, qui carnes ad veſcendum conferunt: carnes quippe ad veſcendum conferre, eſt in collocutione derogationis viciſſim proximorum vitia dicere.* Atque hanc Gregorii interpretationem confirmat Apoſtolus, qui ſic Galatas ſuos perſtringit: d *Quod ſi invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem conſumamini*, ſi mordetis, inquam, detractionibus, & apertis invidiæ dentibus invicem comeditis, periculum eſt, ne mutuis odiis conſumpti pereatis.

At quot paſſim non audias, qui nec mortuis, nec vita functis parcant? quos ad leonem jure ablegâro, qui ut vivis, ita & mortuis docet parcere: nam ſacra Regum atteſtante hiſtoria, e cum Prophetam divino mandato immorigerum, obviam factus leo, occidiſſet; mortuo tamen manſuetudinis ſuæ retinens pepercit, & LEO *ſtabat juxta cadaver.* Quod Deus manſuetudinis exemplum hominibus innoteſcere palàm ad imitationem voluit; nam ut ibidem ſubdunt Sacræ litteræ: *Et ecce viri tranſeuntes viderunt cadaver projectum in via, &* LEONEM *ſtantem juxta cadaver.* Veriſſimè dictum: *Homo homini lupus,*

z Horat. l. Epod. 7. a Iob c. 19. v. 22. b D. Greg. l. 13. moral. c. 25.

c Prov. 25. d Galat. 5. v. 15. e Reg. lib. 1. cap. 13. v. 14.

invidus maximè; cuique Theonini invidię dentes non parcunt, leonini pepercêre.

f Daniel omnes Chaldæos aruſpices, & ſapientes Regis præcellebat; ipſique Dario ſuâ probitate, prudentiâ, fide, obſequio adeò erat charus, ut eum centum viginti ſatrapis, ſeu Principibus, totidémque Principatibus præfecerit: *Igitur Daniel ſuperabat omnes Principes, & Satrapas.* Quod apud omnes incredibilem movit invidiam: unde quærebant occaſionem, eum è medio tollendi. Ferre non poterant hominem exterum, alienigenam, Judæum, imò & captivum, ſibi præferri; hinc nullam quietis partem capiebant, donec variis machinis, modíſque omnibus id unum efficerent, ut Danielem, Principem ſuæ, ut arbitrabantur fortunæ, & ſplendori officientem, ſpecioſo nomine in lacum leonum dejicerent Itaque ut ſacræ paginæ referunt, innocentiſſimus Princeps: g *Ad leones projectus eſt, allatúſque eſt lapis unus, & poſitus ſuper os lacus, quem obſignavit Rex annulo ſuo, & annulo optimatum ſuorum, ne quid fieret contra Danielem.* Quid opus, obſecro, tam immani ſaxo? os lacus tam probè obſignari? non avolabit Daniel è fovea tam profunda; capitales ipſius hoſtes ſcalas non porrigent; ſat inſuper cuſtodum habet, tot impaſtos leones; ſed aliud hic myſterium latet; minus à leonibus intus, quam foris ab invidis Danieli timendum: *Timebat Rex, ne quid fieret contra Danielem*, ab æmulis ſcilicet, qui ſi vidiſſent eum vivere, præ invidia occidiſſent, cui pepercerant leones. Hæc Gregorii Nazianzeni eſt ſententia: h *Rex magis timuit ferocitatem aulicorum ſuorum malorum, quàm feritatem beſtiarum.* Et S. Hieronymus: i *Qui de leonibus ſecurus erat, de hominibus pertimeſcit.* En quo integerrimum juvenem, prudentiâ, caſtimoniâ, morum comitate, legum divinarum obſervantiâ, rerum agendarum ſupra ætatem ſolertiâ inſignem, nulli offenſionis cauſam dantem, niſi quod virtus ſua eum adverſariorum judicio nimium extuliſſet; hominum invidia, cui leonum dentes, & ungues pepercerant, dejicere, & perdere omnino conata eſt? non unum hic Daniel ſequacem habuit. Quot enim numerare non eſt, qui, quod Regi, Principi, aut Prælato, pro merito placerent, præ cæteris, gratiâ apud eos valerent, & conſilio; eorum opera Rex uteretur frequentius; dignitates quaſi per ſaltus adipiſcerentur, quantumvis maximo ſuo merito, & debito virtuti, prudentiæ, fideliſſimis obſequiis in cauſis arduis ſtipendio; nihilominus cum Daniele Theoninis invidorum dentibus objecti ſunt?

Quæſtio aliquando in Univerſitate Lovanienſi agitata eſt: cujuſmodi fera fuerit, quæ devorâſſe Joſeph dicebatur? conjectura quorundam fuit de urſo, de apro, de leone; ſed veriſſimè HugoCarenſis, hanc feram peſſimam *invidiam* pronunciavit; nam ut ille in cap. 23. Proverb. k *Invidia eſt illa fera peſſima, de qua dicit Jacob, Gen. 37. fera peſſima devoravit Joſeph.* Nihil autem in hoc

f Daniel. 6. g Ibid.

h Gregor. Nazian. orat. 9. i Hieron. in cap. 6. Dan. k Hugo in cap. 23. Proverb.

ge-

genere crudelius, quàm propinquum affini, fratri fratrem, ſorori ſororem invidere.

Mirari quis deſinat, inter viros militares, in tanta nationum ac ordinum varietate, æmulationem quandoque concitari: at hoc mirandum ac deplorandum magis, longè majori invidiâ germanos fratres in ſe ſævire, ac mutuo dilaniare. Totus orbis mortalibus alioqui vacuus, duos capere non potuit fratres, altero invidente: l *Invidia fecit*, inquit Chryſologus, *ut mundi tota duobus eſſet anguſta fratribus latitudo: námque ipſa Cain junioris erexit in mortem, ut eſſe ſolum zeli livor faceret, quem primum fecerat lex naturæ*; cui congruit illud Ambroſii: m *Cùm dolet ſibi gratiæ cœleſtis ambitor, fratrem eſſe prælatum, de ſacrificio proceſſit ad parricidium.*

Nil ſimile in catulis urſorum, ne dicam leonum, reperias, qui ut in alios ſæviant, inter ſe unanimes, eodem quantumvis anguſto ſpelæo, pacatè degunt: at germanis invidis anguſta profectò, quantumvis ampla familia, & tota vix ſatis eſt domus. In exemplum adducit idem Ravennas Antiſtes, filii prodigi fratrem, qui ut audiit ſymphoniam, & choros, indignatus, ac frendens dentibus, nolebat introire: n *Invidum*, inquit, *fugat ſymphonia pietatis, chorus charitatis excludit, & quem ad fratrem vocat ratio naturæ, livor non patitur introire.* Ac tandem exclamat: *O zeli tumor! duos non capit domus ampla germanos!* ſi hæc inter germanos, inter uterinos; quid non inter diverſi tori fratres, ſub diſciplina novercæ timendum eſt? Octavianus Epiſcopus, uti refert Camillus de Camillis, in inſigni gentilitio familiæ ſuæ nobiliſſimæ leonem habebat coronatum, & ſubjectam inferius illi roſam: cui hanc addidit Epigraphen:

Mitem animum ſub pectore forti.

Ubi generoſum animum, leonis fortiſſimi beſtiarum effigie, roſâ verò è qua dulciſſimus ſuccus exprimitur, manſuetum ipſe exprimebat. Utinam unuſquiſque ſervaret mortalium

Mitem animum ſub pectore forti!

cùm tamen id in ipſis reperiamus feris. Quomodo & nos generoſi animi turbidos motus compeſcere valeamus, & debeamus, diſpiciendum eſt. Hoc nos poſſe & debere, cum ferarum exempla doceant, convincit ratio. Ita Ælianus libro 17. o Leones Indi cicurantur facilè, ut habena ductari poſſint, & ad venandos hinnulos, cervos, apros, loro, canum inſtar, agantur. Et libro 5. Hanno Carthaginenſis, ille primus domitor, & manſuetarius, ut Author eſt Plinius p, leonem habuit vaſa portantem; & Berenicæ leo fuit cicur, nihil diſtans ab ancillis ornatricibus: lingua enim vultum ejus perpoliebat, & rugas lævigabat, & conviva erat, comedens lentè & modeſtè. Marcus Antonius, primus etiam jugo ſubdidit, & Romæ ad currum junxit. Nos verò nequeamus animum ferocem cicurare, coërcere habenis, & rationis loro, quà decet, circumducere?

q *Fuit Leo*, teſte Nierenbergio *Barcinone, qui ut corrigeret iram,*

l Chryſolog. Serm. 4. m Ambroſ. Serm. 16. in Pſal. 118. n Chryſol. cit.

o Ælianus lib. 17. p Plin. lib. 8. cap. 16. q Nierenberg. hiſt. nat. lib. 1. cap. 11.

tanto animo ſe compreſſit, ut ſubitò exanimaretur. Deinde exclamat Auctor Aſceticus: *O pudor noſter! cum æſtiment feræ virtutem pretio vitæ!* ô pudor eorum, qui in iras continuò exardeſcunt; in furorem nulla de cauſa concitantur; erga amicos nulla exhibent amicitiæ argumenta; erga liberos non ſe patres, ſed tyrannos præbent, quos nunquam lene verbum, aut vultum blandiorem præſtare videas; nil indulgere; ſed aſſiduò rodere, carpere, objurgare, mordere; non more parentum, ſed immanium ferarum; in ejuſmodi exclamat Sapiens: r *Noli eſſe ſicut leo in domo tua, evertens domeſticos tuos*; dum furor arma miniſtrat, nec rarò fuſtem, ferrum, orbem ſtanneum in caput vibrant, cum præſenti mutilationis, aut etiam vitæ periculo. Atque hac de cauſa, non unum à parentibus filium profugum, & tandem prodigum, & in omne flagitium projectum, excuſſa omni humanitate, & affectu in parentem manus armâſſe novi; quæ furoris hujus cauſa? parentum præceps iracundia, in deteriorem iracundiam liberos ſuſcitans. Quare Chryſoſtomum audiamus præclarè monentem: ſ *Subigendæ ſunt, ac domandæ à ratione alienæ, ac belluinæ cogitationes, ferociores, & immaniores, earúmque dominatus rationi committendus.*

Et quomodo fieri poteſt, dicet aliquis, ut belluinam cogitationem quis ſubigat? quid ais, mi homo? LEONES *ſubigimus, eorúmque animos cicures reddimus; & dubitas, an cogitationum ferocitatem ad manſuetudinem poſſis traducere? tametſi* LEONI *naturalis eſt ferocitas, præter naturam verò manſuetudo; tibi verò contrà, naturalis eſt benignitas; feritas verò præter naturam. Ergóne qui id expellis, quod eſt naturale, & animæ belluinæ inſeris, quod præter naturam eſt, in tui ipſius anima, quod naturale eſt; non poteris conſervare? quis hoc ſummæ non tribuat nequitiæ? nam in* LEONIS *anima præter hanc, difficultas eſt altera; eſt enim expers ratiocinationum anima belluæ; at in anima tua eſt ratio; eſt Dei timor, multúmque ex multis partibus auxilium oſtenditur: ne igitur prætextus, & excuſationes prætendas*; quin potius rationi ſuum cedamus locum: excuſemus, ut ea dictat, cum alia, tum maximè perſonæ conditionem: t *In his*, ait Seneca, *naturam excutiemus, voluntatémque facientium. Puer eſt? ætati donetur; neſcit an peccet. Pater eſt? aut tantum profuit, ut illius jam injuria jus ſit, aut fortaſſis ipſum hoc meritum ejus eſt, quod offendimur. Mulier eſt? errat. Juſſus eſt? neceſſitati quis niſi iniquus ſuccenſet? læſus eſt? non eſt injuria pati, quod prior feceris. Judex eſt? plus illius credas ſententiæ, quam tuæ. Rex eſt, ſi nocentem punit, cede juſtitiæ; ſi innocentem, cede fortunæ. Mutum animal eſt, aut ſimile muto? imitaris illud, ſi iraſceris. Morbus eſt, aut calamitas? levius tranſiliet ſuſtinentem. Deus eſt? tam perdis operam, cùm illi iraſceris, quàm cùm illum alteri precaris iratum. Bonus vir eſt, qui injuriam fecit? noli credere. Malus? noli mirari. Dabit pœnas alteri, quas debet tibi: & jam ſibi dedit, qui peccavit.* Nimirum ut alibi ait: v *Maxima eſt injuriæ factæ pœna, feciſſe. Nec* quiſ-

r Eccl. 4. v. 35. ſ Chryſoſt. Serm. 2. in Gen.

t Seneca lib. 2. de ira, cap. 30.
v Lib. 3. c. 12.

quiſquam gravius afficitur, quàm qui ad ſupplicium pœnitentiæ trahitur. Ruſus: x *Puerum ætas excuſet, fœminam ſexus, extraneum libertas, domeſticum familiaritas.* Et infra: y *Pro quocumque, illud reſpondeamus nobis; ſapientiſſimos quoque viros multa delinquere. Neminem eſſe tam circumſpectum, cujus non diligentia aliquando ſibi ipſi excidat. Neminem tam timidum offenſarum, qui non in illas, dum vitat, incidat.*

Præterea, neſcio an ſit ad iram, ex injuria concitatam, molliter ponendam, aptius quicquam, quàm, quod idem Seneca libro 3. citati operis, cap. 26. tractans, quam juſtum ſit, ut alter alterius onera portemus, ſuggerit: *Mali inter malos vivimus: una res nos facere poteſt quietos, mutuæ facilitatis conventio. Ille mihi jam nocuit, ego illi nondum. Sed jam aliquem fortaſſe læſiſti, ſed lædes.* Ita ſi queritur uxor maritum ſævum, ferocem, furibundum, iracundum, præſcripta monita obſervet, quibus & tranquillitati conſulet ſuæ, & alienam domabit iracundiam; neque enim mariti effrenem ferociam, aliâ ſævitiâ, alio furore cicurabis, ſed ratione, & tua ipſius tranquillitate, & modeſtiâ, commotum conjugis animum compones.

Vidiſti ſubinde navem plenis velis, & æſtu, & vento vehementius impellente ad portum appropinquare? timendum, ne ſi illo impetu appellat, in mille partes diſſiliat. Prudens Navarchus clavo paululum navim obvertit; ilico vela tumorem remittunt; vis omnis frangitur, appellit placidè, & tenui fune ſe ligari patitur. Hæc tu in marito qui madidus, & temulentus, ſe & ſuos perditurus domum appellit, imitare: tumentémque illum animum, & ferociter approperantem, rationis clavo in melius converte, prudentiâ frange violentiam, facilem & placidum experiêre. Non à me, ſed ab Antiſtite Africano ſanum hoc conſilium accipe: z *Unde*, inquit, *beſtias tam immanes domare potuiſti? nunquid eis æquaris viribus corporis? qua ergo virtute ingentes beſtias domare potuiſti? fremit* LEO, *quis non timeat? & tamen unde te intelligis fortiorem? non corporis virtute; ſed mentis ratione.* Quid ratio à te exigat, circumſpice, quam ut ſequaris, non leve argumentum eſt illud Senecæ: a *Non eſt magnus animus, quem incurvat injuria, aut potentior te, aut imbecillior læſit; ſi imbecillior, parce illi* (magnanimitate leonina) *ſi potentior, tibi.*

Unde tandem concludo cum eodem Philoſopho: b *Ergo ira abſtinendum eſt, ſive par eſt, qui laceſſendus eſt, ſive ſuperior, ſive inferior: nam cum pare contendere, anceps eſt; cum ſuperiore furioſum; cum impare, ſordidum.* Hæc autem ad iracundiam cohibendam, & efferatos animi motus cohibendos, praxis optima, in tenera & juvenili ætate, dum effervеſcere incipiunt, frænare, & prudentis magiſtri manu, ſenſim compeſcere. Sic

c *Tempore pœnorum compeſcitur*
ira LEONUM,
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet.

Hoc credo ſpectaſſe Paulum Chieſium, Cardinalem, dum ſibi in gentilitiam teſſeram aſſumpſit

x Lib. 3. c. 24. y Ibid.

z Auguſt. Serm. 4. de verb. Domini.
a Seneca lib. 3. de ira. cap. 5. b Ibid.
c Ovid. lib. 4. triſt. el. 6.

leonem capiſtratum, hocq; lemmate ſubjecto: *Dies & ingenium.* alludens ad illud Poëtæ:

d *Longa dies homini docuit parere* LEONES.

Quid ad hæc vos parentes, & juventutis moderatores; nónne homines brutis multum concedere videtis, quod immaniſſimas belluas domare, ac cicurare; propriam verò prolem, ſuam bilem & iracundiam temperare, ac frænare non ſatagant? ruborem nobis injiciat, quod Gentilis tradidit: e *Certi ſunt domitores ferarum, qui ſæviſſima animalia, & ad occurſum exterrentia hominem, docent pati jugum: nec aſperitatem excuſſiſſe contenti uſque ad contubernium mitigant:* LEONIBUS *magiſter manum inſertat, oſculatur tigrim ſuus cuſtos. Elephantem mimus Æthiops jubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem. Sic ſapiens eſt artifex domandi mala.* Dicam ego: ſic Chriſtianus eſt, aut debet eſſe *artifex domandi mala.*

Talis artifex exſtitit SS. Patriarcha noſter Ignatius, qui ut animo erat militari, & præfervido; adeò tamen domuit, ac frænavit, ut genio ſuo phlegmaticus, ac manſuetus palàm judicaretur. f Vidimus perſæpe, inquit oculatus teſtis Ribadeneira, illum affabiliter, hilaritérque, & magna animi æquitate colloquentem cum ſuis, accerſere aliquem, quem objurgare vellet, primóque illius aſpectu commutare vultum, ad ſeveritatem componere, & quaſi iratus eſſet, graviter hominem corripere, & caſtigare; ſtatim tamen atque ille exceſſerat; ne puncto quidem temporis interjecto, ad ſuam illam tranquillitatem, jucunditatémque ſermonis, ſereno vultu, explicatáque fronte rediiſſe; perinde ac ſi nunquam ille interveniſſet, aut quemquam ille objurgâſſet. Itaque apparebat nihil animo fuiſſe commotum, ac ſeveram illam objurgationis perſonam & ſuſcepiſſe cùm vellet, & depoſuiſſe. Si Superiores, Patresfamilias, ita bilem temperatam, ita choleram, & iram in poteſtate haberent, quàm ſalubres, & paternæ monitiones eſſent, quam omnes efferi impetus, & diræ imprecationes, quibus ſuos inferis, & mille diabolis devovent., ceſſarent! Tales erant duo illi fratres Monachi, g quos cùm vir ſanctus explorare vellet, hortum eorum ingreſſus, apprehenſo baculo, cœpit omnia olera demetere, *ita ut nihil omninò remaneret. Videntes autem dicti fratres, nihil penitus dixerunt; ſed nec vultum triſtem, nec turbatum habentes. Et rurſus ingreſſi cellulam, veſpertinas orationes complentes, adorantes eum dixerunt: ſi præcipis Domine, ibimus ut eum, qui remanſit caulem coquentes, guſtemus, quia jam hora eſt, ut cibum ſumamus.*

Erit, qui hæc eorum jactitet, qui mundo ſpreto, jámque in apice perfectionis conſtituti, infra ſe vident omnia; ab his homines ſæculares quàm longiſſimè abeſſe; quaſi hîc exempla deeſſent. Lege, & erubeſce. Domeſtica Philippi II. Hiſpaniarum Regis manſuetudo cum incredibili gravitate mores illius reddidit amabiles. Nil tam præpoſterum accidebat, ut excandeſceret: in ſe, irámque ſuam primario im-

d Tibull. l. 1. el. 4. e Seneca Epiſt. 85.
f Ribadineira in vita, lib. 5. c. 5.

g Ruffin. lib. 3. n. 21. Roſtoeydus vitæ PP. pag. 500.

perium

perium exercens. *h* Vigilaverat in multam noctem, litteráſque ad Pontificem de graviſſimis Chriſtianæ Reipublicæ negotiis exarârat, cum abſolutam Epiſtolam, Aulico à ſecretis dedit, ut complicatam, obſignatámque ſigillo, inſcriberet: ille ſemiſomnis epiſtolam recentem ab atramento pulveraturus, haud ſatis attentus, pro arenario, atramentarium invergit, totámque corrumpit. Exanimaverat hominem caſus inopinus, cui ſerenâ fronte Philippus: *Hac*, inquit, *aliam chartam*; iterúmque ſcribere orſus, epiſtolam de integro compoſuit; qua in magnitudine profectò majorem mihi fortitudinem oſtendiſſe viſus eſt, quàm in debellatione hoſtium, & urbium expugnatione, ita teſtante Scriptura: *i* *Melior eſt qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium*; & fortior à Chryſoſtomo deprædicatur David iram temperando, & Sauli parcendo, quàm leonem dilacerando. Hanc ergo fortitudinis noſtræ leoninæ partem eſſe reputemus, ut iracundiam, & impotentes turbidi animi motus, lenitate, & manſuetudine noſtra, cohibendo, pulcherrimo victoriæ genere perfruamur.

§. IV.

Leo hoſpes hominis, homines gratitudinem docet.

CUm in leone, fortiſſimo beſtiarum, & magnanimitas ſumma, & par manſuetudo eluceat, tum virtus altera, eáque

h Rho virt. hiſtor. lib. 7. c. 8. & §. 8.
i Proverb. 16. v. 32.

pulcherrima, & quæ hominem cumprimis decet, grati, inquam, animi, in eo eminere videtur, quam reipſa nec vice ſimplici, gratiſſima animalia leones patefecére, & exempla reliquêre hominibus, ut leoninis veſtigiis inſiſtant.

Myſterio non caret, quod divo Hieronymo, Doctorum maximo, manſuetus, & velut domeſticus leo appingatur. *k* Ut ipſe invidorum morſus, atque ferociam devitaret, Româ ceſſit; ſed cui Romæ homines belluis immaniores inſidiabantur, ejúſque carnibus ſaturari expetebant, in Syriæ deſerto feræ ſervierunt. In Bethlemitico cœnobio degentem, leo poſita feritate leniter adblanditus eſt, & cæteris omnibus qui aderant, metu delapſis, ipſi pedem ſpinâ ſaucium porrexit, quâ exemptâ, Hieronymo perpetuum famulatum exhibuit, nullíque jam Monachorum metuendus, aſellum ad paſcua educebat, reducebátque ad ſtabulum, agaſonis fungens officio. Nempe non poterat, ubi hoſpitis beneficentiam expertus fuerat, ab eo unquam decedere, cujus beneficio ſe noverat convaluiſſe.

At ne quis forte hæc virtuti divinæ, & Hieronymi ſanctitati adſcribat, ad aliud luculentum planè gratitudinis, & humanitatis documentum veniamus, quod à leone erga hominem gentilem, Chriſtianos haurire non pudeat: quia *l* *officia etiam feræ ſentiunt: nec ullum tam immanſuetum animal*

k Nierenberg. hiſt. naturæ, l. 9. c. 95. pag. 202. Fulgoſus libro 5. Majolus canicul. coll. 7. l Seneca lib. 1. de ira, cap. 5.

eſt, quod non cura mitiget, & in amorem ſui vertat. LEONUM *ora à magiſtris impunè tractantur.* Rem ſic enarrat Aulus Gellius ex Appione, qui Romæ tum temporis, rei tam ſtupendæ ſpectator interfuit. m Appion, inquit, varia ſcientiâ vir, ſe in urbe Roma vidiſſe oculis ſuis confirmat, hæc quæ ſequuntur: in circo maximo, inquit, venationis ampliſſimæ pugna populo dabatur, ejus rei (Romæ cùm fortè eſſem) ſpectator fui. Multæ ibi ſævientes feræ, magnitudine beſtiarum excellentes; omniúmque inuſitata aut forma erat, aut ferocia; ſed præter omnia *leonum immanitas* admirationi fuit, prætérque omnes cæteros, unius. Is *unus leo* corporis impetu, vaſtitudine, terrificóque fremitu & ſonoro, toris, comíſque circum cervicem fluctuantibus, animos, oculóſque omnium in ſeſe converterat. Introductus erat inter cæteros, ad pugnam beſtiarum, *Dacus* ſervus viri conſularis: ei ſervo *Androdus* nomen fuit. Hunc ille *leo* ubi vidit procul, repente quaſi admirans ſtetit, ac deinde ſenſim atque placidè, tanquam noſcitabundus ad hominem accedit; tum caudam more atque ritu adulantium canum, clementer & blandè movit, hominíſque ſeſe corpori adjungit, cruráque ejus, & manus propè jam exanimati metu, linguâ leviter demulcet. Homo *Androdus* inter illa tam atrocis feræ blandimenta, animum recuperat, paulatímque oculos ad contuendum leonem refert. Tum quaſi mutua recognitione facta, lætos, & gratulabundos videres *hominem, & leonem.* Hæc ille. Eâ re prorſus tam admirabili, maximos populi clamores excitatos dicit; accerſitum à Cæſare *Androdum*; quæſitámque cauſam, cur ille atrociſſimus leonum, uni pepercíſſet? *Androdus* rem mirificam narrat, atque admirandam. Cùm Provinciam, inquit, Africam proconſulari imperio meus Dominus obtineret, ego ibi iniquis ejus, & quotidianis verberibus ad fugam ſum coactus; & ut mihi à Domino terræ illius præſide, tutiores latebræ forent, in camporum, & arenarum ſolitudines conceſſi; ac ſi defuiſſet cibus, conſilium fuit mortem aliquo pacto quærere. Tum ſole medio flagrante, ſpecum quendam nactus remotum, latebroſúmque, in eum me penetrans recondo. Neque multò pòſt, ad eundem ſpecum venit *hic leo*, debili uno, & cruento pede, gemitus edens, & murmura, dolorem, cruciatúſque vulneris conteſtabatur: atque illic primo quidem conſpectu advenientis leonis territus, & ſtupefactus animo fui; ſed poſtquam *ingreſſus leo* in habitaculum illud ſuum, videt me procul deliteſcentem, mitis, & manſuetus acceſſit, & ſublatum pedem oſtendere mihi, & porrigere, quaſi opis petendæ gratiâ, viſus eſt. Ibi ſtirpem ingentem veſtigio pedis ejus hærentem revulſi, conceptámque saniem vulnere intimo expreſſi, accuratiúſque ſine magna jam formidine ſiccavi penitus, atque deterſi cruorem. Ille tunc meâ operâ, & medelâ levatus, pede in manibus meis poſito recubuit, & requievit; atque ex eo die triennium totum *ego, & leo* in eodem ſpecu, eodémque victu viximus: nam quas venabatur feras,

m Aul. Gellius lib. 5. c. 14.

feras, membra opimiora ad ſpecum mihi ſuggerebat; quæ ego ignis copiam non habens, ſole meridiano aſſans, edebam. Sed ubi me vitæ illius ferinæ pertæſum eſt; *leone* in venatum profecto, reliqui ſpecum, & viam ferme tridui permenſus, à militibus viſus, apprehenſúsque ſum, & ad Dominum ex Africa Romam deductus. Is me ſtatim rei capitalis damnandum, *dandúmque* ad beſtias curavit. Intelligo autem *hunc leonem* quoque captum, gratiam nunc mihi beneficii, & medicinæ referre. Hæc ubi Cæſari dixit *Androdus*, cunctis petentibus dimiſſus eſt, & pœna ſolutus, *leoque* ei ſuffragiis populi donatus. Poſtea *Androdus & leo*, loro tenui revinctus, urbe totâ circum tabernas iêre: donabatur ære *Androdus*, floribus ſpargebatur *leo*, omnéſque ferè obvii dicere audiebantur: *Hic eſt leo hoſpes hominis, hic eſt homo medicus leonis.* Hanc hiſtoriam Romanus Philoſophus oculatus teſtis, paucis confirmat: n *Leonem*, inquit, *in amphitheatro ſpectavimus, qui unum ex beſtiariis agnitum, cum quondam ejus fuiſſet magiſter, protexit ab impetu beſtiarum.* Eundem verò hunc fuiſſe leonem, cum illo, qui Androdum ſervavit, docet Lipſius ad locum iſtum Senecæ.

Conſimilem habes hiſtoriam in prato ſpirituali cap. 7. mirare, & imitare humanam in leone gratitudinem, parcit juveni ſervatori ſuo, quem quotidie in conſpectu habuerat, quoque paſci potuiſſet, niſi eum grati animi virtus inhibuiſſet, quia etſi famelicus, vetatur in benefactorem ſuum ſævire: *Quin ad pedes ejus ſe abjicit.*

Conferamus, ſi placet exhibitam leoni gratiam, ad divinam in nos beneficentiam, ut à belluis ingratitudinem noſtram execrari diſcamus. Leoni ſpina è pede saucio evellitur, nobis tot ſpinas benignus Deus animo evulſit, quot ſcrupulos amovit: tot nos ſpinis, quot pœnis, morbis, acutis cruciatibus liberavit: quia, ut Bernardus ait, o *ſpina pœna eſt*, ſpina, calculi & podagræ dolores ſunt: tot ſpinas evulſit, quot remiſit peccata, quótque infinita ſua bonitate, ne incurreres præcavit: quia, ut ait Auguſtinus: *Non eſt peccatum, quod facit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit rector, à quo factus eſt homo. Ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit, ut deeſſet, ego feci. Non defuit ſuaſor, ſed locus, ſed tempus defuit, ut deeſſet, ego feci: Ut non conſentires, ego feci.* Hæc indies ſibi accidere, pauci cognoſcunt, & agnoſcunt. Eſt juvenis qui puellam in certum crimen, & animæ diſcrimen inducere ſtatuit; domo illa abeſt, ut abeſſet, Deus fecit. Ut mater, aut etiam ancilla ſuperveniat, Deus fecit. Eſt qui clam domum tuam invadere, & omnia diripere molitur, ut ſerius pernoctares, ut arderet candela, ut amici ſupervenirent, ut canis latraret, Deus fecit. Mitto alia innumera; ut urentes æterni ſupplicii ſpinas evitares, Deus fecit.

Leo tanto tempore vivam, & vigentem tam exilis beneficii memoriam animo ſervavit, cúmque

n Seneca lib. 2. de benef. c. 19.

o Bernard. Serm. 48. in Cant.

que nihil novæ gratiæ ab Androdo reciperet, illi tamen toto triennio, de paſtu ſuo quotidiano opimiora ſuppeditavit; facturus porrò, niſi pertæſus vitam illam ferinam Androdus, ſpecum deſeruiſſet: nos qui in momenta ſingula Dei beneficentia vivimus, vegetamur, atq; nutrimur, ejus tamen obliviſcimur, tanquam à nobis alieni, cujuſq; nulla in nos extarent beneficia. Leo fame licet ſtimulante, à ſibi benefico abſtinet, fameſq; cogit in alia ſævire, ſibi ut faciat ſatis; nos ne fame quidem urgente, ſed deliciis ſaturi, deſiderio voluptatum inexpleti, in eum à quo ſumma omnia accepimus, potitando, ſcortando, pejerando, calumniando, blaſphemando, linguam, dentes, & ungues infigimus, laceramus, & filium Dei oſtentui habemus. Tanta certè noſtra eſt in iſto genere adverſus vitæ noſtræ parentem, conſervatorem, reſtitutorémq; ingratitudo, ut ei exprimendæ nulla oratio ſit ſatis. Itane noſtra ſeſe habet inhumanitas? itane à fortiſſimo & ferociſſimo belluarum vincitur?

Libet illud argumentum proſequi, & qui leonis pro ſpina evulſa gratitudinem audiſtis, quantam pro vita ſervata, præſtiterit, attendite. Auctor eſt decus purpuratorum, Damianus, in hæc verba: *p* ſicut fraterna mihi conſtat relatione vulgatum, Veneti quidam inſtitores, marina diſcrimina remigii labore ſulcabant; cúmque applicuiſſent, formidoloſum, ſtupendúmque conſpiciunt, non procul ab ipſa littoreæ crepidinis arenâ, portentum; *leonem* ſcilicet, trabalis, ut videbatur, draconis ſpiris obeuntibus involutum. Cúmque illinc draco captum, ad ſpeluncam ſuam violenter attraheret, hinc miſerabilis *leo*, quibus valebat niſibus reluctaretur; tandem quò *leo* cœpit deſperata reluctatione deficere, tantò magis draco inextricabilibus eum modis innectens, animabatur victoriam obtinere. Sed pandoces, qui repente huic ſpectaculo ſupervenerant, miſerantes infelicem *leonis* vicem, audenter arma corripiunt, draconem perimunt, *leonem* de faucibus mortis ereptum, abire permittunt. Sed *leo*, ut ita jam dicam, *nobiliſſimus beſtiarum, gratus vitæ ſuæ auctoribus extitit*, & per aliquot dies, quibus illic remorati ſunt, unam illis quotidie pellem, capti à ſe animalis, advexit.

Accipe & alterum non abſimile leonis factum, *q* Miles leonem conſpicatus ſerpente implexum, ſerpentem interemit, ipſúmque ſervavit. Leo hunc hominem aſſiduè comitatus eſt; indies ei de venatione lautam prædam apportans; ſemel abſente leone, mare conſcendit ut in patriam remearet; quod ut leo vidit, in aquam inſiliit, & tam diu adnatavit, donec in navem receptus eſt, ubi totus cicur apud ſuum benefactorem hæſit. En! ut leones hominibus facem præferant, monſtrentque, quam iis ſit turpis, & fugienda ingratitudinis nota: *r* *Erunt*, inquit Seneca, *homicidæ, tyranni, fures, raptores, ſacrilegi, proditores: infra iſta omnia*

p B. Petrus Damian. l. Ep. 6. Ep. 5.

q Sanchez Royaum. de Dieu, lib. 6. c. 4. §. 3. r Sen. l. 1. de benef. c. 10.

nia ingratus eſt, niſi quod omnia iſta ab ingrato animo ſunt, ſine quo vix ullum magnum facinus accrevit. Hoc tu cave, tanquam maximum crimen, ne admittas. Auſonius verò Epigram. 132. ex Mæandro:

Nil homine terra pejus ingrato gerit.

At (ô pudor) quid frequentius terra homine ingrato gerit? imprimis quàm graviter & verè nos hujus vitii inſimulare poteſt Deus, benefactorum noſtrorum princeps; leones è draconis, aut ſerpentis complexu, hominum ope liberati, qua poſſunt, gratitudinem ſuam teſtatam benefactoribus faciunt; hic pelles venatu quæſitas in beneficii vicem rependit; ille tanto etiam benefactoris ſui capitur amore, ut per medias aquas abeuntem, amore vires faciente, ſequatur. Nos verò, quibus divina bonitas, tartareo dracone, & ſerpente infernali per baptiſmum obtrito, & alias in mille occaſionibus repreſſo, id præſtitit, quo obſequii genere, qua amoris ſignificatione, gratitudinem noſtram teſtificamur? pudeat homines inhumanitatis ſuæ.

Non jam dicam feras hominibus gratas extitiſſe, orationem verto; ſi leo, ſi fera quælibet nobis quidquam præſtitiſſet beneficii, gratitudinis quendam motum homines in feras ipſas perſentiſceremus. Ad hanc, ſi leonis terreſtris non ſatis movent exempla, exſtimulent vos S. Marci, leonis cœleſtis illuſtria facta. ſ Hic à ſancto Petro Alexandriam legatus, ſecum Euangelium in urbem induxit, cúmque ſub ipſis portis, Anianus cerdo detritas Apoſtoli ſoleas reficeret, ſubuláque in lævam exerrante, Deum, ut fit in adverſis, inclamaret, *Marcus*, qui LEO figuraliter nuncupatur, ut grati animi ſui veſtigium relinqueret, & beneficium ſibi præſtitum, majori rependeret, emplaſtro è luto, & ſputo ſuo admixto, vulneri remedium fecit, & Anianum cum ſuis domeſticis, magno operæ precio, ad Chriſti religionem traduxit. Accidit poſtea eum curioſius fœminam contemplatum; quo ſe ut vindicaret, juxta Euangelii litteram, ſubulâ ſibi oculum eruiſſe; ſed ſanctus *Marcus*, ut beneficium beneficio cumularet, docuit moralem oculum eruendum, & extinctum reſtituit. Ubi demum ob quotidiana fidei incrementa, leo noſter inſidiis undique impeteretur, novo beneficio Anianum pro ſe urbi Epiſcopum dedit. Quanta hæc *divi Marci* pro minima ſibi in calcei ſolea exhibita opera, quámque luculenta gratitudinis argumenta? dum nos mortales pro omnibus, quæ ſubjecit pedibus noſtris, munifico rerum omnium conditori, ac benefactori, animalium ingratiſſimi ſumus; atqui ſi gratiis referendis vitam impendamus univerſam, nullam debitæ gratitudinis partem impleverimus. Veriſſimè diſſerentem audite Gregorium Nyſſenum: t *Exiſtimo igitur*, inquit, *quod ſi vel per totam vitam orando, atque gratias agendo, ſermocinationem cum Deo continuemus, tantum ab ea, quam fieri par eſt, retributione abfuturi ſimus,*

ſ B. Laur. Iuſtinian. Serm. de S. Marco. Faſti Marian 4. Oct. in Cat. SS.

t Gregor. Nyſſen. orat. 1. in orat. Dominicam.

mus, quantum ſi nec omnino quidem ab initio remunerari benefactorem in animum induxiſſemus.

In tres partes ſpatium temporis dividitur, in præteritum, præſens, & futurum. In tribus beneficium Domini deprehenditur. Si quod præſens eſt, conſideraveris; per ipſum vivis: ſi futurum; ille tibi earum rerum, quæ ſunt in exſpectatione, ſpes eſt: ſi præteritum; non eſſes, niſi prius ab illo factus eſſes. Idipſum quod natus es, ab illo beneficium accepiſti. Ac poſtquam natus es, beneficio afficeris, dum per illum & vivis, & moreris, ut ait Apoſtolus. Rerum futurarum ſpes ex eodem beneficio pendet. Tu verò ſolius præſentis compos es. Itaque ſi vel per omne vitæ tempus gratias agere Deo non intermiſeris, vix præſentis temporis gratiam explebis. Cùm interim nullam rationem excogitare poſſis, qua vel futuri, vel præteriti temporis debita compenſentur. Efferveſcit deinde meritiſſimò, & ſancto æſtu corripitur idem Nyſſenus, graviſſimè obteſtans mortales omnes, ut ad tam effuſam atque profuſam Dei erga nos beneficentiam lumina obvertant. Itaque exclamat: *Nos autem, qui tantum abſumus à poteſtate debitæ gratiarum actionis, ne in eo quidem, quod à nobis fieri poteſt, animi gratitudinem præſtamus. Non dico totum diem, ſed ne exiguam quidem diei partem vacationi divinæ tribuentes. Quis mihi terram ſubſtravit? quis perviam ſolertiâ, atque induſtriâ naturam humidam fecit? quis fixit mihi cœlum, tamquam cameram? quis præfert mihi facem ſolis? quis emittit fontes in convallibus? quis paravit amnibus alveos, per quos decurrant? quis mihi brutorum animalium miniſterium ſubjecit? quis me cum pulvis inanimus eſſem, vitæ pariter, & mentis participem fecit? quis hoc lutum ad imaginem figuræ divinæ formavit? quis imaginem divinam per peccatum in me confuſam, ad priſtinum rurſus decorem reduxit? quis me pulſum Paradiſo, & ligno vitæ privatum, & in barathrum materialis vitæ demerſum, ad primam trahit beatitudinem? non eſt qui intelligat, inquit Scriptura. Nam profectò ſi hæc perpenderemus, continentem & aſſiduam, per omne vitæ ſpatium, gratiarum actionem præſtaremus.*

Contendendum igitur eſt omnibus nervis, ut gratum animum tam jugi, támque effuſæ Numinis in nos benignitati ſtudiosè rependamus: quantumcumque enim connitamur, nunquam abundè faciemus ſatis. Quod inſigniter probat ratio illa Senecæ, quamvis ab eo per aliam occaſionem prolata: x *Semper dat, ſine intermiſſione dat. Inire beneficiorum ſuorum non poteſt numerum. Quomodo ergo gratiam referet, cùm per hoc ipſum, quo gratiam refert, beneficiū det.* Agapetus optimè concinit in tabella regia, num. 43. *Tot licet numero benefacta cumules, quot cœli ſtellæ ſunt, nunquam tamen bonitatem Dei vinces. Nam quæcumq; quis Deo offert, ex his quæ ipſius ſunt, illi quæ propria ejus ſunt, offert: atque profectò ut nemo in ſole ſuperare poteſt umbram, ſemper prævertentem, etiam eum, qui inſtanter urgeat; ita neque homines, benignitatem Dei inſuperabilem, beneficiis ſuperaverint.*

Quo verò quiſque ampliora à DEO beneficia acceperit, tantò impenſius æquum eſt dare operam, ut ingratus ne videatur.

v Gregor. Nyſſen. ibid.

x Seneca lib. 5. de benef. cap. 9.

Aptiſ-

Aptiſſimè monet Salvianus: y *Officioſiores abſque dubio Deo eſſe debuerant, quos ſpecialiter Deus abundantiſſima beneficiorum ſuorum dote ditavit. Quid enim rectius, aut quid dignius, quam ut, quibus per munera ſua Dominus quaſi ſpecialiter videbatur placere voluiſſe, iidem quoque ſpecialius Domino cultu, ac Religione placuiſſent. Præſertim cùm à nobis Deus nil oneroſum, nil grave exigat. Non enim nos ad aratra, aut ad ligones vocat, non ad ſcindendas terras, neque ad vineas paſtinandas; non denique illa exigit à ſuis ſervis, quæ nos exigimus à noſtris. Quid præſtari ſibi à nobis jubet, niſi fidem, caſtitatem, humilitatem, ſobrietatem, miſericordiam, ſanctitatem, quæ utique omnia non onerant nos, ſed ornant adeò vitam præſentem, ut futuram plus ornare poſſint.* Idem denuo alibi: z *Natura ipſa hominum, conſuetudóque communis, hac generali cunctos lege conſtringit, ut à quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus eis gratiæ debeamus.* Et paulò pòſt: a *Ita ergo & Deo hoc majora debemus, quòd ab eo cuncta percepimus.* Quin igitur cum Regio vate, beneficiorum divinorum magnitudine attoniti, exclamamus: b *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.*

Si terram, quam uſibus tuis creavit, ſi cœlum & omnia, quæ illic ſibi ſervientibus reſervat, contemplaris, de Sapientis conſilio: c *Super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te in omnibus bonis ſuis*; ne & de nobis meritò queri poſſit beneficentiſſimus Dominus: d *Filios enutrivi, & exaltavi; ipſi autem ſpreverunt me.*

Quàm autem omni jure meretur, & ſtricta ratione exigit ſibi gratum animum præſtari; tam deſiderat, mandátque Deus, & ratio ipſa poſtulat cæteris ſecundùm Deum bene nobis facientibus, gratum pariter animum exhiberi. Princeps Philoſophorum vel ipſo naturæ ductu, hoc aureum poſteris pronuntiatum reliquit: *Deo, parentibus, & præceptoribus nunquam ſatis rependi poſſe.* Præclarè verò monet Hierocles, filios nihil prætermittere debere, quantumvis grave & durum, ut gratitudini parentibus debitæ faciant ſatis: *Neq; laboribus,* inquit, *neq; pecuniis parcere debemus: imò hæc omnia parentibus libentes ſubjicere, & ſubminiſtrare. Nihil enim relinquere decet ob noſtras neceſſitates, quod ad illorum curam, & quietem pertineat: tantoq; id magis decorum, magíſq; honeſtum fiet, quantò laborioſius fuerit, & ſervilius: neq; fas eſt impenſis parcere: imò decens certè eſt, omnia ad illorum neceſſitatem, & uſum ſuppeditare; ac gaudere, & lætari in laboribus, & impenſis, quas illis erogamus. Nam qui hæc lætè facit, legem virtutis ſervat, & naturæ charitatem reddit. Talis quidem eſſe debet, qui parentibus tribuendus eſt honor.* Idem præterea Hierocles mirificè de officiis erga parentes diſputat, libro, *quomodo erga parẽtes agendum.* Cujus particulam tantum apponam, qua plurima ab antiquioribus per Stobæum Serm. 79. memorata, complexus eſt. Ita habet: *Si quis parentes, ſecundos ac terreſtres quoſdã Deos dixerit, non errabit, cùm nobis propter*

y Salvian. l. 7. de gubernatione Dei.
z Salvian. l. 4. contra avarit. a Ibid.
b Pſal. 102. c Ecclef. 3. 2.

d Eſai. 5.

vicinitatem (ſi dicere fas eſt) *vel ipſis diis honorabiliores ſint.* Magnificè hæc de parentum dignitate, erroneè quamvis, quod fidei lumine deſtitutus, vidit; at veriſſimè ſubdit: *Neceſſarium autem eſt exiſtimare, unum erga ipſos gratitudinis modum eſſe, perpetuam; & nunquam remittentem, beneficia ipſorum rependendi, animi promptitudinem. Quamtumvis enim multa in eorum gratiam fecerimus, ſemper tamen inferiora erunt omnia, quàm eſſe deberent*; neque hæc immeritò: immenſus enim plane eſt cumulus officiorum, ac beneficiorum, quibus parentes ſibi liberos devinctos habent.

Quæ autem parentibus ſint rependenda, Socrates apud Platonem 4. de leg. exponit: *Ita enim ſinguli apud ſe ſtatuere debent, omnia quæ penes ſe habent, eorum planè eſſe, à quibus & geniti ſint ipſi, & in hanc lucem educti, & à quibus educati; ac proinde arctiſſimo debito teneri, ad omnia obſequia illis pro viribus exhibenda; ut pro antiquis illis parentum ſuorum curis, & doloribus, quos ipſis juvenibus mutuò impenderint, iiſdem parentibus ſuis in ſenectute reddant, atque reſtituant, tum videlicet, cum illis maximè indigent.* Vide ut lumine naturæ agnoverit, & veriſſima oratione debita parentibus grati animi obſequia complectatur Ethnicus Philoſophus.

Accedit fidei lumine, & Chriſtiana eruditione refertiſſimus Ambroſius, qui filium quendam matri inofficioſum, ita alloquitur: e *Etſi paveris matrem, adhuc non reddidiſti dolores, non reddidiſti cruciatus, quos pro te paſſa eſt, non reddidiſti obſequia, quibus te illa geſtavit, non reddidiſti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera, non reddidiſti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium eſſet, ederet; ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa, quem voluit, cibum non accepit; tibi quem noluit, cibum ſumpſit; tibi vigilavit, tibi flevit.* Igitur & oportet ex maximi Doctoris ſententia, filios maximè meminiſſe matris, quemadmodum eos f *novem menſibus in utero portârit*, ubera amantiſſimè porrexerit, aluerit, atque in iſtam perduxerit ætatem. Meminiſſe item gemituum ejus, & laborum, quos & ante partum in uteri geſtatione, & in partu, & in reliquo tempore educationis ſuſtinuit: g *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris: memento, quoniam niſi per illos natus non fuiſſes*; quorum recordatione, eam tum honorent, tum in omnibus ei opitulentur, & imprimis caveant, ne qua re tam amantem ſui offendant; quo ingrati animi vitio ejus augerentur gemitus, novique prioribus adderentur. h *Honorem habebis*, monebat Tobias filium, *matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in utero ſuo.*

Porro hoc filiorum in parentes obſequium, potiſſimum ſpectandum, dum jam ætate effœta, & affecta, ſibi de neceſſariis proſpicere nequeunt, exſpectántque meritò officia, quæ & infirmis vobis antea præſtiterunt;

e S. Ambroſ. in c. 18. Lucæ ad illud: Honora patrem tuum, & matrem.

f 2. Machab. 7. v. 27. g Eccl. 7. v. 29. h Tobiæ. 4.

quod

quod ut ratio nos ipſa non doceret, fera bellua, ſed nobilis, & grati animi *leo* docebit: ut enim fide dignis auctoribus conſtat, *i* cùm jam leo ætate proceſſit, quia ad venandum infirmus, in ſpecubus, aut nemoroſis locis ſolitus eſt quieſcere, neque tum audet vel cum infirmiſſimis animalibus, ætatis ſuæ imbecillitati diffiſus, conſuetudinem habere. Verum ex illo geniti leones, huic parentis neceſſitati, ne fame intereat, ita ſoliti ſunt occurrere. Longè procedunt ad venandum, ac patrem jam ſenem ſécum adducunt; deinde in media via, quam ingreſſi fuerint, illum relinquentes, gnaviter ipſi in prædæ curam incumbunt, ac tantundem, illam conſecuti, quantum & ſibi, & parenti ad prandium ſatis ſit, generoſo quodam, & contentiſſimo rugitu edito, eum ad ſecum convivandum invitant. Senex tum ſenſim, & pedetentim velut reptans, eò accedens, primum filios veluti amplexatur, deinde lingua eis ſuaviter, tanquam felicem laudans eorum venationem, adblanditur; poſtea cum iis prandet, & epulatur. Pudeat, pudeat liberos inveniri, qui parentem cum ſenio, & innumeris miſeriis confiictantem derelinquunt, imò averſantur, & de medio ſublatum exoptant. Nónne oportet fateamur probrum eſſe longè turpiſſimum, homines gratiis natos, gratitudine à feris ſuperari? quod quàm grave, & immane ſit, S. Thomas tradidit *k.* 2. *ad Timotheum* 3. *Ingratitudo connumeratur aliis peccatis, cum dicitur: parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti.*

Itaque cùm videamus quibuſdam liberis (quod ſine pudore ne cogitari quidem poteſt) non eſſe eam in parentes, quæ leonibus eſt, gratitudinem, non abs re monendi parentes videntur, ſi ſenectuti ſuæ, caníſque conſultum velint ipſi, ut caveant diligenter, ne filiorum amore, aut ut filias collocent, aut occaſione opimi matrimonii, tam his, quàm illis procurandi, aut quacumque alia ratione humana, ſe bonis ſuis ſpolient. Neque verò meum eſt conſilium iſtud, ſed Spiritus Sancti, quod tanto inculcatum voluit, tum verborum, tum ſententiarum pondere, attentione prius conciliatâ, atque ad audiendum vocatis etiam magnatibus, atque Eccleſię Rectoribus, ut mirum ſit Deum, in re iſta, quæ in ſpeciem parva eſt, commendanda tantum momenti poſuiſſe: l *Audite me*, inquit, *Magnates, & omnes populi, & Rectores Eccleſiæ auribus percipite: filio & mulieri, fratri & amico non des poteſtatem ſuper te in vita tua, & non dederis alii poſſeſſionem tuam, ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis; dum adhuc ſuperes, & aſpiras, non immutabit te omnis caro: melius eſt enim, ut filii tui te rogent, quàm te reſpicere in manus filiorum tuorum.* Nemo ſe exuat, antequam cubitum concedat. Huic tam ſalubri conſilio, ſervit teſtamentum viri opulenti, quod in hunc locum refert eruditus Interpres. *m* Fuit quondam Joan-

i Balinghen Zoopædia tit. filii SS. 3. p. 268. Ælian. lib. 9. c. 1. k S. Thom. 22. q. 107. art. 1.

l Eccl. 33. v. 19. 20. 21. 22. m Oliverius Bonaert. in Eccl. c. 33. & Angelinus Gazæus pia hilaria.

nes Conaxa, vir ditiſſimus: hic duas ſuſceperat filias, quas nobilibus collocavit generis, eóſque adeò deperiit, ut ſenſim omnes ſuas facultates illis diſtribueret. Quamdiu verò habebat, quod iis largiretur, grati ſocero erant; illis verò omnibus erogatis, cùm jam ſenio fractus à ſuis deſpiceretur, quo ſuæ indigentiæ ſubveniret, tale conſilium commentus eſt; adiit mercatorem ſibi familiarem, & ab eo decem millia librarum mutuò petiit ad triduum. Dúmque illam pecuniam domum tuliſſet, lautum filiabus, & generis paravit convivium; quo peracto intravit cubiculum; & arcam quam novam fieri curaverat, aperuit, & pecuniam mutuò acceptam inde exemptam, magno ſtrepitu in menſam effundere, & numerare cœpit; ita ut filiæ in alio conclavi vicinæ, ſonum clarè perciperent; & ad illum accurrentes, per rimas viderent parentem, ingentem ſummam pecuniæ nummerare, & tandem rurſus in arcam recondere, eámque obſerare; tacuerunt illæ die iſto. Senex verò illis domum abeuntibus, pecuniam mercatori retulit. Redeunt illæ poſtridie cum ſuis maritis, & petunt quantam pecuniam habeat in arca repoſitam. Fingit ille eſſe viginti quinque millia librarum, de quibus ſe teſtamentum velle condere dictitabat, modò ſecum benevolè agerent, plus autem ſe accepturam illa ſperaret, quę gratior ſibi futura eſſet, & pluribus obſequiis devinciret. Quo audito certatim filiæ cum maritis ſtuduerunt bono ſeni omni bevolentia inſervire; nec quidquam deeſſe paſſæ ſunt. Cùm jam vitæ finis patri immineret, vocatis illis, nullum ſe teſtamentum condere dixit, præter illud, quod arcæ incluſerat. Itaque, inquit, quidquid pecuniæ illic repoſitum eſt, vobis poſt mortem meam cedet, modò pia aliquot legata me vivo perſolvatis: date igitur fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, & Eremitis quinquaginta libras, à quibus cùm mortuus fuero, repetatis claves arcæ. Fecerunt omnia libenter, ſpe potiundæ pecuniæ. Cùm igitur obiiſſet, & celebratæ eſſent exequiæ, receperunt claves à Religioſis illis; apertâ autem arcâ, nil invenerunt niſi ingentem clavam, in cujus manubrio ſcriptum erat: *Ego Joannes Conaxa tale condo teſtamentum, ut quilibet mactetur hac clava, qui ſeipſo neglecto, aliorum curam gerit.* Itaque ingrati hæredipetæ, & avidi cadaveris vultures, ſpe ſua meritò deluſi fuere, & parentes ſibi de conſilio Conaxæ prudenter conſulere edocti ſunt.

At fortaſſe haud facile fuerit hujuſcemodi hominum numerum inire. Quid ſi & multi pietatis nomine ſibi ipſis imponant? hi Romanum Philoſophum monentem audiant: n *Ingratus eſt, qui in referenda gratia ſecundum datum videt, qui ſperat, cùm reddit: ingratum voco, qui ægro aſſidet, quia teſtamentum facturus eſt, cui de hæreditate, aut de legato vacat cogitare. Faciat licet omnia, quæ facere bonus animus, & memor officii debet, ſi animo ejus obverſatur ſpes, ſi captator eſt, & hamum jacit; ut aves, quæ laceratione corporum aluntur, laſſa morbo pecora, & caſura è proximo*

n Seneca 4. de benef. c. 20.

ſpe-

ſpeculantur; ita hic imminet morti, & circa cadaver volat:

Audiant hujuſmodi homines jam Chriſtiana fide illuſtrati, quod in ethnica muliere imitentur. Teſte Plinio *o* puerpera quædam fuit de plebe, cujus mater ſupplicii causâ, atque ut fame moreretur, carcere erat incluſa; cùm impetraſſet aditum, à janitore ſemper excuſſa filia, ne quid inferret latenter cibi. Donec admirantibus cunctis, tam diu ſine cibo, ut putabatur, ſupereſſe matrem, comperta eſt filia eam uberibus ſuis aluiſſe, eique lac, quod ab illa infans ſuxerat, ſumma grati animi ſignificatione reddidiſſe.

Quod de parentibus ſenio affectis dictum eſt, hoc de morbis, omníque adverſitate, & neceſſitate, qua confligantur, intelligendum eſt, liberos jure naturæ illis ſuccurrere, & opitulari debere, quod Doctor Angelicus probat ex Auguſtino lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 28. p *Cùm omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui & temporum, & quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi junguntur.* Quales ſunt parentes, quos etiam filios conjugatos ſuis filiis, & uxori præferre debere docet, adducens illud Ambroſii: q *Primò Deus diligendus eſt: ſecundò parentes, inde filii, poſt domeſtici*; & alibi: r *Dicendum, quod in neceſſitatis extremæ articulo, magis liceret deſerere filios, quàm parentes, quos nullo modo deſerere licet propter obligationem beneficiorum ſuſceptorum ut patet ex Philoſopho* (id eſt Ariſtotele lib. 8. cap. 8. Ethic.) de uxore verò ſic ait: ſ *Ad primum dicendum, quod non quantum ad omnia deſeritur pater & mater propter uxorem: in quibuſdam enim magis debet homo aſſiſtere parentibus, quàm uxori*, ut fuſius videre eſt apud Fagundez, Sanchez in præcepta, alioſque.

Si itaque vos filii, & filiæ, tantum parentibus omni tempore amorem, & obſequium præſtare debeatis; maximè verò dum extrema, vel gravi neceſſitate premuntur, illud comprobandum eſt. Audite, & obſtupeſcite ſingularem filiæ Regis, in ſervanda matre induſtriam. *t* Alphonſus Magnus intercepto Toleto, templum maximum Mauris ex pacto permiſerat. Bernardus autem Toletanus Præſul ignominoſum id nomini Chriſtiano ratus, conſilio cum Regina Conſtantia communicato, per noctem templum vi occupat, altariáque ex ritu Chriſtiano erigit. Mauri hac contumelia in furorem acti, vix retineri potuerunt, quin ad arma concurrerent; conſultius tamen eſt viſum, rem totam ad Regem deferri, quod eo inſcio tantum facinus perpetratum eſſe, haberent perſuaſum. Rex iniquiſſimè tulit fidem publicam, jurisjurandi religionem, regii nominis majeſtatem violatam, fœdatámque. Itaque citatim Toletum ſe proripit, iracundiâ exæſtuans, furorem & minas in Bernardum, & Reginam ſpirans, extremo ſupplicio tantam audaciam vindicaturus. Interea de ſalute chariſſimæ matris multum

o Plinius lib. 7. c. 36. p S. Thom. 22. quæſt. 31. art. 3. q Idem 22. q. 26. art. 9. r Idem 22. q. 31. art. 3. ad 4.

ſ 22. qu. 26. art. 11. t Roderic. de Toledo, lib. 6. c. 26. Roderic. Sanchez part. 3. hiſt. Hiſpan. c. 29. P. Iacob. Rinald hiſt. ingenieuſe, c. 1. §. 1.

multum angebatur pientiſſima filia,& qua ratione iratum illi patrem reconciliaret apud ſe diſquirebat. Ab illa ſibi metuentes Mauri, properare ad Regem, facinoris acerbitatem exaggerare, rogaréque ne ullis ſe filiæ machinationibus,à juſtiſſima mente deduci ſinat. Ille contrà polliceri, ad omnes filiæ preces, & lacrymas obfirmatum animum, exemplúmque ſeveritatis crudele editurum. Ubi primum Toleto acceſſit Rex,illico ad eum advolat filia,ſi fortè patrem aut inveniret, aut faceret clementem: ſed ille ne ullis ipſius artibus expugnari poſſet, artes, quibus tamen captus eſt,oppoſuit. Intenta itaque voce, teſtem inquit, Deum appello,facturum me alia omnia ab iis,quæ vel pro Regina matre tua,vel Archiepiſcopo rogâris.Obſtupuit hæc ad tam atrocem parentis ſermonem, actúmque tum erat de Reginæ ſalute, niſi iram patris, filiæ in matrem amor potentior, magíſque induſtrius ſuperâſſet, eluſiſſétque: nam ut ingenioſus amor eſt, *miſeriſque venit ſolertia rebus*: Quoniam, inquit, pater, ea tibi eſt mens,rogo ut Reginam matrem meam,& Toletanum Præſulem, ultimo afficias ſupplicio, quod Regi terreno non paruerunt, ut cœleſti obſequerentur. Mirum, quantum tam inopinato reſponſo obſtupuit Rex,dum ſe ſuis laqueis irretitum videt;nam ſi jusjurandum vim obtineret, Reginam morte multari non erat licitum.Aliorum tamen, quid ſibi hac in re faciendum, ſententias exquirit: omnes filiæ pietatem, & induſtriam, unanimi voce prædicant, dandum hoc illius in matrem amori, ad quod ſe ipſe ſacramento obſtrinxiſſet: tum Rex converſus ad filiam, vitam, inquit,matri ſervaſti, conjugem non item, ſignificans ab ea ſeſe divortio abſceſſurum. Sub hæc Maurorum conſidente impetu, providentes quantam ſibi pararent cladem, ſi ſuo impulſu gravius aliquid in Reginam decretum foret, magno numero Regi procedunt obviam,& primo quidem aſpectu,illius animum conturbârunt, dum vindictæ cauſa veniſſe arbitratur; ſed ubi multis precibus pro Regina, & Præſule ſupplices audiit, diſcuſſa hac tempeſtate,lætus cum Regina, & Bernardo reconciliatur, perfectum filiæ in matrem pietati triumphum inſtruens. Qui ut perpetuus foret, annuis ſacris illius diei,factíque memoriam celebrari mandatum, Januarii menſis die 24. Utinam hujus tam ingenioſæ & officioſæ filiæ in matrem memoria, in vobis non annua dumtaxat recordatione recolatur,ſed perpetua permaneat, ut ubiubi parentibus ſuccurrendum fuerit, veſtras partes deſiderari non patiamini.

Quod,ut concludam,irrefragabili D. Thomæ evincitur documento: v *Dicendum,* inquit, *quod parentibus aliquid debetur dupliciter: uno modo per ſe, alio modo per accidens: per ſe quidem debetur eis id quod decet* (matrem vel) *patrem,in quantum pater eſt; qui cùm ſit ſuperior,quaſi principium filii exiſtens,debetur ei à filio reverentia,& obſequium: per accidens autem aliquid debetur patri, quod decet eum accipere, ſecundum aliquid, quod ei accidit: puta, ſi ſit infirmus, quod viſito-*

v S.Thom.22.q 101.art.2.

viſitetur, & ejus curationi intendatur: ſi ſit pauper, quod ſuſtentetur; quæ à fortiori in matre militant, atque ita arctè filios obligant, ut etiam voto religionem ingrediendi poſthabito, imò etiam habitu accepto, exire teneantur, ut ſi aliàs occurri non poſſit, eorum paupertatem ſublevent. Unde Matth. c. 15. *Dominus redarguit Phariſæos, quod intuitu religionis honorem parentibus ſubtrahere docebant.* Idem Doctor ad 3. ſic concludit: x *Si carnalibus parentibus noſtra obſequia ſint neceſſaria, ut ſine his ſuſtentari non poſſint, nec nos ad aliquid contra Deum inducant, non debemus intuitu religionis eos deſerere.* Et ad 4. *Dicendum de eo qui eſt in ſæculo conſtitutus, ſi habet parentes, qui ſine ipſo ſuſtentari non poſſunt, non debet eis relictis religionem intrare: quia tranſgrederetur præceptum de honoratione parentum.*

En quanta, quam arcta filiis, opitulandi parentibus, obligatio incumbat: quibus ut & vos in neceſſitate conſtitutis, ſuccurrere velitis, *unum exemplum quod occurrit*, amoris plenum, trium Japonum in ſublevanda matris inopia *referam, ne intercidat* y: *inſtruenda eſt enim vita exemplis illuſtribus: non ſemper confugiamus ad vetera:* z Tres fratres in Japonia nobiles, matri in extremas anguſtias, bellorum injuriâ compulſæ, quacumque demum ratione ſuccurrendum ſtatuunt. Commodùm accidit, inſigne aliquod perpetrari ſcelus, quod plurimum Imperatorem læſerat: & quoniam auctor ignorabatur, delaturo magna pecuniæ vis proponitur. Tum fratres ſecum, quid ſi, inquiunt, his nummis, matris inopiam ſublevemus? quid vetat è nobis unum ſine ſcelere reum fieri, à duobus accuſari, atque ita ſtatutum delatoribus præmium auferri? probatur conſilium, atque è veſtigio, ſors conſulitur, quis è tribus tam pio in matrem amori deſignetur victima: illa juniorem notat, qui ſuâ lætus ſorte, mox à fratribus vinctus ad magiſtratum, ipſis ignotum trahitur, accuſatur, & à judicibus rogatus, crimen quod non admiſerat, fatetur: quem illico arctiſſimo aſſervatum carcere, ut ſceleris auctorem deprehenſum, Imperatori per litteras aperiunt. Interea fratres ablatâ pecuniâ alacres ad matrem: habes, inquiunt, cariſſima parens, unde miſerias ſoleris, ſaccóſque auro & argento plenos evolvunt. Illa mirari, hærere, qua ratione nummos acquiſierint, exquirere: Illi autem tergiverſari; at mater eò urgere amplius, metuens ne forte aut latrocinio, aut malis artibus conquiſiſſent: & cùm circumſpiciens, natu minimum requireret filium, num inquit, fratrem facinoris ſocium habuiſtis, miſerandoque interfectum caſu reliquiſtis? negant illi de eo ſcire quidquam, interim ſecura frueretur opibus, quas ſuâ ipſi induſtriâ comparâſſent. Non conquievit mater triſte aliquid ominata, voluítque, quid factum tandem foret, intelligere, mori ſe malle aſſerens, quàm pecunia malè parta ſuis anguſtiis ſubvenire. Tum illi, ut matrem obſervabant maxime, rem, ut geſta erat,

x S. Thom. ibid. art. 4. Fagundez Sanchez cit. y Seneca Epiſt. 83. z P. Ioan. Cordier la famille ſaincte, litt. Iapon. PP. in Europ. P. Iacob Rinald. hiſt. ingenieuſæ 6. 1. §. 2.

erat, ordine exponunt. Obſtupuit tanto filiorum facinore miſeranda parens, ignorans priúſne illorum erga parentem laudaret pietatem, an in minimum natu fratrem exprobraret crudelitatem. Ac tandem, ubi primum loqui potuit: egóne, inquit, filii mei paſcar ſanguine? non patiar. Eatur: feſtinato eſt opus, relata inconſulti amoris tam cruenta mercede, innocentem crimine, & ſupplicio, abſolvamus. Illi, etſi ſciebant quàm grave immineret ſupplicium, dum Reipublicæ & Imperatori adeò potenti impoſuerant, matris imperio nihilominus obſecundant, cum qua unà ad magiſtratum, ubi frater detinebatur, contendunt. Quò ut primum illa pervenit, coram judicibus loquendi obtenta copia: en, inquit, vobis habete, quos falſis delatoribus nummos dediſtis: & accuſatus, & accuſatores mei ſunt, meo nati utero: ſceleris expertem mihi filium reddite, quem hi, ut facinoris ſui præmio afflictiſſimæ matri ſuccurrerent, falsò detulerunt; ſed ego nequaquam patiar, mihi vitam filii interitu ſervari. Obſtupuit ad hæc Senatorum conſeſſus, rogatíque delatores, vera eſſe confirmant. Tum is qui in ergaſtulo tenebatur, omnium, quæ agebantur ignarus, poſt varium examen, rem tandem aperuit. conveniunt omnia: ad Imperatorem nuntii, alia à primis ferentes, deſtinantur: ille non minus ac judices, tanto adoleſcentium amore attonitus, eos ad ſe cum parente ſiſti jubet: quos benigniſſimè acceptos, & de pietate collaudatos, honoribus auxit non infimis; at illorum matri, abundè largitus eſt, unde vitam pro conditione magnificam viveret, & ſecuram. Hæc pro delectu, & palato cujuſque ſeligenda, & delibanda, ſufficiant; atque has leonis proprietates, magnanimitatis, manſuetudinis, humanitatis, ac gratitudinis, ſi in vobis expreſſeritis, cum *divo Marco*, cœleſti leone, vos aliquando cœlis inſerendos confidite, ubi (z) *ſicut ſtellæ cœli fulgebitis in perpetuas æternitates.*

(z) Daniel. cap. 12.

FESTUM